# Commentaria luculentissima

# RIA LVÇVLENTISSIMA

vetustissimorum Græcorum Theologorum in omnes D. Pauli epistolas ab Oecumenio exactè & magna cura ad compendium collecta: Interprete verò Iohanne Hentenio Nechliniensi Hieronymiano.



PARISIIS,

Apud Mathurinum dupuys, via Iacobea sub insigni hominis sylvestris, & Frobenii.

1547.

# NOMINA GRAECORVM AVTORUM ex quibus decerpti, vel per quos collecti sunt hi commentarii in omnes Paulinas epistolas.

Oecumenius,
Chrysostomus,
Photius,
Basilius,
Cyrillus,
Gregorius Nazianzenus,
Athanasius,
Theodoretus,
Gennadius,
Gregorius Nyssenus,
Seuerianus,
Eusebius,
Clemens,
Isidorus,
Methodius,
Dionysius,
Acatius,
Papias.

A

# Narratio de diuo PAVLO APOSTOLO.

## Eutalii Diaconi Prologus.



AVLVS Apostolus Hebræus quidẽ erat genere, ex tribu Beniamin, professione Pharisæus, sub præceptore fideli Gamaliele Moysi legem edoctus. Adhæc Tarsum quæ Ciliciæ oculus est (quod aiunt) inhabitans. Persequebatur autem & impugnabat dei ecclesiam: ideóque Stephani apostoli & martyris cędi intererat, ac homicidij tũc particeps erat, susceptis in custodiam cunctis illum lapidantium indumentis, vt omnium manibus ad cædem vteretur: primúsq; cum his qui seditiones mouebant, conspiciebatur perdere vbiq; nitens delectos pietatis cultores. Multa itaq; sunt ac magna quæ aduersus ecclesiam ab eo perpetrata sunt: nihilque, ad incredibilem vsque insaniam, prætermisit. Nam in hoc se deum colere ac rectissimè agere arbitrabatur, sicut ipse in epistolis cõfitetur, & Lucas secundo suo libro scribit. Neq; enim solùm hic vt plurimi Iudæorum, veritatis prædicationẽ iamdudum oderat & auersabatur, verumetiã maiorem ferebat iram quàm quæuis gens ethnicorum. Vt ergo vidit splendentẽ prędicationem, ac floridũ veritatis sermonẽ maiores suscipere vires quàm doctrinam Iudaicam: commotus in hoc, ac iniuriã arbitratus fieri maximam, ꝙ illorum doctrina veniret in contemptum: omni promptitudine ac studio aduersus ecclesiæ alũnos cõcitabatur, quo vel illos à vera doctrina reuocaret, vel ab eis meritas ob fidem in Christũ pœnas exigeret. Quum ergo accepisset Paulus eo tẽpore epistolas à sacerdotibus & magistris ad Iudæos qui habitabãt Damasci, magno impetu ac feruore ferebatur in modum pleni cuiusdam torrentis,

B

C

*Gala.1.*
*Acto.8.9*
*22.26.*

D qui habitantes Damaſci diſcipulos demerſurus videbatur, atque in perditionis barathrum illos dimiſſurus. Quum autem viderat dominus quòd iniuſtam inſaniam, in iuſta videlicet voluntate, ſeruaret, in medio viæ apparens, præ lucis magnitudine, oculorum aſpectu priuauit, & tanto hũc aggreditur impetu, vt eum qui prius aduerſus eccleſiam graſſando nullum aduerteret aut detractaret periculum, omnésq; Chriſti diſcipulos ſe funditus perditurum ſperaret, iam ſtatim ac repente fideliſsimum ſui amatorem inſtrueret. Protinus enim ex hoſte factus eſt dei miniſter, & illico abiecta dementiæ copia militari, ad legationem procedit, Chriſtique profitetur cultum, ac mittitur ad Ananiam quendam Damaſcenum diſcipulum. Intui-
E tus autem veritatis indagator deus modeſtum iam redditũ virum, relictiſque malis meliorem effectum, non aliter illum quàm hoc modo vt ipſe ſupplicium euaderet, decreuit. Egreſſus itaque baptizatur ac ineffabilium myſteriorũ fit particeps, & idoneus commilito, ac propugnator prædicationis: quumq́ue nouum genus prædicationis à deo ipſi commiſſum eſſet, nouum habebat ſalutis argumẽtum, Quapropter tanta in Paulo facta immutatione, circa legem quoque immutatus eſt: atque adeò in extremum pietatis zelum traductus, vt veritatis diſcipulos, ſi quando eum abeſſe contingeret, literis confirmaret, ne ab operibus ſolùm, ſed à ſer-
F monibus quoque in poſterum doctrinam, ſibi ab eo compararẽt: ac vtrinque muniti inconcuſſum pietatis propugnaculum in anima circunferrent. Poſt aliquantum verò temporis rurſum Paulus Ieruſalem reuertitur, viſurus Petrum, vbi etiam inter ſe partiũtur vniuerſum orbẽ: quúmq; partẽ Gẽtium Paulus accepiſſet, Petro ſanè Iudaicum populũ ſortito docendum, plurimas tum ciuitates cum regiones peragrauit: breuíque totum Illyricum dogmatis de Chriſti cultu repleuit. Innumera igitur paſſus certamina, ac ſuſtinens pro fide Chriſti & pro euãgelio multa variáq; pericula quę ipſe deſcribit: quum vniuerſa deuiciſſet, fidéque ſuperaſſet (quandiu enim volebat Paulus, deus ac definitum ipſi tempus, vt inter homines degeret, hunc retinebant, donec vniuerſis gentibus euangelium prædicaret) declinante nimirũ tempore, rurſum Paulus Ieroſolyma reuertitur, vt ſanctos

qui ibidem agebant inuiseret, egenísque auxilium ferrent. A
Interim verò seditio quædam occupauit ciuitatem, & populus in tumultum vehementem versus erat, Iudæis plebem concitantibus. Indignum enim & graue ducebant accusatorem habere eum, qui olim dux ipsis erat ac particeps insaniæ ipsorum, eúmque occidere festinabãt. Verùm tribunus statim eum eripuit, & cum militari auxilio ipsum Cæsareã ad præsidem mittit. Acceperunt ergo ipsum & ad ducem gẽtium duxerunt, qui Festus dicebatur. Quum autem sentiret Paulus præparatas aduersus se insidias à Iudæis, statim ad tribunal stans Cæsarem appellat: & redditur quidem interim foro iudiciali, quieuit tamen accusatio quę aduersus ipsum à Iudæis excogitata erat: ac postmodum Romam à magistratibus mittitur ad Cęsarem: vbi quum eadem certamina suscepisset, ac pro eisdem præmiis laborasset, tandem vita quoque pro veritatis dogmatis excessit: meliorem esse iudicans, quæ cum Christo esset conuersationẽ, mortali hac & fragili vita. Nam paulò pòst volens illum Cæsar Nero ab hac vita educere, veram ipsi, quęque sola vera vita est, donauit, cælíque hæredem constituit quem terra priuauit. Sunt itaq; ciuitates quas sua prædicatione perlustrauit illustrissimus Christi apostolus Paulus, vt in compẽdium referamus quæ sequuntur. B

## PEREGRINATIO PAVLI Apostoli.

A Damasco cœpit, ascẽditq; Ierosolyma, inde Tarsum, & ab eo loco Antiochiam, rursumque secundò Ierosolyma, ac denuo Antiochiam, & inde cum Barnaba separatus in apostolatum descendit Seleuciam, deinde Cyprum, vbi & Paulus dici cœptus est, postmodum Pergẽ, deinde Antiochiam Pisidiæ, inde Iconium, hinc Lystram ac Derben Lycaoniæ. Postmodum in Pamphyliam deinde Pergen, hinc Attaliam, rursum tertiò Antiochiam Syriæ. Postmodum tertiò rursum Ierosolyma circuncisionis causa: Deinde iterum quartò Antiochiam. Tum pertransiuit Syriam ac Ciliciam. Rursum secundò Derben ac Lystram vbi Timotheum circuncidit. In Phrygiam, postmodum & Galaticam regionem, inde in Mysiam, postea Throadem, & inde Neapolim. Hinc Philippos, Macedoniæ vrbem, C

Deinde Amphipolim Apolloniámq; pertrãsiens venit Thessalonicam: vnde Berœam. * Hinc secundo Antiochiam Pisidiæ. Rursum in Galaticam regionem & Phrygiam deinde iterum secundo Ephesum: vnde pertransiens Macedoniam venit in Græciam: & inde præterita Macedonia rursum Philippos, & à Philippis Troadem, vbi Entychũ qui à cœnaculo ceciderat, suscitauit. Hinc Asson, & postmodum Mitylenem, deinde in partes quæ sitæ sunt contra Chium, vnde Samum: postea Miletũ, vnde aduocatis his qui Ephesi degebãt loquutus est cũ eis: hinc Coum, postmodũ Rhodũ: & inde Pataram, vnde Tyrum. Deinde Ptolemaidẽ, indéq; Cæsaream. Et hinc quarto rursum ascẽdit Ierosolyma, vnde missus est Cæsaream: ac postmodum vinctus Romam. Ita à Cęsarea venit Sidonem, & inde Myra Lycię, postea Cnidum: & hinc multa passus in insulam venit, vbi vipera manum eius apprehendit, mansitque illæsus: Dehinc Syracusas, inde Regium: & hinc Puteolos, vnde pedes ascendit Romam, occurrentibus illi fratribus ad Appij forum ac tres tabernas: & postea Romam ingressus multóque tempore docens, tandem in ipsa vrbe Roma martyrio vitam finiuit, quum ibidem bonum certamen certasset. Romani verò inclusis eius reliquiis pulchris ac argẽteis thecis, annuum in memorię diem colunt, tertio calendas Iulij martyrium eius celebrantes. Multis autem antea diuus Paulus quum de vita tum de virtute adhortatus erat, multáque de his quæ agenda sunt homines docuerat. Præterea autem & per harum quatuordecim epistolarum cõtextum omnino præscripsit hominibus vniuersam conuersationem. Necessarium autem duxi, vt paucis verbis tempus prædicationis Pauli significarem ex canonibus temporum Eusebij Pamphili in compendium redactis, vbi certè libro in manus sumpto eóque aperto passionem inuenio saluatoris nostri & domini Iesu Christi decimooctauo Tiberij Cæsaris anno accidisse, statímque tertio postmodum die resurrectionem, ac rursum Christi in cælos assumptionem. Præterea inueni ibidem apostolos post paucos aliquot dies in ministerium delegisse Stephanum, qui proprium sibi nomẽ ferebat: ac deinde Iudæorum seditionem rursum deprehẽdo, sicuti iam prædiximus, passúmque in ea Stephanum, ac Paulum in mortem eius maximè con-

** Quòd hoc loco desint q̃dã in Græco exemplari manifestũ est tum ex ca. 17. & 18. Actorũ, tum ex hac eadem peregrinatione quæ posita est ante initium libri Actorum, tum quia hic dicitur secundo uenisse Ephesum quũ antea non fuerit ulla Ephesi facta mẽtio. Addẽdũ est itaque hoc loco. Deinde Athenas, & hinc Corinthũ postea Ephesũ, ĩde Cæsareã.*

sentientem, Qui paulò pòst ad Iudæorum principes accedẽs literas accepit ad Iudæos, qui Damasci degebant aduersum discipulos. Iuxta medium autem itineris facta est ipsius à deo vocatio, paulò ante finem illius anni. Certè quum cæptus esset decimus nonus Tiberij Cæsaris annus Paulũ inchoasse prædicationẽ scribit historia: ac vniuersum percurrisse orbem dissemiuando Christi cultum, vsque ad tertium decimum Claudij Cæsaris annum præside Iudææ Felice: sub quo à Iudæis accusatus pro se respondit Paulus, qui sanè Apostolum in carcere duobus annis inclusit Cæsareæ. Post quem suscepto Portius Festus principatu statim Apostolum iudicare aggressus est vt maximam hoc facto gratiam apud Iudæos iniret. Tunc ergo arbitratus beatus Paulus ꝙ alio modo insidias declinare nõ posset nisi Cæsarem appellaret, stans ad tribunal, Cæsarem appellauit, & Romam ad Cæsarem Neronem dimittitur. Erat autem simul cum eo & Aristarcus (quem etiã meritò cõcaptiuum quodam epistolarũ loco appellat) & similiter Lucas qui acta apostolorum scriptura tradidit. Ibi ergo Paulus sub Romanorum custodia totum biẽnium asseruatus est. Nam hæc & vsq; ad ista scribit Lucas in Actis apostolorum, qui circa illud tempus librum conscripsit, quúmque tunc ea quæ futura essent minimè cognosceret, nequaquam martyriũ eius adscripsit. Illo enim ibidem relicto Lucas & Aristarcus redierunt. Eusebius autem sequentia tempora diligenter perquirens, scripsit nobis secundo ecclesiasticæ historiæ libro huius etiam martyrium, ostendens & Paulum in quiete permãsisse, & dei verbum nullo prohibente disseminasse. Siquidem habet historia, ꝙ vbi tunc sub Nerone respondisset Paulus & à Cæsare fuisset absolutus ad prædicationis ministerium rursus emissum fuisse, aliisque decem annis euangelij verbum disseminasse. Quum autem ad extremum insaniæ Nero peruenisset, primùm quidem interfecit Agrippinam propriam matrem, preterea & patris sororem. Octauiam quoque suam vxorem, aliósque innumeros genere ipsum contingentes: Deinde & vniuersalem mouit aduersum Christianos persequutionem & ità ad apostolorum cædes peruenit. Statim enim accersitum Paulum stitit tribunali. Rursum autẽ ei Lucas coniunctus est: vbi certè cõtigit Paulum

A

B

Colos. 4.

Cap. 22

C

Deinde Amphipolim Apolloniámq; pertrãsiens venit Thessalonicam: vnde Berœam. † Hinc secundo Antiochiam Pisidiæ. Rursum in Galaticam regionem & Phrygiam deinde iterum secundo Ephesum: vnde pertransiens Macedoniam venit in Græciam: & inde præterita Macedonia rursum Philippos, & à Philippis Troadem, vbi Entychũ qui à cœnaculo ceciderat, suscitauit. Hinc Asson, & postmodum Mitylenem, deinde in partes quæ sitæ sunt contra Chium, vnde Samum: postea Miletũ, vnde aduocatis his qui Ephesi degebãt loquutus est cũ eis: hinc Coum, postmodũ Rhodũ: & inde Pataram, vnde Tyrum. Deinde Ptolemaidẽ, indéq; Cæsaream. Et hinc quarto rursum ascẽdit Ierosolyma, vnde missus est Cæsaream: ac postmodum vinctus Romam. Ita à Cęsarea venit Sidonem, & inde Myra Lycię, postea Cnidum: & hinc multa passus in insulam venit, vbi vipera manum eius apprehendit, mansitque illæsus: Dehinc Syracusas, inde Regium: & hinc Puteolos, vnde pedes ascendit Romam, occurrentibus illi fratribus ad Appij forum ac tres tabernas: & postea Romam ingressus multóque tempore docens, tandem in ipsa vrbe Roma martyrio vitam finiuit, quum ibidem bonum certamen certasset. Romani verò inclusis eius reliquiis pulchris ac argẽteis thecis, annuum in memorię diem colunt, tertio calendas Iulij martyrium eius celebrantes. Multis autem antea diuus Paulus quum de vita tum de virtute adhortatus erat, multáque de his quæ agenda sunt homines docuerat. Præterea autem & per harum quatuordecim epistolarum cõtextum omnino præscripsit hominibus vniuersam conuersationem. Necessarium autem duxi, vt paucis verbis tempus prædicationis Pauli significarem ex canonibus temporum Eusebij Pamphili in compendium redactis, vbi certè libro in manus sumpto eóque aperto passionem inuenio saluatoris nostri & domini Iesu Christi decimooctauo Tiberij Cæsaris anno accidisse, statímque tertio postmodum die resurrectionem, ac rursum Christi in cælos assumptionem. Præterea inueni ibidem apostolos post paucos aliquot dies in ministerium delegisse Stephanum, qui proprium sibi nomẽ ferebat: ac deinde Iudæorum seditionem rursum deprehẽdo, sicuti iam prædiximus, passúmque in ea Stephanum, ac Paulum in mortem eius maximè con-

*† Quòd hoc loco desint q̃dã in Græco exemplari manifestũ est tum ex ca. 17. & 18, Actorũ, tum ex hac eadem peregrinatione quæ posita est ante initium libri Actorum, tum quia hic dicitur secundo uenisse Ephesum quũ antea non fuerit ulla Ephesi facta mẽtio, Addẽdũ est itaque hoc loco. Deinde Athenas, & hinc Corinthũ postea Ephesũ, ĩde Cæsareã.*

ſentientem, Qui paulò pòſt ad Iudæorum principes accedēs A
literas accepit ad Iudæos, qui Damaſci degebant aduerſum
diſcipulos. Iuxta medium autem itineris facta eſt ipſius à
deo vocatio, paulò ante finem illius anni. Certè quum cæ-
ptus eſſet decimus nonus Tiberij Cæſaris annus Paulū in-
choaſſe prædicationē ſcribit hiſtoria: ac vniuerſum percur-
riſſe orbem diſſeminando Chriſti cultum, vſque ad tertium
decimum Claudij Cæſaris annum prẹſide Iudæę Felice: ſub
quo à Iudæis accuſatus pro ſe reſpondit Paulus, qui ſanè A-
poſtolum in carcere duobus annis incluſit Cæſareæ. Poſt
quem ſuſcepto Portius Feſtus principatu ſtatim Apoſtolum
iudicare aggreſſus eſt vt maximam hoc facto gratiam apud
Iudæos iniret. Tunc ergo arbitratus beatus Paulus ꝙ alio
modo inſidias declinare nō poſſet niſi Cæſarem appellaret,
ſtans ad tribunal, Cæſarem appellauit, & Romam ad Cæſa- B
rem Neronem dimittitur. Erat autem ſimul cum eo & Ari-
ſtarcus (quem etiā meritò cōcaptiuum quodam epiſtolarū
loco appellat) & ſimiliter Lucas qui acta apoſtolorum ſcrip Coloſ. 4.
tura tradidit. Ibi ergo Paulus ſub Romanorum cuſtodia to
tum biēnium aſſeruatus eſt. Nam hæc & vſq; ad iſta ſcribit
Lucas in Actis apoſtolorum, qui circa illud tempus librum
conſcripſit, quúmque tunc ea quæ futura eſſent minimè co
gnoſcẹret, nequaquam martyriū eius adſcripſit. Illo enim
ibidem relicto Lucas & Ariſtarcus redierunt. Euſebius au-
tem ſequentia tempora diligenter perquirens, ſcripſit no- Cap. 22
bis ſecundo eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro huius etiam marty- C
rium, oſtendens & Paulum in quiete permāſiſſe, & dei ver-
bum nullo prohibente diſſeminaſſe. Siquidem habet hiſto-
ria, ꝙ vbi tunc ſub Nerone reſpondiſſet Paulus & à Cæſa-
re fuiſſet abſolutus ad prædicationis miniſterium rurſus e-
miſſum fuiſſe, aliiſque decem annis euangelij verbum diſ-
ſeminaſſe. Quum autem ad extremum inſaniæ Nero per-
ueniſſet, primùm quidem interfecit Agrippinam pro-
priam matrem, pręterea & patris ſororem. Octauiam quo-
que ſuam vxorem, alióſque innumeros genere ipſum con-
tingentes: Deinde & vniuerſalem mouit aduerſum Chriſti-
anos perſequutionem & ità ad apoſtolorum cædes perue-
nit. Statim enim accerſitum Paulum ſtitit tribunali. Rur-
ſum autē ei Lucas coniunctus eſt: vbi certè cōtigit Paulum

D tricesimosexto à Saluatore passo, tertiodecimo autē imperij Neronis, martyrio vitam finisse, capite videlicet gladio amputato. Sunt igitur ab anno Tiberij Cæsaris decimonono, quo euangelium cœpit prædicare, vsq; ad annum eius vicesimumsecundū anni quatuor, & Caij similiter anni quatuor: rursum verò & Claudij, anni paulò minus quatuordecim, quem insequutus Nero tertiodecimo sui principatus anno Apostolū interemit. Hæc autē de prima sua respōsione scri-
2. Tim. 4 bit ipse Paulus apostolus Timotheo: in prima mea responsione nullus mihi adfuit, sed omnes me dereliquerūt, non illis imputetur: dominus autē adfuit mihi & confirmauit me, vt per me prędicatio certiori fide cōprobaretur, audirentq; omnes gētes, & liberatus sum de ore leonis, hoc nomine Ne-
E ronem significās. De secunda verò in qua & martyrio suam
Ibidem. finiuit vitā, ait, Ministeriū tuum bonū certius adimple. Ego enim iam delibor & tēpus meæ dissolutionis instat. Et quia Lucas rursum erat cū eo, post pauca epistolæ verba. Salutat te, inquit, Lucas qui mecū est. † Totius igitur prioris prędicationis Apostoli tēpus est vnius & viginti annorū præter alios duos annos quos apud Cæsaream in carcere transegit. His rursum addantur duo primi anni postquam Romā peruenerat, decémque vltimi: ita vt fuerint omnes anni ab eius vocatione vsque ad ipsius mortem, triginta quinque.

*† Non habetur hæc in eo loco, sed paulò antè, Lucas solus mecū est. Vnde manifestū est hunc F frequēter scripturā ex memoria quæ sæpius fallit, citare.*

## MARTYRIVM PAVLI Apostoli.

SVb Nerone Romanorum imperatore, martyrio vitam ibidē finiuit Paulus apostolus capite gladio amputato, anno à salutari passione tricesimosexto postquā Romę bonum certauerat certamen, quinto die mensis Panemi, qui dies apud Romanos dicitur tertius calendarū Iulij, quo cōpleuit diuus Apostolus suum martyriū sexagesimonono anno aduentus saluatoris nostri Iesu Christi.

## ARGVMENTVM EPISTOlæ ad Romanos.

EPistola ad Romanos cōplectitur instructionē ad Christum, & maximè per naturalium rationū demonstrationem: ideoq; cæteris prępositā est, tanquam certè ad eos scripta qui ad diuinū cultum iam habebant principiū. Hāc au-

tem à Corintho mittit, quum necdũ Romanos vidiſſet, ſed A
de ipſis audiſſet, eóſq; videndi cupidus eſſet. Et primũ quidem ait ſibi gratam eſſe illorum fidem quamvbiq; locorum diuulgari videt. Deinde ſignificat ꝙ frequenter propoſuerit ad ipſos venire, accenſus eorum deſiderio, adhuc tamen non potuerit. Et deinceps eruditionis plenam cõſcribit epiſtolam, de vocatione gentium, quódq; circuncisio ſolùm ad tempus poſita erat: tũc autem ceſſauerat & ꝙ per Chriſtum erat deletum Adæ peccatum, vmbráque legis tranſierat. Vocationem itaque gentium conſequenter ita confirmat, oſtendens cunctis hominibus inſitam eſſe legem, omnéſque & natura rudes eſſe, & tamen ab ipſis creaturis poſſe deũ cognoſcere. Propterea meritò arguit, primùm quidem Græcos, ꝙ quum illis deus ex creaturis mundi, ſuiipſius cognitionem B
manifeſtaſſet, ſuámque virtutẽ æternam quæ eſt verbum eius in quo & per quem omnia creauit, illi tamen à creaturis non cognouerant deum, qui iſta formauerat, ſed ipſas creaturas deos fecerãt, ac coluerant creaturã potius quàm creatorem. Arguit autem & Iudæos vt qui legẽ non ſeruaſſent, ſed per legis tranſgreſsionem deum inhonoraſſent: & ita vtroſq; tum Iudæos tum Gręcos maximè cõuincit ac tranſgreſsionis accuſat: vt oſtendat ꝙ quicunque nati ſunt, omnes exæquo egeant redemptore †, vtpote obnoxij: gratia verò ac redemptione Iudæis ac Gẽtibus exæquo facta, meritò etiam gentium facta ſit vocatio: facta autẽ gentium vocatione, neceſſariò ceſſauit circuncisio ac vmbra quę in lege erat. Abrahã enim non in circuncisione inquit, ſed ante circuncisionem iuſtificatus, nominis tranſmutatione dictus eſt C
Abraham, ꝙ pater multarum gentium futurus eſſet, ſecundum fidem quam in præputio habuerat. Sumpſit autẽ poſtquam iuſtificatus eſt, circuncisionem in carne, vt ſignũ eſſet his qui ſecundum carnem ab eo propagarentur. Ceſſaturam autem tunc dicit circuncisionem, quum gentes filij fuerint Abrahæ, quorum iam cœperat cõuerſatio in fide Abraham, in qua iuſtificatus eſt quum eſſet in præputio, ideo enim trãſmutato nomine dictus eſt Abraham. Neceſſe eſt autem ſuccedentibus ſignificatis ceſſare ſignum. Si ergo gẽtes neceſſe eſt circuncidi, ceſſet & nomen Abraham, vocetúrque Abrã. Si verò Abrahã à deo nominis mutatione dictus eſt,

† *aut redẽptionis p̃tio Græcè eſt* λυτρϐμένος.

D non opus est gentes circũcidi: imò neque deinceps eos qui Iudæi sunt secundum carnem: vt sit nomen firmum, & pater multarum gentium nuncupetur. Etenim non necesse est vt quis deinceps circuncidatur, quum illi sufficiat fides Abrahæ: nec vt obseruet aliam legis vmbram. Non enim ex his, sed ex fide iustificatur quispiam, quemadmodum & Abraham. His ita confirmatis, ostendit rursum quòd aliter fieri nequeat redemptio, aut gratia Israeli, vel Gentibus, nisi sol uatur vetus Adæ peccatum, quod ad omnes dimanauit. per alium autem non posse deleri dicit, nisi per Christum deum, per quem etiam à principio pura facta est natura: neque enim posset alius soluere peccatum. Deinde scribit quòd hoc aliter non fiat nisi filius dei corpus induat, ac fiat homo: vt
E quum illud pro omnibus obtulerit, omnes à morte liberet: & sicut per vnum hominem peccatum in mũdum introiuit, ita & per vnum hominem gratia succedat. Tandem more probi œconomi Iudęos quidem consolatur, dicens, Non estis legis transgressores si in Christum credideritis: eos verò qui à Gẽtibus crediderunt, admonet ne extollãtur aduersus Israelem, sed agnoscant quòd vt rami super radicem, ita & ipsi super illos inserti sint. Post hæc autem vbi monitoriis verbis eos de moribus edocuit, epistolam concludit.

## SCHOLIVM.

PRinsquam Paulus Romam accederet, admoniti erant Iudęi ne prędicationem de Christo susciperent: nec soli ipsi, sed & omnes qui vbique locorum agebant. Ve-
F rùm vnde id manifestum est? Inuenimus in veterum commentariis quòd sacerdotes & scribæ ac seniores qui Ierosolyma inhabitant, exaratas literas ad omnes nationes trãsmiserant Iudæis, vbicunque terrarum dispersi essent, Christi doctrinam calumniantes, tanquam à deo alienam, atque epistolis admonebãt ne illam susciperent. Hoc ipsum certè vi-
Iesa.18. detur Iesaiæ prophetia significare, quæ sic habet, Væ terræ nauium alæ, trans flumina Aethiopiæ: (ὁ ἀποστέλλων) qui mittit per mare obsides ac literas papyraceas super aquam. His significat quòd vltra Aethiopum quoq; regiones & nouissimos terræ fines, sonus malitiæ eorum qui Iudæam inhabitabant, per quædam veluti alata nauigia processerit: & illorum apostoli literas papyraceas deferentes, super aquas na-

uigantes,maréque transeuntes, vbique terrarum discurrebant,sermonem qui de saluatore nostro erat, calumniantes. Porrò ad hoc vsque tempus moris est Iudæis Apostolos appellare illos qui quotidiana epistolia ab ipsorum magistratibus deferunt. Quod autẽ in prophetia sequitur,de discipulis domini ac saluatoris nostri Iesu Christi dicitur:quos, eo quòd omnibus hominibus bonorum euangelizatores siue nũtij sint,angelos leues appellauit, ad eorum distinctionem quos Iudaicos Apostolos significauerat. A

# Pauli epistola AD ROMANOS. B

CAPVT I.

*Euangelica doctrina de his qui extra Christi gratiam uiuunt, & de his qui in gratia:ac de spe spiritualique conuersatione.*



PAVLVS seruus Iesu Christi. Cap. 1.
Simul cum eo quod sequitur,Paulus Apostolus omnibus qui estis Romæ,dilectis dei, vocatis sanctis, gratia vobis & pax,tantundem est ac si dicatur, Quidam cuidam salutem. Interim autem conspicuum facit, & euangelicum sermonem & suum euangelium quidem non quoad tempus,nouum esse, sed per prophetas prænuntiatum,nunc autem manifestatum adstruens. Meminit autẽ Dauidis ad quem facta est promissio.Seipsum verò dicit huius præconem designatum esse,ne temerè post Petri doctrinam ad præcipiẽdum venisse videatur,sed diuinum potius explere præceptũ.Proprium autem nomen veteri more præponit.Veluti quũ dicitur,Claudius Lysias maximè strennuo præsidi Felici salutem. Aut nomen Paulus præposuit, ne os quidem aperire volens,quin beneficij domini meminisset:ac si dicat,Paulus qui & ipsam vocationem à domini beneficentia & liberalitate habet: Pau- C Photij. Act. 23.

D Ius qui omnia sumit a Christo, vocationē, gratiam, cōuersationē. Aut absentibus scribēs suū nomen meritò præposuit. Propterea autem mutato nomine è Saulo dictus est Paulus, ne vel in hoc apostolis aut ipso etiam Coryphæo Petro inferior esse videretur, aut minus aliquid habere. *Seruus.* Multi sunt seruitutis modi: vnus creationis, alius fidei, tertius apostolatus, quartus conuersationis. Omnes autem habuit Paulus. Porrò solitus est proprio nomini adiungere, Apostolus: nūc autem præposuit, Seruus, Romanos ad pietatem ac modestiam inducens. Nam adeò magnificè de se sentiebant, vt quos videretur, suo decreto deos crearēt. vnde (sicut fertur) quum ipsis indicasset qui in Iudææ partibus præsidem agebat de Christo: quòd Iesum quendam ibidem na-
E tum, admirandorum patratorem operum è mortuis surrexisse dicerent, deúmque prędicarent: decreto repulisse aiūt, quòd id præter ipsorum voluntatem ausus fuisset. Fuit autem diuinæ dispensationis vt ita fieret, ne videretur & hoc obtinuisse humana diligentia. *Iesu Christi.* Iesus, humanitatem significat: Christus verò, spiritus vnctionem.

Vocatus Apostolus, segregatus in euāgelium dei, quod antè promiserat per pphetas in scripturis sanctis de ipso filio suo: qui factus est ei ex semine Dauid, secūdum carnem. Qui declaratus est filius dei
F per virtutē, secūdum spiritū sanctificationis, ex resurrectione mortuorū Iesu Christi domini nostri.

Modestè confitetur quòd non vltroneus accesserit, sed vocatus. Vocatus autē, non tantùm ad fidem, sed etiā ad apostolatum. *Segregatus in euangelium dei.* Alius quidem ad alia, ego verò ad euāgelium, inquit, segregatus sum, vt Christum qui deus est, annuntiarem, patrem nanque à veteri lege precognouerant. Nihil autem triste dico more prophetarū, sed deum factum esse hominem annuntio. *Quod antè promiserat.* Nullus, inquit, me res nouas moliri arbitretur. Olim annuntiatum est hoc euangelium: Quod autem addit, *In scripturis.* significat quòd non solùm dicebant prophetæ, sed & scribebant. Nec simpliciter dixit, De filio, sed περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ addito articulo, hoc est, de ipso filio suo, eum videlicet

significans,qui natura & vnus, propriéque filius esset ac v- A
nigenitus. *Secundum carnem.* Nam secundum spiritũ filius dei erat. *Qui declaratus est.* Qui demonstratus & manifestatus est & per prophetas,& per tot diuina signa,& per resurrectionem. Horum enim concursus segregat ipsum ab aliis omnibus,qui per gratiam vocati sunt filij. Ideo etiam quidam ὁρισθέντος cogniti interpretantur,& in hominum notitiã veniẽtis. Solemus enim διὰ ὁρισμῶν τινῶν,hoc est, per definitiones quasdam cognoscere, quæ firmiter & non ambigendo cognouimus. *Per uirtutem.* Hoc est,non gratia vt multi,sed virtute propria quam in diuinis signis exercebat. *Secundum spiritum sanctificationis.* Et ex spiritu sancto ait, quem dat in se credentibus. *Ex resurrectione.* Et ex resurrectione,inquit,mortisque destructione:resurrectione au- B
tem,quâ surrexit ipse dominus noster Iesus Christus.

Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad Act.13.
obediendum fidei per omnes Gentes super nomine eius, inter quas estis & vos vocati Iesu Christi. Omnibus qui estis Romæ dilectis dei vocatis sanctis,gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Non ex propriis,inquit,bonis operibus apostolatum accepimus,sed quicquid id est,gratia est & donum. *Gratiam & apostolatum,* hoc est,gratiam ad apostolatum. Atqui apostolatus eius spiritus sancti est, sicut in Actis habetur:sed om- C
nia sanctæ trinitatis opera nouit esse cõmunia. *Ad obediendum fidei,* Neque enim oportet dei generationem vel substantiã curiosè scrutari,sed tantùm obedire. *Per omnes Gentes.* Nam etsi ipse non omnes circumierit, nihilominus omnibus annuntiatum est euangelium,per cæteros videlicet apostolos. *Super nomine eius.* Fides enim in nomẽ eius fuit. Nã ipsum Gẽtes non viderũt,sed solo eius nomine diuulgato crediderunt. Et verè gratia plena erat apostolica functio discipulorũ,quia persuaserunt Gentibus vt obedirẽt ac crederẽt in Christum,idq; quum piscatores essent ac literarum ignari. *Inter quas estis & uos.* Hoc est,cũ quibus Gẽtib⁹ & vos vocati estis. Neq; enĩ à vobisipsis venistis. Cõprimit au

D tem factum illorum, acsi diceret, Ne putetis regiam ac dominãtem ciuitatem amplius quippiam hac in re habere præ cæteris: sed cũ reliquis gentibus vocati estis. *Omnibus qui estis Romæ dilectis dei.* Siquidem non est apud deum discretio diuitis à paupere. Deinde postquam dixit Omnibus, ne dicãt, Quid ergo? omnes æquali habet in honore, bonos ac malos, fideles ac infideles? subiunxit, *Vocatis sanctis.* Nam omnes sancti æquali sunt in honore apud illum, nec inter ipsos est distinctio. Primùm autẽ dilectis Dei posuit, deinde Vocatis sanctis: vnde, inquit, vocati estis? ex quibus laboribus? per quæ egregia facinora? Vnde sancti estis? nempe ex sola dei dilectione: quum enim gratis dilexisset nos, suúmq; sanguinẽ pro nobis fudisset, ad sanctificationẽ nos vocauit,
E suíq; regni hęreditariam possessionem. Ideóq; vbiq; locorũ Vocatis dicit, beneficij dei reddẽs nos memores. *Gratia uobis.* Nemo enim ex operibus saluus fieri potest, inquit. *A deo patre.* Nam gratia & pax quæ à deo est, stabilitatem habet. Quod autem additur Patre, adoptionem demonstrat.

Primùm quidem gratias ago deo meo, per Iesum Christum pro vobis omnibus, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Testis enim mihi est de⁹ quẽ colo in spiritu meo, in euãgelio filii eius, ꝙ indesinẽter mẽtionẽ vestri faciã semper in precibus meis: orans si quo modo iam tãdem prosperũ mihi
F contingat iter per voluntatem dei veniendi ad vos.

Oportuit enim à gratiarum actione procemium assumere, & gratias agere, non pro suis tantùm virtutibus, verumetiam pro his quæ proximorum sunt: nam id charitatis est. *Deo meo.* Dilectionis & amoris indicium est: nam Eum qui cunctorum deus est sibi proprium facit. *Per Iesum.* Ipse siquidem nobis causa est gratiarum actionis erga patrem: qui & nos assumpsit & suo sanguine nos illi recõciliauit. *Quia fides uestra.* Verisimile enim erat apud omnes passim diuulgari fidem Romanorum. *Testis enim.* Meritò deum in testem adducit, quum persuadere vellet hominibus, quibus difficile esset persuadere. *Quem colo.* Hoc est, cui seruio. Multę sunt autem cultus species. Siquidem & qui precatur,

& qui ieiunio corpus affligit, & qui diuinis mētem adhibet sermonibus, præterea & qui ministerij peregrinorum curã gerit, hic deum colit. Diuus autem Apostolus deum se colere dixit, ꝙ euangelium filij ipsius Gentibus prędicaret: & colere in spiritu, hoc est, in dato sibi dono. Vel, Non meo, inquit, conatu contigit mihi deum colere, sed per gratiam spiritus. Aut hoc dicit, Non mihi carnalis cultus est, sed spiritualis. Et ex hoc ostendit ꝙ necessariò curam illorum habeat, vt qui verbum suscepissent, suscepturíq; essent. *In euãgelio filij eius.* Vides ꝙ in præcedentibus quum diceret, In euangelium dei, dixerit Christum? *Quod indesinenter, &c.* Syncerae charitatis est, & mentionem facere, & semper hoc facere, idq; maximè in precationibus. *Orans si quo modo.* Etenim proficisci properabat, & præter dei voluntatem id facere nolebat. Illud verò, Iam tandem, hoc est, serò tãdem, vehementer properantis & optantis est. *Prosperum mihi contingat iter.* Facilitatem, inquit, habeam, & ad finem honestum iter ad vos. A B

Desidero enim videre vos, vt aliquid tradam vobis gratiæ spiritualis, ad confirmãdum vos: hoc est, vt simul consolationē accipiam in vobis per mutuam fidem vestram simul & meam.

Non vulgari, inquit, modo & sine fructu videre vos cupio, sed vt gratiam tradam. Dicit autem doctrinam & institutionem. Nam hoc est cõfirmari, vt verisimile fuerit ipsos vehemẽter fluctuare. Illud verò, Vt aliquid, modesti animi est, acsi dicat, Vt modicum quippiam. Quod autem addit, μεταδῶ, id est, *Tradam.* significat, Nihil quod meum sit dabo, sed quod & ego accepi. *Ad confirmandum vos.* Neque enim paruum donum est, non fluctuare in fide. *Vt simul consolationem accipiam.* Postquam confirmationis meminit, ne contristet eos quasi fluctuare dicantur, subdit, Vt simul cõsolationem accipiam, hoc est, vt & ego vos, & vos me consolemini: mutua enim egemus cõsolatione, quæ fiat per inexistentem in nobis fidem. Magnam autem ostendit modestiã. Potest hoc quoque modo consolatio hæc intelligi. Vt vos quidem à me ad fidem consolatione ducamini, ego verò ad oblectationem alliciar, quum vos credẽtes videam. Vel ita, C

D Tradere vobis gratiam non meum solùm est aut meæ volũtatis ac ministerij, sed mihi vobísque cõmune est: mei quidẽ ministerij, vestri autem subsidij: & ne tunc quidem vtcunque, sed per mutuam fidem: quo ergo modo id fiet? Si ipsi, inquit, fidem habeatis ad accipiẽdam gratiam, ego verò fidem rursum habeam ad illam vobis tradendam. Nam si ego quidem fidem habeam ad dandum, magnúmque laborem ac studium, vos autem non habueritis fidem ad accipiendum: non continget vobis gratia spiritualis, etiam si ego velim. Vtrunque ergo concurrere oportet, & quod à me præbetur & quod à vobis. Tunc enim fidem ac desiderium accipere poteritis, quãdo bonis operibus dignos hoc dono vos præbueritis. Quum autem vos donum acceperitis, manifestum
E est ꝙ consolabimur, mutuóque gratulabimur, qum sit commune lucrum. Diuersorum enim fidelium concursus maximam operatur consolationem. Vel, vbi vos quidem me susceperitis pro fide digno, qui prædicem aut doceam, ego verò rursum dignos vos habeam, quibus dei concedantur oracula, solidiórque doctrina. Vel, vbi ego quidem vos prompto animo verbum dei suscipiẽtes videro, vos autem ediuerso videritis meam curam ac diligentiam circa vos: Nam id ad maiorem fidei certitudinem vtrisque prodest, quando is qui verbum dissseminat, videt hominum animos suprà quàm credi potest ad obedientiam attrahi, robustior enim ad prædicandum redditur. Rursum quum viderint discipuli concionatorem spe firma tradentem fidem, magis
F hanc suscipiunt: & ita per fidem mutuam vtrique consolationem accipiunt.

Nolo autem vos ignorare, fratres, ꝙ sæpius proposuerim venire ad vos, & prohibitus sum hactenus, vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Et Græcis & Barbaris, & sapientibus & insipientibus debitor sum. sic quantũ in me est, promptus sum etiam vobis, qui Romæ estis, euangelium prædicare. Non enim pudet me euangelii Christi: siquidem potentia dei est ad salutem omni credenti: Iudæo primùm & Græco.

Si ergo venire optas, & vtilitatis nostræ gratia iter instituis, cur nō aduenis? Sū, inquit, prohibitus, nec tamen prohibitionis causam scrutatur: neque enim nostrum est eorum quæ iubet deus causas expetere, sed tantùm obedire. *Vt aliquē fructum.* Omnino diceret quispiā, Idcirco prohibitus es, quia non secundum deum venire decreueras. Nequaquā ait, Fructum enim etiam in vobis habere cupiebam, fructū vocans, fidem in eorum corda introducere. Vel vt per hyperbaton illud dictū sit, Vt aliquem fructū habeā: ita verò consequens erit: sæpius proposui venire ad vos, vt aliquem fructum habeam & in vobis, sed hactenus prohibitus sum. Verùm dixerit aliquis, Si fides eorum annūtiabatur in vniuerso mundo, quemnam fructum ipse aduenieus præbere cupiebat? Sed magnum adhuc aliquid inueniemus. Nam etsi crediderant, adhuc tamen multis egebant. Idque & tota manifestatur epistola, & paulò antè quum diceret, Ad confirmandum vos: & quum admonet ne de se mutuò iudicium ferant, aliisque locis innumeris. Vt aliquem, inquit, fructum habeam, hoc sanè ostendens ꝙ fructum illorum suum esse fructum duceret Paulus. Adeò enim in proximi virtutibus gaudebat, vt fructum inde redire ad se arbitraretur: quod hinc colligere licet: Nam vtilitatis illorum gratia iter ad illos assumere festinabat. Alioqui verè etiam fructus illorū, Pauli fructus erat. Nam quia opus ac studium illius erat, vt Gentes fructum producerent, rectè in earum fructificatione, Pauli fructificatio ostendebatur. Et hæc quidem ita se habent. Possumus autem & locum hunc non per hyperbaton accipere, sed ordine quo positus est assumentes, talem ex eo sensum venabimur. Hactenus ꝓhibitus sum, quare? inquit, ne citius accedens, vos adhuc infructuosos deprehenderem: ideóque aduentum distuli, quousque etiam in vobis fructum aliquem germinantem quod fide dignum esset, & iam productum perciperem. Potest autem & alio modo sensus conspici. Hactenus prohibitus sum. quare? quia fructum aliquem mihi adhuc relictum colligebam. Et hanc sententiam in fine epistolæ confirmatam videre licet: quasi meminisse videatur Apostolus eorum, quę præfatus fuerat. Ait enim, Quapropter etiam impediebar frequenter, quo minus venirem ad vos: Nunc verò quum non amplius habeam lo-

D cum in his regionibus veniam ad vos. Spes itaque fructum ad hoc vsque tempus colligendi in aliis regionibus, prohibuit eum Romam currere, quum fieri non posset, vt cœptũ apud illos opus desereret. Deinde quod addit, Etiam in vobis, &c. tanquam obiectionis solutio est, Quid, inquient, in nobis fructum non es habiturus? vtique ait etiam in vobis hoc nitor, hoc requiro, debitor sum, qui omnibus debeo. *Sicut etiam in cæteris* Gentibus. Cæteris eos coniungens Gẽtibus fastum reprimit illorum: magísque in eo quod sequitur, Et *Græcis & Barbaris*, hoc est, sicut Græcis ac Barbaris, ita & vobis debitor sum. *Debitor sum.* Nihil proprium trado, debitor sum, vt euãgelium vobis annũtiem, & compleam datum mihi præceptum. *Sic quantum in me est.*
E Quemadmodum, inquit, Græcis ac Barbaris sapientibus ac insipientibus, debitor sum, ita quantùm ad meum studium ac prõptitudinem spectat, etiam vobis euangelium prædicare debeo. Ab his enim quæ præcesserunt repetendum est Debitor sum. N*on enim pudet me.* Quia verò incredulis multa in euangelio abiecta esse censentur, putà crux, mors, Iudæorum debacchatio: hoc interim illos docet ne quicquã esse in eo vile suspicentur, atque idcirco pudeat eos illud suscipere: ac deinceps progrediẽs euangelium etiam extollit. Præterea & aliter. Quia cristas erigebant Romani, ob multa quibus cæteris præstantiores erant, putà diuitias, potentiam, & sapientiam: vos quidem in his, inquit, efferimini: ego autem deum in medio vestrum prædicaturus accedã: nec
F me huius pudet. Quamobrem? Quia potentia dei est ad salutem suscipiẽtium. Pulchrè autem addit, Ad salutem: nam est & ad vltionem potẽtia dei. Ad salutẽ itaq; non cuilibet, sed credenti. Non credentibus enim supplicium interminatur euangelium. I*udæo primùm.* Dictio Primùm, verbi solùm honorem confert, non gratiæ abundantiam. Primùm enim à Iudæo postulatur vt credat, vtpote qui iam ea quæ de Christo sunt ex lege & prophetis edoctus sit magis quàm Gentes. Præterea licèt ad communem generis humani salutem venerat Christus: tamen inter Iudæos & natus & conuersatus fuerat, docuerat, diuináque inter eos signa operatus erat: propter quæ omnia debitores erant Iudæi, vt primi in Christum crederent supra cæteras Gentes.

Iustitia

Iustitia enim dei in ipso reuelatur ex fide in fidem sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuet. A Habbac. 2.

Ne quum salutem ac iustitiam audis, eam hic solùm contingere exstimes, subdit, Reuelatur, quòd eã significat quę est in futuro seculo tanquam nunc non tota manifestata sit. *In ipso*. putà euangelio. Nam dei, inquit, iustitia in euãgelio reuelatur: hoc est, omnis virtus per euangelium perficitur. Nam iustitia sæpius omnem virtutem significare solet. Quomodo autẽ, quibúsue reuelatur? His qui ex fide ad euãgelium accedunt. Euangeliũ enim virtutem omnibus prædicat omnésq; adhortatur virtutem amplecti. Illis autẽ virtutis pulchritudinẽ reuelat, eiúsq; facit amatores, qui per fidẽ accedunt. Quid ergo? Cessat virtus vbi quis egregiè virtutẽ assequutus est? Nequaquã, quin potius in perfecti⁹ ac sublimius tendit. Etenim prima fides cõpunctio quædã erat animęq; promptitudo. quæ verò cum operatione virtutũ coaucta & perfecta fides est, cõfirmatio immutabilis est, mentísque certitudo. Et illa quidẽ seminis decisioni similis est, virtutum autẽ operatio, fructificationi: & illa quæ per eas perficitur fides, fruitioni ac beatitudini. Ita ergo iustitia dei reuelatur in euãgelio ex fide in fidẽ. Vocat autem dei iustitiã virtutẽ, quod diuinum quiddã sit virtus, quódque omnia bona ex deo sint. *Ex fide in fidem*. A fide incipit & in fidelem seu credentẽ desinit. Vel quia & in fide incipit & in fidẽ terminari debet: quòd nos nõ oporteat cuncta quæ in eo habẽtur curiosè scrutari. Aut hoc modo. Prophetis credere oportet & per illos ad euãgelij fidem deduci. Pręterea & aliter. Qui Christo domino credit & baptismi gratiã suscepit, per hęc deducitur ad credendum futura bona, putà resurrectionem ex mortuis, vitam æternã, regnúmque cęlorũ. Credere enim oportet quod Christus suscepta carne in terra apparuit, quod principium est: & rursum quod regnum cęlorum credentibus in hęreditatẽ succedet, quod finis est fidei. Vel hoc modo. Iudęo quidẽ ex fide legis in fidem quę per Christũ est: Græco verò ex fide naturali in candẽ Iesu Christi fidem. *Sicut scriptũ est*. Ne enim incredibile videatur, quòd fides salutem datura sit ac iustitiam, eorũ quę dicta sunt testimonium producit ac probationẽ euidentẽ, nempe propheticũ

B C Acacij

D Habbacuc dictum: ac si diceret, Bene dixi probum virũ ex fide in fidem per virtutẽ procedere. Siquidẽ Habbacuc, inquit, hoc cælitus per spiritum clamat, quòd homo prob⁹ ex fide viuit, hoc est omnẽ suam vitam fide productam habet. Vel magis propriè. Iusto vera vita est germinare, reuiuiscere in possessione virtutum. Iustus, inquit, siue probus homo ex fide viuet vita quæ secundum virtutes est. Rursum quod ait, Iust⁹ ex fide viuet, appositũ esse potest ad id quod dictũ est, Reuelatur iustitia ex fide. Sed hęc quidẽ ita sint. Verùm si iustitiam dei sumat quispiam, nõ pro ea quę homini datur à deo, sed quod ad vocẽ propius accedit pro ea quę in deo est, quámq; ipse operatur: talem quendã sensum manifestare mihi videtur ꝗ dei iustitia quã circa nos exhibet
E termino legéq; benignitatis in eius euangelio demõstratur. Qualiter autẽ & quomodo id efficitur? quia ex sola fide nos saluos facit, iãq; mortuos viuificat, quũ prius non exhibuerimus opera. Idque manifestius in progressu demõstrat Pau-
Infrà 3.10 lus quũ ait: Et iustificans eum qui est ex fide. Rursumq;: Si cõfessus fueris ore tuo dominum Iesum: Deinde, & credideris in corde tuo, saluus eris. Hoc ergo dei iustitiæ est humanam benignitatẽ excedentis, ex sola videlicet fide nos peccatis iam mortuos viuificare ac suscitare. Bene itaq; prædixit ꝗ euangeliũ potentia sit ad salutẽ credẽti. Confirmatur nanq; is qui credidit per iustitiã quę in eo reuelatur. Per credẽtes autẽ reuelatur & manifestatur. Verũ ad quid viuifica-
F tur, inquit, qui credidit? ad perfectissimã fidẽ & immutabilẽ habitus fortitudinem. Nã ex fide in fidem est viuificatio. Possumus autẽ & alio modo intelligere, Iustitia dei per euãgelium reuelatur: Deus enim qui solùm initium sumit à nobis seménq; fidei, ipse auget & roborat ac perficit nos ad ipsam eandem. Id verè iustitia dei est, ꝗ sola voluntatis occasione à nobis sumpta, ipse totum opus absoluat. Siquidem quum superius dixisset Paulus: Euangelium potẽtia dei est credenti ad salutem: ne quis dicat: Et quomodo potest credere qui crucem audit, qui mortẽ audit, qui afflictiones audit? subdit: Iustitia dei in eo reuelatur. Non ergo prætexas, inquit, excusationẽ. Nam si duntaxat proposueris, tunc admirari magis poteris dei erga te gubernationẽ ac prouidentiã: ꝗ sumpta ab animo fide, ipse tibi suppeditat certitudi-

tiis,ac confirmationis fidem. Deinde ne existimes ꝙ nouum A
aliquid dicat aut inauditum, prophetam in testem producit. Hoc ipsum iam olim ante me prædixit & propheta Habbacuc, quòd iustus vitam fide amplectitur ac terminat, inceptā quidē per fidem, quæ à volūtate est, terminatā verò ac procedentem in fidem, quæ producitur à diuina cooperatione ac reuelatione. Ideo semper iustus ex fide viuit. Bene autē dictum est Viuet, hoc est: Nō ita iustus ex fide viuit vt desinat aut cesset, sed semper viuet in ea proficiēs ac cōfirmatus. Dixit autē viuet, & nō aliud quippiā puta proficit: aut cōfirmatur seu aliud quiduis, subditum significans affectum, qua si neque viuere eligat aut possit vel respirare sine fide.

CAPVT II.

*De iudicio quod fertur aduersus gentes non seruantes ea quæ à natura sunt.* B

REuelatur enim ira dei de cælo aduersus omnē impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatē in iniustitia detinēt. Nam id quod de deo cognoscibile est, manifestum est in ipsis. Deus enim ipsis manifestauit.

R*euelatur.* In die iudicij. O*mnem impietatem & iniustitiam.* Iustitia nanque vniformis est, porrò circa dogmata est varia impietas, circa conuersationē verò malitia. V*eritatem in iniustitia detinent.* Veritas, quidē dei cognitio est, iniustitia C
verò idolorum deceptio. Illi itaque veritatem in iniustitia detinēt, qui dei cultum idolis tribuūt. Detinēt autem hoc est custodiunt vel occultant seu animi prauitate obtenebrant. Facile enim esset si vellent, ab his quæ vidētur, & se & alios ad dei cognitionē iuuare. At illi hæc ipsa magis contexerūt ac detinuerūt, ne dei cognitio splēderet: hęc ipsa pro diis colentes: ac iniuria afficiētes, ꝙ in ipsis erat & dei cognitionē quę in illis erat & seipsos, & ea certè quę honorare videbātur. Manifestum est autem quòd Græcorū sapiētes perstringit, eorumq; similes. N*am id quod de deo cognoscibile est.* Dei enim cognitio manifesta est in illis & in vniuerso. Siquidē per visibilem creaturam inuisibilis deus cognoscitur. Tales itaque voluntariè aberrant. τὸ γνωστὸν, autē, hoc est, id quod

D cognosci potest, putà quòd creator sit, q gubernator & similia. *Manifestum est in ipsis.* per creaturæ pulchritudinem ac magnitudinem. *Deus enim ipsis manifestauit.* Creaturam omnibus proponendo quæ suam doceret magnitudinem. Nam cœli, inquit, enarrant gloriam dei.

Psal.18. Inuisibilia enim ipsius ex creatione mũdi, operib⁹ intellecta conspiciuntur: ipsa nimirum sempiterna eius potentia ac diuinitas vt sint ipsi inexcusabiles.

Quia dixit q sui cognitionẽ deus illis manifestauit, ipsi autem sua sponte eum reliquerunt. Id nunc demonstrat & dicit quòd per ea quæ creauit deus, putà & per inuisibilia

E & per visibilia, sui magnitudinẽ ostẽdit: Nam creatura etiã absq; voce, per aspectum creatorem promulgat. Inuisibilia autem vocat angelos omnẽmque cælestem exercitũ: facta verò, ea quæ visibilia sunt, putà cælum, terram, mare. Vide ergo quid dicat, Inuisibilia, inquit, ipsius per visibilia fiunt manifesta. Nã qui cęlũ intuetur, animaduertet omnino q in eo quidam sint ministratorij spiritus. Quod ergo latet, per id quod manifestum est declaratur. Ne enim deo coęternos arbitreris angelos, sub creatione illos cõprehendit. Siquidem inuisibilia ait putà angeli cæteræq; substantiæ incorporeæ: quænã sunt hæc incorporea? quæ ex mundi creatione ad esse perducta sunt: aut ex creatione mundi comprehen-

F duntur & cõspiciuntur. Quonã modo? etiã ipsa inter ea quę facta sunt intellecta & cõnumerata. Est ergo per hyperbaton literæ ordinatio. Vel operibus intellecta, hoc est in ipsis operibus inexistẽtia, vtq; dei voluntati subseruiãt, & quæ iubẽtur cõpleant: Aut inuisibilia eius dicit ipsam inuisibilẽ eius substantiã. Et quomodo dicit cõtingere vt inuisibilis diuinitas perspiciatur ac intelligatur? vtiq;, inquit, licet etiam à creaturis eius perspicere ipsius diuinitatem ac potentiã. *Sempiterna eius potẽtia ac diuinitas*. Repete Cõspicitur. Quo-

Cyrilli modo ergo per creationẽ sempiterna eius virtus cognoscitur? Quia quũ ea quę ad esse producta sunt, corruptibilẽ sortiatur naturã, ac in tempore ad vitam vocata sunt, vtiq; ho-

Pho. rum creator incorruptibilis erit ac sempiternus. ¶ Aut hoc modo. Ex creatione mundi diuinitas dei sempiternaq; potẽtia cognoscitur. Nouit quis mundum & ea quæ in eo

sunt, astrorum pulchritudinē ac magnitudinem, lunę solisq; cursum, ordinem ac seriem incōmutabilem: ꝙ diem luna nō efficiat, neque sol noctem: æther proprium seruat locum & aer similiter: stat in medio terra nihil habens quod suā immensam fulciat grauitatem: infusa est per illam aqua, imò in circuitu diffusa quæ grauitatem adiiciat, attamen immobilis perseuerat, eam quæ continet promulgans potentiam: fert fructus innumeros suis differentes virtutibus, quū vna sit, quum terra sit, plurima nutrit animalium genera, sed & temporum probè constitutas mutationes, pluuias annuas, quǽque percipiuntur passiones, putà terræmotus, fulmina: & quicquid horum cōsideraueris, in creatorē traducit eum qui animaduertit. Quid illud ergo est quòd ista continet quid ꝙ gubernat? Vtiq; licet manifestè ex creatione cognoscere ꝙ sit creator, ꝙ gubernator, ꝙ omnipotens, ꝙ bonus (nam boni est creare ac gubernare) ꝙ sempiternus, omnipotēti enim quis struet insidias? Ita ergo diuinitas eius sempiternáq; potentia in operibus cōspicitur, ita ex mundi creatione dei cognitio contingit hominibus. Hoc modo illud quod de ipso cognoscibile est, in omnib⁹ sese prodidit, Hæc enim sunt quæ de deo cognoscibilia sunt: substantia nanque & natura omnibus omnino sunt incomprehēsibiles. Hæc & Græci cognouerāt, verùm quum cognouissent nō sic deum glorificauerunt, *Vt sint ipsi inexcusabiles.* Nam quum tanta sint quæ dei magnitudinem demonstrent, quid respondebunt qui sua sponte excæcati sunt? Non tamen id curauit deus, absit: quanquam ita acciderit.

A

B

C

Nam quum deum cognouissent, non sic deū glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed vani facti sunt in cogitationibus suis, & obtenebratū est insipiens cor eorū. Putantes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Cognouerant enim deum per creationem. *Quum deū cognouissent:* hoc est, quidnā sit deus, quid pro deo haberi debeat, quum hoc cognouissent, sua spōte lapsi sunt. Vel quum deum cognouissent, hoc est cognoscere potuissent si voluissent. Aut eo ꝙ quantū ad conspectam creationē ac adhortationem cognouerāt, & peracta erat eorum cognitio. Siue ꝙ etiam deum cognouerāt quantum hominibus de eo cogno- Pho.

D ſcibile eſt. Quid ergo de eo cognoſcibi le eſt? ꝙ creator ſit, quòd gubernator, ꝙ bonus, ꝙ dominus, quódque eum coli oporteat: quũ hæc cognouiſſent & hactenus bene progreſſi eſſent, deinceps auerſi ſunt. Etenim quum hæc de deo ſublimia conſideraſſent, poſtmodũ ad deum non acceſſerunt, neq; ſic deum ſuſceperunt aut glorificauerunt. Quum enim oportuiſſet eum glorificare & gratias agere, ꝙ eum, quẽ conſpicimus mundum, propter nos condiderit, illi, ediuerſo etiam contumelia affecerũt. Iccirco vani, inquit, facti ſunt, & à toto ſcopo & intellectu exciderunt. Vtrum enim facilius erat orbes & animalia conſtituere idola in cælo, an cognoſcere
E quòd huius cõſpectæ, & ſupernaturalis pulchritudinis quiſpiam ſit conditor & procurator ac gubernator? *In cogitationibus ſuis.* Quum dixiſſet ꝙ vani ſeu cæci facti ſunt, dicit etiam cauſam, hæc autẽ eſt, ꝙ omnia cogitationibus ſeu ratiocinationibus permitterent & nõ fidei. Volentes enim formis eum qui forma caret, & corporeis imaginibus incorporeum cõprehendere, falſi ſunt, non potentes ratiocinationis finem attingere: vtpote, Vnde manifeſtum eſt ꝙ cælum vel terram fecerit? Quis eſt pater dei? Quod eſt principium cõſtituens perſonam? aut quid eſt ipſa perſona? *Et obtenebratum eſt.* Cogitationes in modum nubium obtenebrarunt cor
F illorum. Addit autem Inſipiens, eo ꝙ noluerit rem omnem
Pho. fide apprehendere. *Putantes ſe eſſe ſapientes.* Cauſa verò ꝙ rem omnem ratiocinationi permiſerint, erat, ꝙ putarent ſe eſſe ſapiẽtes, ſibíque ſufficere ad vniuerſi cõprehenſionem. Ideo etiam ſtulti facti ſunt, quid enim dementius eſt quàm coram lignis ac lapidibus procidere?

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum quadrupedúmque ac ſerpentium.

Habebant ergo dei notitiam, verũ hanc tranſtulerunt in gloriam cultúmq; idolorum. Gloriam autem dei dicit, eſſe creatorem ac gubernatorem: hãc ergo idolis adſcripſerunt in ſimilitudinẽ hominum, & volucrum ac cæterorum. Neq; hos puduit qui ſe ſapientes arbitrabantur, quæ deo propria ſunt ac præcipua ſerpentibus adaptare. *Corruptibilis hominis.* Hoc ipſum quod homo corruptibilis eſſet, ſatis erat ad

conuincendā insaniam. Porrò similitudinibus rei corrupti- A
bilis adscribere dei gloriam incredibilis est dementiæ.

Iccirco tradidit eos deus in desideria cordiū suorum ad immundiciā vt ignominia afficerent corpora sua: qui cōmutauerunt veritatem dei in mendacio, & coluerunt & seruierūt creaturę potius quàm creatori: qui est benedictus in secula. Amen.

*Iccirco tradidit.* Non ipse tradidit, absi, sed ipse quidē eos neglexit tanquam sua gubernatione indignos: deinde verò satanas acceptos illos tradidit in ea in quę traditi sunt. Itaq; dei permissionem vocat traditionem. Tradidit illos deus, Pho. hoc est delictum ac debacchatio in deum, propriáq; illorum B operatio, aut vltronea cæcitas illa tradidit eos in affectus ignominiæ. Etenim in contrarium dicere solemus. Perdidit illum argentum. Atqui argentum non perdit sed eius prodigus malúsque vsus. Item, Corrupit eum adulantium multitudo. Atqui nō illi corrumpunt sed eis adhærere atque obtemperare quod in mea situm est voluntate vt ipsis paream aut non. ¶ Vel fortasis seipsos tradiderunt, eo quòd hoc Oecu. desiderarunt, ait enim, In desideria cordium suorum. *Qui commutauerunt.* Vides rursum Commutauerunt. Nam significat quòd scientes commutarunt. *Veritatem dei in mendacio.* Hoc est, quæ verè de deo dici & credi possent ad mēdacium traduxerunt, id est, ad idola. ¶ Vel veritatem dei vocat vt C deus verum nomen sit, mendacium verò idolum manufa- Theo- ctum: quum ergo illos oporteret deum adorare, diuinū cul doriti. tum creaturæ obtulerunt. Vel quia deus quidem verè deus Seueria- est, idola verò quæ adorarunt, mendaciter dij appellantur. ni. *Et coluerunt & seruierunt.* Coluerunt quidem, sed seruiendo perseuerarunt rēmq; expleuerunt. *Creature* (inquit) *potius quàm creatori*, & ita semper comparatione formidabiliorem facit sermonem. *Qui est benedictus in secula.* Verùm non ob id, inquit, deus in propria gloria damnum vllum suscepit: siquidem ille æque mansit benedictus in secula, ipsorum autem pœnæ prædictæ quæque dicētur, sunt corporis ignominiæ ac retributiones.

Propterea tradidit illos deus in affectiones igno-

D miniæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum qui est contra naturã. Similiter & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt per appetentiam suam inter se mutuò, masculi in masculos fœditatem perpetrantes: & pręmiũ (quod oportuit) erroris sui in sese recipientes.

*Propterea.* quare? quia seruierũt creaturæ potius quàm creatori. *Commutauerunt naturalem usum.* Quum enim ex natura habeant naturalem commixtionem, commutauerunt illam *in eum qui est præter naturam.* Obiectè rem innuit turpissimam: & ostendit quòd non solùm in dei leges, sed in naturæ quoque leges pugnabant. Quod autem subdit, *Exarserunt.* magnam insaniam ac œstrum significat, nec dixit concupiscentiam suam perpetrantes, sed *Turpitudinem:* designãs quòd ipsam quoq; naturam pudefecerint. *Perpetrantes.* Vides quòd non ignorantiæ fuerint hæ affectiones, sed quòd studium adhibuerint vt in opus deducerent? Siquidem prępositio κατὰ (in dictione κατεργαζόμενοι) intensionem quandam ac pertinaciam significat, quasi nitatur quispiam quò magis deo aduersetur. *Et præmium* (quod oportuit) *erroris sui.* Quod conueniens erat, quod illis debebatur qui tales essent debitum præmium errori eorum. Errorem autem vocat adorare creaturam, quem in seipsis recipiũt mulier à muliere, & vir à viro, quum turpiter operantur. Nam quia sermonibus de gehenna fidem non habebant, hoc ipsis præmiũ F profert Paulus, quo etiam rubore suffundebantur.

Et sicut non probauerunt deum habere in agnitione, tradidit eos in reprobam mentem, vt facerent quæ non expedirent.

Vides quòd non ignorantiæ error erat, sed cognitionis. Magis tamen quosdam illorum occultè taxat, quãquam sermonem suum ad alios transfigurat. *Tradidit in reprobam mẽtem.* Nam per auersionem à deo, reproba mens à dęmonibus inducitur: hoc autem scripturę vsus est vocare traditionem.

Repleti omni iniustitia, fornicatione, prauitate, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contẽtione, do-

lo, prauis moribus, susurrones, obtrectatores, dei osores,contumeliosi,elati,gloriosi,inuentores malorum,parentibus inobedientes,,insipientes,fœdifragi,charitatis affectu alieni,irreconciliabiles,immisericordes. A

Nihil mediocre dicit,sed plenos ait omni iniustitia. Vbi enim auersio à deo facta fuerit, meritò ex contrario omnia mala subintrãt. Deinde postquam generali nomine iniustitiam dixit,consequẽter etiam ea quę ipsius sunt,specialiora recenset.Et hac vna generali iniustitiæ appellatione cuncta complexus scelera quę inter sese mutuò admiserunt,in cõsequentibus singulatim dinumerat.Et prauitatem quidem dicit quæ fit ex molitione aduersus aliquem adhibito labore: auaritiam autem abundantioris desiderij nocumentum:malitiam uerò,studium ad affligendum proximum.Item inuidiam,eum qui de proximi bonis sumitur, cruciatũ : cædem quoq; cõmotionem ad interẽptionem vsque tendentẽ: contentionem dicit, vituperandam peruicaciam : dolum verò, insidias ac machinationes ad fratrum perditionem : prauos mores, cõuersationis improbitatem,susurrium autem,tacitam,vel sub dente( quod aiunt) in præsentes maledicẽtiam: obtrectationem verò quorũdam de absentibus conuitium. θεοσυγεῖς item dei osores. Siquidem non eos dicit qui à deo odio habentur, neque enim hoc ipsi in animo fuit isto loco commonstrare,sed eos qui deum oderunt. Contumeliosos præterea dicit temerarios ac conuiciatores : elatos item eos qui in his quæ habent efferuntur aduersus illos qui non habent:gloriosos verò qui de his quæ non habent, gloriantur acsi ea posiderent. Præterea inuentores malorum eos qui præter vetera mala,alia insuper mala designant. Adhæc parentibus inobedientes qui eò vsque malorum peruenissent, vt etiam erga parentes perfidi essent.Insipientes autem,intelligentiæ expertes,quibus nihil est stultius. Fœdigraphos verò qui pactis non manẽt quę cũ nõnullis pepigerint.Charitatis affectu alienos vocat sæuos qui nullos habẽt ad quos afficiantur amicos.Irrecõciliabiles qui mutari nequeũt, & malorum ac iniuirarum semper meminerunt.Demũ immisericordes dicit inflexibiles, durósque ad misericordiam.

Gẽnadij

B

C

D *Gloriosi*. Nam si etiam is qui rectè agit, per arrogãtiam sese iactãdo, ad nihilum redigit ea quæ à se rectè acta erãt, quonam supplicio dignus erit, qui in peccatis gloriatur? *Inuētores malorũ*. Quod eorum propriũ est qui cura ac studio vtũtur, nõ eorũ qui ignorãt. *Charitatis affectu alienos*. Hoc est, ab omnibus dissidẽtes, omnes odio ꝓsequentes & aduersantes.

Qui cognita dei iustitia, quòd qui talia agunt digni sunt morte: non solùm ea faciunt, verumetiam assentiuntur perpetrantibus.

Rursum ostẽdit eos ex cognitione peccare. Iustitiã autem vocat dei pręcepta: Lex enim Mosaica perspicuè ac durè de his admonet, dignos morte iudicans qui talia perpetrãt. Id
E enim est iustitia deiq; præceptũ. Duo ponit crimina, & facere, & cooperari faciẽtibus, ac proximum ad malũ adhortari.
*Isodori.* Quidã autẽ id quod dictũ est nõ assequuti, & apostoli verba suspicantes fuisse adulterata, hoc modo illa interpretantur, Non solũ qui faciũt ea, verũetiam qui assentiũtur perpetrãtibus. Nã ita habuisse dicũt vetus exẽplar, vt maius sit facere, minus verò assentiri. Ego autem neq; in hoc deprauatos fuisse apostolicos codices asserẽs, neq; cum his qui nõ intellexerũt contẽdere volẽs, lectorib' isthuc iudicãdum permittam. Dico ergo ꝙ quũ eos qui peccãt, collaudare lõgè operosius sit, ac maius ad supplicij rationẽ momẽtum habeat ꝗ peccare, meritò dictũ est, Non solũ ea faciunt verũetiam assentiũtur perpetrantibus. Nam is qui dũ peccat, simul etiam
F peccatum condẽnat, is quandoq; temporis successu seipsum recuperare poterit, quũ maximum habeat ad resipiscẽtiam auxilium, peccati videlicet condẽnationem & odium. Qui verò prauitatem collaudat, is sese ad resipiscendum auxilio priuat. Quum ergo iudicium hoc corruptæ mentis sit, animæq; immedicabiliter ægrotantis, nõ immerito qui peccatum collaudat, lõgè iniquior iudicatus est eo qui delinquit.

Cap. 2. Quapropter inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. Nam hoc ipso quod alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim perpetras tu qui iudicas. Scimus enim quòd iudicium dei est secundum veritatẽ in eos qui talia agũt. Existimas autem hoc

ô homo qui iudicas eos qui talia perpetrant, & facis ea, quòd tu effugies iudicium dei? A

Nouerat vrbi cõmissum esse orbis principatum: posthac igitur sermonem ad principes dirigit, potest tamen idẽ priuatis quoq; conuenire. Dicit autem transgressionis magnitudinem, Et ipsi, inquit, perpetrabãt iniqua, & simul cũ perpetrantibus currebant, vbi enim quispiam ab alio correptus ad iudiciũ duceretur, ipsi sedebant, illũq; condẽnabant, quũ ipsi æqualia perpetrassent, & cũ eo ad perpetrandum cucurrissent: & tamen condẽnabant ita nouerant ꝙ peccarent, seseq; multò magis condemnarent. *Nam hoc ipso.* Qui enim malè agit, & tamen similia perpetrantes condemnat, aduersus seipsum fert condemnationem. *Scimus enim ꝙ iudicium dei est secundum ueritatem.* Siquidem hìc non secundum veritatem est iudicium: nam & multi rei absoluuntur & insontes condẽnantur: in futuro autem secundum veritatem erit. Imò & hìc dei iudicium neq; iniustum absoluit, neq; iustum condemnat, quum hic ad iudicium in quosdam descẽderit. *Existimas autem hoc, ô homo.* Multi nãque arbitrantur, Etsi ego, inquiunt, pecco, quum alios peccare prohibeam, mercedem ex hoc habebo. Verùm illud audiet, Medice, cura teipsum, Primùm enim condemnationem in teipsum induxisti. Pho. B Lucæ 4.

Aut diuitias benignitatis illius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis? ignorans ꝙ lenitas dei ad pœnitentiam te inuitet? Secundum tuam autem duritiam, & cor pœnitere nescium, recondis tibiipsi iram in die iræ & reuelationis & iusti iudicii dei: qui reddet vnicuique iuxta opera sua. C

Longanimis quidem est, attamen nisi conuertamur, ensem suũ vibrabit. *Ignorans ꝙ lenitas dei.* Propterea lenis est, non vt lenitate ad maioris demẽtię occasionem vtaris, sed vt spatium pœnitentiæ accipias: itaque perseuerans in prauitate deprehenderis. *Secũdum tuã autẽ duritiã.* Quum enim quispiam neque benignitate emolliri potest, neq; irã timet, quid eo durius esse potest? *Recundis.* Significat ꝙ certissimo seruabitur, & ꝙ tu tibi causa sis: nã tu tibi reponis ac recondis. *Et reuelatiõis.* Ne dei irã audiẽs affectũ arbitreris, subdidit,

D Et reuelationis iusti iudicij, vbi enim iustum est iudicium, ibi non est affectus. Nam tunc maximè iustũ iudicium reuelatur, quando reddit vnicuiq; iuxta opera sua. *Et iusti iudicij dei.* Tanquam ad declarationem interponitur καὶ &.

Oecum.

His quidem qui secundum tolerãtiam operis boni gloriam & honorem ac incorruptionem, quærunt vitam æternam. iis verò qui sunt contentiosi, & veritati quidem non obtemperant, parent autẽ iniustitiæ, indignatio & ira, tribulatio & angustia, super omnem animam hominis operantis malum, Iudæique primúm & Græci: gloria verò & honor

E & pax omni operanti bonũ, Iudæo primúm & Græco. Non enim est personarum respectus apud deũ.

*Qui secundum tolerantiam.* Neq; enim sola fides sufficit, sed & opera sunt necessaria. Quum autem dixit Tolerantiã, docet vt aduersus tentationes strennuè se habeant. Est autẽ hyperbaton, & ita debet ordinari: His qui secundum tolerantiam operis boni quærunt vitam æternam, reddet gloriã & honorem ac incorruptionem. *Ac incorruptionem.* De resurrectione ostia aperit, & cum verbo reddet, quod à communi sensu repetendum est, completur sententia. Nam reddet his quidem bona, illis verò reddetur indignatio & ira aliáque huiusmodi. Quum autem duplex sit orationis schema (Nam & à communi sermone repetitio dicitur & zeugma) considera ꝙ dicit, Bona quidem reddet, vltionem verò non reddet, sed illa reddetur: & ne hoc quidem expressè dixit, sed subintelligendum reliquit: ita sciens ei proprium esse, ꝙ iustum est saluare: porrò vlcisci ac punire prouenit à peccatorum obduratione: quódque pœnitere nolint ac cõuerti. *Iis verò qui sunt contentiosi.* Rursum peccata ex pertinacia & socordia esse ostendit. *Et veritati.* Coniũctio καὶ.i. &, otiosè additur. *Parent autem iniustitiæ.* Quis enim credit ꝙ bonum sit iniustitia, malum autẽ sit veritas? Itaq; manifestum est ꝙ ex cognitione & non ex ignorantia sit peccatum. Nam hoc maximè significat dictio πειθομένοις qui parent, voluntariè nanque paret is qui paret. *Super omnem animam.* Non potest, inquit rex, non potest magistratus effu-

Pho.

F

Oecum.

gere. *Iudæiq; primùm.* Quantò enim maiorem doctrinam accepit, tantò peccans maiori punietur supplicio. Intelligitur autem verbum ἔσται erit siue obueniet, obueniet enim ira, &c. super omnem animã hominis qui malum operatur. *Gloria verò & honor & pax.* Pulchrè addit & pax: ibi enim nullus inuidia accensus pugnabit aduersus illum qui honoratus fuerit aut gloria affectus. *Iudæo primùm & Græco.* Ne existiment Iudæi eũ qui in præputio est, si etiam dei cultor fuerit, inferiorem esse, coniunxit eos: Græcum autẽ vocat non idololatram, sed eum qui in pręputio est, verùm dei cultor ac fidelis. *Non enim est personarum respectus.* Siquidem non personarum, sed operum fit inquisitio. Hinc consequenter pugnam ac contentionem inducit, quæ de pluribus parui momẽti rebus inter Gentiles ac Iudæos erat: & iis patrocinatur qui Gentiles quidem sunt, attamen naturæ ductu operantur quæ bona sunt. hoc autem facit, volens legem abiicere, ac in eius locum fidem introducere.

A

B

CAPVT III.

*De iudicio quod fertur aduersus Israelitas legalia non seruantes.*

NAm quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerũt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed qui legem factis exprimunt, iusti habebuntur.

Ostendere vult ꝙ quum duo peccauerint, nempe Iudęus ac præputiatus, grauiùs punitur Iudæus, eo ꝙ etiam legem habens vitæ ducem, peccauerit: præputiatum verò inducit sine lege peccantem, qui sine lege, inquit, peribit: hoc est, nõ iuxta legis exactionem, quod moderatam significat perditionem: Iudæum verò ex præscripto legis dicit præuaricatorem, qui per legem, inquit, quam transgressus est iudicabitur: hoc autem significat acriorem perditionem. Ipsum verò appellat iudicium non perditionem, eo ꝙ tanquam forũ iudiciale existimetur. Verùm si grauiùs punitur Iudæus iuxta præscriptionem, quomodo de Gręco quidem dixit Peribunt, de Iudæo autem Iudicabuntur: quorum illud indubitatò malum esse videtur, istud verò in dubiũ referri potest? Sed aduerte ꝙ Iudicium vocat hìc condemnationem, hoc

C

D est, indubitatam perditionem: est autem punitio supra puni-
Iohãnis. tionem, & vtrũq; indubiæ perditionis. ALITER. Hoc loco non æqualem ostendit dignitatem Iudæi & Græci, sed Iudæum à legis datione admodum esse etiam grauatum. Græcus nanq; sine lege iudicatur. Quod autem habet hic sine lege, non grauiùs dicit, sed mitiùs: hoc est, non habet accusantem legem. Nam sine lege, id est, absque illius condemnatione, à naturæ solùm ratiocinationibus condemnatur: Iudæus verò conformiter ad legem, hoc est, lege simul cum natura condemnante: etenim quò maior de eo cura habebatur, tãtò maiores dabit pœnas. *Non enim auditores legis.* Siquidẽ hominibus fortaßis imponũt, verùm deus non eos qui legẽ audiunt iustos habet, sed illos qui factis exprimũt.

E Nam quum Gentes legem non habentes natura duce quę legis sunt fecerint, hi legem non habentes sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus, in die quando iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per Iesum Christum.

*Quæ legis sunt fecerint.* Naturæ ratiocinationibus ad boni operationem vtentes: Admirandi autem sunt hi qui lege pædagogo non egẽt, sed sibiipsis legem ferunt, ac latam complent legẽ. *Scriptum in cordibus.* Neq; enim illis opus est, inquit, literis legis, quorum cor inscriptum est considerata lege. *Attestante illorum conscientia.* Nã satis est illis pro lege propriã habere attestantem conscientiam. *Et cogitationibus inter se.* In eo enim iudicio non est nobis opus extrinsecis, vel accusatoribus, vel vtilia nobis testimonia ferẽtibus: sed cuiusq; cogitationes, ac conscientia, vel accusabit, vel excusabit. Quod autẽ ait, Cogitationib⁹ inter se, per hyperbatõ dictum est: cõsequitur nãq; ad id quod præceßit. Nõ enim auditores legis iusti sunt apud deũ, sed qui legẽ factis exprimunt iusti habebũtur. Siquidẽ declaratio est quomodo hi iustificãtur, illi verò non. Et ait ꝙ foro non egẽte testibus, non extrinsecis quibusuis demonstrationibus, sed intus ab

ipsis cogitationibus, testimoniū adducitur, virtúsq; laudatur. Idcirco quanquam hìc homines absoluerint, non oportet hos esse securos, nihil enī inde iuuabuntur. Rursum etsi condemnauerint, nō admodum angi oportet: siquidem nihil ibi nocebunt, sed satis est, & ad condēnationem & ad absolutionem propriarum cogitationum cōscientia vel testimonium. Verùm quum dixisset, Cogitationibus accusantibus, quare non addidit, Iustificantibus? ita enim manifesti fierēt, & qui puniuntur per hoc quod dicitur Accusantibus, & qui salui fiunt per hoc quod adderetur, Iustificantibus. Nunc autem quasi de vno & eodem, consequutio sermonis intelligere nos admonet, & Accusantib⁹ & Excusantibus. Dicimus autem ꝙ non oporteat de vno, & eodem vtrunq; accipere: sed Accusantibus quidem de alteris putà puniendis. Excusantibus verò de alteris putà saluandis. Sed cur non dixit, Et iustificantibus & condemnantibus. Quia hę neque iustificant neq; puniunt, sed accusant cogitationes vel excusant: iudicium verò punitionis vel iustificationis fert iudex. Bene ergo ait: Cogitationibus accusantibus, vel etiam excusantibus. Rursum posset quispiam dicere, Quid igitur? quomodo excusant nemine accusante? dictum enim est Accusantibus de condemnandis sumi oportere, Excusantibus verò de saluādis, & bene dictum est, quomodo excusant nemine accusante? Accusant etiam hìc. Non enim potest, inquam, hic homo carere peccato. verū accusatio quū peccata grauia nō sint, aut magni ponderis, non est vehemēs aut legitima, sed excusationem ad eam proferūt cogitationes, putà naturę lubricitatem ac infirmitatem, dei erga homines amorē ac misericordiam: & illa quidē cessat, excusatio autem vincit. Sūt igitur hæ cogitationes meritò designatæ ab excusatione, licēt accusatio præcesserit. In his verò qui pereunt, quia absurda sunt & grauia peccata, vehemēnsque & ineuitabilis accusatio, excusatio autem nequaquam, in eis solùm ponit Accusantibus. Præterea digna sunt condonatione, quæ cogitationibus deliquimus: verùm non merētur veniam, quæ ad opera vsque protraximus. Et rursùm ignoscibilia sunt, quæ pœnitentia deleuimus, ea autem condonari nequeunt, quibus curā ac salutem per hanc non attulimus. Potest quoque dicti sensus accipi velut habet ordo dictionū, putà qui

D legem acceperunt, & legem habent, & conſcientiam de his, quæ deliquerunt accuſantem: qui verò legem non acceperunt, ſed ex conſcientia quæ legis ſunt faciunt, hi conſcientiam bonæ operationis teſtem producunt. Ne quis enim dicat, Caſu ergo quod bonũ eſt agunt, ſi non lege agunt, Nequaquam, inquit, ſed duce conſcientia, hanc præceptorẽ ac teſtem habentes, ideóq; maiore digni ſunt remuneratione, maioréq; inducũt cõfutationem aduerſus eos, qui habita lege deliquerũt. Deinde quia non omnes qui lege carent, bene operantur, imò ſunt qui etiam delinquunt: oſtendit neq; hos futuros impunitos: quanquam enim legem, inquit, non habeant accuſantem, nihilominus tamen pœnas dabunt, cogitationibus inter ſe accuſantibus. Quod autẽ additur, vel

E etiam Excuſantibus ex contrario fidem facit, acſi diceret, Quẽadmodum excuſantibus cogitationibus abſq; lege conſequitur abſolutio, pœnæq; immunitas: ita rurſum ſine lege accuſantibus, ſequitur condẽnatio. Verùm quãdo hæc erũt? in ſecundo aduẽtu, inquit. *Quando iudicabit deus occulta hominum.* Siquidem homines manifeſta vident, deus verò occultorum ſcrutator eſt. *Per Ieſum Chriſtum.* Nã pater, ait,

*Iohan. 5.* non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio.

Ecce tu Iudæus cognominaris & requieſcis in lege, & gloriaris in deo, & cognoſcis voluntatem, ac probas eximia inſtitutus per legem, confidiſq; teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen in tenebris ver-

F ſantium, eruditorem inſipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis quæ in lege eſt.

Quũ dixiſſet nihil dei cultori, licèt præputiatus ſit, deeſſe, quomin⁹ ſaluus fieri poſſit, modò legẽ factis exprimat: ponit deinceps in ea quibus extollebantur Iudæi, oſtendens q nulla ſit horum vtilitas non rectè viuenti, primúmque ipſum ponit nomen. Ecce, inquit, tu Iudæus cognominaris, ipſum ſiquidem nomen magnũ quiddam eſſe videbatur, velùti nunc eſt nomen Chriſtianorum. *Cognominaris.* Neque enim re vera es, niſi legem compleas. *Et requieſcis in lege.* Non enim laboras, inquit, ſicut illi qui ſunt extra legem, in-

quirẽdo quid sit agendum, sed legẽ habes omnia te manife- A
stè docentẽ. Vel hoc modo. Multũ in lege extolleris, illáq; te effers, quòd supra cæteros diuinam acceperis legem. Dicens autem, Requiescis, significat quòd non labore illorum egregiisque facinoribus data sit, sed diuina gratia. *Et gloriaris in deo*. Ac si solus supra cæteros homines dilectus sis. Videtur autem illos obiecta quoque vecordia irridere. *Et cognoscis uoluntatem*. Atqui cognoscere nec facere grauius aduehit supplicium: attamen in hoc quoque extollebantur. Vnde non dicit, facis, sed Cognoscis dei voluntatẽ. *Ac probas eximia institutus per legem*. Legis enim eruditio nouit exactè docere explorationem eorum quæ conferunt. Hi verò quum non præstarent, in hoc etiam efferebantur, quòd vtilium nossent explorationẽ. *Confidisq;*. Non es, inquit, dux B
cæcorum, sed ita de teipso arbitraris. Cęcos autẽ vocat eos, qui in tenebris versantur: & insipientes ac imperitos dicit Iudæis adhærentes proselytos, qui legis cognitionem nondum habebant. His nãque nominibus prę inani gloria proselytos appellabãt, ideóque Apostolus tacitè his ipsis exprobrans, huiusmodi vsus est nominibus. *Habentem formam cognitionis ac ueritatis*. Scitè dixit, Formam cognitionis diuinique cultus, significãs quòd ipsam veram cognitionem, diuinúmque cultũ non haberent, sed effictam imaginem quãdam, formam quidẽ habentẽ veritatis, quæ tamen non esset. Bene autem addit, *Quæ in lege est*. Siquidem oportuit ve- C
ram imaginẽ in conscientia, boníque operibus sitam esse, tu verò extolleris, inquit, vtpote ꝙ imaginem hãc lex habeat, verùm id nihil ad te qui legis factor nõ sis. ALIO MODO, Formam cognitionis ac veritatis quæ in lege est effigiat is, Pho.
qui legem nouit, & iuxta eam cõuersatur. Formã enim posuit cognitionis ad intelligẽdũ. Formã autẽ veritatis ad operãdum. Ille nãq; veram quæ in lege est cognitionẽ ostẽdit, qui ipsam operibus cõplet, ille eam fidelem ostendit. Tu verò, inquit, cõfidis te esse ducem & eruditorẽ ac doctorẽ: nec id vulgari modo: sed habentẽ formã cognitionis quæ in lege est: & veritatis quæ in lege est: ita tamẽ cõuersaris quasi legis doctrinã nõdũ audieris. Qui ergo formã te habere cõfidis cognitionis ac veritatis: qui te insipiẽtiũ eruditorẽ & ducẽ ac doctorẽ esse cõfidis, teipsum doceas primũ, docebis

D autē quādo doctrinā, operib⁹ ea que dicis pręstātē, ostēderis.

Qui ergo alios doces, teipsum non doces? qui prędicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, committis adulterium? qui simulachra execraris, sacrilegium committis? qui in lege gloriaris, per legis transgreſsionem deum inhonoras? Nomē enim dei propter vos blaſphemiis afficitur inter gentes ſicut ſcriptum eſt.

Ieſa.18. Conſequens deinde erat vt diceret, quòd qui talia à deo accepiſſent nec ea ſeruarent, tanto maiori condemnationi obnoxij futuri eſſent, quanto maius eſſet peccatum, quod à E ſciētia procederet: interim tamen eos non aeriter obiurgat, ſed ſermonē per interrogationē producens, hoc ipſum oſtēdit. Quidam verò enuntiatiuè potius legendum eſſe dicūt. *Qui ſimulachra execraris*: Lex certè omnes etiam res quæ in dolorum templis erant, execrādas dicebat, eo quòd dęmonib⁹ eſſent dicatæ. Vos autē, inquit, ſimulachra & idola execrari quidem vos dicitis, & tamen repoſitas ipſis facultates Pho. rapitis. Itaque neque verè ſimulachra execramini. Nam ſi quiſpiam ſimulachra execretur, tanquam propriarum cōſuetudinum, legitimarúmque & ſacrarum exactus obſeruator, F interim autem propria templa deprædatur, quo hic dignus non eſt ſupplicio? qui hinc ſe fingit abominari idola, proprium cultū honorare viſus & amplecti ac ſacra, quæ circa illū habētur: illinc verò temerariā furacémque manum ad ea extendit, ipſa maiori afficiens iniuria quàm idola, eáque nihili ducens. Verè enim hic illi adſimilis eſt, qui cæteris nō furandum dicit, ipſe interim quæ furum ſunt perpetrans. Nam ſicut ille contraria ſermonibus facere oſtenditur per opera: ita & hic qui ſacrilegium perpetrat, cōtraria agit ei, quod eſt idola abominari, per furtum iniuriámque in ſacra, dæmones colens, quorum idola erant habitacula. *Qui in lege gloriaris*. Gloriaris, quaſi à deo in honore habitus propter legē, cur ergo trāſgreſsione legem inhonoras, ſimúlq; & deū? *Nomen enim dei*. Quum graue eſſet quod dixerat, Deum inhonoras, prophetā in teſtē producit, ac ſi diceret:

Ieſa.52. Non meus ſermo eſt, ſed Ieſaię. Nam qui ex gentibus erāt,

videntes eos prauè conuersari, in blasphemias efferebantur dicentes: Num oportuit vt os deus diligeret, aut quippiam eis donaret? an ne hos & esse & futuros malos præcognouerat? *Inter gentes* Non solùm vos, inquit, deum inhonoratis, sed aliis quoque id agendi occasionem præbetis.

Circuncisio siquidem prodest si legem factis exprimas, quòd si legis transgressor fueris, circuncisio tua præputium facta est.

Quia magnum quiddam videbatur circuncisio, ad eam tãdem venit & ait: Verùm circuncisionem dicetis magnam vtilémque rem quãdam esse. Vtique, inquit, fateor: sed tũc quãdo legẽ factis exprimis. *Quòd si transgressor.* Vult ostẽdere circuncisionẽ esse intellectualẽ, cuius typus est, ea quę sensu percipitur, nempe purificatũ esse resecatis superfluis. Est autẽ superfluũ, quicquid displicet deo. Huiusmodi itaq; circũcisionẽ habere potest aliquis etiã corpore incircũcisus, rursũq; corpore circũcisus esse, animo verò ĩcircũcisus. Photij.

Præputiũ autẽ & circũcisionẽ, nẽpe verã, bonę prauęque actiones designãt. Quũ ergo circũcisio signũ sit excisionis affectuũ: qui nõ habuerit excisos affect⁹, hic sanè præputiatus est quãquã signũ corpore ferat. Alioqui enim nõ solũ iste nihil inde adiumenti acciperet, sed & maius nocumẽtũ, vera priuatus circũcisione, cuius signũ erat carnis circuncisio, etiã hanc ipsam iniuria afficiens, atq; inutilem reddens, nihílque significantem eorum ad quæ data est vt signum esset. Si quis autem habet affectus excisos, quanquam carne non sit circuncisus, nihilominus tamen vera resectus est circũcisione, eóque magis, quo minus eget sensibili, quæ memoriæ signíque gratia assumebatur. *Præputium facta est.* Eiusdem

Hoc est abominanda res iuxta mentem eorum. Etenim ipsi præputiatum ducebant abominandum. Si ergo non seruaueris neque operatus fueris quę legis sunt, circuncisio tua quę deo grata erat, abominãda facta est & reiecta. Quòd si prępụtiatus egregia legis opera præstiterit huius præputium quod res abominanda erat, deo gratum & dilectum ipsi creatori ac legislatori reputabitur, adeoque deo gratum & acceptum, vt etiam te per ipsum accuset ac cõdemnet. Cõsidera ergo quàm sapienter acritérque dicat. *Si igitur pre-*

D *putium iustificationes legis seruauerit.* non autem dixit, Si legem seruauerit. Siquidē ne dicat Iudæus, Et quomodo fieri potest, vt præputiatus seruet legem, qui hoc ipso legis transgressor est quòd præputiatus est? Ne ergo in hoc vel ansam eis præbeat, non ita dicit, sed Iustificationes legis. Et de ipsis quidem Iudęis Legē dicit, de præputiatis verò Iustificationes legis. Non omnē, inquit, legem dixi, sed ea tantū quæ iustificant. Sapienter itidem subindicans, quòd non omnia quæ in lege erant iustificabant: sed quædam sanè iustificationes erant, iustósque reddebant, quæcunque videlicet gratiæ conformia erant: alia verò ob solius illorum imbecillitatis causam data erant. ALITER. Ad intellectuale ait
E præputium transmutata est tua circuncisio, eo quòd tu malè vtaris: nolens interim circūcisionē manifestè vituperare.

Si igitur præputium legis iustificationes seruauerit, an non huius præputium in circuncisionem reputabitur? & iudicabit is qui ex natura est præputium legem perficiens te legis transgressorem, qui ex litera es & circuncisione.

*Si igitur præputium.* hoc est Ethnici præputium habentes, siue gentiles. *Reputabitur.* Non dixit: Superat circuncisionem: adhuc enim hoc graue fuisset, sed quòd in cir-
Matt.12. cuncisionem reputabitur, nempe apud deum. *Et iudicabit.*
F hoc est, condemnabit. sicut etiam dictum est: Viri Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem hanc.
Pho. Vel arguet, inquit, is qui signum illud non habens, ea quæ notæ illius sunt egregiè præstiterit, eum videlicet, qui non præstitit. Atqui oportuit, quum per signi acceptionem promisisses, præstantiora quàm illum exhibere opera. *Is qui ex natura est præputium.* Ex natura præputium vocat eum, qui in carne præputiatus est. Hic ergo complens ea quæ legis sunt, condemnabit te qui circuncisionem habes, imò & legem quod ad literam spectat, attamen legem operibus transgrederis? *Legem perficiens.* Quoad hoc videlicet quòd legis seruat iustificationes. Considera verò quòd quum prius legis iustificationes dixisset & nō legem, nunc legem ipsam ait eum perficere: subindicans quòd hæc propriè sint lex, circuncisio verò aliáque huiusmodi, im-

propriè. *Qui ex litera es & circuncisione.* Nã per scriptam legem ac circũcisionẽ euectus, omniũ trãsgressor factus es. A

Non enim is verè Iudæus est, qui in manifesto Iudæus est: nec ea verè est circuncisio, quæ in manifesto in carne est circũcisio: sed qui in occulto Iudæus est, is veré Iudæus est: & circuncisio cordis in spiritu non litera, ea veré circuncisio est, cuius laus nõ ex hominibus est, sed ex deo.

Deinceps definit quis veré Iudæus sit, & quis verè præputiatus. Et videtur non abiicere Iudæum, sed transgressorẽ: plurimùm tamen illos deprimit, significans eos facere omnia ad ostẽtationẽ. *Quæ in manifesto in carne circuncisio.* Quũ B hoc dixit, omnia corporalia abiecit. *In occulto Iudæus.* Puta intellectualis. *Circuncisio cordis.* Nulla enim necessitas est, inquit, carnis resecare præputium, sed cor ipsum à prauis operationibus. Dicens autẽ, In spiritu, vitã præparat fidei. Nam fideles per spiritum sanctum circuncisionem habent peccatorũ: qui corde ait, resecatus est omni impuritate. Hic enim verus est Iudæus, qui legem complet ac seruat. *Cuius laus non ex hominibus est, sed ex deo.* Occultæ nanque circuncisionis, & quæ in corde est, non homo laudator est, sed qui corda scrutatur & renes deus.

## CAPVT IIII.

*De Israelitarũ prærogatiua, qui promißionem consequuti sunt.* Cap. 3.

QVæ igitur excellentia est Iudæi? aut quæ vtilitas circũcisionis? multa per omnẽ modũ. C

*Obiicit sibiipsi.* Si ergo, inquit, iuxta tuũ sermonẽ nihil prodest, Iudæũ esse, vel circũcidi, quin potius nocet, quũ transgressores maiori sint digni supplicio: ad quid igitur nos elegit deus, aut cur nos circuncidi præcepit? Poterat itaque ad obiectionem dicere, quòd circuncisio typus erat huius, quę per fidem est circuncisio in spiritu: itémque Iudęus, spiritualis Iudæis qui deum confitetur. Iudas siquidem interpretatione confessionem significat. Verùm hac interim relicta solutione, quæ nondum recipi poterat, ad aliam venit. Prodest enim Iudaismus: ex hoc enim viã salutis didicerũt,

D legem ducẽ ad ea quæ agẽda erant, acceperunt. Quòd si non seruarunt, sibiipsis indignẽtur. Nam mihi, inquit, ad eos qui non sunt transgressi, interim sermo est. ALIO MODO.
Theod. Vbi Iudaicum depressisset supercilium, ostendissetque eos vanè de circuncisione ac lege, Iudæiq; appellatione gloriari ne quis eũ suspicetur odio ac inuidentia id agere, subdit, Quæ excellentia est Iudæi, aut quæ vtilitas circuncisionis? Si quidem, inquit, gẽtium alienigenarũ diuino cultu virtutéq; ornati, diuina fruũtur electione, ad quid igitur tandem à gentibus segregauit deus Israelem, aut cur circũcisionem illis dedit. nam τὸ περισσὸν τοῦ ἰουδαίου dicit circuncisionem. Deinde addit, Multa per omnẽ modum. Elegit enim illorũ progenitores, ab Aegyptiorũ violentia, ac potentatu liberauit: inclytos per multiplicia signa demõstrauit, legẽ in auxi-
E liũ dedit, prophetas ad eos misit. Siquidẽ hoc significat. Multa per omnem modum. His tamen omnibus silẽtio præteritis solam posuit legislationem. Primùm quidẽ quia concredita sunt illis eloquia dei, multùm per omnem modum constituitur esse τὸ περισσὸν, hoc est excellentia & res vtilis.

Primùm siquidẽ quia cõcredita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidã increduli fuerunt? num illorum incredulitas fidem dei irritam faciet? Absit.

Quoniam omnino, inquit, tradita est illis lex. Nam hoc loco dicitur lex eloquia dei. *Quid enim si quidã increduli fue-*
F *runt?* Deinde ne dicant, vtique tradidit nobis deus legem, sed quæ est inde vtilitas, quum multi non crediderint illi? Et quid hoc ad deũ, inquit, si vos increduli fuistis? num enim saluos facere potuit vos deus inuitos? num enim quia aliqui fuerunt increduli, fidem dei hoc est beneficentiam promissam: ob id irritam aut vanam effecerunt? nequaquam. Nam etsi hi noluissent, deus tamen quod suum est, effecisset.
Pho. ALIO MODO. Incidentem soluit obiectionem. Quid enim si fuerunt quidam increduli? nam posset aliquis dubitare, ac dicere, quod concredita quidem sunt eloquia dei. Eloquia autem dei magna dona, ac beneficia promittũt, Verùm hæc in eorum quæ suscepta erant fide ac obseruatione vim ac euentum habebant: quum autem multi fuissent increduli ac transgressores: consequens ergo est prohibitas fuisse

promiſsiones, ne ad finem perducerentur, deíque eloquia vanè illis & nulla vtilitate fuiſſe concredita, ac reprehendi circuncisionem, ſi ipſa quidem circuncisio propter eloquia, eloquia verò propter dona, porrò dona per fidem erant terminum ſortitura: ſed fidē aſpernati ſunt tranſgreſſores: itaque nulla eſt circuncisionis vtilitas. Hanc ergo dubitationē diſſoluens ait, Quid enim ſi quidā fuerunt increduli? num illorum incredulitas fidem dei irritam faciet, hoc eſt fidelitatem promiſsionum eius, veritatē & immutabilitatem? Abſit, inquit, vt per illorum incredulitatem, fidelitas ac veritas quę eſt in promiſsionibus ipſius vana eſſe cōuinceretur, vel circuncisionis legiſlatio ad nullam vtilitatē ſancita, alioqui enim nullus crimen haberet, ſed tranſgreſſores iuſti eſſent. Vel potius hoc modo. Abſit, vt illorum incredulitas, prępualuerit: & credulitas ac omnimoda veritas quæ eſt in eius promiſsionibus, viſa ſit per illos irrita fuiſſe & imperfecta, nec ſuum ſortita euentum: nam etſi illi fuerint increduli, ipſe nihilominus quod ſuum eſt fecit, ac promiſsiones cōpleuit. Poteſt quoque dei fides accepi pro fide quæ in illis permanſit qui non fuerunt tranſgreſſores. Hæc enim dei fides eſt, vt quæ in deū erat, & quæ à deo illis ſeruata erat. Siquidem incredulitas nequitiæ eſt incredulorum, fides autem à deo firmatur in his qui digni ſunt. Abſit ergo, inquit, vt illorum incredulitas vinceret manentē in deum & per deum fidem. Itaque finem ac perfectionem habebunt promiſsiones, itaque vtilitas eſt etiam circuncisionis. A B

Sit autem deus verax, omnis autem homo mendax ſicut ſcriptum eſt: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis & vincas quum iudicaris. C Iohan. 3. Pſal. 115.

Licèt, inquit, increduli fuerint Iudæi, nō propterea donū dei accepit vllum impedimentum aut diminutum eſt: ſed omnia facta ſunt, vt cōprobaretur etiā dei veritas in his quæ ipſi Abraham promiſit, hominúmq; mendacium. Sua enim incredulitate, in deum mētiti ſunt, colentes deos ac dæmones. ALITER. Sit vobis, inquit, deus verax, reputetur, intelligatur, cōcipiatur ꝙ deus verax eſt, & omnis homo mendax: ꝙ ſi ita ſit, quanquam nonnulli fuerunt increduli, nihilominus quæ deus ipſi Abraham promiſit, ad perfectionem Oecu. Pho.

D deducet:quomodo ergo increduli sunt & legis transgressores? Ne,inquit,suas ipsius promissiones adducẽdo,licèt illi transgressores fuerint &peccatores, perfidiam magis illorũ coarguit ac ingratitudinẽ. Verũenimuero excellẽtia quoq; beneficentiæ ac veritatis diuinæ iustitię amplius manifestatur ac demõstratur,& splẽdida ei accedit ex hoc victoria veluti etiam testatur Dauid,dicens,Vt iustificeris in sermonibus tuis,& vincas cum iudicaris.Itaq; si ex promissione oritur veritas promissionis, hanc autem sibi traditam acceperunt Iudæi:multũ per omnem modũ est τὸ περισσὸν,hoc est, excellẽtia & circũcisio Iudæi,licèt quidam ipsorum fuerint trãsgressores.Deinde,quid ergo,inquit,si ex nostra iniustitia deo accrescit victoria,&c. *Sicut scriptũ est.* Adducit & Da-
E uid idipsum dicentem: Propter hoc, inquit, etiam indignis præstat deus beneficia,vt bonitas eius ostẽdatur:vtque vincat vbi cum hominibus in iudicium congreditur.

Si autem iniustitia nostra dei iustitiam cõstituit, quid dicemus ? Num iniustus deus qui inducit iram ? Humano more loquor,Absit.

Obiectio. Deus,inquit,bona nobis præstitit, nos autẽ ei mentiti sumus:nostráq; prauitate tantò magis misericors apparuit,quãtò etiã indignis bona pręstitit:ob hoc ergo etiam vincit in iudicio : nos igitur qui erga eũ perfidi fuimus,victoriæ occasionẽ tribuimus: quare ergo punit nos per quos
F vincere visus est ? Solutio obiectionis. Si tu illi causa es victoriæ & tamen punit te,iniustè agit:ꝙ si iniustus non est,& punit,vtique tu illi non es causa victoriæ:nam alio quoque modo ei dabatur vincere,quanquã tu nõ apparuisses malus: neque enim qui malus nõ est,continuò etiam dignus est qui dei contrahat amorem. Magnam autẽ ex his mouet dubita-
Pho. tionem,atque sapienter admodum ac prudẽter diluit. Quidam,inquit,dicunt, Si nulli peccassent, nequaquam deus verax apparuisset, nequaquã iustus, nequaquam vicisset: quibus nos dicamus. Si tu ipsi caussa es victoriæ,& veritatis ac iustitiæ,quomodo te punit peccantem, quomodo te pœnis addicit ? num illũ dices iniustum ? Et cuius iustitiæ ipsius te causam fuisse dicebas ? Nam hoc Apostolũ significare opinor quũ ait, Nam quomodo iudicabit deus mũdum?hoc est,

quomodo eum iniustũ diceres & iudicem? hoc ipso enim ꝙ A
teipsum causam diceres, iustitiæ ipsius, iudicẽ fatereris ac iustum: nam iustitia finis est iudicij: ꝙ si iram inducit in peccãtes, quomodo illi causa sunt iustitiæ ipsius? An ergo iustũ dices, inquit? Verũ id nõ potes dicere: nam per ea in quibus hærebas, iustũ esse confessus es. Non sunt itaque peccatores victoriæ aut veritatis aut iustitiæ causa. Deinde producit & alio modo argumẽtum. Si per meũ mẽdacium, vt ais, glorificatur verax deus non condẽnationem, sed gloriam accipere debuerã, & me amplius mẽtiri ac peccare oportuit, quo amplius glorificaretur deus, & ego bonis amplius fruerer. Atqui id nemo dicere audebit, manifestè enim absurdum est. Ideo licèt quidã de nobis dicant ꝙ sentimus per actionem malorum ventura nobis esse bona, ineuitabile habebunt iudiciũ, B
quia ad tantam nos pertrahunt sycophãtiam. Et vide consilij prudentiam: nam rei absurditatem augere volens, non ipsos qui dubitarent, inducit hęc dicentes, sed alios quosdam, & blasphemiam illud appellat. Sicut, inquit, blasphemiis iactatur de nobis. Quòd si dicentes hoc de nobis habebũt ineuitabile iudicium: neque nos auderemus ne in mẽtem quidem suscipere, quòd per maiorũ actionem aduenant bona, quòd si non audemus, neque id, nẽpe quòd amplius peccare oporteat, vt magis glorificetur deus: si autẽ neque hoc, manifestum est quòd nec dicere quòd meo mendacio glorificetur deus verax. Itaque deo causa nõ sum vel veritatis ipsius vel iustitię vel victorię eius. Nũ *iniustus deus*? Quòd si ex nostra, inquit, iniustitia dei veritas atque iustitia magis ostenditur, quia neque nostra certè iniustitia eum prohibuit, ne C
ea quæ iusta sunt, ageret, hoc est, ad perfectionem & finem deduceret quæ Abrahæ promissa erant. Nec alio modo apparuisset deus iustus & verax, nisi nos facti fuissemus iniusti: si hoc ita est, ergo iniustè eos punit qui fuerunt illi causa veritatis: quòd si nõ iniustè punit, igitur nos illi nõ sumus causa veritatis. *Humano more loquor*. Quia enim humanis ratiocinationibus vsus erat ad ostendendũ deum non esse iniustum, subiungit, humano more loquor, inquit, has ratiocinationes: nam aliæ quoque sunt magis diuinæ: Acsi dixisset, Humana ratione loquamur: Iniustus est deus? Absit. Quomodo ergo iram inducit? Aut manifestum est quòd nos illi

D causa non sumus veritatis ac iustitiæ, sed ipse sibiipsi.

Nam quomodo iudicabit deus mundum? Etenim si veritas dei per meum mendaciũ excelluit in gloriam ipsius, cur & ego adhuc tãquam peccator iudicor? & non sicut blasphemiis fertur de nobis, & sicut aiũt quidam nos dicere quòd faciamns mala, vt veniant bona: quorum iudicium iustum est.

Si deus, inquit, esset iniustus, nequaquã iudicaret mundũ: ipsum enim iudicare manifestat quòd iustus sit, natura enim ad iudicandum exigit vt iustus iudicet iniustos. *Etenim si veritas dei, &c.* Idem rursum dicit, Si enim per hoc, inquit, excelluit veritas, iustitiáq; ac victoria dei, quia ego inique egi
E ego illi mẽtitus sum, sine ratiõe iudicor: me siquidẽ retributione potius dignũ haberi oportuit, vt qui illi victoriæ ac veritatis potius caussa fuissem. Atqui nũc ego causa nõ sum, iccirco & ego iudicor. *In gloriam ipsius.* Vt glorificetur per victoriam & iustitiam ac veritatem. *Cur & ego tanquam peccator iudicor?* Cur, inquit, tanquam peccatores iudicamur, qui deo causa victoriæ facti sumus, & non fit, quemadmodum aliqui nos arbitrantur dicere? Itaque suggillando aiũt quòd faciamus mala, vt vbi ex hoc deus victoriam nactus fuerit, rependat nobis bona, vt qui victoriæ caussa illi fuerimus, per mala quæ perpetrauimus. ALIO MODO. Et ne illud, inquit, fiat quod dicere existimamur, quòd ex nostra iniustitia deus nos beneficio afficiat, vt qui victoriæ causa
F illi fuerimus: ne hoc autem fiat. quidnam? venire bona, nósque à deo affici beneficio, tanquam illi fuerimus victoriæ autores. Nunc enim contrarium, inquit, accidit, nam etiam iudicamur. *Quorum iudicium iustum est.* Audierant Græci Christianos dicentes, Vbi abundauit delictum, ibi magis exuberauit gratia. Et ipsi quidem hoc dicebant, quòd plenus delictis mundus filium dei ad salutem pertraxisset, & ex hoc abundauit in nos gratia. Ipsi autem quod dictum est detorquentes, aiebant Christianos dicere quòd peccare oporteat, vt abundet gratia. Quorum, inquit, putà hoc pacto blasphemiis nos impetẽtium iudicium iustum est: eo quòd bene dicta, malè interpretantes detorqueant ¶ Quid ergo?

*Infrà 5.*

per legem, inquit, ac circuncisionem nihil percipimus supra reliqua quæ habemus. Quid enim percipimus amplius? Nã antea redditis causis ostendimus Iudæos ac Græcos, & cætera, per defectum dictum est. Ei enim quod dixerat, Quid ergo percipimus amplius? consequutiuum erat, vt adderetur, Iustitiam quæ est ex fide, quod in sequentiũ progressu dicit, Iustitiam dei per fidem Iesu Christi. Quid nos ergo, inquit, amplius percipimus? Iustitiam quæ est ex fide. Nã antea redditis causis ostendimus. Quomodo autem antea redditis causis ostendit? Græcos quidem redarguendo ꝙ cognitionem naturalem corrupissent, quum ait, Deus enim ipsis manifestauit. &, Quum deum cognouissent, non sic deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Iudæos verò legis trãsgressores, quum dicit, Qui in lege gloriaris, & ostendens quòd apud illos quidem infirmior fuit natura, apud hos autem & lex & natura. Consequutiuè gratiam quæ est ex euangelio ĩducit, & ait, Quid nos ex gratia habemꝰ amplius & excellens? Fidem quæ per Iesum Christum iustitiæ operatrix est.

A Seueriani.

Sup. 1. B

CAPVT V.

*De gratia qua sola homines iustificantur, nullum discernẽdo genus, sed dei dona iuxta Abrahæ typum æqualiter honorantur.*

QVid igitur præcellimus? nullo modo. Nã antea redditis causis ostendimus & Iudæos & Grçcos omnino sub peccato esse, sicut scriptum est, Non est iustus ne vnus quidem, non est qui intelligat, non est qui exquirat deum: omnes declinauerũt simul, inutiles facti sunt non est qui faciat bonitatem, non est vsque ad vnum. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os execratione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & miseria in viis eorum. Viam pacis nõ cognouerũt, non est timor dei coram oculis eorum.

C Psal. 13.

D τί οὖν προεχόμεθα? Dupliciter legi potest hæc particula, ac duplicem habere sententiam. Vnam quidē vt à Iudæis prolata sit, alteram verò vt à præputiatis fidelibus in mediū afferatur. Etenim si legamus. Quid ergo præcellimus, simul connectentes ante interrogatiuam particulam verbū Præcellimus, tunc quasi à Iudæis prolatum significatur: & hanc potest habere intelligentiam. Quid ergo ait Præcellimus & quid lucrifecimus, qꝫ præputiatis sumus præpositi? quibus datur illa responsio: Nullo modo: hoc est, id nullo modo nobis cedet lucro, qui non seruauimus quæ nobis commissa erant: neq; vlla excellētia aut lucrum, quin potius acrior pœna. Ita quidem declaratur si quis in consequētia legat. Quid
E ergo, simul cum προεχόμεθα (vt significet Præcellimus.) Si verò per distinctionem vtrunque faciat interrogatiuum, & τί οὖν? & προεχόμεθα? & à præputiatis fidelibus in quæstionē afferatur. Quia enim prædixit multam esse Iudæi excellentiam, subiungit dubitando præputiatus & ait, Quid ergo? Antepositi sunt illi ac præuerterunt, nos verò præoccupati sumus & superati? (Nam ita passiuè capitur προεχόμεθα) vbi est dei iustitia? Quibus diuinus Paulus Absit, inquit, nullo modo. Illi si virtutes quidem bonáque opera negligant, pœnis sunt obnoxij, sicut & vos quum bona negligeritis opera: vtrisq; autem bene operantibus æqualis est salus: non igitur excedimini. ALITER. Pugnare videtur quod dicitur Præcellimus, idque quod sequitur, cum eo quod dictum est, Multa per omnem modum est excellentia Iudæi, ac cir-
F cuncisionis vtilitas. Nam ibi dicit eos Antepositos esse, & aliquid habere excellentiæ circuncisos supra præputiatos: hic autem nihil præcellere. Aut fortassis nulla est repugnātia. Nam ibi aliquid excellentiæ dicit eos habere ob dei videlicet benignitatem ac veritatem, qui illis eloquia concredidit, qui promissiones cōpleuit, nullo accepto impedimento per incredulos: hic autē ipsas confert per se personas circuncisorum ac præputiatorum: & dicit ipsis nihil alteros alteris præcellere. Siquidem qui virtutem colunt cuiuscunque sint ordinis, beneficentia similiter fruuntur: rursumque transgressores, siue ex circūcisis sint, siue præputiatis, consimilem sibiipsis pœnā conciliabunt. Non itaque pugnant. Nihil præcellimus, & Multa est excellentia Iudæi, ac

circuncisionis vtilitas: Iuxta alium enim modum ibi dictum est, & iuxta alium hic comparatio tradita est. Quum ergo in superioribus dixisset excellentia Iudæi, ac docuisset Iudæũ habere excellẽtiam ob concreditam legem, nũc ostendit ipsos nullã habere excellẽtiam, ꝙ illam non seruauerint: quin potius tantò inferiores esse, quantò peius est ex scientia peccare. Quid ergo? habem⁹, inquit, nos Iudæi aliquid excellẽtiæ? nihil, inquit, cur id tandẽ? Quia omnes sub peccato eramus, tam Iudæi quàm Græci. *Et Iudæos & Græcos omnino sub peccato esse.* Nihil ergo Iudæo est excellentiæ, inquit, ex lege, quã non seruauit: neque præputiato, quippe qui peccauit. Nullus ergo excelsum quicquam habet præ altero. Siquidem redditis causis ostendimus, hoc est, conuicimus omnes esse peccato obnoxios. Deinde ne id nouum esse videatur, Dauid ac Iesaiam testes adducit. *Simul.* Cum eo videlicet qui est in ꝑputio. *Inutiles facti sunt.* Protinus vt à deo declinauerũt, inutiles & abiecti facti sunt. *Sepulchrum, &c.* Hęc obtrectatoribus conueniunt. *Contritio & miseria in uiis eorum.* Nam vĩas conuersationem dicit & vitam: cõtritionem autem & miseriam peccata. Nihil enim adeò mentem corpúsque cõterit & exhaurit ac peccatum. *Viam pacis non cognouerunt.* Viam pacis dicit vtilem viuendi modum.

Scimus autem ꝙ quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt loquitur: vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus deo, eo ꝙ ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius.

Ne dicant Iudæi, Et quid hæc ad nos? Omnino enim de nobis dicta non sunt. Vtique, inquit, vos tangunt. Omnes nanque hoc scimus, ꝙ quęcunque dicit lex (vocat autem legem omne vetus instrumentum) his qui in lege sunt loquitur. Quæ erat enim necessitas, inquit, vt Dauid exteros argueret & non suos? aut vt Iesaias, qui ad Iudæorum correctionẽ emissus erat, alios carperet? *His qui in lege sunt loquitur.* Cautè admodum hoc posuit. Neque enim dixit, De his qui sunt in lege, sed his qui sunt in lege. Multa siquidẽ & de Babyloniis dicit, Persisque & Medis ac Aegyptiis, aliisque plurimis nationibus. Attamen etiam quæ de his erant vaticinia, Iudæis afferebat qui in lege erant, hoc est, sub lege. Theod.

D *Vt omne os obturetur.* Ostendit magnifica loquẽtes de se Iudæos. Ob hoc ergo arguebantur à prophetis, quò inaniter sese iactantium obturarentur ora. *Et obnoxius fiat totus mũdus deo.* Tale quippiã subindicat. Propterea prophetæ, inquit, Iudæos redarguerunt, illósque ostẽderunt inaniter sese iactare, imò totum mundum reum esse peccato: quo fidei viam præstruerent, & cognoscentes homines ꝙ neque circuncisionis lege, neque à præputio saluari daretur, ad Christum facilè accederent, qui per gratiam saluum facit genus humanum. Et obnoxius .i. debitor ad credendum Christo deo. Si enim his qui sub lege erant à prophetis di-
3. Reg.18 ctum est, ꝙ nõ recto pede incederent, sed lõgè à recta conuersatione graderẽtur: gẽtes autẽ multò magis in perditio-
E ne sunt ac errore: omnis planè mundus obnoxius est, vt in Christum deũ credat, qui solus & Iudæos & Græcos liberare potest, totũq; mũdum sua gratia à peccatis longóque errore ac perditione illorũ. Deinde rursum quasi obiectionẽ soluit. Ne quis enĩ dicat, Quid ergo? nihil profuit lex? subiũgit, eo ꝙ ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, acsi diceret: Profuisset fortassis lex, si eam seruassent qui eius præcepta susceperant, verùm quum non seruauerint, ex assistẽtia etiam nocuit, nõ sui natura, sed eorum animo, qui non seruauerunt. *Eo quòd ex operibus.* Deinde ne rursum indignè ferant Iudæi, ꝙ toti mundo connumerẽtur in eo ꝙ sint obnoxij, iterum ea que aduersus illos sunt, exquirit. *Omnis caro.* Neque enim impleuit quæ in lege sunt.

F

Nam per legem cognitio peccati. Nunc autẽ sine lege iustitia dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac prophetarum.

Et quid dico ꝙ vos Iudæi nihil adiuti sitis ex lege, quominus essetis cum vniuerso mundo obnoxij? Quinimo si quis diligentiùs scrutetur, inueniet etiam detrimentum vos ex lege accepisse: non propter eius naturam, sed ob vestrã malitiam. Quonam pacto? nam peccati cognitionem per legem habetis: peccare autem ex scientia grauius est quàm ex igno-
Gẽnadij. rãtia. ALITER. Ad hoc, inquit, lex profuit, ꝙ peccatum nobis notum fecit: non ex eo tantùm, ꝙ illicitum opus prohibeat, sed etiam ꝙ sibi inobedientes vlciscatur. Etenim ni-

si supplicium inflixisset,nequaquam ipsum cognouissemus. A
Postquã ergo ex his omnibus constituit vniuersos sub peccato: subdit deinceps ostendens suæ prædicationis excellentiam. *Nunc autem.* Vbi eos ostendisset nihil ex lege adiutos esse, & ad concupiscentiam duxisset methodum quę saluare poterat: opportunè Christi fidem aggreditur. *Iustitia dei.* Si habita, inquit, lege peccauimus, quo ergo modo, dicat quispiam, absque lege saluari possemus? Per iustitiã dei, inquit, quę videlicet datur à deo. Vbi autẽ deus illam tribuat, ne ambigas, ô homo. Aut iustitia dei est iustificatio, & absolutio, seu liberatio à peccatis, à quibus non potuit lex liberare. *Manifestata est.* Quod manifestatur, planum est, ꝙ antea fuerit, quanquam occultaretur. Fugiens itaque innouationem, & ne recens videretur eius prædicatio, dixit, Mani- B
festata est: nec id modo vulgari, verũetiam prius nacta est, testimonium à lege & prophetis.

Iustitia autem dei per fidẽ Iesu Christi in omnes & super omnes qui credũt. Nõ enim est distinctio: nam omnes peccauerunt, & posteriores sunt gloria dei: gratísque iustificantur per gratiam ipsius.

*Iustitia dei per fidem.* Quænam iustitia, dixerit quispiã, aut quomodo à deo data? Deinde ne nouum aliquid audire sibi videãtur, si omnino saluari possint nihil cõtribuentes, ostẽdit ꝙ etiam credere sit cõtribuere, ipsum enim credere indiget animi fortitudine. Ideo ait, Per fidem, ostendens ex hoc nos quoque aliquid conferre. *In omnes & super omnes.* In C
omnes, inquit, Iudæos qui credunt, vt qui apud se & ex seipsis haberent salutis causam, ipsum nẽpe Christum. Super o- Gẽnadij.
nes autem Ethnicos dicit, vt qui à Iudęis crediderint, & extenta sit super eos gratia. Verùm & hos, inquit, & illos fecit gratiæ participes, non quoscunque, sed credentes. Et iterũ, quia meritò communis est gratia quæ est erga omnes. *Non enim est distinctio.* Rursum Iudæos ostendit nihil excellentiæ habere præ Gentibus. *Nam omnes peccauerunt.* Ne mihi, ĩquit, dicas, Ego Iudæus sum, qui supernè deũ cognoui, hic autem extraneus est & barbarus. Profectò si omnes peccauerunt, habẽt quoque id omnes, vt simili æquitate salui fiãt. Non enim est differentia siue discrimen Iudæi ac Gen-

D tilis vtrique similiter peccauerunt. *Et posteriores sunt gloria dei, &c.* Siquidem ne tu,inquit,mihi dicas,Græci grauius peccauerunt. Nonne tu gloria ac beneficentia dei posterior es?gratísque,hoc est,absque tuis rectis operibus saluaris?ac rursum ita vt nihil conferas aliud præter fidē? quúmque iustificaris, gratis iustificaris:ac post dei gloriam ac beneficētiam accedis? P*osteriores sunt gloria dei*, Postmodum fuerūt, non præuenerunt ad glorificandum deum. Exciderant omnes ab honorando deum:Iudæi quidem præceptorum legis transgressores facti, Ethnici verò idola colentes : ideo omnes qui in deum crediderunt gratis iustificantur,ipsum credere tantùm conferentes.Quomodo verò iustificamur? redempti à peccatis nostris.Per quem autem iustificamur?Per
E Iesum Christum.Quomodo ille redimit?proprio sanguine. Vel hoc modo.Deus illos iustificat credētes:Nam adoptione dignos ducit,suíque regni demōstrat hæredes, à quo manifestum est ꝙ aberraueramus, omnes similiter posteriores sumus,ideo gratis ista nobis tribuit.

Per redemptionem quæ est in Christo Iesu,quē proposuit deus propitiatorem per fidem , per sanguinem ipsius,ad ostensionem iustitiæ suæ: per remissionem præteritorum peccatorum, quum deus toleraret ad ostendendam iustitiam suam, in præsenti tempore in hoc vt ipse sit iustus, & iustificans
F eum qui est ex fide Iesu.

Quomodo autem iustificamur? per remissionem peccatorum quam assequimur in Christo Iesu , hoc est, per Christum Iesum. *Quem proposuit deus propitiatorem.* Patris enim propitiatio , facta est nostrorum propitiatio peccatorum. Propitiatorium verò dicebatur olim arcæ operculum : ita quoque domini caro quæ illius diuinitatem velabat,propitiatorium fuit nostrarum iniquitatum . Quod autem dicit, Proposuit,antiquum de ea re consilium significat. P*er sanguinem ipsius.* Pater siquidem proposuit,filius verò sanguinem pro nobis effudit: itaque cōmunis est sanctæ trinitatis gratia: nā sanctißimus quoque cooperabatur spiritus. P*er ostensionem iustitiæ suæ.* Quemadmodum diuitis ostēsio siue demon-

demonſtratio eſt alios quoq; ditare, ita & Chriſtus ſuā oſtē A
dere volens iuſtitiā, homines quoq; iuſtificabit. *Per remißionē præteritorū peccatorum quū deus toleraret.* Iuſtitiæ illius demōſtratio in hoc maximè facta eſt, ꝙ diſſolutos hoc eſt peccatis ſuis immortuos iā homines iuſtificauit. Deinde hominum auget crimē, ꝙ peccata fuerint quū deus toleraret. Nā quādo reſipiſcere oportuit data toleratione, tunc magis peccabamus, eos ergo nunc ſaluos facit, qui lapſi erāt in iis, quę veniam non merebantur, & ita remiſſa ſunt nobis ac ſoluta peccata. Præterea quū negligentię pœnas oportuiſſet expetere, tolerantiam ac benignitatem aſſequuti ſumus: quum Pho.
verò nos tolerantiam adeptos oportuiſſet pœnitere, ac de præcedentibus deum placare, eiſdem amplius inuoluebamur. Quid ergo tunc iudicem quanquam benignum, & humanum agere oportuit? vtique punire ac pœnas ſumere: & B
propterea quòd ab initio deliqueramus, & quia tolerantiā nacti non reſipuimus, & ꝙ non ſolùm non reſipuimus, ſed & malitiam longius protendimus. Ille verò quid? tunc ſeipſum redemptionis pretium pro nobis tradit: nec ſolùm à pœnis eripit, ſed & iuſtificat & ſaluat, ſuíq; regni facit hæredes. O verè gratia quæ menſuram non habet: verè hoc donum eſt quod omnis doni vim ſuperat: hoc verè demonſtratio eſt ineffabilis iuſtitiæ, & iuſtitiæ non humanę, ſed diuinæ & ſuper hominem. Ideo etiam quum dixiſſet Apoſtolus: Ad oſtenſionem iuſtitiæ: non ſimpliciter ibi ſubſtitit, ſed Suæ, inquit, hoc eſt, ipſius ſolùm eſt talis tātáq; iuſtitia, tūc enim quum vlciſci tempus erat, etiam beneficio affecit. C
*Ad oſtendendā iuſtitiam ſuam.* ¶ Nam eum qui peccatis mortuus erat, nūc ſaluari, quum tempus eſſet ſupplicij, & nō iuſtificationis, hoc beneficentiæ demonſtratio eſt, ac iuſtitiæ Oecu.
ipſius. Oportebat enim cōpleri eas quæ ad Abraham factæ Gene. 22.
erant promiſsiones: putà illud: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Id ergo iuſtitia eſt, de ſaluādis etiam indignis veritatem præſtare. *In præſenti tempore.* Quum dixiſſet, Ad oſtendēdam iuſtitiam ſuam, ſubiunxit, In præſenti tempore. Siquidem dei iuſtitia quæ in præſenti erat tempore, quo videlicet noſtram redēptionē operatus eſt, plena benignitate, plena dono, plena erat & gratia: ideóque dicebat: Non veni vt condemnem mundum, ſed vt ſaluū faciam Iohan. 12

D mundum:futura verò iustitia talis amplius nõ erit, sed retri butio cuiusque erit de his quæ egit, veluti etiã hic rursum dicit. Reuelatur enim ira dei & cæt. Aut ita accipiẽdum est, Ostensio in præsenti tẽpore facta est, ipsius videlicet toleratio, donum gratiaque futuræ iustitiæ. Quonam autẽ modo? Nam si quum adeò longanimis fuerit, ac tantam contulerit gratiam, tantóq; munere dignatus sit, nõ cõuertat eos, neque meliores effectos habeat, in futuro cũ multa iustitia inducit supplicium. *Et iustificans eum qui est ex fide Iesu.* Ecce ostensionem iustitiæ, putà quòd nõ solùm iustus sit deus, sed & iustificans eum, qui est ex fide Iesu, nempe proprium dei populum effectum.

Supra 1.

Vbi est igitur gloriatio? exclusa est. Per quam legem? operum? non, sed per legem fidei. Arbitramur igitur iustificari hominem per fidem absque operibus legis. An Iudæorum deus tantùm? an non & gentium? Certè & gentium, quãdoquidem vnus est deus, qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur irritam facimus per fidem? Absit: sed legem stabilimus.

E

His igitur ita factis, patréque proprium saluante populum, qui ex fide Iesu est: vbi ergo est Iudęorũ gloriatio? ostẽdit eos vanè gloriari. Exclusa est, non dixit Disparauit, sed Exclusa est, ostendẽs quòd etiam sortem suam quondam habuit, nunc verò fides illam exclusit. Porrò legem operũ, per periphrasim loquendo dicit opera: eodémque modo Legẽ fidei, id est, fidem. Ait ergo: Non per opera quæ fecimus Iudæorum gloriatio exclusa est, sed per fidem, tanquam diceret: Omnis illa gloriatio quæq; videntur prærogatiuæ per fidem exclusæ sunt absque nostrorum necessitate operum. *Arbitramur igitur per fidem iustificari hominẽ &c.* Itaque dicimus, inquit, ex fide iustificari hominẽ sine legis obseruatione. *An Iudæorum deus tantùm?* Nã si solos eos iustificasset qui ex lege accedebãt, aut qui sese legi adaptabant, & nõ omnem qui crederet hominem, alterius dũtaxat partis deus esset: sed nunc & Iudæorum deus est & gentium, quandoquidem ex vtrisque credentes saluos facit. *Qui iustificabit*

F

*circuncisionem ex fide &c.* Et his qui ex lege sunt & his qui extra legem fide opus est, vt salui fiant. *Legem igitur irritam facimus?* Turbabantur Iudæi, quasi lex per fidẽ abiiceretur. Dicit ergo quòd non solùm irritam non facit legem fides: quinetiam quodammodo stabilit: quia lex quum saluare cupiat, non potest, fides autem saluat: quum ergo legis scopum fides impleat, meritò stabilire illam dicitur. Dicens autem Stabilimus, ostendit illam vacillantem. ALIO MODO. Legis opus erat vt iustum faceret hominem: verùm hoc nõ potuit, nam omnes, inquit, peccauerũt: quum autem venisset fides, id correxit: simulac enim quispiam credidit, etiam iustificatus est. Stabiliuit itaque legis voluntatem. Superiorib⁹ temporibus lex ac prophetę de fide vaticinati sunt. Fidem ergo suscipientes confirmamus legem.

A Iohãnis. Theod.

B Cap. 4.

Quid ergo dicimus Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem?

Intumescebant Iudæi Abrahæ nomine, sempérque proferebant quòd circuncisus esset Abraham. Hic ergo scopus est Apostolo ostendere, ipsum quoque Abraham non ex operibus, sed ex fide iustificatũ esse, & ait: Quid ergo dicimus Abrahã patrẽ nostrũ secundũ carnẽ inuenisse? quámve assequutus est iustitiam? eam ne quæ est per opera, an quæ per fidem? & ostendit quòd eam quæ est per fidem: Vnde & & illam vocat rem inuentam, quia non ex operibus eam nactus est, sed ex fide quæ dei gratia confertur. Per hyperbatõ est loquutio, vt ita ponatur: Quid ergo dicemus Abraham qui secundum carnem est pater noster inuenisse? Ascẽdamus, inquit, ad originem generis nostri secundum carnẽ, & eum quem ex omnibus gentibus electũ benedixit deus: & in eos qui ab eo descenderent, quæ benedictionis erant per eum se missurum esse promisit. Manifestum est enim ꝙ sicuti cum illo actum est, ita & nobiscũ agetur. Particula illa Secundum carnem, per hyperbaton ponitur: ordinatè verò & nõ iuxta schema erit hęc interpretatio sermonis. Quid ergo dicemus Abraham inuenisse, qui secundum carnẽ pater noster est? Porrò ad Iudæos sermo est ac si dicat. Quum nostri supercilij ac iactantię summa sit in Abraham, qui pater noster est secũdum carnem, consideremus quidnam di-

C Gẽnadij. Pho.

D cere possimus illum inuenisse. Et ait ipse in sequentibus quod etiam iustitiam inueneri. Hoc enim est quod ait: Et imputatum est ei ad iustitiã, hoc est quòd Iustificatus est. Siquidem inuenisse siue nactum esse iustitiam, & iustificatum esse. Inuenit ergo & nactus est iustitiam: at quomodo nactus est? ex operibus an ex fide? Et ostendit quòd ex fide, quum scripturam producit in testem. Nam ait, credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Quid ergo, inquit, nõ habuit Abraham opera? num hæc illum iustificarunt? Absit. Opera siquidem habuit, vt si cum hominibus qui simul cum eo versabantur fuisset in iudicio constitutus, facilè iustificatus fuisset, illisque antepositus: verùm vt coram deo ex suis operibus iustificaretur, tanquam dignus & æqualis
E sese præbens dignitatis cum ea quæ inde prębebatur beneficentia ac dono: nequaquam fuisset illam assequutus. Itaq; nihil omnino habet gloriatio, aut prętogatiua, rectúmque opus coram deo, ad hoc vt dignum redderet benificij collatione ac dono. Quid enim si quis illum demonstrare nitatur per opera dignum fuisse, vt post tantam naturę mortificationem filij pater ostenderetur, ac ventris germen exoriretur: vt semen eius tanquam arena maris multiplicaretur: præterea vt in semine eius omnes gentes benediceretur: ad hæc vt Christus ipse communis saluator inde procederet? Vides quòd nihil omnino habeat, ne vestigium quidẽ operum ad huiusmodi beneficia quæ à deo recepit? Vnde ergo
F his dignus habitus est ex sola fide. Credidit enim Abrahã deo, ait scriptura, & imputatum est ei ad iustitiam. Credidit & à deo iustificatus est, vt tanta ac talia cõsequeretur. O fidem quæ omne legis opus post se relinquit, eoq; prior est. Quum illud operaretur Abraham, paulùm quiddam habere potuit gloriationis, verũ id apud eos qui vnà cũ eo sub lege erant: producta verò fide repẽte pater omnium factus est, iustúsque habitus qui omnibus illis bonis frueretur. Quasi autem in corrollarij particula sumpta est hæsitatio: & solutio patet ex his quæ dicta sunt. Quomodo hic quidẽ ex fide ait iustificatũ fuisse Abraham, diuus autem Iacobus ex operibus dicens: Abraham pater noster nõne ex operib⁹ iustificatus est oblato Isaac filio suo &c. *Secundum carnem.* Bene Iudæis dicitur Secundum carnem. Nam secundum fi-

*Iacob.2. Et ibi vide lati⁹ hu*

dem ac promiſsionem nos credentes ſumus filij Abrahã iu xta id quod habet ſcriptura: Nõ qui filij carnis, hi ſunt filij dei, ſed filij promiſsionis reputabuntur in ſemẽ. Qualẽ in-quit, priuſquam deo crederet Abraham, iuſtitiam eius per opera factam audiuimus. Nã ſecũdum carnem dicit eã quæ in operibus erat, quãdoquidem per carnẽ perficimus opera. A *ius ſolutionem.* *Infra. 9.* Theod.

Nam ſi Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud deum. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei verò qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundũ debitum. B Ei autem qui non operatur, ſed credit in eum, qui iuſtificat impium, fides eius imputatur ad iuſtitiam. Quemadmodum & Dauid beatificationem hominis dicit cui deus imputat iuſtitiam abſque operibus: *Pſal. 31.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata: beatus vir cui non imputauerit dominus peccatum.

*Nam ſi Abraham.* Duo oſtendit, & quòd Abraham ex fide iuſtificatus ſit, & quòd maior ſit iuſtitia, quæ per fidem eſt. Ait ergo: Si ex operibꝰ rectiſque actionibus iuſtificatus eſt, habet quidem quod glorietur: at non apud deum, ſed in ſeipſo, vt qui bene operatꝰ ſit: qui verò ex fide iuſtificatus eſt, quia non poteſt apud ſeipſum gloriari, nullũ enim opus operatus eſt, apud deum gloriatur: C Maius eſt autem apud deũ gloriari, quàm apud ſeipſum. Bona nanque opera frequenter etiam aliis obſcurãtur delictis: gloriatio verò quæ apud deum eſt, ſemper immutabilis permanet. *Quid enim dicit ſcriptura?* Geneſim adfert quæ teſtatur Abraham ex fide iuſtificatum eſſe. *Ei verò qui operatur &c.* Maiorem oſtendit iuſtitiam quæ eſt ſecundum gratiã quàm ve fides præbet, hoc modo. Nam rectè, inquit, operanti debetur mercedis retributio ex debito. *Quid autem.* an poteſt qui etiam admodum probus eſt, præclara facere opera, deũmque habere debitorem? Nam qui ex fide iuſtificatur, ſecundum gratiam iuſtificatur, vbi autẽ deus munera largitur, omnino magna lar-

D gitur: ecquid enim largitur? Filiorum præstat adoptionem, Christi fratres efficit, hæredes dei, cohæredes Christi. Quænam præstiterunt vnquã nobis bona opera? Præterea & hoc modo, Ei qui ab operibus fiduciam nõ habet, sed ex fide accedit, imputatur fides sua ad iustitiam, & per illam iustificatur. *Fides imputatur*. Neque fidem putes cuiquam facilè cõtingere. Nam fortitudine opus est erectóque animo. *Ad iustitiam*. Vides quòd operanti merces secundum opera imputetur, credenti verò iustitia? At iustitia innumeras continet mercedes. *Quemadmodum & Dauid*. Etiã Dauid iustitiæ quæ ex fide est sanctificationem absq; operibus decernit. *Beati*. Beatificatio apex est bonorum. Videtur quidem alienum quodammodo testimonium, neque enim habet. Beatus cui
E fides ad iustitiam absq; operibus imputatur, attamen est admodum conueniens. Nam si beatus est, cui peccata secũdum gratiam remissa sunt: térque quatérq; certè beatus est, quem deus secundum gratiam iustificauit: ideo apta admodum ac conueniens est psalmi accommodatio. Etenim omnis beatificatio à deo est, vel eo quod remissæ sint iniquitates ac peccata, seu obtecta sint ac si per quædam bona opera deuicta sint vel absorpta. Vel ex eo quòd nõ imputat deus quod actum est ad peccatum: & per hos tres benignos modos imputat deus homini iustitiam, quasi compatiens, quasi dispensatiuè agens, quasi munificè largiens. Siquidem remissio compassionis est, obtectio dispensationis, non imputare autem pec-
F catum liberalitatis. Qui ergo his digni habétur? fideles, idque per fidem, ideo quoque beatos prædicat eos propheta Dauid. Eos verò qui in lege, & ex operibus quærunt iustificari, ne vna quidem trium iustificationum sequitur: sed his qui ex fide iustificari petunt, per hos tres modos imputatur iustitia. Diuus itaque Paulus Dauidicum testimonium conuenienter aptauit suæ doctrinæ.

Hæc ergo beatificatio venit in circuncisionem an & in præputium? Dicimus enim quòd Abrahæ imputata est fides ad iustitiam: quomodo ergo imputata est? quum esset in circuncisione an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio.

Deinde ait, Hæc beatificatio quæ à Dauid dicta est, venit

in circuncisionem,an etiam in præputium?magísque osten- A
dit ꝙ in præputium venerit ac locum habuerit, eo ꝙ Abraham quum in prꝑputio esset,saluus factus sit,& iustificatus. *Quomodo ergo imputata est?* Deinde confirmat ꝙ in præputium magis locum habuerit,& ait,Abrahæ imputata est iustitia per fidem. Videamus itaq; vtrum Abrahæ quum iam circuncisus esset, huiusmodi iustitia imputata sit, an adhuc præputiato.Et manifestum,inquit,quòd præputiato.Vides ergo ꝙ magis in præputium habeat locum? *Sed in præputio.* Si ergo quum esset in præputio iustificatus est,certè beatificatio quę à Dauid dicta est,magis locũ habet in prꝑputiũ, quàm in circũcisionem. Circuncisio ob has tres causas data est,vt fidei signum esset,vt Abrahæ genus manifestaret:demúmq; vt esset nota ac inuolutum indicium purę & tempe- B
ratæ conuersationis. Data etiã est non vt iustitiam operaretur,sed vt sigillũ esset,ac signum iustitiæ quæ est per fidem,

Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ fuerat in præputio: vt esset ipse pater omnium credentium per præputium, vt imputetur & illis iustitia: & pater circuncisionis, his qui non solùm ex circuncisione sunt, sed etiam his qui incedunt per vestigia fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abraham.

Obiectionem soluit quæ sese offerre videbatur. Tãta res C
est circuncisio dicet quispiam,vt sine hac non contingat iustificari:nam & ipsi Abraham,qui vt ais in præputio fuit iustificatus,opus erat circũcisione. Et dicit, Non ob aliud circuncisus est,quàm vt circuncisionem deferret in signum ac demonstrationem iustitiæ, quæ illi in præputio contigerat, ꝙ si in illam signorum aut signaculi causa accepit:hæc ad iustitiam nihil cõtulit,sed hoc modo solùm iustificatus esse significabatur:hoc est ꝙ quum in prꝑputio esset,iustitiã accepisset. Quare,inquit, primùm imputatũ est illi ad iustitiã, Pho.
& ita postmodum circuncisus est? Primùm quidẽ vt ita virtutis signum cẽferetur,& non veluti ipsa virtus,aut rectum virtutis opus. Signum nanq; circuncisionis est signaculũ inquit,tanquã signum & comprobatio iustitiæ,quę per fidem

D in præputio facta est. Secūdò autem, vt & præputiatorum & circuncisorum communis pater agnosceretur ac diuulgaretur: præputiatorum quidem, vt qui in præputio credidisset, ac iustificatus fuisset: circuncisorum verò tāquam & ipse circuncisus postquam credidisset. Meritò ergo cunctorum pater reputatus est, qui videlicet fidem suscepissent, siue incircuncisi essent, siue circuncisi. Quòd si fidem non habeāt, neque cognationem ad illū habent quicūque sint, neque hæredes sanè erunt promissionis quæ ad illū facta est: consanguineis enim (nempe semini eius) datę sunt promissiones ac benedictiones. *Signaculū iustitiæ fidei.* Quæ ex fide contigerat. *Vt ipse esset pater.* Ad quid omnino necessaria fuit illi circūcisio, si nihil conferebat ad iustitiam? Primū quidem, veluti in superioribus dixit, vt illa signum esset: deinde vt commu-

E nis pater fieret, tam iis qui in circuncisione essent, quàm illis qui in præputio. *Omnium credentium.* Non omnium pater simpliciter, sed credētium in Christū. *Per præputium.* Eorum qui quum sint in præputio, nihilominus credunt. *Vt imputetur & illis iustitia.* Per fidem videlicet sine operibus. *Et pater*

Pho. *circuncisionis.* Non pater quomodocūq; circūcisorum: Nam hoc significat dictio Circūcisionis: sed pater illorum circūcisorum, qui non tantū circūcisi sunt, verūetiam iuxta illius vestigia in fide Christi manēt: illi autē iuxta vestigia, ac imitationem Abrahæ credūt in Christum, qui absque vlla vacillatione & contētione in nullo hæsitātes accedūt ad Christū. *His qui non solū ex circuncisione sunt.* Sicut enim qui in præpu-

F tio sunt, nō ex hoc solùm possunt Abraham habere patrem, quòd ille in præputio credidisset, nisi etiam fidem imitētur. Ita neque hi qui in circuncisione fuerint, patrem illū habebunt, ob hoc solùm quod circūcisus sit Abraham, nisi fidem quoq; illius imitētur. Manifestum ergo est quòd etiam à cognatione Abrahæ excident Iudæi, nisi crediderint. *Sed etiam iis qui incedunt.* Hoc est obedientibus, perseuerantibus. *Per*

Pho. *uestigia fidei.* Id est imitationem, similitudinem. Vestigia dicuntur eorum qui prius iter fecerunt indicia ac signa pedū. Quia ergo hi posteri sunt, propriè ac aptè. His, inquit, qui immanent vestigiis, eáque insequūtur, siue ambulant iuxta illius vestigia, ac viam ipsius, quæ sine circuncisione erat. *Quæ fuit in præputio.* Rursum memoriæ suggerit, quòd in

præputio crediderit,& poſtmodum circuncifus ſit. A

Non enim per legem facta eſt promiſsio Abrahæ,aut ſemini eius,ipſum hęredem mundi fore,ſed per iuſtitiam fidei. Si enim ii qui in lege ſunt,hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, irrita facta eſt promiſsio. Nam lex iram operatur. Siquidem vbi non eſt lex,ibi nec tranſgreſsio eſt.

Admirandum eſt quod dicit. Adeò,inquit,circuncifio ſine fide iuſtificare nequit:neque progenitorem tibi facit Abraham ô Iudæe,vt nec lex in qua extolleris quicquã Abrahæ ad promiſsiones contulerit,ſed ſola fides. Nam quũ adhuc prępuțiatus eſſet,& ante legẽ credẽti datę ſunt promiſ- B ſiones. Si ergo lex ipſa nihil ad promiſsiones contulit,lõgè ergo minus circũciſio ad iuſtitiã ſufficiet. *Hæredem mũdi fore.* Hęredes mũdi fore ait iuſtos:quia impiis de medio ſub- Seuer. latis,ac in die iudicij ſupplicio traditis,vniuerſum deinceps mundum habebunt iuſti innouatum:eorúmque erunt cæleſtia terrenâque bona. *Si enim ij qui ex lege ſunt, &c.* Nam qui legi hæret tanquam ſaluum facienti,ſalutem quæ per fidem eſt, negligit. Hæredes autem, putà regni cælorum. ALIO MODO. Quum prius dixiſſet quòd Abraham dum præpu- Pho. tiatus eſſet,credidit,ac iuſtificatus eſt,vt fidelium pater haberetur qui in præputio eſſent: & ob id poſtea circunciſus eſt, vt eorum etiam pater reputaretur, qui in circunciſione C crederent:quũque etiam adduxiſſet ac oſtendiſſet quòd magis reputetur pater eorum,qui in præputio crediderunt,eo quòd & ante circunciſionem, & ante legem ipſam quæ circunciſionem quoque complectitur,ipſe & credidit,& fides eius imputata eſt ad iuſtitiam. Hęc inquam quum dixiſſet,& ob oculos poſuiſſet,nunc alio quoque modo idipſum oſtendit,ac dicit: Supponatur non ita ſe habere, vt diximus, ſed ſolos eos qui ex lege ſunt,hæredes eſſe promiſsionum,quæ ad Abraham factæ ſunt. Itaque vana fuit fides ipſi Abrahæ, ipſe enim & ante legem,& ſine lege credidit. Inanis itaque facta eſt fides, hoc eſt, nihil eſt, ac tota eius vis obſcurata eſt: ſed & promiſsiones irritæ factæ ſunt, tanquam inutiles ac imperfectæ. Nam ſi fides propter quam erat promiſsio

D inanis facta est, etiam promißiones quæ videlicet propter fidem factæ erant, vnà defluxerunt & vanæ factę sunt. Quid ergo hæreditario iure habebunt, qui per legem accedunt, si fide inani reddita, simul cum fide effluit promißio? Vides quòd eo ipso quo se dicũt per legem hæredes effici, per hoc ostenditur, quòd nullo modo hæredes fiant? Ita ergo dupli ci modo probauit beatitudinem ad præputium magis aptari per fidem, quàm ad circũcisionem: primo modo, rectè procedendo, & ex his quæ circa Abraham acta sunt. Secundo autem, cum illis consentiens, ídque quod ab aduersariis dicebatur præsupponens, ac ostendens quid absurdi sequatur ad suppositionem illorum. Ponit autem & tertiam probationẽ ex ipsa lege sumptam: & ait, Lex qua fulcimini, non

E obseruata iram operatur, & hoc dicto, id quod erat consequens tanquã manifestum reliquit, si lex nõ obseruata iram operatur: vos autem præuaricati estis: & ita solũ non promißionum indignos vos reddidistis, sed & puniemini: id enim semper comminatur lex trãsgressoribus. Quomodo ergo saluabimini? quomodo complebuntur vobis promißiones? Quum ergo & hæc & alia dicta sint, ac demonstratum sit, quòd ex lege nequaquam poßit haberi salus: reliquum est ad gratiam cõfugere, quę per fidem præstatur. Siquidem per hanc promißiones perficiuntur, & Abraham omnium pater efficitur. Itaque ipsius Dauid beatificatio quum sit cõmunis ad omnes qui per fidem saluantur: non minus quin

F magis potius ad fideles aptatur, qui in præputio venerunt: quantò etiam prius in Abraham veritatem habuit, quum esset in præputio. *Irrita facta est promißio*. Tanquam essent inutiles, irritæ factæ sunt promißiones: hoc est, inefficaces fuerunt. Quonam modo? Nam si fides propter quam erãt promißiones, irrita redditur: consequẽs est, vt vnà promißiones quoque irritæ reddantur: quòd si hæ fiant irritæ, neque Abraham cuiusquam pater est.

Iccirco ex fide est, vt secundũ gratiam, vt firma sit ꝓmißio omni semini: nõ ei tãtùm quod ex lege est,

Gene. 17. verũetiam ei quod ex fide Abrahã, qui est pater omniũ nostrũ: sicut scriptũ est, Patrem multarũ gentium posui te: coram deo cui credidit, qui viuificat

mortuos, ac vocat ea q̃ non ſunt ſicut ea quæ ſunt. A

Et ita, inquit, non firmantur per legem promiſsiones, ſed quodammodo etiam impediuntur. Quo pacto. Nam lex iram operatur, non ſeruata videlicet: nullus enim potuit illam complere. Vbi autem eſt ira, quomodo erit hæreditaria poſſeſsio? quo pacto hæreditatem accipiet, qui ſub ira continetur? quomodo venient promiſsiones. Fides autem dei gratiam inducit, porrò gratia præſente veniunt & complentur promiſsiones. *Vt firma ſit promißio.* Vbi enim gratia dei eſt, iam nõ ſunt dubiæ promiſsiones, ſed firmæ. Deus eſt, inquit, qui per gratiam iuſtificat, quis eſt ille qui condẽnet? *Omni ſemini.* Hyperbaton eſt, & iũgitur cum dictione Abraham: Omni ſemini Abraham. *Non ei tantùm quod ex lege eſt.* Ex lege dicit eos, qui ex Iudæis ad fidem venerunt. *Patrem multarum gentium.* Quæ ſine lege factæ ſunt fideles. Vide autem quo pacto deinceps duos coniungit populos, omniúmq; patrem facit Abraham. *Coram deo cui credidit.* Hoc eſt, Quemadmodum deus non eſt particularis, ſed omnium deus, ita & Abraham omnium pater. κατέναντι ante, coràm, in conſpectu dei. Nam in conſpectu dei, ſiue ex perſona dei dictum eſt, Patrem multarum gentium poſui te. Siquidem quum dixerit, Sicut ſcriptum eſt, non addens Vbi ſcriptum eſt, aut quomodo ſubiungit (quanquam per hyperbaton) κατέναντι θεοῦ, id eſt, coram deo, probationem & confirmationem eius quod dictum eſt, fide dignam adducens. Sicut ſcriptum eſt, inquit, Coram deo, hoc eſt, in conſpectu dei, & ex perſona dei: fide digna, inquit, eſt ſcriptura, immobilis, firma: Deus eſt, qui in ea loquutus eſt, Patrem multarum gentium poſui te. Ordo itaq; concluſionis ſermonis eſt, Sicut ſcriptum eſt coram deo, cui credidit, quòd patrem multarum gentium, & cætera. Quemadmodum enim, inquit, deus omnium factor eſt, omnium deus, omniúmque gubernator: ita ipſum quoque Abraham patrẽ omnium conſtituit, non Iudæorum tantùm, verumetiam omnium credentium. ALIO MODO. Hoc eſt coram deo, & ante conſpectum dei cui credidit. *Qui uiuificat mortuos.* Sermonis de reſurrectione fundamenta iacit: aptè tamen & ad propoſitum. Credidit, inquit, Abraham deo quòd etiam mortuos vitæ reddat, ideóque daturus eſſet: & ipſi ſemen

Margin notes: *Infrà 8.* (beside "Vt firma ſit promißio"); B (beside "ge eſt"); Pho. (beside "Hoc eſt, Quemadmodum"); C (beside "in conſpectu dei, & ex perſona")

D quum iam senuisset. Nã qui viuere facit mortuos ac ea quæ non habẽt vt sint, multò magis poterit corpori senectute emortuo generatiuũ dare semen. *Ac vocat ea quæ non sunt*. Bene ait, Vocat ea quæ nõ sunt, sicut ea quę sunt. Verbo enĩ ea quæ nõ sunt, simul cũ vocatione adducit vt sint: ita vt possibile sit apud ipsum, & ea quæ non sunt, vt ea quę sunt, rursumq; si voluerit ea quæ sunt, vt ea quæ non sunt vocare.

Pho.

Qui præter spẽ sub spe credidit, ut ipse pater fieret multarum gentium: iuxta id quod dictũ est, Sic erit semen tuum. Ac non infirmatus fide, haud cõsiderauit corpus suum iam emortuum, quum cẽtum ferè natus esset annos: & emortuam matricem Sarę: sed ad promissionem dei non hæsitauit incredulitate: sed roboratus est fide, dans gloriã deo: & certior factus est, quod promiserat potens sit & præstare. Ideo etiam imputatum est illi ad iustitiam.

Gen.15.

E

*Qui præter spẽ*. Hoc est, promissionibus credidit, quæ cõplectebantur res admodum creditu difficiles, si humanã spectes cogitationem. Contra spem, inquit, humanam, sola spe in deum roboratus. Sub spe ait in deũ, præter spem propriæ naturæ sub spe potentiæ eius qui promiserat. *Multarum gẽtium*. Quæ videlicet secundum fidem essent ac promissionem. Quis est autem filius eius per fidem ac promissionem datus? Isaac certè. Nam Ismael secundum carnem filius eius erat. *Ac non infirmatus fide*. Multa quidem infirma erant, & quæ fidem illius imbecillem efficerent: verùm ad nihil horum infirmatus est generosus animus. Primùm, ꝙ ad nullũ huiusmodi exẽplum poterat respicere, sed ipsi primò gignẽdi spes pręter spem data est. Alterũ, ꝙ corpus suum senectute erat emortuum. Tertiùm, ꝙ simul etiam Saræ matrix esse emortua, nec vllo modo prolem ferre posset. *Quum centum ferè*. Bene ait, Natus annos ferè centum: neque enim cẽtum erat annorum, sed nonaginta nouem. *Sed ad promissionem dei*. Nam operum demonstratio non erat, sed nuda verba. *Non hæsitauit incredulitate*. Non ait, Non fuit incredulus, sed Non hæsitauit, hoc est, non vacillauit, non dubitauit. Sed roboratus est fide. Dicens Roboratus est, ostendit

Eiusdem

Seueria.

Gal.4.

F

multo labore ac virtute animi fidem dirigi. Dans gloriam deo. Quonam pacto roboratus est? Dans, inquit, gloriã deo, hoc est, non curiosè scrutatus quomodo possibile esset hoc fieri, quonam pacto id fieri contingeret, quomodo id susci-pi posset: sed statim credidit, deúmque collaudauit tãquam beneficij autorem, acsi iam dedisset quod erat pollicitus. *Et certior factus est*, Non dixit Credidit, sed maiori empha si, Certior factus est. *Ideo etiam imputatum est illi ad iustitiam*. Vides ꝙ à fide iustificatus est? A

Non autem scriptum est propter illum solum ꝙ imputatum sit ipsi, sed etiã propter nos quibus imputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum dominum nostrũ à mortuis: qui traditus fuit propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. B

Ne dicant auditores, Et quid ad nos? Ille enim iustificatus est, non nos: subiungit quòd hæc non solius patriarchæ gratia scripta sunt, sed etiam propter nos: vt Abrahę exemplum habẽtes simili modo fideles efficiamur, & similiter fides nobis imputetur ad iustitiam. *In eum qui suscitauit Iesum*. Sermonem de domino aptè aggressus est, & ait, Nõ propter sua peccata mortuus est, nam hoc modo non debuisset resurgere, sicuti neque quispiam ante illum, sed propter nostra peccata, vt nos ab eis liberaret. *Et resurrexit propter iustificationem nostram*. Vt nos, inquit, iustificaret, & à peccatis liberaret. Neque enim idcirco nostra peccata sibi propria fecit, ac mortis pœnam pro nobis luit, quo reos ac mortis debitores nos haberet: sed vt nos iustificaret, donata vita his qui in peccatis mortui erant, & perfectè reatu liberos dimitteret: quemadmodum & Abraham ac Saræ matricem senectute ac sterilitate iam emortuos vitæ restituit, filiorúmque procreationi. C

CAPVT VI.

*De reposita spe.*

IVstificati ergo ex fide pacem habemus erga deũ per dominum nostrum IesumChristum: per quẽ Cap. 5.

D & accessum habuimus per fidem in hanc gratiam, in qua stetimus & gloriamur ob spem gloriæ dei.

Quomodo autē habere poterit quispiā pacem erga deū? si sequatur præcepta eius: quēadmodum sanè is qui peccat, deo pugnare dicitur. Hoc præterea modo. Ostendit Iudæos qui seditiosè mouebantur aduersus fidem, nec recipiebant dominum nostrum Iesum Christum, erga ipsum quoque patrem seditiosè agere, qui illum à mortuis suscitauit. Nam vt nos, inquit, iustificemur, idcirco inter mortuos reputat⁹ est, & surrexit à mortuis: nos autem si eum non suscipimus, aduersus patrem quoque bellum gerimus, qui eum suscitauit, Verùm iustificati, inquit, pacem habeamus erga patrem, bel
E lum quod aduersus illum est, perfectè dissoluamus. Quo autem modo dissoluitur? perfecta indubitatáque fide quæ est in dominum nostrum Iesum Christum, ipse enim est qui nos ad patrem adducit. *Per dominum nostrum.* Nam si per eum à præteritis redimamur peccatis, rursum per illū in fide quæ in eum est, sine peccato perseuerabimus. Facilius nanque est bona conseruare, quàm proprio marte aut cooperationē no
Ephe.2. stra acquirere. *Per quem & accessum habuimus.* Per ipsum enim ad patrem adducti sumus: si ergo quū elongati essemus, per mortem ipsius propinqui facti sumus, lōgè amplius iam facti propinqui, pacem ad eum habebimus gratia ipsius. *Per fidem.* Vbi posuit ea quæ Christi sunt, ponit etiā ea quæ nostra sunt. Siquidem ad ineffabilia Christi dona nos pręter
F fidem nihil contulimus. *In hanc gratiam.* Putà ꝙ dei cognitionem accepimus, ꝙ ad ipsum adducti, ꝙ peccatis liberati,
Pho. & quæcunque largitur baptisma. Quod autem sequitur Stetimus, confirmationem significat. *In hanc gratiam.* Demōstratiuè loquutus est, eorum magnitudinem ac multitudinē significans, quæ in gratia continentur. Ipse siquidem accessus res est magna ac admiranda, & ante hanc peccatorum remissio, ac post ipsa regni cælorum promissio. Ob quam actionem, ob quod rectum opus gratia hæc data est? ob solam fidem: tantùm enim credidimus, & omnia nobis per baptismum gratis donata sunt. Vel hoc modo, Quemadmodum in gratia hac in qua stetimus, gloriamur ob spem gloriæ dei, ita rursum gloriamur in tribulationibus, scientes quòd per

illas & per patientiam ac probationem ad ipsam spem ascen A
dimus quæ nō pudefacit. *Ob spem gloriæ dei.* Vel qua deus glorificatur, vel qua nos deus glorificat: nos autem glorificat inenarrabili ac immensa gloria, donans quæ pollicitus est, adoptione ac regno cælorū dignos ducens: & glorificatur etiam spe, quāquam non iuxta suam dignitatem, at quātùm angelis & hominibus possibile est: qui tantam circa humanum genus exhibuerit liberalitatem, & hæc perficiēs ac in opus deducens, quæ solius diuinitatis illius & benignitatis erga homines sunt demonstratiua.

Non solùm autē, sed gloriamur in afflictionibus: scientes q̃ afflictio patientiam operatur, patientia autem probationē, probatio verò spem, spes autē non pudefacit, quia charitas dei effusa est in cordi- B
bus nostris per spiritum sanctū qui datus est nobis.

Non solùm, inquit, ob data futuráq; bona gloriamur, verumetiā in his quæ contraria videntur, putà afflictionibus. Quam demū ob causam? quia ad patientiam nos exercent. Quod est autem ex patiētia lucrū? probatos, inquit, nos reddit. Et quæ nobis inde vtilitas, vt simus probati? spem nobis futurorum bonorum cōciliat: qui autem hæc sperat, nequaquam pudefieri poterit. Nam qui in hominem sperat, fortassis spe frustrari poterit: qui autem in deum, nequaquam. Veruntamen, inquit, non iis solis bonis quibus stetimus, sed in his etiā quæ expectantur, tanquā in prᴇsentibus gloriamur. hoc enim exactæ fidei est. Pulchrè autem dixerat Gloriæ. C
Quum enim accidunt ea quᴇ promittuntur, agunt vt is glorificetur qui ea promisit. *Sed gloriamur in afflictionibus.* Vn- Pho.
de fit vt in afflictionibus gloriemur? Quia vehementer deū amamus. Quisque enim amator gaudet, ac gloriatur, quum pro eo quē amat patitur. Verùm vnde diuinus hic amor effusus est, totúmque in se cor nostrū circumassumpsit? ex spiritu sancto qui datus est nobis. Totum itaque supernæ gratiᴇ est, sed & debitores sumus, vt eum supra cætera amemus: & si quicquam pati oporteat, ab amore eius nequaquam discedamus. Quamobrem? quia ipse prior nos amore prosequutus est, idque tunc quum inimici ac hostes essemus. Vi- Nota.
den' amoris magnitudinem? Viden' quantùm contraxeri-

D mus debitum? Adde quod etiam maius eſt. Nõ ſolùm amore noſtri captus eſt, verumetiam pro nobis ignominiam paſſus, alapis cæſus ac crucifixus eſt, intérque mortuos reputatus: & his omnibus amorem, quem erga nos habebat, demõſtrauit. O amorem, qui & angelos in ſtuporem adduxerit, & hominem in cælos ſubleuauerit: dæmonum tyrannidem irritã fecerit. Quis huiuſmodi amatorem non amabit? imò potius quod erit opus, quod quiſpiã tali dignũ amore perficiet, aut vel paululum etiam debiti rependet? Nam etſi millies moriatur, non magnum aliquid attulerit. Siquidem pro benefactore, pro amico, etiam noſtrum quiſque interdum patitur: at non pro inimicis ac hoſtibus, ſicut ille paſſus eſt. Quũ ergo patimur, gaudere debemus ac gloriari, ꝙ vel minimum
E quiddam pro tali amatore & nos pati mereamur. *Scientes ꝙ*
Eiuſdem. *afflictio patientiam operatur.* Quonam modo gloriamur in afflictionibus? optimè, inquit, afflictiones enim ad patientiam exercent. Verùm ecquid lucri ex patientia? magnum, ait: ſiquidẽ probatiores reddit, veluti fornax ipſum aurũ. Quid autem conſequimur ex eo ꝙ probatiores videamur? magnũ planè cõmodum: ſpes etenim noſtra firmior ac ſtabilior redditur. Quid autem ex hac? omne negotium perficitur. Quale tandem? Quæ ſperamus aſſequimur. Firma nanque ſpes, ac per afflictionem, patientiam & probationem adducta nũquam pudefacit. Et vide quum ſuperiùs dixiſſet, ꝙ ob ſpem gloriamur, quo modo & hic rurſum in ſpem terminauerit. Nam & à ſpe inchoare oportet, & ſimiliter in ſpem deſine-
F re. Verùm ſpes quidem incipientium, nondum manifeſtum eſt quomodo ſe habeat, quum nondum occurrunt afflictiones aut tentationes: quæ verò per has tranſiuit, probatáque eſt ac manifeſtata ꝙ nullam habeat ambiguitatem, nec fluctuat: hæc & perfectionem habet, & eam in fruitione eorũ quæ ſperãtur reponit. Sperauit Abraham poſt ſenectutem, ac matricis ſterilitatem, ꝙ iuxta promiſsionem futurus eſſet pater. Magnum quidem hoc, at nõ quale poſt probationem. Tẽtauit illum deus, & quodãmodo conflauit, verè horrenda quadã ac terribili fornace: igne interius accẽſo, quãdo filium iuſſus eſt iugulare. Oſtẽdit ille per hæc inconcuſſam ſtabilémq; fidem. Cucurrit enim vt filiũ iugularet, nec vacillabat intra ſe cogitans, Quomodo ergo pater ero? Id
ſanè

ſanè maximæ eſt fidei:ideo etiam quæ ſperabat eſt aſſequu- A
tus. *Probatio verò ſpem.* Certè qui praua ſtimulantur conſcientia,ne ſperant.quidem boni ac mali retributionem.Nã quiſque quod cupit,hoc etiam ſibi perſuadet. *Quia charitas dei.* Et vnde,inquit,manifeſtum eſt quòd deus ibi daturus ſit nobis bona? Vnde? ex his quæ hic dedit.Quid autem dedit? Spiritum ait,qui ex ſola dei dilectione qua nos dilexit, in nos ſuperuenit:neque enim nos propriis bonis operibus ſpiritus gratiam attraximus. *Effuſa eſt.* Pulchrè autem ait dei dilectionem,quę ſpiritus donum eſt,effuſam eſſe,hoc eſt,largiter donatam. *In cordibus noſtris.* Intellectualis enim eſt adorandi ſanctiſsimíque ſpiritus inhabitatio,quęque ſo- B
la mente ac corde compereħnditur.

Chriſtus enim quum adhuc eſſemus infirmi ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt. Nam vix pro iuſto quis moritur : pro bono ſiquidem forſitã aliquis audet etiam mori.

Quum ſanctiſsimi ſpiritus donum dixiſſet transferre nòs Pho.
in deum:tria ponit quæ excellentiam oſtendant amoris dei erga nos,ſimulq́ue probent eius in poſterum prouidentiam ac benignitatem erga homines. Hęc autem tria ex eo ſolo quod ſubiungitur aſſumit, videlicet ab illis circa quæ facta C
eſt amoris demonſtratio. Nam ſunt rurſum & alia ex eo ſumpta qui dilexit, quibus etiam dilectionis excellentia profertur ac conſtituitur:putà virginalem inhabitaſſe vterum,& carnem ex ea ſumpſiſſe,legiſlatorem etiam obſequutum fuiſſe legis præceptis. Deinde contumelias quoque, iniurias & alapas ſuſtinuiſſe: quódque omnium caput eſt, cruce mortem opetiiſſe.Ipſe verò Apoſtolus his quæ ex eo ſumi poterant qui dilexerat, in ſummam redactis, ſoláque interim morte relata diſtinxit illa,quæ ab his ſumpta erant, qui amati ſunt.Hi autem huiuſmodi tractatio in hoc commoda eſt Apoſtolo, vt oſtendat quòd etiam poſthac magis ac magis nobis prouidebit,nosq; tuebitur, & ab omni ira liberabit: tum ea quę prȩſens eſt, vbi id expedire viderit, tũ à futura,quæ verè extrema ira eſt. Tria verò quæ ponit ſunt hęc,Infirmi,inquit,eramus,infirmi verò nõ natura,ſed propria mente ac operatione.Itaque infirmi eramus, mul-

D tóq; nobis opus erat auxilio: ſed & impij eramus: illum qui laturus erat auxilium repellebamus, aliis quidem adorationem attribuentes, ipſum verò iniuriis afficientes, quibus inimici ac hoſtes appeti ſolent. Omnia igitur noſtra plena erant inopia. Nam ſi quum infirmi eſſemus & impotentes, vt ab ægritudine ſurgeremus, multo egebam⁹ auxilio: auxiliatorem verò illatis iniuriis repuleramus, an ne ad extremã indigentiam noſtra redacta erant? Præterea peccatores, inquit, eram⁹, & vita magis ad lapſum trahebat, nec reprimere permittebat. His ita ſe habentibus, quúmque omnis deſperatio adeſſet: tunc bonus ille hominum amator dei filius, & nos dilexit & animam pro nobis poſuit, quòd ſi tunc innumeris malis obnoxios, quíque in omnẽ turpitudinẽ ac E fœditatem incideramus, etiam dilexit nos, & ab infirmitate erexit ac roborauit, ſuo ſanguine pro nobis in redẽptionem tradito: multò magis quum nos ſibi aſciuerit, ac iuſtificauerit, tuebitur, defendet ac proteget: quum neq; ſit neceſſe, vt ipſe moriatur: neque adeò vt prius in infirmitatem ac impudentiam aduenerimus: ſed nec illum repulerimus, exhibentes aliis adorationem. Itaque non oportet in ambiguo ſpem habere de promiſsis, ſed firmam ſpem: & veluti de præſentibus bonis ita gaudere, ac illum glorificare qui promiſit, quíque omnino præſtabit, Dominus nempe ac deus noſter. Non ſolùm enim nos ab ira ſeruabit, ſed & cæleſti gloria dignos habebit. *Quum adhuc eſſemus infirmi, & cetera.* F Poſtquam fidem de futuris ex ſpiritus ſancti dono corroborauit, nunc etiam ex Chriſti paſsione confirmat. Nam ſi pro bono, inquit, viro nullus mori eligeret, conſidera mihi domini bonitatem: pro impiis enim filium peccato dedit. *Secundum tempus.* Hoc eſt opportuna ac conueniẽti temporis occaſione definitóque tempore.

Illuſtrat autem ſuam erga nos charitatem deus, quòd quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò magis ergo iuſtificati per eius ſanguinem ſalui erimus per eum ab ira. Si enim quum inimici eſſemus recõciliati ſumus deo per mortem filii ipſius multòmagis recõciliati ſal-

ui erimus in vita eius. Nõ solùm autem hoc, sed & gloriamur in deo per dominũ nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. A

*Illustrat autem.* hoc est cõfirmat, ostendit. *Multò magis ergo iustificati.* Nam si tunc, inquit, non despexit quum & peccatores eramus. & opus erat, vt proprij etiam morte filij saluos nos faceret, quantò magis nunc nequaquam despiciet, sed saluos faciet, quando neque peccatores sumus, Christi sanguine iustificati, neque iam necesse est filium suum morti tradi. *Ab ira.* A futuro supplicio. *In uita eius.* Neque enim iam necesse est, inquit, vt prius filium suum in mortẽ tradere, sed eo viuente salus erit. Nihil itaque difficultatis, inquit, habet nunc nostra salus. *Non solùm autem hoc, sed & gloriamur.* Ne rubore suffundamur, mœroréque conficiamur, quòd adeò impij fuerimus, vt opus fuerit ad saluandũ nos etiam morte filij dei, subiungit: non solùm, inquit, salui facti sumus, sed & gloriari debemus: itaque gloriamur etiam quòd omnino mortuus fuerit Christus pro nobis quũ impij essemus. Nã id patris erga nos amorẽ apertè manifestat, ꝙ etiã pro impiis filium tradiderit. Porrò eos qui à deo amantur non conuenit pudore suffundi, neque mœrore affici, sed exultare & in deo gloriari. *Per quẽ accepimus reconciliationem.* Hoc est familiaritatem, & quòd nobis reconciliatus sit deus qui ante huius mortem nobis iratus erat. Pho. B C

CAPVT VII.

*Quomodo nos introduxerit ad salutem Iesus Christus factus homo pro terrigena Adam qui ab initio ceciderat.*

PRopterea sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiuit, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt. Nam vsque ad legem peccatũ erat in mundo.

Quũ in superiorib⁹ multipliciter probauerit, & spiritus pręsentia & filij morte nos esse iustificatos, idem etiam nũc ex eo quod rationi consentaneum ac consequens est confirmat. Nam rationabile, inquit, erat eos qui per vnum homi-

D nem peccatores ac mortales facti erant: quandoquidem illius æmulati fueramus inobedientiam: propter vnum hominem, dominum videlicet, saluos fieri, iustificatos ac immortales effectos. ¶ Omnino, inquit, à deo saluabimur, dummodo saltem ipsi velimus: cuius paulò antea datæ sunt euidentes probationes. Sed & propterea, inquit, saluabimur, propter quid? Quia hoc & possibile est, & rationi consentaneum est ac consequens. Sed vnde hæc manifesta fient? A contrario, inquit. Siquidem per vnum hominem & peccatum in mundũ introiuit & mors ipsa, si ergo atrocia hęc facta sunt, possibile etiam est ac cõsequẽs, vt per vnum hominem dominum nostrum Iesum Christum pereant etiam quæ introducta erant sæua mala, ac dentur nobis meliora. Apostolus

Pho.

E autem operibus Adã propositis reliquit ea quæ fecit Christus, dando id ex contrario intelligendum. simul & ista prędicendo, & illa intelligi hic esse possibilia relinquendo. Iccirco præordinauit solùm parabolam quæ intellectum illũ pertraheret. Omnino enim id requirit, vt dicatur: Quemadmodum hoc ita & consequens, id est, sic & illud: sed veluti diximus, eo quòd consequitur per parabolã, ostẽso manifestè illud non posuit, sed nosipsos ad intelligẽdum direxit. *In quo omnes peccauerunt.* In quo Adam, vel per quem Adam: aut, quia propter ipsum, etiam & alij. ¶ *In quo.* In ipso, inquit, Adam simul morimur, quia in ipso simul pecca-

Pho.

F uimus. Et quidem ille originẽ dedit: nos autem sumpta inde occasione malum non prohibuimus, sed potius cooperati sumus, vtque ad maius procederet apparauimus. ¶ Ne quis enim iniustitię deũ accuset, quòd quum Adam deliquerit, omnes moriamur, subiungit: *In quo omnes peccauerunt:* ac si diceret, ipse quidem principium dedit, & causam quòd omnes ad ipsius similitudinem peccauerimus. *Nam usque ad legem peccatum erat in mundo.* Ostendere vult quòd non tantum propter peccatum nostrũ morimur, quantũ per Adam, qui ex inobedientia morti locum dedit, & ait: Erat quidem & ante legem in hominibus peccatum: verùm non imputabatur eis quum nõ esset lex quæ peccatum prohiberet: non imputato autẽ peccato moriebantur homines. Quid ergo? an non manifestum est quòd id fiat propter Adæ condemnationem? ITEM ET ALIO MODO. Quũ dixisset,

Oecu.

Pho.

In quo omnes peccauerunt, ne quis diceret, Et quomodo possibile erat peccare quum nõ esset lex? Nam tu ipse in superioribus dixisti: vbi nõ est lex, ibi nec trãsgressio. Quòd si non sit transgressio, planum est quòd nec peccatum erit. Quomodo ergo mors in omnes pertrãsiit, ἐφ' ᾧ, (hoc est, in eo ꝙ vel quia) omnes peccauerunt? Ne quis ergo hoc dicat, præueniens soluit ambiguitatem & ait ꝙ etiam ante legem erat peccatum: nam perpetrabatur, quod autẽ perpetrabatur non potest non fuisse. Erat ergo peccatum, sed non adeò omnibus imputabatur. Nullus nouerat quantum supplicij luat quisque peccator. Porrò lege ordinante, pœnásque definiente, ac per pœnarum frequentiã illas manifestius constituẽte, & magnitudines peccatorum declarante, omnibus magis nota fiebãt, tam prudenti quàm imprudẽti, iuueni ac seni, mulieri ac viro. Propterea ergo ante legem non eodem modo imputabatur peccatum, & ꝙ non esset definita pœna, & ꝙ magnitudo eorum non exactè cognosceretur, & quia peccantes non sequebatur euestigio pœna. Verùm ꝙ esset peccatum, & ꝙ, licèt cum magna tolerantia & longanimitate, si tamen manebant in peccatis erántq; incurabiles, pœnæ fuerint sequutæ prauas actiones, apertè testatur calamitas Sodomitarum, & ante hanc vniuersale naufragium siue diluuium, aliáq; huiusmodi. Erat itaque peccatum ante legem & imputabatur, sed non ita vt post legem. Vtrumq; ergo bene se habet, ac verum est & quòd pertransit in omnes homines mors ἐφ' ᾧ, (hoc est, in eo ꝙ vel quia) omnes peccauerunt, & quòd vbi non est lex, ibi nec trãsgressio: & solutum est quod aduersari videbatur, per hoc quod dixerit diuinus Paulus, *Nam usque ad legem peccatum erat in mundo, &c.* Præterea, *Sed regnauit mors.* Hoc est, in æquam & iustam potestatem imputata est eius tyrannis: & diuturnitate gloriãs & nostris peccatis robur concipiens. Ab Adam, inquit, qui peccauerat transgressione præcepti per legẽ sibi impositi: mors regnauit, hoc est multa potestate principatum tenuit, etiam super eos qui non ad similitudinem Adam deliquerant. Quandiu? Vsq; ad Mosen. Nam qui inter Adam fuerunt & Mosen, peccauerunt quidem, at non ad similitudinem trãsgressionis Adam. Siquidem definitum ac lege positum dei præceptum transgressus est & deliquit: illi verò peccauerũt

[Margin: A]
[Margin: διὰ τῆς ποικιλασίας]
[Margin: B]
[Margin: *Gene.19. &,7*]
[Margin: C]

D quòd naturæ ſermonem, qui nullo præceptorum vſu inſtillabatur, iniuria affecerint: neq; tamen vel hũc manifeſtè inductum tranſgredientes. Et quidem ad Moſen vſq; ita peccabant: à Moſe verò vſq; ad Chriſti aduentum, ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Adam peccabant. Nam leges ordinatas, & à deo per Moſen datas, tranſgrediendo delinquebãt. Dicens autem, Regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen etiam in eos qui non ad ſimilitudinem trãſgreſsionis Adam deliquerant, nõ eos eximit, qui ab eo tempore ad Chriſtum vſq; peccauerãt. Nã quomodo illos eximeret quũ ſuis trãſgreſsionibus ſimiliores facti ſint peccato ipſius Adam? Non ergo ipſos eximit à regno ac dominio mortis, ſed per hoc quod ait, Etiã in eos qui nõ ad ſimilitudinem Adã deliquerant, abiectione coniunctionis καί, id eſt etiam, illos potiſsimùm ſignificauit. Ac ſi dixiſſet, Non in ſolos eos regnauit mors, qui ad ſimilitudinem Adam deliquerãt, verumetiam in eos, qui non ad ſimilitudinem eius peccauerant. Aut hoc modo dicendum eſt, vt per hyperbatõn intelligamus quod dictum eſt, *In ſimilitudinem* & iuxta hunc tropum explanemus quod dictum eſt, Regnauit mors ab Adam in ſimilitudinem tranſgreſsionis Adam vſque ad Moſen, etiam in eos qui non peccauerunt. Ita ergo ordinando, ſenſum aperire oportet. Vide autem quàm ſe muniat Apoſtolus. Ne in poſterum iniuria affici videamur, quòd propter alium moriamur, dixit, Peccatum erat in mundo etſi non imputabatur. Itaque nõ propter ſolum Adam, ſed & propter noſtrum peccatum morimur.

E

Oecu.

F

Peccatum autem non imputatur vbi nõ eſt lex. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen etiã ſuper eos qui non deliquerunt ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Adam, qui eſt figura futuri.

Eiuſdem

Ego arbitror peccatũ hìc appellari quod fit ex tranſgreſſione legis Moſi ac præceptorum quæ in ea ſunt: putà quòd oporteat circuncidi, ꝙ ſabbathum ſeruare: quod hęc edere, ab illis verò abſtinere. Quũ enim vniuerſaliter & vbiq; peccatum eſſet, & ex hominum natura cognoſceretur, & erat & imputabatur veluti homicidium, furtum, puerorum corruptio: horúmque teſtes ſunt Cain, Lamech, hi qui erant tem-

pore diluuij Sodomitæ. Super his nanque peccatis etiã naturalis lex poſita erat. Creator nanq; hominem ad eſſe producens, tum eorum quæ facta ſunt, tum illorũ quæ ſunt æterna, naturalem quandam indidit cognitionẽ. Aiunt autem patrum quidã inter quos eſt & Gręgorius, in hominis creatione mandatum illud Adæ traditũ, ne de ligno ſcientiæ boni & mali ederet, etiam legem fuiſſe, quæ in vniuerſum hæc peccata prohiberet: lignum enim quod ſcientiã boni & mali efficeret peccatum eſſe intellexerunt. *Sed regnauit mors ab Adam.* Debito ordine ſumpta, tranſgreſsione Adam, Moſen appellat omne vetus inſtrumentum: ſicut ibi, Si Moſen non audiunt. Tempus itaque vſque ad Chriſti aduentum dicit Moſen. Ait ergo quòd vſque ad vetus teſtamentum habebat mors dominiũ: nunc enim in nouo per Chriſti gratiã diſſoluta eſt, ac dei noſtri ſanguine euerſa, Non peccãtes autem dicit eos qui fuerunt ante legem. Nõ quôd hi qui legẽ præceſſerant non peccabant. Siquidem illi magis delinquebant, quàm hi qui legem ſequuti ſunt: ſed ob cauſam quam ipſe prędixit, quod peccatum quidem erat, & ab hominibus perpetrabatur, ſed illis nõ imputabatur, eo quòd lex nõ eſſet quæ peccatũ vetaret. Quoad hoc ergo quòd nõ imputaretur peccatum ante legem. (Nam peccatum, inquit, no imputatur vbi non eſt lex) ſine peccato erant qui tunc viuebãt homines etiã ſi peccabant, *Qui eſt figura futuri.* Qui, inquit, Adã erat figura eius qui venturus erat, hoc eſt Chriſti, Quonam modo? Sicut morte Adã omnes moriebãtur, ita Chriſti morte omnes viuemus & reſurgemus. Figura ergo ex aduerſo congruit. Quemadmodum ille iis qui à ſe deſcenderent, etiã ſi de ligno non ediſſent, fuit cauſa mortis quæ per eſum inducta erat, Ita quoq; Chriſtus ſe ſequentibus, etiam ſi iuſta non egiſſent opera, iuſtitiam conciliauit, Tria ſunt in his quæ parabolicè ſibi inuicem reſpondent: puta ſimilitudo quædam, cõtrarietas, & exceſſus in ſimilitudine. Cõtrarietas quidem Peccatum & Carẽs peccato, inimicitia aduerſus deum, & reconciliatio erga deum, condemnatio & iuſtificatio: perditio, caſus, mors, ſalus & reſurrectio cũ vita: itaq; in his eſt cõtrarietas. Porrò ſimilitudo, Sicut per vnũ, mala omnibus contigerunt, ita per vnum bona omnibus euenerũt. Exceſſus verò, quia in malis multi ſunt vni coope-

Margin notes: A; Luc. 16.; B; Oecu.; C; Iohannis.; Pho.

D rati vt participes essent malorũ, in bonis autem nullus cooperatus est, sed vnius Iesu Christi donum fuit. Itaque non similiter & ex ęquo, sed per excessum & abundantiam est similitudo. Rursum nõ solùm mala hæc quæ inducta erãt per Adam, perempta sunt, quòd veluti in contrariis similitudo erat ac proportionabile, verumetiam addita sunt à Christo dona, quod excessum ac abundantiam profert: Ideo ait, *At non sicut peccatum*. Et vide quid dicat: Si adeò validum est, inquit, peccatum Adam (quanquam debile ac multò imbecillius dei dono) vt etiam non peccantes occideret: quantò amplius maiores habebit vires dei donum, vt his etiam qui bona non egerunt opera, vitam conferat eósque suscitet.

E At non sicut peccatum, ita & donum. Nam si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia dei & donum in gratia, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi in multos exuberauit.

Vult ostendere quòd maiora præstiterit Christi gratia quàm peccatũ Adam effecerat: id autem quomodo? siquidẽ ea quæ effecerunt videmus æqualia, quanquã contraria sint illa quę effecta sunt. Quemadmodum enim Christi obediẽtia vitam ac resurrectionem in omnes transmisit: simili modo & Adam inobedientia mortem in omnes trãsmisit. Quomodo ergo ait, *Non sicut peccatum ita & donum*? Quia etsi ita sese res habeat quemadmodum dixisti, maius est quod effecit gratia dei. Nec secundum hoc maius dico quod posset quispiam existimare, quòd vita maior & excellẽtior sit morte: sed ꝙ reipsa ac efficacia maius operata est Christi obediẽtia, ꝗ transgresio Adam. Quonam modo? Quia mors sumpto quidem ex Adam principio, cooperans habuit nostrum omnium peccatum, vt aduersum omnes præualeret: alioqui enim non præualuisset, si puri ab omni sorde mansissent homines: Christi verò gratia, etiã sine nostra cooperatione, ad omnes peruenit: idque manifestũ facit gratia resurrectionis quæ non in solis duntaxat fidelibus effectã habebit, qui fidem videntur contulisse: verùm in incredulis quoq;, putà Iudęis ac Græcis. Maius ergo est quod à nobis non expetit auxiliũ illo quod nostra indiget cooperatione vt habeat efficaciã. *Nam si unius delicto*. Quũ dixisset Adam figurã fuisse

Oecum.

F

Christi, figurã videlicet ex cõtrario ( nam sicut ille homini- A
bus fuit causa mortis, ita Christus hominib⁹ fuit causa resur Pho.
rectionis.) Vbi ergo dixit ꝙ Adã erat figura Christi( vt diximus) quia hoc probaturus est, nõ similitudinẽ tantùm demõstrat ac figuram, sed etiam eum qui erat in figura ac similitudine, excessum & abũdantiam. Ostendit enim hoc ex eo quod ait, At non sicut peccatũ. Rursumq;, Et non sicut per vnum qui peccauit. Quia ergo confecit Apostolus argumẽtum, dissimilitudinẽ quodãmodo in similitudine implicãs, vt ostẽdat quomodo id factum sit: nunc quidẽ idem repetit, simpliciter tamen ostẽdit similitudinẽ, nec permiscet, quod ad verba attinet, aliquã dissimilitudinis pugnãtiam. Deinde vbi manifestè hoc & purè demõstrauit, addit ꝙ sicut per vnum regnauit mors, multò magis in vita regnabũt per vnũ Christum: tanquam concludẽs, & sermonem ad id quod adhuc manifestius est, ac cõtractius reducens: & ait, Itaq; sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem B
& c. Deinde quia & in primo cõpositóq; argumẽto, & in secũdo repurgatóq; ac repetitorio, & in eo quod in modũ conclusionis allatum erat, mentionem de peccato & gratia fecerat, condemnatione ac dono, iustificationéq; ac simili: quia correspondentia hæc nondum indicata erat: hoc ipsum nũc aperit & manifestat ac dicit, ꝙ ea quæ erant ex inobedientia, effluxerũt: quæ verò ex obedientia, floruerũt. Sit itaq; hæc cõpositio argumenti quòd figurã ac similitudinem confirmat, quũ dicit, Etenim si per vnius delictũ mors &c. Nõ ergo rursum in his idem repetit diuinus Apostolus, sed planè admodũ & exactè complectitur ac componit vim capitum. Illud igitur, At non sicut delictũ &c. ad eum vsque locum, Ex multis delictis ad iustificationem, argumentum est C
vt diximus, figuræ ac similitudinis demonstratiuũ, sed quodammodo implicatũ, & per dissimilitudinem compositum: Indigebat ergo manifestatione ac repurgatione, ídque facit sequens argumẽtum, quod dictũ erat, repetẽs ac repurgãs, deferénsq; ad maiorẽ lucem. Sed & hoc dignitatem sumere oportuit, & non tantùm ex hypothesi procedere. Neq; hoc negligit, sed quasi terminans & sermonis veritati confidẽs, per confirmationem enuntiat, Itaque sicut per vnius delictũ & c. Deinde quia nusquam in his argumentis dixerat vnde

D principium haberent iustificatio ac condẽnatio:ne hoc quidem negligit, sed addit, dicens, Sicut enim per inobedientiam &c. *Multò magis gratia dei & donum in gratia, quæ fuit unius hominis Iesu Christi.* Non solũ, inquit, gratia patris, verumetiam filij. Hoc autem confirmatiuũ est potentię. Nam gratia, inquit, patris ac filij. Vbi autem pater ac filius, planè manifestatum est ꝙ & spiritus sanctus omnes saluare potest.

Et non sicut per vnũ qui peccauit, ita & donum. Iudicium siquidem ex vno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationem. Nam si vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis ii qui exuberantiam gratiæ &
E donũ iustitię accipiunt in vita, regnabũt per vnum Iesum Christum. Itaq; sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Sicut enim per inobediẽtiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per obedientiam vnius, iusti constituentur multi.

Et non sicut peccatum Adam, inquit, ita fuit & donũ dei: sed maius fuit donum: quomodo? Etenim iudicium, hoc est, condemnatio ex vno Adam ad omnes peruenit homines: gratia verò & donum tantò maiores habuit vires, vt ipsum quoque peccatum Adam expurgaret: nec illud solùm, sed &
F reliqua hominũ peccata, quibus post illud peccatũ deliquerant. Neque id tãtùm verũetiam ad iustificationem, id est, iustitiã omnes adduxit: multũ autẽ interest inter obliuionẽ peccatorũ & iustitiam. Literæ verò ordinatio est. Et non ita est donũ sicut trãsgressio & peccatũ ꝑ vnũ qui peccauit, sed donũ, inquit, multò maius. Nã *si unius delicto mors regnauit.* Rursum idẽ cõfirmat: & ait, Si enim peccato Adã mors regnauit per vnũ ipsum, multò magis nos accepta gratia, donóq; ac iustitia, non subiiciemur morti, sed viuemus. *Multò magis ij qui exuberãtiam gratiæ.* Exuberãtiã, dicit abũdãtiam. Id autẽ confirmatiuũ illius est ꝙ omnino in vita regnabũt, quũ etiam gratia nõ parcè neq; ad mẽsuram data sit, sed ex-

uberanter. ALIO QVOQVE MODO. Non solùm vt viuamus data est gratia dei, peccatúmque peremptum, simul & supplicium sublatum: verumetiam vt filij dei efficiamur, & Christi cohæredes: patrísque hæredes, ac eiusdem cum filio corporis, aliáque innumera bona consequamur. Propterea dicit, Qui exuberantiam gratiæ accipiunt. *Itaq; sicut per unius delictum.* Rursus eodem decertat sermone. Quia enim admirandum videbatur, nempe quòd vita & dono ac bono opere vnius Iesu Christi omne genus hominũ saluaretur, idcirco frequenter idem astruit. *Sicut enim per inobedientiam.* Hoc ipsum denuò repetit argumentum. *Peccatores constituti sunt multi.* Hoc est, morti, supplicióque obnoxij: eo ꝙ seriè ac ordine in omnes qui eius essent generis transeat peccatum progenitoris: quum omnes imitatione quadam ac successione idem perpetrarent. *Ita & per obedientiam unius.* Patri siquidem fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. A B

Lex autem obiter intrauit vt abũdaret delictum. Vbi autẽ exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia. Vt queadmodum regnauit peccatũ per mortem, ita & iustitia regnaret per iustitiam ad vitam æternã per IesumChristum dominũ nostrum.

*Lex autẽ obiter intrauit.* Id dicit quod factũ est: nec tamen legem ait causam fuisse peccati: acsi diceret, Lex autem obiter intrauit, & abũdauit delictum. Nam hoc in operibus apparuit & actionibus. Simul etiã per modũ obiurgãdi ad Iudæos dictũ est ad illos enim sermo dirigitur: & illi de lege immodicè afferebantur. Obiurgando ergo obscurè indicat ꝙ frustrà de lege adeò extollerentur, quod enim ad vestra, inquit, spectat opera, lex obiter intrauit vt abundaret delictum. Hoc autem nunc dixit, quia calamitatum meminerat, quæ ex Adam prouenerant, & horum liberationem solùm dixerat esse saluatorem effectum. Ne ergo dicant, Quid igitur? nihil profuit lex ad horum liberationem? Hoc itaq; ponit, ꝙ non solùm nihil nobis contulit, sed quantum ad vos attinet, illud quoque delictum abundare fecit. Porrò quod ait, Obiter intrauit, tẽporalem significat eius durationem. C

D *Vt abundaret delictum.* Legis gloriam euertit: nam aduersus Iudæos illi certamen erat, & dicit, Non solùm vos nihil iuuit lex, verumetiam ex transgreßione auxit peccata. Coniunctio ἵνα, id est, vt, nō ponitur causaliter, sed quo pacto cō tigerit, manifestat: neque enim propterea data est lex, vt abundaret peccatum, Absit: imò vt saluaret & instrueret, tamen non obseruata auxit peccatum: non ex propria natura, sed propter illorum segnitiem ac transgreßionem, qui eam non obseruauerunt. ITEM alio modo. Hoc simile illi est, quod in epistola ad Galatas habetur, Lex propter transgresßiones addita fuit. Siquidem coniunctionem ἵνα, id est, vt, posuit etiam iuxta idioma. significat enim aliud consequutum esse. Nam in omnibus qui post Adam fuerunt, imò & in ipso etiā Adam data lege abundauit delictum. Etenim quātò plura sunt præcepta, tantò etiam eorum qui illa transgrediuntur plura sunt peccata. Lex ergo quæ multa dedit præcepta, transgreßionibus abundauit. *Vbi autem exuberauit peccatum.* Ne ideò, inquit, terrearis ꝙ abundauerit peccatum. Siquidem hominum trāsgreßione ad id vsus est deus, quod decens fuit & vtile: his qui omni destituebantur consilio remedium excogitans. Ex hoc enim gratia per Christum maior multóque desiderabilior facta est. qua ita communicata, magis addita est fides. Ex abundantia itaque peccati non abundauit suppliciū, sed potius salus facta est amabilior: non solū enim à peccatis liberauit, sed & bona dedit innumera. *Regnauit peccatum per mortem.* Etenim peccatum regis munere fungebatur, mors verò militis ac ministri ἐν τῷ θανάτῳ, hoc est, διὰ τοῦ θανάτου per mortem. *Ita & iustitia regnaret.* Siquidem gratia & dei gratia ac iustitia maioris est efficaciæ, quàm peccatū & mors. Ex abundātì tamen dixit Apostolus, Ita regnaret. *Per iustitiam ad uitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum.* Per Christi videlicet iustitiam. Ordo autem est: per iustitiā quæ per Iesum Christum perfecta est & transacta.

Gēnadij.

Gal.3.

E

F

Pho.

Cap.6. Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abundet? absit, Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac viuemus in ipso?

Quid ergo, inquit, per ea quæ dicta sunt, consequentiæ

nobis erit ad talia verba? & qualia sint, subiungit, *Manebimus in peccato?* Quādoquidem superiùs dixerat: vbi autem exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia: ne insipientibus exhortatio ad peccatum videantur ea quæ dicta sunt, aufert illa. *Absit*, inquit, ꝙ in his quæ apud omnes absurda habentur dicere consueuimus, *Qui mortui sumus peccato, &c.* Vel quòd ex eius parte mortificati sumus: quomodo ergo fieri potest, vt ex eadem parte & viuamus & mortificati simus? Vel quia mortui sumus peccato, quum Christo credidimus, baptizatiq; sumus, Non ergo oportet, inquit, eos qui salutarem mortificationem passi sunt, mala peccati vita viuere, peccato autem mortificati sumus. Quonam modo? vt illi, inquit, non obtemperemus. A

CAPVT VIII. B

*De bonorum operum actione, quæ fidem debent comitari.*

AN ignoratis ꝙ quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus ei per baptismū in mortem: vt quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam patris: ita & nos per nouitatem vitæ ambulemus. Nam si complantati facti sumus similitudine mortis eius, nimirum & resurrectionis erimus.

*In mortem ipsius baptizati sumus.* Vt similiter ad mortem ipsius moreremur. Vel vt illa perfecta ac vtilissima appareat: hæc autē in baptismate contingunt. Nam baptizati peccata deponimus: quod Christi mors cœpit efficere. Etenim pro nostris mortuus est peccatis, volens nos ab his reddere liberos. Mors itaque Christi operata est nostrorum depositionem ac mortificationem peccatorum, & quantum in ipsa erat, omnino diremit & alligauit. Sola ergo nunc requiritur fides nostra, animus ac voluntas. Hæc autem per baptismum demonstrantur: quo peracto planum fit, quātùm Christi mors nostrā promouerit salutem. Bene ergo ait, In mortem Christi baptizati sumus, putà vt similiter propemodū mortui ad mortē ipsius, peccata in baptismate sepeliamus. C

D Vtque manifestius fiat lucrum salutaris mortis ipsius per omnes demonstratum esse, dummodo nos ad hæreditariam salutis possessionem animum, voluntatem ac fidem conferamus, increpatorio vsus est sermone, interpretans quomodo peccato mortui simus, & dicit, An ignoratis quòd quicũque in Christum baptizati sumus, in hoc baptizati sumus, vt ipsi quoque moriamur? mortem enim baptisma imitatur. Nam hoc significat quod ait, *In mortem ipsius baptizati sumus.* Quanquam enim baptisma mors non sit corporalis, peccatorum tamen mors esse dicitur. *Per baptismum in mortem.* Quãdoquidem vbi baptizamur, fatemur nos mortuos esse mundo, ac renuntiasse peccato & diabolo. *Christus surrexit per gloriam patris.* Persuasibilem facit resurrectionem

E per gloriam eius qui excitauit, Bene ergo patrem ait excitasse. Nam cũ his qui adhuc paruuli erant, sermo ipsi erat.

Theod. Gloriam autem patris vocat Christi diuinitatem, hoc est, per propriam diuinitatem. Nam & alio loco dicit, Vt deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ. Consequens autem

*Ephe.1.* erat vt diceret, Ita & nos resurgemus: sed ad conuersationem vitæ descendit, aliam à nobis expetens resurrectioné, quæ est per bonam morum conuersationem, in qua peccatum mortuum est, vita verò resurgit virtuti cõformis. Nam dum adulter deinceps adulteriũ amplius non perpetrat, neque raptor iam rapit, hoc vitæ nouitas est. ITEM ET A-

Pho. LITER. Nouam oportet esse vitam fidelium, quæ nullum veteris peccati contrahat contagium. *Nam si complantati.*

F Similitudinem ostendere conatur inter nos ac Christum, & ait, Si complantati siue participes facti sumus mortis. Ob hoc autem complantatos dicit, quòd quéadmodum corpus dominicum in terra sepultum, salutem mundo produxit, ita & nostrum, inquit, in baptismate sepultum nobisipsis iustitiam

Pho. produxit. Metaphorica dictio est, Complantati ab arboribus iuxta similitudinem sumpta, quæ simul ad se inuicem plantatæ sunt. Itaque complantati, ait, facti sumus similitudine mortis eius, hoc est, commortui sumus ipsi. Propriè autem vsus est tropo. Nam sicut planta aliquo tempore veluti mortificationem quandam patitur, deinde protinus reuiuiscit ac reuirescit: ita & corpus dominicum ad breue tempus in sepulchro positum, inde repente effloruit, orbiq; sa-

lutem germinauit. Nos quoque dum baptizamur etiam sepelimur: & quodammodo veluti plantæ in terra, ita & nos in aqua morientes, repente virentes, nostrámque salutẽ pullulantes, ascendimus. Pulchrè autem dixit Complantati similitudine mortis, non morte: mortis enim similitudinẽ habemus in baptismo. Nam tres baptismi immersiones, & emersiones mortem ac resurrectionem significant. Similitudo mortis est Christi mors, eo ꝙ in morte non manserit, sed tertio die reuixerit. Et rursum, Passio erat in Christo mortis similitudo, idque conuenienti admodum iure: reuixit enim nec mortuus permansit. *Nimirum & resurrectionis erimus*. Cuius resurrectionis? Eius nimirum quæ nobis continget vbi resurrexerimus. Et vide dei bonitatem. Morte quidem domini quasi per similitudinem mortui sumus, resurrectionem autem verè participamus. A Cyrilli. Oecum. B

Et scientes ꝙ vetus noster homo simul crucifixus est, vt dissolueretur corpus peccati, vt deinceps non seruiremus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cũ Christo, credimus ꝙ etiam viuemus cum eo.

Dicit consequenter quomodo nobis continget gloriosa resurrectio. & ait, Hoc scientes, ꝙ vetus noster homo (hoc est, condemnata vita) simul cum Christo crucifixus est per baptismum: in eum, inquit, finem vt dissoluatur corpus peccati, id est, vt prauæ actiones mortificationem sustineant, quas etiam corpus peccati appellat. Vetus, hoc est, in peccatis inueteratus. Hîc ergo quum baptizamur, simul cum Christo crucifigitur ac moritur: & à baptismate noui ac recenter nati ascendimus, omni inueterato homine deposito, & corpus aboletur peccati, in quo firmatus erat, & sub quo formam acquisierat vetus noster homo hoc est, vita nostra peccatis inueterata: Hominem autem hunc appellat, significans hominum habitum ægrè separabilem ac diuturnum. Huic enim ante domini aduentum, ac dispensationem adeò conglutinati erant homines, vt ne homines quidem esse vellẽt, separata penitus voluptuosa conuersatione, intemperatísque actionibus. Hanc itaq; vitam cui homines adeò cohæserant, simúlque permixti erant, nec ab ea dis- Pho. C

D trahi poterãt, increpatorio modo hominem appellauit, hoc est, quàm vt nosipsos imò ampliùs, quàm nosipsos & amabamus & amplectebamur. ALIO PRAETEREA MODO.

Theod. Veterem hominem non naturam vocauit, sed prauam mentem. Hanc autem dixit in baptismate morti traditam. *Vt dissolueretur corpus peccati.* Ad hoc, ĩquit, vt aboleretur ac mortificaretur, vt deinceps non incideret in peccatum. Mortificationem autem dicit quoad peccare, vt sit mortuum, mortuus siquidem nõ peccat.

Pho. Corpus peccati per periphrasim dicitur ipsum peccatum, hoc est, totum ac penitus otiosum, & inutile deinceps dicatur. Quo autem modo aboletur, dũ eo non vtimur. Deinde modum quoque ipsius vsus asperè ostendit, & per modum improperij: vt deinceps non seruiamus

E peccato. Siquidem vsus peccati facit nos seruos peccati.

Cyril. Abolitum est corpus peccati, id est, ingenita illi motuũ ferocitas: mentẽ semper ad turpia concutiens, ac voluptates plusquam terrenas quasi luto immittens. Et hoc inferiùs dicit. Nam quod impossibile erat legi, in eo in quo imbecillis

*Infrà* 8. erat per carnem, pater, misso filio suo in similitudine carnis peccati, de peccato condemnauit peccatum in carne. Vides quomodo corpus peccati sit abolitum? cõdemnatus est enim in carne peccati stimulus: & primùm quidẽ in Christo morti datus est: verùm ab illo & per illum etiam ad nos transiuit gratia. *Etenim qui mortuus est, &c.* Vides ꝙ quoad peccandi actũ oportet nos esse mortuos. Etenim qui mortuus est, inquit, iustificatus est, hoc est, à peccato liberatus est, seseq́;

F in libertatem asseruit. Quidam autẽ de baptismate hoc acceperunt, in quo consepulti sumus Christo, eo ꝙ non sit aliud baptisma, sicut nec Christus iterum postea mortuus est, cui consepulti sumus, simúlque resurreximus. *Quòd si mor-*

Pho. *tui sumus cum Christo.* Si autem in nouitate vitæ ambulauerimus, sanè etiam resurgemus sicut Christus ex mortuis surrexit. Nam hoc consequens est ad id quod dictum erat: ipse tamen quum ad prædicta adduxisset vitæ rationem, quam oportet resurrectionem pręcedere: id quod necessariò consequebatur intelligendum reliquit. Deinde in sequentibus manifestè resurrectionem prædicat, & ait, Si mortui sumus cum Christo, sicut certè mortui sumus per baptismum: credimus ꝙ simul etiam viuemus cum ipso, videlicet beata illa

ac im-

ac immortali vita, quæ post resurrectionem erit. Debemus, A
inquit, credere quòd etiam simul viuemus cum eo. Quod er
go dicit, Credimus, adhortationis est & consilii.

Scientes quòd Christus qui resurrexit à mortuis, nõ amplius moritur: mors illi nõ amplius dominatur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autẽ viuit, viuit deo. Ita & vos existimate vosipsos mortuos quidem esse peccato, viuẽtes autem deo per Christum Iesum dominum nostrum.

Et vnde, inquit, manifestum est, quòd simul viuemus cum B
ipso? Etenim hoc etiã, an ipse Christus qui surrexit, rursum moriatur incertum est? Absit, inquit. Nam hoc indubitatũ esse oportet, quòd Christus non amplius morietur: propter ea enim mortuus est, vt mortem cassaret. Quomodo enim moreretur propter quem cæteri quoque pariter viuemus? tota simul morte remissa in Christo, qui est primitiæ nostrę. *Quòd enim mortuus est peccato.* Et intantum, inquit, nõ amplius morietur, vt illud quoq; quòd semel mortuus est, nõ tãquam morti obnoxius id passus est sicut cęteri homines, sed ob mundi peccatum, vt illud de medio auferret, morti que traderet. *Viuit deo.* Hoc est veluti deus sine cessatione, sine dissolutione: sicut enim intelligitur Peccato, id est propter peccatum, ita quoq; intelligitur deo, hoc est, propterea quòd sit deus. Et ita accipies quemadmodũ dicimus de homine nobis cognito ac familiari: Mortuus est carne, viuit autem spiritu (sermonẽ auferendi casu reddentes, veluti Græci dandi casu) Ita mihi intellige: Viuit deo, id est eo quòd sit deus. Non quòd per esse animæ non viueret, sed quòd firmius est posuit, puta quòd ipse sit deus. *Ita & vos existimate.* Ne dicerent. Et quid ad nos si mortuus semel Christus nõ amplius moriturṡ ait: Ita & vos existimate vosipsos. Quomodo? quòd semel quidem propter peccatum moriemini, viuetis autẽ deo. Etenim per ipsum viuimus & mouemur ac sumus, quemadmodum etiam alibi dicit. Vel hoc modo. Sicut Christus, inquit, mortuus est & viuit, ita & vos existimate vosipsos oportere quidẽ mortuos esse quoad peccandum: Viuentes autẽ ad ea quæ dei sunt per Iesum

Oecu.

Eiusdem

C

Acto.17.

D Christum, hoc est auxiliante Christo. *Per Christum Iesum.* Nam per mortem ipsius est vita nostra.

Ne regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis illi in concupiscentiis eius. Neque exhibete mẽbra vestra arma iniustitię peccato sed exhibete vosmetipsos deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ deo. Nã peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege sed sub gratia.

Itaq; mortuos esse vos oportet quoad peccatum, ne vin-
E cat, inquit, vos peccatũ. Bene autem additur In mortali cor-
Theod. pore. Nã vt plurimũ peccatũ per corpus exercetur. Ne regnet vt illi pareatis: hoc enim est subesse imperio. Regnũ autẽ in hoc differt à tyrannide: ꝙ tyrannis geratur nolentibus subditis, regnum verò volẽtibus his qui gubernantur. Admonet igitur ne vnquam cũ peccati dominatu paciscamur. Siquidem huius regnũ dominus sumpta carne dissoluit: & tanquam mortalibus adhuc & passibile corpus habentibus legem ferens, ea stabilit quæ nostræ imbecillitati cõmensurãtur. Nec dicit: Non exerceat tyrannidem, sed Nõ regnet. Tyrannidem nãq; exercere, illius propriũ est: regnũ autẽ pati, nostræ mentis est. Motio enim ac turbatio affectuum
F iuxta naturam nobis accidit, eorũ verò quæ prohibita sunt operatio à nostra mente dependet. Quandoquidem, inquit, mortui sumus, ac nostrũ corpus peccato mortuũ est, ne rur-
Pho. sum peccati vita illud viuere faciamus: neque tales efficiamur, vt in ipso quod mortale, siue mortuum factum est per baptismum, regnet peccatum. Quid est autem regnare in nobis peccatum? explere desideria corporis. Ipsos autẽ in hoc consolatur quòd ait: Mortali corpore: ostendens quòd temporalis sit lucta aduersus peccatum: siquidẽ corpus tẽporale est. *In concupiscentiis eius.* Putà corporis. *Neque exhibete membra uestra.* Ac si diceret: Ne perficiatis. Corpus enim ducitur quocunque quis duxerit. Potest nãque facere quispiã manum instrumentum ad eleemosynam, similiter & ad rapinam: linguam ad benedicendum & maledicendũ, & ita de omnibus mẽbris. *Arma iniustitiæ.* Bene peccatũ vocauit in-

iustitiam. Siquidem per illud quisque vel sibiipsi iniurius est vel proximo. *Sed exhibete uometipsos deo.* Ex vocibus interim sumitur sententiæ discrimen. Nam sicut dicitur. Ne quis seipsum exhibeat peccato, sed deo. Ita exhibete, inquit vosipsos deo, sicut dignum est: quia vos peccatis veteribus mortuos, siue mortis dominatu pressos viuificauit. Vel, sicut æquum est illos exhibere seipsos, qui tãto beneficio affecti sunt: vt ex mortuis ac corruptis affectibus liberati, vitæ restituti sint. Et *membra uestra arma.* Qui enim ad arma iustitiæ mẽbra exhibet, deo seipsum exhibet. N*am peccatum uobis non dominabitur.* Siquidem ne sit vobis bellum peccati in excusationẽ, imbecille, nũc est peccatũ, nisi vltronei nosipsos illi subiiciamus, sed oppugnat quidẽ, verùm non dominatur. Quomodo itaque hactenus dominatum est? quia sub lege erant qui ipsius dominium sustinebant tempore legis: quæ denuntiabat quidem peccati actiõnẽ, non tamẽ addebat vires, vt illud vincerent ac superarẽt. Nos verò sub gratia sumus: quæ non solùm illa suadet ac statuit quæ oportet, sed & vires addit, & ad illorum actionem auxilio est: nec id tantùm, sed & perpetrata à nobis antea peccata delet. Quod est autem peccatum, quod nõ dominabitur: Illud videlicet quod præcessit baptisma, & à Christi gratia deletur: Hoc autẽ lex facere non potuit. Non ergo estis, inquit, sub lege quæ liberare non poterat, sed pœnas magis inferebat.

A

Pho.

B

C

Quid ergo? peccabimus quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quòd cui exhibetis vosipsos seruos ad obedientiam, eius serui estis cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? Gratia autem deo quòd eratis quidem serui peccati, sed obedistis ex corde in eam in quam traducti estis formam doctrinæ.

Ne segnis fiat auditor cui nõ dominatur peccatũ, eo quòd sit sub protegente gratia, firmat illum. Nisi nosipsos, inquit, peccato inclinauerimus, nequaquã ab illo capiemur. Quomodo? Quia non sumus amplius sub lege, quæ peccatum quidẽ prohibebat, sed ab eo liberare non poterat: sed sub Christi gratia quæ remissis prioribus delictis, in futurum etiã cu-

D ſtodit,niſi nos ſegnes efficiamur. *An neſcitis quòd cui exhibetis uoſipſos.* Cui rei per obedientiã voſipſos ſeruos exhibetis, hoc eſt facitis,demonſtratis,redditis: huic etiam in poſterum vos ſeruos ſtatuetis, voluntaria nempe ſeruitute ab obedientia præſtita,ſiue ſit peccatũ quod ducit ad mortem, ſiue ea quæ verè obedientia eſt, & ad iuſtitiam manuducit. Aut potius: Cui exhibetis,hoc eſt, in quo & ſecundum quẽ modum,putà quòd in hoc & ſecundum hunc modum ſerui eſtis vel peccati vel iuſtitię,ſecundum quem & in quo alteri illorũ obeditis.Ne quis enim dicat:Quomodo poteſt quiſpiam horum fieri ſeruus?modum ponit,dicẽs:*Cui exhibetis.* Non dico,inquit,Gehennam, neque exiſtẽtes ibi carceres. an non pudor ipſe ſufficiens eſt qui vos refrenet,quòd voſ-

Pho.

E ipſos,in ſeruitutẽ ſub peccato redigitis, quum ſub Chriſto libertati ſitis reſtituti? *Eius ſerui eſtis.* Illius,inquit,rei ſerui eſtis cui obeditis. *Siue peccati ad mortem.* Siue peccati quod ducit ad mortem,ſiue obedientiæ erga deum quæ ducit ad iuſtitiam.Repete,Serui eſtis. *Gratia autem deo.* Incuſſo,illis terrore,per ſeruitutẽ peccati ac mortem,quæ ex hac procedit,dei ſuggerit beneficia:& illos cõſolando,& facilitatem oſtendendo ad ſalutem. *Sed obediſtis ex corde.* Nullo, inquit,vim inferente aut cogente.Hoc verò illorum etiam encomium eſt. *In quam traducti eſtis.* Deinde vbi dixiſſet ſpontaneam fuiſſe illorum promptitudinem, conſequenter dei quoque ponit auxilium. Siquidẽ vos,inquit, voluntarij

F obediſtis, deus autem vos in hanc doctrinæ formã tradidit, Quam? vt rectè ac ſanè circa Chriſti dogmata viuere cupiatis.Formam autem doctrinæ dicit terminum ac regulam.

Cęterum liberi facti à peccato,ſerui facti eſtis ipſi iuſtitiæ: humano more loquor propter infirmitatẽ carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruientia immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruientia ipſi iuſtitiæ ad ſanctificationem. Quum enim ſerui eſſetis peccati,liberi eratis ipſi iuſtitiæ. Quem igitur fructum habebatis, tunc in his de quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorũ mors. Nũc verò libe-

ri à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum A
vestrũ in sanctificationẽ: finẽ verò, vitã æternã. Sti
pẽdia enim peccati mors: donum autem dei vita æ-
terna, per Christum Iesum dominum nostrum.

Non solùm deus, inquit, liberauit vos à peccato, sed & iu stitiæ subdidit. *Humano more loquor.* Humano, inquit, more Pho. loquor dicens, Serui facti estis, neque enim id iuxta rei veritatem seruitus est, secundum iustitiam videlicet conuersari: sed hoc vera libertas est ac fœlicitas. Cur ergo illam vocas seruitutem si non est seruitus? propter infirmitatem ait, carnis vestrę, hoc est quia aduersari videtur sensus carnis, & circa initia grauari ac tristari ad præcepta iustitiæ: propterea considerans infirmitatem ac tristitiam, quæ à carne vestra B procedit, humano more illud appellauit seruitutem. Siquidem quum dolentes ac inuiti quippiam facimus, solemus illi tyrannidis ac seruitutis nomẽ affigere, Ita ergo & Paulus dicit, Humano more loquor hoc, Serui facti estis ipsi iustitiæ. Deinde illud quoque ex contrario confirmat. Sicut enim, inquit, ea quę immunditiæ sunt operantes, serui eratis immunditiæ, ita quæ iustitiæ sunt perficientes, nõ immeritò serui vocari potestis iustitiæ. Simul autem hoc etiam per modũ exhortationis subiunxit. Si enim vos non puduit seruos esse immunditiæ, an non etiam gloriabimini ꝙ digni sitis habiti, qui iustitiæ serui sitis? Deinde hoc alio quoque modo confirmat: & procedendo ostendit huiusmodi serui- C tutis dignitatem, concludens ꝙ hæc seruitus efficiat dei seruos, qua re quid potest esse liberius aut fœlicius? Etenim dicit, Nunc verò liberi facti à peccato, serui autem facti deo, &c. Aut, humano more loquor, si per hyberbaton intelligatur, vt ad id quod sequitur iungi debeat: ita nunc exhibete membra vestra seruientia ipsi iustitiæ ad sanctificationem. Quod si ita exponatur, significare potest. Mediocrè quiddã dixi ac humile quum hæc dicerẽ. Nam absolutè loquens dicere potuissem. Exhibete membra vestra seruientia ipsi iustitiæ, non veluti ipsi peccato, sed multò studiosius. Nunc autem propter vestrã, inquit, imbecillitatem ita depressè ac modestè dixi. Vel, moderatum quiddã loquor ac pusillum, neque supergrediẽs naturæ imbecillitatem, adhortationem

D naturæ attẽpero: noui enim qui in mortali corpore moueantur affectus. *Carnis uestræ*. Non dixit, Voluntatis aut cõcupiscentiæ, quod illorum iniquitatem ostendisset, sed Carnis ait, quod præter mẽtem illorum fiebat. Hoc autem dicit efficiens, ne sermo durè accipiatur. *Sicut enim exhibuistis*. Multò maiorem oportebat exhibere seruitutẽ Christo ac iustitiæ quàm exhibueritis immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: tamẽ propter carnis inbecillitatem solùm æqualẽ repeto. Quod autem dicit. *Ad iniquitatem*, hoc est ad amplius peccandum: quasi diceret, Etiam inflãmabamini vt magis ac magis peccaretis. *Quum enim serui essetis peccati*. Quum in peccato viuebatis, soli peccato obtemperabatis, sic vt nihil omnino boni ageretis. hoc enim significat Liberi eratis ipsi

E iustitię. hoc est, in nullo eratis ipsi subiecti, & nunc itaq; quũ ad iustitiam trãsmigraueritis, liberi facti estis peccati. Nam id subaudiendum expetit præcedẽtis particulæ intellectus. *Quem igitur fructum habebatis?* Quæ vobis, inquit, erat vtilitas veteris malitiæ? nulla adeò vt vos etiam illius pudeat: peccatum enim res est adeò mala, vt vbi quis eo fuerit liberatus, ob ipsum rubore suffundatur. *Nam finis illorum mors*. Non solùm à pudore, verumetiam ab effectibus peccati malitiam confirmat. Finis illorũ, inquit, mortem habet, idque spiritualem. Habetis fructum vestrum in sanctificationẽ. illorum, inquit, fructus mors est & confusio, horum autẽ fructus, sanctificatio est & vita æterna. Verùm quanquã hæc ita

F se habeant, saltem ita deo seruite, quemadmodum olim immunditiæ & iniquitati. *Finem uerò uitam æternã*. Ab his quæ data sunt, eorum fidem facit quę expectantur, hoc est à sanctificatione vitam æternã infert. *Stipendia enim peccati mors*. Stipendia, lucra veluti fructus vel donum. ὀψώνιον, id est stipendium, dicitur donum regis. Vide autẽ quibus verbis sermonem edisserat. Nam illos & firmiores reddit ad id quod futurum est, & vt de his gratias agãt à quibus liberati sunt, efficit. Stipendium facimus per peccatum, quod nobis illud perpetratum cõciliat ac rependit. *Donum autem dei*. Non dixit merces bonorum operum, sed donum, ostendens ꝙ non per labores, sed per gratiam liberati sint à peccatis.

CAPVT IX.

*Repetitio de uita quæ est in charitate.*

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legẽ lo-quor) quòd lex dominetur homini quanto tẽ-pore viuit? Mulier enim viro ſubiecta, viuenti viro alligata eſt per legem: quòd ſi mortuus fuerit vir, abſoluta eſt à lege viri. Itaque viuente viro adultera iudicabitur: ſi ſe iunxerit alii viro: ſin autem mortuus fuerit vir, libera eſt à lege, vt non ſit adultera ſi iungitur alii viro. A Cap.7.

Cum encomio dicit Scientibus legem. *Quòd lex dominetur homini.* Superius dixit ꝙ mortui ſimus peccato: nobis itaq; non dominatur, ea ratione qua ſumus illi mortui. nũc autem vult oſtendere ꝙ neq; lex dominetur. Humanum autem profert exemplum. Deinde procedendo oſtendit, ꝙ nõ ſolùm nos legi mortui ſumus: ſed & lex mortua eſt per aduentum Chriſti. Homini, nõ dixit viro, aut mulieri, ſed Homini, vt vtrunque ſignificaret. *Quanto tempore uiuit.* Quis? homo videlicet. Per defectum ergo dictum eſt, ſed id quod ſubiungitur efficit illud manifeſtum. *Mulier enim uiro ſubiecta,* Ordine viri poſuit legem, ordine autem mulieris credentes. *Quòd ſi mortuus fuerit uir.* Per exẽplum viduæ legẽ ſupponit morientem: quod in concluſione non facit, ne ſermonem ſuum odioſum reddat, ſed tantùm ſimpliciter narrans. A *lege.* Quæ de viro ſtatuit illíque mulierem alligat. κατήργηται, id eſt abſoluta eſt, liberata eſt. B

Proinde fratres mei vos quoq; mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt eſſetis alteri, nimirum ei qui a mortuis reſurrexit: vt fructificemus deo. Quũ enim eſſemus in carne, affectus peccatorũ qui per legem erant operabantur in mẽbris noſtris, ad fructificandum morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege, mortui ei per quod detinebamur. C

In concluſione non inducit mortuam eſſe legem, ne ſermo durè accipiatur: ſiquidem Iudæis loquitur, ſed credentes inducit Chriſti morte defunctos eſſe à lege, ideóque liberatos. Si ergo mortua lege non eſt tranſgreſſor qui eam

D relinquit ac domino credit, multò magis si quis ipse etiam moriatur (sicuti dicit quòd & nos mortui sumus) solutus est à lege, & non est trãsgressor. *Per corpus Christi.* Qui pro nobis mortuus est: commortui enim illi sumus in baptismate, & non sumus nostri: nam pretio nos emit. *Vt essetis alteri.* Veluti lege mortua: ideo neque transgressores inueniemur. *Vt fructificemus deo.* Adhortatur deinde ad spem meliorem. Siquidem tunc, inquit, fructum ferebamus, omnia ad illam

Theod. operantes: nunc autem deo. *Quum enim essemus in carne.* Id est, in cõuersatione secundum legem. Nam carnem vocauit datas carni sanctiones: putà de cibo, potu, lepra, ac similibus. *In carne.* Id est in carnali vita. Non autem dixit, In lege ne

E despiceretur sermo: adhuc enim legem colebant. *Ea quæ per*

Inf. eodẽ *legem sunt.* Nam concupiscentiam, inquit, non nouissem nisi lex dixisset, Non concupisces. Hæc ergo per legem sunt cognita. Rursum non dixit, Membra operantur, ne accusaret carnem, sed operabantur in mẽbris ad fructificandum morti, ostendens quòd extrinsecus operatione Satanæ accidat, vt cooperentur ad mortem. Per peccata enim fructificamus morti. *Nunc autem soluti sumus à lege.* Rursum quod erat odiosum fugiẽs, nõ dixit. Soluta est lex, sed, Nos à lege soluti sumus, hoc est, absoluti ac liberati. Quamobrem? Quia mortui sumus peccato. Nam hoc detinebat: & surreximus, non per legem, sed per Christum. Manifestũ ergo est quòd à lege quidem absoluti sumus tanquam mortui: subditi au-

F tem sumus Christo qui nos à morte liberauit.

## CAPVT X.

*De condemnatione quæ propter peccatum erat sub lege.*

VT seruiamus per nouitatem spiritus, & nõ per vetustatem literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiam nesciebam nisi lex dixisset, Non concupisces.

Deinde ne existiment quòd à lege absoluti, securè deinceps agere possint quæ velint, aliam inducit seruitutem exactiorem, putà spiritus. Pulchrè autẽ dicit, *Per nouitatem*: neque enim eadem sunt statuta in nouo testamento, quæ olim

erant in litera siue in lege: sed noua sunt præcepta, magísque plena sapientia: acsi dixisset, vt seruiamus nouis præceptis quæ dantur à spiritu, Siquidem antiquis præceptũ erat non occidere, nobis autem, nõ irasci: illis non mœchari, nobis verò neq; curiosè intueri. Et *nõ per uetustatem literæ.* Non enim lex amplius iubet, sed spiritus. Dicens autem, Vetustatem, ostendit legis antiquationẽ ad inutilitatem. Nam quod antiquatur ac senescit, in propinquo est vt euanescat. *Quid ergo dicemus?* Quoniam dixerat, Vt seruiamus per nouitatẽ spiritus, quasi saluante spiritu, lege verò non saluante: ait, Quid ergo, dixerit quispiam, num lex peccato obnoxia est, aut peccati cõciliatrix? Non hoc, inquit, dico: sed quòd conciliauerit mihi notitiam peccati: proinde grauius etiam puniar, quòd deinceps sciens, peccare conuincor: aliquãtulum tamen ostendit legem cooperari ad peccatum, nequaquam ex sua natura, sed propter ipsorũ malitiam. Nõ dixit, Quid ergo? Lex mortua est aut dissoluta est? hoc enim & ipse sentiebat, sed id quod ne ipsi quidem videbatur. Quid ergo, Lex peccatum est? ideo subiungit, Absit. simul & illos mitigans, & quod suũ erat non auferens. Neque enim si peccatũ non est, continuò sequitur mortuam non esse aut solutam, quod ipse demonstrabat & intendebat. *Lex peccatum est?* Mutauit, inquit, lex naturam, & facta est ad peccatum impellens? Non, inquit. Vides quo pacto vbiq; peccato occurrẽs, legem omni liberet accusatione? ideo etiã adiunxit, Itaque lex sancta est, & præceptum sanctum, iustúmque ac bonum. Verùm si placet illorũ quoque sermonem in medium proferamus, qui has peruertũt enarrationes: ita enim manifestiora fient quæ à nobis dicuntur. Nam quidem hìc non de Mosi lege dicere eum asserunt quæ dicuntur: sed hi quidem de lege naturali: alij verò, de pręcepto quod in paradiso datum est. Atqui scopus vbique Paulo est hanc eleuare legem, circa illas autẽ ne verbum quidem facit vllũ: idque iure optimo, Nam hanc veriti Iudęi ac trementes, contendebant aduersus gratiam. Præceptũ item quod in paradiso datum est, nunquam aut hic Apostolus aut alius quispiã legem videtur appellasse. Vt autem hoc per ea etiam quę dicta sunt fiat manifestius, sermone paulò altius repetito, verbis prosequamur. Vbi enim de proba cõuersatione illis disseruisset, sub-

A *Matt. 5.* *Hebr. 8.* B Pho. C

D iunxit, dicens, An ignoratis fratres quòd lex dominetur homini quanto tempore viuit? Proinde vos quoque mortificati estis legi. Itaque si de naturali lege hæc dicta sunt, inueniemur naturalem nõ habere legem: quod si hoc verũ est, irrationalibus insipientiores sumus: sed hæc nõ ita sunt. De ea verò quæ in paradiso data est, ne necessariũ quidem est contendere: ne superfluũ suscipiamus laborem, circa ea quæ in confesso sunt illum aggrediẽtes. Quomodo ergo ait, Peccatum nõ cognoui nisi per legem? Quum hoc dicit, non omnimodã intendit ignorãtiam, sed exactiorem cognitionem. Nam si de naturali lege hoc dictum est, quomodo in sequẽtibus hunc habet sermonem, Ego autem viuebam quõdam sine lege? Neque enim Adam neque alius quisquam homo E videtur vnquam sine naturali vixisse lege. Nam simul vt illum formauit deus, etiã eam ipsam legem illi imposuit, domesticum munimẽtum omni naturæ constituens. Præterea quoque nusquam videtur legem naturalem vocasse præceptum, hanc autem & præceptũ dicit & iustũ sanctúmque vocat, ac legem spiritualem. *Sed peccatum non cognoui* Non dixit, Sed peccatũ non feci, nisi per legem: sed, peccatum non cognoui. Itaque lex non faciendi, sed cognoscendi peccati causa est, quũ pædagogi vice fungatur: nec permittat vt per ignorantiam ad irrationalium naturam declinemus.

Occasione autẽ accepta, peccatum per præceptũ operatum est in me omnẽ cõcupiscentiam. Siqui-
F dem absq; lege peccatum mortuũ erat: ego autẽ viuebã sine lege quõdam. Porrò quũ venisset præceptum reuixit peccatũ: ego autẽ mortuus sum: & repertũ est præceptum quod erat ad vitã ipsum mihi cedere ad mortẽ. Peccatum enim occasione accepta per præceptum decepit me, & per illud occidit.

Non lex, inquit, causa est peccati, sed peccatum per præceptum quod est lex, seduxit me. Vides quomodo paulatim ostendit occasionem peccati esse legem, sed manifestẽ nõ dicit, † ne ipsis eam prostituat. Peccatũ autem videtur dicere diabolũ. Quẽadmodum enim scriptura Saluatorem nostrũ, Vitam appellat ac Iustitiã, q vitæ & iustitiæ causa sit; ita &

† ἵνα μὴ προσῆ αὐτοῖς.

contrariam potentiam ex proprio effectu, interdum quidē, A
Peccatum vocat, quandoque verò Mendacium ac mortem. Ita autem & in sequentibus dicens, Peccatum reuixit, diabolum significat. Itaque diabolus occasionem per præceptum accepit, quia legis præcepta tanquam suæ technæ materiam struens, ad id quod præceptis erat contrarium, hominem impulit. Manifestū est autem ꝙ Apostolus per seipsum communem designat hominem siue totā naturam humanā. *Omnem concupiscentiam.* Et bene omnem: siquidē etiam ante legem erat concupiscentia. Quare enim diluuium factum est, Sodomáque perierunt? Sed nunc, inquit, & quas non videram didici, & cognitas operatus sum. *Peccatum mortuum erat.* Hoc est, sine effectu. Nam si ante legem quoque operabatur, at non intantum, Dormire, inquit, videbantur plu- B
ra peccata ac mortua esse: multa enim non nouerā: & in ignorantia faciens, non adeò peccabam. Itaq; mortuum erat peccatum. ego autem viuebam, vt qui non molestabar neque stimulabar, aut ab eo mortificatus eram. Quomodo ergo illud reuixit? Per legem: quonam pacto? quia illud data lege magis ad inuasionem incitatū est, & veluti impetum fecit ad nocendum, tāquam reputās eum qui iam præceptum seruasset coronādū, ideóq; magis inuidia motū est. Rursum ego quoque agnito per præceptum peccato, tāquam scienter faciēs quæ fugere oportuit, secundum hoc grauiùs peccabam, magísque illud aduersus meipsum confirmabā, vim illi præbēs per iniquam actionem ex cognitione perpetratam: & veluti imbecille ac mortificatum fortificans ac suscitās. Porrò vbi C
illud reuixit, me morti dedit. Nam priusquam illud reuiueret, ego magis viuebam: hoc autem erat ante legem ac præceptum. Itaque quanquam lex peccatum non sit, tamen ipsa data peccatum duplici modo reuixit: tum ipsomet magis ad aggrediendum commoto & excitato, tum nobis illud confirmantibus indecenti actione quæ ex scientia procedebat, liberásq; aduersus nosipsos insidias prębētibꝰ. At illud quidem reuixit, ego verò mortuus sum. *Viuebam sine lege quondam.* Quando viuebam sine lege? Priusquam præceptum daretur protoplastis, vita quæ in paradiso agebatur. Aut videlicet ante Mosen viuebam, hoc est, mortuus non erā multitudine peccatorum: tunc enim solùm accusatorem habe-

D iunxit, dicens, An ignoratis fratres quòd lex dominetur homini quanto tempore viuit? Proinde vos quoque mortificati estis legi. Itaque si de naturali lege hæc dicta sunt, inuenie mur naturalem nõ habere legem: quod si hoc verũ est, irrationalibus insipiẽtiores sumus: sed hæc nõ ita sunt. De ea verò quæ in paradiso data est, ne necessariũ quidem est contendere: ne superfluũ suscipiamus laborem, circa ea quæ in confesso sunt illum aggrediẽtes. Quomodo ergo ait, Peccatum nõ cognoui nisi per legem? Quum hoc dicit, non omnimodã intendit ignorãtiam, sed exactiorem cognitionem. Nam si de naturali lege hoc dictum est, quomodo in sequẽtibus hunc habet sermonem, Ego autem viuebam quõdam sine lege? Neque enim Adam neque alius quisquam homo
E videtur vnquam sine naturali vixisse lege. Nam simul vt illum formauit deus, etiã eam ipsam legem illi imposuit, domesticum munimẽtum omni naturæ constituens. Præterea quoque nusquam videtur legem naturalem vocasse præceptum, hanc autem & præceptũ dicit & iustũ sanctúmque vocat, ac legem spiritualem. *Sed peccatum non cognoui* Non dixit, Sed peccatũ non feci, nisi per legem: sed, peccatum non cognoui. Itaque lex non faciendi, sed cognoscendi peccati causa est, quũ pædagogi vice fungatur: nec permittat vt per ignorantiam ad irrationalium naturam declinemus.

Occasione autẽ accepta, peccatum per præceptũ operatum est in me omnẽ cõcupiscentiam. Siqui-
F dem absq; lege peccatum mortuũ erat: ego autẽ viuebã sine lege quõdam. Porrò quũ venisset præceptum reuixit peccatũ: ego autẽ mortuus sum: & repertũ est præceptum quod erat ad vitã ipsum mihi cedere ad mortẽ. Peccatum enim occasione accepta per pręceptum decepit me, & per illud occidit.

Non lex, inquit, causa est peccati, sed peccatum per præceptum quod est lex, seduxit me. Vides quomodo paulatim ostendit occasionem peccati esse legem, sed manifestẽ nõ dicit, * ne ipsis eam prostituat. Peccatũ autem videtur dicere diabolũ. Quẽadmodum enim scriptura Saluatorem nostrũ, Vitam appellat ac Iustitiã, q̃ vitæ & iustitiæ causa sit; ita &

* ἵνα μὴ προσῇ αὐτοῖς.

contrariam potentiam ex proprio effectu, interdum quidē, A
Peccatum vocat, quandoque verò Mendacium ac mortem. Ita autem & in sequentibus dicens, Peccatum reuixit, diabolum significat. Itaque diabolus occasionem per præceptum accepit, quia legis præcepta tanquam suæ technæ materiam struens, ad id quod præceptis erat contrarium, hominem impulit. Manifestū est autem ꝙ Apostolus per seipsum communem designat hominem siue totā naturam humanā. *Omnem concupiscentiam.* Et bene omnem: siquidē etiam ante legem erat concupiscentia. Quare enim diluuium factum est, Sodomáque perierunt? Sed nunc, inquit, & quas non videram didici, & cognitas operatus sum. *Peccatum mortuum erat.* Hoc est, sine effectu. Nam si ante legem quoque operabatur, at non intantum, Dormire, inquit, videbantur plu- B
ra peccata ac mortua esse: multa enim non nouerā: & in ignorantia faciens, non adeò peccabam. Itaq; mortuum erat peccatum. ego autem viuebam, vt qui non molestabar neque stimulabar, aut ab eo mortificatus eram. Quomodo ergo illud reuixit? Per legem: quonam pacto? quia illud data lege magis ad inuasionem incitatū est, & veluti impetum fecit ad nocendum, tāquam reputās eum qui iam præceptum seruasset coronādū, ideóq; magis inuidia motū est. Rursum ego quoque agnito per præceptum peccato, tāquam scienter faciēs quæ fugere oportuit, secundum hoc grauiùs peccabam, magísque illud aduersus meipsum confirmabā, vim illi præbēs per iniquam actionem ex cognitione perpetratam: & veluti imbecille ac mortificatum fortificans ac suscitās. Porrò vbi C
illud reuixit, me morti dedit. Nam priusquam illud reuiueret, ego magis viuebam: hoc autem erat ante legem ac præceptum. Itaque quanquam lex peccatum non sit, tamen ipsa data peccatum duplici modo reuixit: tum ipsomet magis ad aggrediendum commoto & excitato, tum nobis illud confirmantibus indecenti actione quæ ex scientia procedebat, liberásq; aduersus nosipsos insidias prębētibꝰ. At illud quidem reuixit, ego verò mortuus sum. *Viuebam sine lege quondam.* Quando viuebam sine lege? Priusquam præceptum daretur protoplastis, vita quæ in paradiso agebatur. Aut videlicet ante Mosen viuebam, hoc est, mortuus non erā multitudine peccatorum: tunc enim solùm accusatorem habe-

D bam naturalem legem, nunc autem & scriptam. Vides quomodo lex ex incidenti nocuerit? *Porrò quum uenisset præceptum.* Præceptum dicit legem. Dicens autem Reuixit, ostẽdit fuisse quidem antea peccatum, sed in quiete: lex autem tanquam beneficium præstans, illud manifestauit vt ipsum fugeremus, sed legis assistentia his qui non fugerunt nocumento fuit. Quod ergo mihi datum erat ad vitam (Nam id ex natura habebat) cessit mihi ad mortem, propter segnitiẽ meam, non propter illius naturam, *Peccatum enim occasione accepta.* Eadem rursus variè confirmat, & meritò: nam lex magnam obtinebat gloriam: ostendit ergo ꝙ nihil iuuerit, sed ex incidenti nocuerit. Hoc autem facit vt facilè recipiatur, dum prædicat dimissam esse legem, & accurrendum ad
E Christi fidem. Quum enim superiùs dixisset, Occasione autem accepta, peccatum per præceptum operatum est in me omnem concupiscentiam: adiungit ꝙ non solùm omnem cõcupiscentiam operatum est, sed & occidit me, ipsum mihi cedens ad mortem. Deinde quemadmodum illi moris est caussas connectere, & rerum consequentiam etiam in sermonibus ostendere, recurrit, ac ponit quomodo operatum sit omnem concupiscentiam, & ait, Occasione accepta decepit me. Deinde quod prædictum est, hinc intelligendum reliquit, putà ꝙ ex hoc operatum est omnem concupiscentiam: & hoc relicto, finem coniungit dicens, Et occidit: vt ex consequutione sit hoc modo ab eo dictum, si quis velit repetere, Occasione accepta, peccatum operatum est in me omnem
F concupiscentiam: concupiscentiam autem operatum est quũ decepisset: verùm quum operatum esset concupiscẽtiam, occidit me. Est ergo deceptio concupiscentiæ caussa, concupiscẽtia verò mortis. Deceptionẽ verò peccatũ operatũ est per præceptum, vt palàm fiat magnitudo malitiæ illius, quod rẽ pessimam operatum est per id quod optimum est.

Itaq; lex sancta est, & præceptũ sanctum iustũq; ac bonũ: quod ergo bonũ est, mihi factũ est mors? Absit. Sed peccatum, Vt appareret peccatũ per id quod erat bonum, mihi gignere mortẽ, vt fieret mirum in modum peccans peccatum per præceptum.

Sancta est lex, nam ab immunditia illos seruabat, qui ip-

ſam cuſtodiebant:iuſta,quia rectè operantes donis pręmiabat, tranſgreſſoribus verò ſupplicia imponebat bona, quia neque ſuppliciis gaudebat neque vtendo ira puniebat: ſed ob illorum ſalutem & vtilitatē ac correctionem. Item,quia parua bona operantibus,magna præſtabat beneficia: peccantéſque ſuſtinebat, nec ad meritum delictorum puniebat. A
Ipſe autem his interim prætermiſsis, ex his concludit ſanctam iuſtámque ac bonam eſſe legem ſiue præceptum: vno quidem medio,quia docuit me peccatum cognoſcere, iuſſítque illud fugere:altero verò, ꝙ me adiuuans,meíque curam habens hoc fecerit: nam ad vitam ac ſalutem hæc mihi fecit. Sancta ergo eſt, quia docuit ac fugere ab ipſa immunditia præcepit:iuſta verò,quia vbi docuit, ab his qui nō ſeruarunt pœnam repetit:rurſum autem bona,quia vitam mihi prouidens,hæc iubebat. ITEM & alio modo. Lex quidem ſancta eſt:neque enim naturæ legis erat, vt mihi nocumentum inferretur,ſed meæ malitiæ ac ſegnitiei, ꝙ ea quæ iuſſa erant non obſeruauerim. *Et præceptum ſanctum.* Legē dicit Moſaicam, præceptum verò quod ipſi Adam datum erat Sanctum quidem,tanquam id docens quod expediebat: iuſtum autem,tanquam rectè in tranſgreſſores ſententiā ferens:bonum quoq;,vtpote vitam parans obſeruātibus. *Sed peccatum.* Quia peccati magnitudinem oſtendere decreuit, nihil autem eo maius in malitia poterat inuenire, per idipſum oſtendens ipſius magnitudinem,dicit,Sed peccatum vt appareret peccatum,hoc eſt,vt detegeretur omnis abundātia malitiæ ipſius ac illius vis in ſeipſo: acſi dicat, Vt quod eſt,totum in toto fiat manifeſtum. In aliis nanque exceſſum quendam proponere volentes,aliud quippiam adferre poſſumus in id quod à nobis reprehenditur:veluti dicentes, Adeò ſceleſtus erat Cain,vt fratris homicida fieret, ac primus deo mentiretur,ſimiliáque perpetraret. Et rurſum, Neque poſt prodigiorum oſtenſionem adductus eſt Pharao, vt filios Iſrael dimitteret,quò appareret eius crudelitas, indomita mens, quámque deo eſſet inuiſus: & ſimiliter in aliis, nam poteſt in eis aliquid inueniri peius his quæ proponuntur,cuius etiam participes maligni ſuſcipiunt appellationē ad illius ſimilitudinem. In peccato verò,quoniam, vt diximus,eo peius nihil erat inuenire, ipſum in ipſomet demon-

B (margin, beside "uarunt pœnam repetit")

Theod. (margin, beside "mentum inferretur")

Pho. (margin, beside "peccatum. Quia peccati")

C (margin, beside "tia malitiæ ipſius")

D straulit, asperè simul & grauiter fastum illius tyrannicum ac incredibilem demonstrans. Verùm quia obscurius quodāmodo dictum esse videbatur per crebram eiusdem nominis repetitionem: rursus autem mutato nomine magnitudinis ac asperitatis ostensio eneruabatur, alludit quidem ad nomen, nec ab eo in totum discedit, sed dum eneruari videbatur, firmitatem subiungit, eius additione quod est secundum magnitudinem, & ita simul ad id quod manifestius erat pariter & acutum ac asperitatis significatiuum, mutato sermone ait, Vt fiat mirum in modum peccans peccatum. *Vt appareret, &c.* Vt ostenderetur, inquit, quàm scelestum, quàm prauum, improbum ac violētum sit peccatum: per id quod bonum erat, nempe ipsam legem operatum est mortem. Maximum autē peccati robur indicat, ostendere volēs Christi bonitatem & quātum sit eius donū, qui graui hoc & ineuitabili malo nos liberauit. *Vt fieret mirū in modum.* Vt ostēderetur omne eius venenum, omnisque malitia. Quod autem ait, καθ' ὑπερβολὴν per excessum (id est, mirum in modum) exaggerationis est. Non parum itaque iuuit lex, quæ omnem detexit illius amaritudinem quæ antea fuerat: Hoc autem significat, Vt fieret, id est, vt quod factum erat detegeretur, vt propterea certè illud fugiamus.

Scimus enim quòd lex spiritualis est, at ego carnalis sum venundatus sub peccatum. Nam quod operor non cognosco. Non enim quod volo hoc F facio, sed quod odi, hoc ago. Si autem quod non volo, hoc facio, consentio legi quòd bona sit: nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Quandoquidem dixit legem causam esse peccati quanquā non ab illius natura, ne eum arbitrentur loqui contra legē, non solùm eam accusatione liberat, sed & laudat illam: accusat autem eos qui non obseruauerunt, Lex, inquit, virtutis Oecum. præceptor est, hostis peccatorum. *Spiritualis est.* Donū inquit, sancti spiritus, ac veluti contestatio. Aut spiritualis est quia vult ea quæ sunt spiritus, & illa quærit quæ animæ cōducunt. Ego verò quia carnis concupiscentias persequor,

carnalis sum. Non dixit autẽ, Vos qui legẽ vtẽdo trãsgredi- A
mini: ne grauem redderet sermonẽ & molestũ, sed Ego, in-
quit, quæ illorũ erant in seipso figurans. Ita autẽ & in sequẽ-
tibus facit, asperitatem & vehementiam diluens ac leniens,
transformato in seipsum sermone. *Carnalis sum.* Non ipse
homo secundum quod homo est, sed secundum quod nosip
sos ita duximus: sub concupiscentia, inquit, iacens carnis,
quæq; corpori placentia sunt perficiens. *Venundatus sub pec
catum:* simul enim cum morte grex etiam affectuum subin-
trauit, putà ira, tristitia, concupiscentia mala: his, inquit, tra-
ditus fueram. Nam hoc significat, Venundatus. Fueram au-
tem traditus: affectibus principatum sumẽtibus in transgres
sione quæ facta est per Adam. *Nam quod operor non cogno-
sco.* Deinde dicit quomodo venundati simus sub peccatum, B
Non cognosco, ait, quomodo decipior & corripior sub pec
catum: furtim enim rapior, vt ignorem propemodum quid
patiar. Nã postquam vẽditus est homo, factúsq; sub pecca- Pho.
tum, non cognoscit quid operetur, fœdæ consuetudinis do
minio omnimodè captus, quæ ne permittit quidem vt sciat
malũ esse quod agit: ideóq; quod odio prosequeretur, & ne-
quaquam eligeret si vẽditus non esset, sed liber, hoc & ele-
git iam venditus & operatur: ꝙ si liber & non venditus, sed
naturæ restitutus, nequaquam eligerem quæ nunc ago, as-
sentior legi ꝙ bona sit: talia enim mihi fugienda decernit,
quæ & ego in naturali positus libertate iudicarem esse fugiẽ
da ac odio digna. Nunc autem venundatus & sub peccatum
lapsus tanquam illius imperium patiens, & in eius potestatẽ C
redactus, illiq; subseruiens: ita malum operor, quòd in li-
bertate positus nequaquam egissem. Quodam itaque modo
ego illud non operor, sed qui deuictus est, ac in peccati pote
statem redactus. Ipse autem significãtiùs dicit, Sed quod ha
bitat in me peccatũ. Nam sicut is qui domũ inhabitat, quęcũ
que circa domum sunt operatur, quanquã vsus sit in quibus
dam auxiliatricæ domo, Ita & peccatum, inquit, postquam
me dedititiũ accepit, ipsiq; venundatũ inhabitauit: & quic-
quid ad se spectat operatũ est: omne bonũ à carne mea ab-
legauit, putà eorum cognitionem quæ ago, resipiscentiam
illorum de quibus delinquo, & si quid aliud est huiusmodi.
Deinde, velle, inquit, adiacet mihi nõ omnino à me abalie-

D malus sum, vt neque penitus sciam quod bonum est, neque illius tangar desiderio, sed est quãdo ad ipsum excitor. Propterea enim dicebã, Adiacet mihi, id est, iacet apud me mortuo simile, illo tamen apud me iacẽte eleuor, sed peccati dominio pressus, electionem ad finem non deduco. Itaque vel vt dictum est, vel ita quoque sunt accipienda quæ dicta sunt. ALIO QVOQVE MODO. Non cognosco venundatus videlicet, non enim quòd liber volo, hoc nunc ago venundatus, sed quod odi quum liber sum, hoc ago quũ venũdatus sum. Liber existens assentior quòd bona sit lex: tunc enim eadem volo quæ illa, & non quæ nunc ago. VEL hoc modo. Non enim quod cupiebã & adeptum paulò antè amabam, hoc nunc ago venundatus, sed quod odio prosequebar: quum itaque illud agam quod oderam: etsi ago, tamen propter eius odium assentior legem bene dicere, bonámque esse. Vnde ergo manifestum est quòd venundatus sim sub peccatum? ex eo quòd ignorem quæ ago. Nam cùm liber essem, nec illius pressus imperio, cognoscebam, quid me operari oporteret, nempe & à naturali & à scripta lege edoctus: sed quum illi voluntariè succubui, dominium susce pi ac venditus sum, & propterea neque noui quid operer. *Non enim quod uolo, &c.* Non hoc dicit, Me etiam inuitum cogit peccatum: sed eius deceptionem vult ostendere, & quomodo sua dulcedine sensum corripiat. Nam frequenter quod & damno & odi, in hoc corripior. *Si autem quod non uolo hoc facio, consentio legi quòd bona sit.* Non paruum refert legis encomiũ. Nam ipsum non velle peccatũ, inquit, à legis doctrina habeo: quomodo ergo causa esset præceptor, qui videlicet quod bonum est docuit? Causa autem est is qui adeò mollis est, vt ob temporalem peccati delectationem huiusmodi faciat, quorum ipse etiam accusator est, & priusquam ageret & postquã peregit. *Sed quod habitat in me peccatum.* Et quomodo peccatum operatur illud? Rei dulcedinem mihi obiicit, atque ita me decipit, ne in his perseuerem quæ iudicaui ac optaui.

CAPVT XI.

*De affectibus humanæ naturæ, quæ impoßibilem reddunt conformitatem ad legem.*

Noui

A

NOui enim quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, at vt faciam bonum non inuenio. Non enim quod volo, facio bonum, sed quod non volo malum, hoc ago, Si autem quod non volo, hoc facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Arbitrij libertas.

Arbitrij libertatem vult ostendere, quodq; homo dominus sit potentiæ ad vtrunque tam bonum, quàm malum. Ait ergo: Non habitat in me bonum: non mihi sorte datum, aut necessitate quadã apud me permanens habeo, vt bona operer, ita vt etiam vi quadam illud abstraheret me à malis. Nã ea dicitur habitatio, perpetua videlicet permanentia ac veluti residentia. B *In carne mea.* Eam dicit quæ à trãsgressione inhabitata est: Ita habet diuus Methodius in libello de resurrectione. *Nam uelle adiacet mihi.* Velle, inquit, est mihi, nõ tamen facio propter peccati correptionẽ: me enim corripit ne ea faciam quæ à me collaudantur, sed quæ vituperãtur. *Non enim quod uolo bonum.* Ostendit tantam esse peccati deceptionem ac suadelam, vt studium mihi, inquit, sit, vt faciam bonum, & studium mihi sit, ne operer malum: & tamẽ inuadit me concupiscentia, meq; ducit captiuum, suadẽs vt ad mandata & res studiosas conniueam, ac ea quæ ipsius sunt operer. *Sed quod non uolo malum.* Ferme verò inuitus ad malum corripior, vt sit omne negotium adhortantium ad C malum dæmonum. Illi nanque parua occasione ex nostra segnitie apprehensa, totum subuertunt. *Sed quod habitat in me peccatum.* In bono quidem non dixit habitationem, in peccato verò dixit. Siquidem ex hoc quòd continuè peccamus, in habitum quendam peccati venimus, vehemẽs enim consuetudo æqualis naturæ efficitur.

Inuenio igitur legẽ volenti mihi facere bonum, ꝙ mihi malũ adiaceat. Oblector enim lege dei secũdũ internũ hominem: sed, video aliam legem in mẽbris meis, repugnãtem legi mẽtis meæ: & captiuum me ducentem lege peccati, quæ est in membris meis.

Obscurum est quod in literæ contextu dicit. Est autẽ hu-

D iusmodi. Laudo, inquit, legem secundum conscientiam, & illam inuenio legem quæ exhortationem mihi præbeat vbi bonum agere elegerim. Quid igitur inde consequitur? Malũ, inquit, operor, quia mihi malũ adiacet, id est, assiduè vrget. Itaque neque mihi bonum operari volenti sufficiẽs est lex vt auxilietur: nihil enim aliud potest lex quàm adhortari, igitur dimittẽda est lex (nam id est quod à Paulo instituitur) veniendúmque ad Christũ, qui non modò adhortatur, verumetiã tollit quod prius perpetratum erat peccatũ per baptisma, & ad hæc saluat & auxiliatur. PRAETEREA

Pho. ET ALIO MODO. Ex his, inquit, quæ dixi, & ex his quę consideraui, hoc mihi tandem concluditur: quidnam? quòd lex sit, lex quidam ad bonum volenti mihi facere bonum, idque

E solum tribuit. Nam malum reperio quod similiter mihi adiaceat, & nihil ex lege melior effectus sum, nisi etiam nocumentum magis susceperim: quia adiacere mihi & veluti vicinum esse mihi malum, præbuit ansam mali. Lex itaque solùm fuit mihi ad bonũ, aliúdque nihil contulit. Vnde illud manifestatur? quia malum mihi eodem modo adiacet. Vel ita. Inuenio igitur legem bonam, vt addatur Bonam, & in hyperbato & à communi sensu positũ. Inuenio, inquit, legẽ bonam mihi volẽti facere bonum: cur ergo non facis illud? quia malum mihi adiacet. Bonum itaque legis in sola legislatione est: neque enim liberare etiam valet à malo & saluũ facere, ideóque dimittenda est & ad Christum accedendum.

F VEL ita potius. Inuenio igitur legem, hoc est intellexi & deprehẽdi vim & naturam legis exactè de ea comperi quòd nihil potuerit auxiliari. Vnde hoc manifestum est? quia volenti mihi facere bonum nihil fert auxilij, sed similiter malum adiacet, inefficax est mihi ad agendum quod cupio. In hoc ergo diligenter de lege comperi quãtum possit, quęue sit eius natura? quia in me volente bonum operari inuenio adiacere malum, neque ab ea eiectum est à me. Et item quæ à Paulo dicentur in sequentibus, possent duarum prædictarum explicationum esse confirmatiua, vtraque sententia locum habente, & literæ consequentiam nullo impedimento seruãte. Possibile est autem & hoc modo propius ad verba intelligi. Inuenio igitur quòd volenti mihi facere bonum secundum legem adiaceat malum. Etenim qui iuxta euan-

gelium volunt facere bonum, non inueniunt adiacere sibi malum: Per baptismum enim eiectum & expulsum est. Itaque oportet per baptismum ad Christum accedere relicta lege. Poteris hoc quoque modo non immeritò interpretari. Comperio legem veluti auxiliarem, magis autem mihi conformem volenti mihi facere bonum. Et quæ vtilitas conformitatis vel auxilij? Multa, *inquit*, nam malũ mihi adiacet & repugnat ac præliatur &c. Hoc ipsum ergo dilatat, & planum facit quomodo conformis sit lex, quomodo malum immineat. Oblector enim lege dei: itaque secundum hoc conformis est mihi, & quodammodo auxiliatur, quanquam imbecille ferat auxilium. Nam repugnante altera lege putà peccato, non sustinet nec auxiliatur, licèt ipsam velim, eâque oblector, sed me relicto abscedit: cùmque ex meipso sufficienter resistere nequeam, captiuus fio. Planius autem esset si his quę dicta sunt ita coniungeretur, Inuenio igitur volenti mihi bonum siue legẽ, quòd malum mihi adiaceat volenti facere bonum, tanquam adhortationem ac consiliũ præbens. *Sed uideo aliam legem &c.* Quatuor sunt hic leges de quibus differit: vna quidem lex dei de qua ait: Oblector enim lege dei: secunda verò repugnans: tertia de qua dicit, Legi mentis meæ: quarta de qua ait, Lege peccati quæ est in membris meis. Harum prima est doctrina euangelica, forinsecus per prædicationem ingrediens, animámque componens. Secũda est huic repugnans: & hæc ab externis est, quæ iuxta maligni illius operationem per cogitationes subingreditur, animamque ducit captiuam. Tertia quam dicit legem mentis: Hæc est quæ per naturam in nobis à creatore disseminata est, ad ea impellens quæ deo amica sunt. Quarta lex est peccati: hæc est peccati amatrix, quæ diuturna ad malum assuefactione, peccata in nobis obdurauit. Vide ergo quomodo contrariis ex diametro cingamur legibus. Siquidem duæ intrinsecus nobis subinfluunt: hæc quidem ad boni operationem nos prouocans, putà euãgelica: ista verò ad malum adhortans, nempe repugnans illius maligni lex. Reliquæ duæ intus sunt animamque continent: lex quidem mentis à creatore in nobis disseminata, & ad meliora deducens. Quarta verò quæ & lex peccati propter habitũ ad malum in nobis obdurata. Iccirco attẽde quanta cum diligen-

D tia dixerit. *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ,* huic inquam ad honesta insitæ, *& captiuum me ducentem lege peccati, quæ est in membris meis.* acsi diceret: Extrinsecus inspirans commouet, & irritat omnem repositum in me puluerem ac lutum quo habitus ad peccatum me contaminauit & inussit. Alio quoque modo. Tres sunt leges, scripta quam dei legem dicit: secunda insita quam vocat legem mentis: tertia quæ per peccatum vires in membris nostris accepit, quam dicit repugnantem, & membris nostris vim habere repugnandi: hanc autem dicit legem eo quòd fortis sit & habeat qui sibi pareant. Denique hæc, inquit, lex à peccato in membra nostra ingressa, repugnando ducit me captiuũ. Sed quomodo? Siquidem quia repugnãtiam dixit, ne existimes
E quòd iustè captiuum ducit & lege belli, subiungit & ait: Lege peccati: nõ iustè, inquit, Absit. Quomodo enim iustum esset alienum seruum & creaturam in suam iurisdictioné ducere? Quo ergo pacto? lege peccati, id est secundum peccati proprietatem captiuum me ducit iuxta propriam illius consuetudinem, ex impudẽtia, ex multa crudelitate, ex dolo, ex insidiis: non aperto marte, sed fallendo, ac corripiendo. Deinde ne quis dicat: Vniuersum itaque negotium illius est ꝙ captiuus effectus sim, si & me captiuũ ducit, & suo more captiuum me tenet insidiis appetens & clàm inuadens, addit, *In membris meis.* ac si diceret: Quia in his eam collocasse
F meum est, id quoque mihi imputabitur quod ex eo cõsequitur. Ita diuus Methodius in libello de resurrectione. Etenim lex dei euãgelica mouet & excitat, eaquæ à creatore in nobis sunt insita ac disseminata ad boni operationẽ semina. Nam quæque earum legum quæ externè subingrediuntur, quoad suum est ac conforme his quæ in nobis sunt legibus mouendo, ac excitando, aut ad piè agendum aut impiè, nos adhortatur. *Secundum internum hominem*: Internum hominẽ vocat mentem siue animam. Ait ergo: Non vult mens operari quæ lex illa dicit: ipso tamen peccati tempore per peccatum corripior. Nam hoc dicit aliam legẽ, quòd propriũ quiddam & præter legem iubeat. Hæc itaque lex siue peccatum decipit me per eã quæ in mẽbris nostris & in nobisipsis reposita est, concupiscentiam, & me captiuum ducit. Siquidem peccatum conuertit ad ea quæ non conueniunt

inexiſtens in nobis vtile deſiderium,& nobiſipſis tanquam muniтionibus vtitur aduerſus noſmetipſos. *Et captiuum me ducentem.* Pulchrè dicit captiuum me ducentem,nam pugna mota inter peccatum legiſq; præcepta, videlicet cogitatione peccato contradicente,diſcedit cum victoria peccatum, miſero homine in captiuum aſſumpto. *Lege peccati.* Legem peccati periphraſticè vocat peccatum. Quæ eſt in membris meis. Quę per mea membra pugnat aduerſum me. Id autem non eſt corporis condemnatio. Non enim ſi regis domum occupet tyrannus,continuò domus in cauſa eſt. A Oecum.

Miſer ego homo,quis me eripiet ex corpore mortis huius? Gratias ago deo meo,per Ieſum Chriſtũ dominum noſtrum.Itaque idem ego mente quidẽ ſeruio legi dei,carne autem legi peccati. B

Quis me eripiet ex corporalibꝰ meis actionibus ſpiritualem mortem inducẽtibus? Vel,quis me eripiet ne corripiar à concupiſcentiis quæ in corpore ſunt,quæque mors nobis ſunt? Quis nempe alius præter Chriſtum? Nam id tacitè ſignificat. Gratias ago deo qui me eripuit per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum:neque enim lex liberat, neque mea voluntas licèt ſummè laborans. *Gratias ago deo.* Quia ipſe inquit,me eripuit per mortem filij ſui. *Mente quidẽ ſeruio legi dei.* quantum ad meam attinet voluntatem : quod in ſuperioribus dicebat, Oblector enim ſecundum internum hominem lege dei. *Carne autem legi peccati.* Nam peccatũ per carnem & illius cupiditates quæ ſua ſunt operatur. C

Nulla igitur nunc eſt condemnatio his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non iuxta carnem ambulant, ſed iuxta ſpiritum. Nam lex ſpiritus vitæ quæ eſt per Chriſtum Ieſum, liberum me reddidit à lege peccati & mortis. Cap. 8.

Ita quidem lex inquit, Chriſtus verò nõ modò à prioribus liberauit peccatis,verumetiam in futurum reddidit inexpugnabiles. Nam hoc ſignificat. Nulla igitur nunc eſt cõdemnatio,id eſt,ne vlla quidẽ propter peccatum eſt condẽnatio his,qui ſunt in Chriſto Ieſu,qui nõ iuxta carnem ambulant. Quid ergo? an nulla cõdemnatio nunc eſt neq; pec-

D catum? an securos de hoc reddit? Nõ, inquit, sed illis loquitur, quicunq; non sponte carnali vita viuunt. Nã si spiritualiter tantùm viuere eligant nõ peccabũt. Sub lege verò nec si voluisset quis, rectè viuere poterat, nullo auxiliũ ferente neq; cõfortante. *His qui sunt in Christo Iesu.* Ac si dicat, Qui sunt in Christi fide, qui vitã eligunt spiritualẽ. *Nam lex spiritus vitæ.* Sicut legem peccati dicit peccatum, ita & legẽ spiritus dicit spiritum: qui vitæ dux est ac dator. Hic itaq; spiritus per Christum Iesum (nam nobis etiã hic est causa doni spiritus qui peccatum soluit, & secundũ ꝙ homo est spiritũ attraxit, nobísq; tradidit) hic inquã spiritus liberũ me reddidit tum à peccato tum à morte quę inde sequebatur, ad meliora deducẽs. Lex spiritus viuificantis siue viuificus spi-
E ritus, à lege peccati mortificantis siue à mortifero peccato.

CAPVT XII.

*De permutatione naturaliũ affectuũ per conformitatẽ ad spiritũ.*

ETenim quod impossibile erat legi ea parte qua imbecillis erat per carnẽ: deus proprio filio misso in similitudine carnis peccati præstitit, & pro peccato condemnauit peccatum per carnem, vt iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secũdum spiritum.

Vides ꝙ legem nõ condemnet? Neque enim dixit. Quod
F malum erat legis ea parte qua malũ inferebat: sed Quòd impossibile erat eà parte qua imbecillis erat, ac si dixisset: voluit saluare, sed nõ potuit. *Ea parte qua imbecillis erat.* quãdoquidem imbecillis erat per carnẽ, hoc est fastũ siue sensum illius: neq; enim carnẽ calumniatur. *Deus proprio filio misso.* Quũ dixisset superius spiritum libertati restituisse: nunc filiũ dicit. Nam cõmuni sanctæ trinitatis beneplacito saluati sumus. *In similitudine carnis peccati.* Quod dicitur In similitudine, non ad dictionẽ carnis respicit, sed simul ad vtrũq; Carnis peccati. Non enim aliã sibi vniuit à nostra. Absit: verùm non eam quæ peccato obnoxia esset, sed quæ impeccabilis, tanquã dixisset, In similitudine peccatricis, siue peccato obnoxiæ carnis, impeccabili tamen carne. Diuus Cyrillus decimoquinto libro aduersus Iulianũ, Corpus, inquit, Christi

non erat peccati corpus, sed similitudo carnis peccati. Ostēditur dominus naturales suscepisse affectiones ad cōfirmationem verę & nō phantasticæ incarnationis siue susceptionis humanitatis: affectiones verò quæ à malitia oriuntur, quæcūq; puram vitā nostram cōmaculant, tanquā immaculata diuinitate indignas reiecisse. Propterea dictū est ipsum factum esse in similitudine carnis peccati. Carnem itaq; nostram cum naturalibus suis affectionibus accepit, sed peccatum non fecit. Et *pro peccato cōdemnauit peccatum.* Non quocunq; modo, inquit, aut nulla facta discusione iuxta suā potentiam cōdemnauit peccatū, sed cōuictum primo maximè lapsum esse ac deliquisse. Nā hoc manifestat quod ait, & pro peccato, ostendens peccatū impudenter deliquisse. ALIO MODO. Dupliciter cōtingit hunc locum interpretari. Vel hoc distinguendo, Pro peccato, vt sit sensus, Pro peccato, id est causa peccati vt ipsum auferret, & nos ab eo liberos redderet. Quo ergo modo illud abstulit? cōdemnans ipsum. Nō enim simpliciter aut absoluta potentia: sed in iudiciū adductum & captum esse declarans. Quomodo igitur captum est ac deuictum? per carnē ipsius. Nam quum ad Christi carnem accedere voluisset, nec potuisset, captum est ac deuictū. Vel ergo ita intelligendum est hoc loco distinguendo. Aut coniungendo istud sequentibus, vt sit sensus, Pro peccato condēnauit peccatū, hoc est quod maximè deliquisset, ac si diceret, Quòd per bonum perpetrasset malū, quod in superioribus per hyperbolen dicebat peccās peccatum. Quo autē modo hoc factum est? quomodo cōdemnatum est? Per carnem, inquit, ipsius. Nam hoc mirādum est, quod per carnem quæ olim peccato obnoxia erat, ipsum condemnauit. Quomodo? seruando videlicet immunē à peccato, Nam quum ita vicisset, illud etiā puniuit: peccati verò punitio fuit ipsius interemptio. & ita in dei obsequium mancipando ad interemptionē peccati. *Vt iustificatio legis impleretur.* Et ne quis dicat, Et quid hoc ad nos? ait, Hæc fecit Christus, vt finis legis qui est iustificatio impleretur in nobis. Quis est autē finis legis? Vt nō essemus maledictioni obnoxij. Impleretur autē in nobis, Quibus? qui nolumus, inquit, carnaliter viuere, sed spiritualiter. Ne enim diceres victoriā obtinuit Christus neq; deinceps necesse est cautè viuere, addidit, Qui nō secūdū

A Basilij ex epistola ad Sozopolitanos

B

C

D catum? an securos de hoc reddit? Nõ, inquit, sed illis loquitur, quicunq; non sponte carnali vita viuunt. Nã si spiritualiter tantùm viuere eligant nõ peccabũt. Sub lege verò nec si voluisset quis, rectè viuere poterat, nullo auxiliũ ferente neq; cõfortante. *His qui sunt in Christo Iesu.* Ac si dicat, Qui sunt in Christi fide, qui vitã eligunt spiritualẽ. *Nam lex spiritus vitæ.* Sicut legem peccati dicit peccatum, ita & legẽ spiritus dicit spiritum: qui vitæ dux est ac dator. Hic itaq; spiritus per Christum Iesum (nam nobis etiã hic est causa doni spiritus qui peccatum soluit, & secundũ ꝙ homo est spiritũ attraxit, nobísq; tradidit) hic inquã spiritus liberũ me reddidit tum à peccato tum à morte quę inde sequebatur, ad meliora deducẽs. Lex spiritus viuificantis siue viuificus spi-
E ritus, à lege peccati mortificantis siue à mortifero peccato.

## CAPVT XII.

*De permutatione naturaliũ affectuũ per conformitatẽ ad spiritũ.*

ETenim quod impossibile erat legi ea parte qua imbecillis erat per carnẽ: deus proprio filio misso in similitudine carnis peccati præstitit, & pro peccato condemnauit peccatum per carnem, vt iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secũdum spiritum.

Vides ꝙ legem nõ condemnet? Neque enim dixit. Quod
F malum erat legis ea parte qua malũ inferebat: sed Quòd impossibile erat ea parte qua imbecillis erat, ac si dixisset: voluit saluare, sed nõ potuit. *Ea parte qua imbecillis erat.* quãdoquidem imbecillis erat per carnẽ, hoc est fastũ siue sensum illius: neq; enim carnẽ calumniatur. *Deus proprio filio misso.* Quũ dixisset superius spiritum libertati restituisse: nunc filiũ dicit. Nam cõmuni sanctæ trinitatis beneplacito saluati sumus. *In similitudine carnis peccati.* Quod dicitur In similitudine, non ad dictionẽ carnis respicit, sed simul ad vtrũq; Carnis peccati. Non enim aliã sibi vniuit à nostra. Absit: verùm non eam quæ peccato obnoxia esset, sed quæ impeccabilis, tanquã dixisset, In similitudine peccatricis, siue peccato obnoxiæ carnis, impeccabili tamen carne. Diuus Cyrillus decimoquinto libro aduersus Iulianũ, Corpus, inquit, Christi

non erat peccati corpus, ſed ſimilitudo carnis peccati. Oſtẽditur dominus naturales ſuſcepiſſe affectiones ad cõfirmationem verę & nõ phantaſticæ incarnationis ſiue ſuſceptionis humanitatis: affectiones verò quæ à malitia oriuntur, quæcũq; puram vitã noſtram cõmaculant, tanquã immaculata diuinitate indignas reieciſſe. Propterea dictũ eſt ipſum factum eſſe in ſimilitudine carnis peccati. Carnem itaq; noſtram cum naturalibus ſuis affectionibus accepit, ſed peccatum non fecit. *Et pro peccato cõdemnauit peccatum.* Non quocunq; modo, inquit, aut nulla facta diſcuſsione iuxta ſuã potentiam cõdemnauit peccatũ, ſed cõuictum primo maximè lapſum eſſe ac deliquiſſe. Nã hoc manifeſtat quod ait, & pro peccato, oſtendens peccatũ impudenter deliquiſſe. ALIO MODO. Dupliciter cõtingit hunc locum interpretari. Vel hoc diſtinguendo, Pro peccato, vt ſit ſenſus, Pro peccato, id eſt cauſa peccati vt ipſum auferret, & nos ab eo liberos redderet. Quo ergo modo illud abſtulit? cõdemnans ipſum. Nõ enim ſimpliciter aut abſoluta potentia: ſed in iudiciũ adductum & captum eſſe declarans. Quomodo igitur captum eſt ac deuictum per carnẽ ipſius. Nam quum ad Chriſti carnem accedere voluiſſet, nec potuiſſet, captum eſt ac deuictũ. Vel ergo ita intelligendum eſt hoc loco diſtinguendo. Aut coniungendo iſtud ſequentibus, vt ſit ſenſus, Pro peccato condẽnauit peccatũ, hoc eſt ꝙ maximè deliquiſſet, ac ſi diceret, Quòd per bonum perpetraſſet malũ, quod in ſuperioribus per hyperbolen dicebat peccãs peccatum. Quo autẽ modo hoc factum eſt? quomodo cõdemnatum eſt? Per carnem, inquit, ipſius. Nam hoc mirãdum eſt, ꝙ per carnem quæ olim peccato obnoxia erat, ipſum condemnauit. Quomodo? ſeruando videlicet immunẽ à peccato, Nam quum ita viciſſet, illud etiã puniuit: peccati verò punitio fuit ipſius interemptio. & ita in dei obſequium mancipando ad interemptionẽ peccati. *Vt iuſtificatio legis impleretur.* Et ne quis dicat, Et quid hoc ad nos? ait, Hæc fecit Chriſtus, vt finis legis qui eſt iuſtificatio impleretur in nobis. Quis eſt autẽ finis legis? Vt nõ eſſemus maledictioni obnoxij. Impleretur autẽ in nobis, Quibus? qui nolumus, inquit, carnaliter viuere, ſed ſpiritualiter. Ne enim diceres victoriã obtinuit Chriſtus neq; deinceps neceſſe eſt cautè viuere, addidit, Qui nõ ſecũdũ

A Baſilij ex epiſtola ad Sozopolitanos

B

C

D carnem ambulamus:acsi dixisset, Per Christũ quidẽ in effectũ deduct⁹ est nobis legis scopus, verũtamen à nobis quoq; nonnihil requiritur. Siquidẽ ille victoriã dedit ac coronam: nostrũ autem est, vt data possimus obtinere per bonam conuersationem ac fidem, hoc est, quod ait, Secũdum spiritum.

Nam qui carnales sunt, quę carnis sunt curãt: qui verò spirituales, ea quæ sunt spiritus. Affectus enim carnis, mors: affectus autem spiritus, vita & pax. Propterea quòd affectus carnis, inimicitia est ad deum: nam legi dei nõ subditur, neq; enim potest. Qui verò in carne sunt, deo placere non possunt.

E Qui carnalibus, inquit, desideriis seipsos tradiderunt, hęc sanè illis studio sunt. *Affectus enim carnis, mors*. Affectum vocat carnis, terrenum mentis impulsum & inclinationem ad absurdas actiones, hoc est, non est carnis calumnia: neque enim dixit, Natura, sed Affectus, qui etiam corrigi potest. Affectus verò spiritus, mens est, quæ in nobis spiritu mouetur. *Vita & pax*. Vita quidem, nempe ad id relatum quod dictũ est. Affectus carnis, mors: pax autem ad id quod sequitur, Propterea quòd affectus carnis, inimicitia est ad deum. Et hîc affectus carnis dicitur, non caro, sed impulsus eius ad intemperãtiam. Ita & diuus Methodius in libello de resurrectione. *Nam legi dei non subditur*. Causam dixit inimi-

Pho. citiæ, quòd non obtemperet legi dei. Bene dicit quòd car-

F nalis affectus legi dei non subditur: quandiu enim est, manifestum est quòd non subditur: quum autem transierit ac perditus fuerit ab homine, tunc omnino non est: Itaque ne hoc quidem modo subditur: quo enim pacto quod non est, aut resistere aut subdi posset alicui? Neque igitur posset omnino subdi legi dei. Quis ergo subditur? Homo, in quo carnalis est affectus: at ne ille quidem, donec præsens adhuc fuerit carnalis affectus: vbi verò eiectus fuerit per pœnitentiam & discessionẽ ab ipso, tunc ille bene operatur, deiq; legi subiicitur. *Neq; enim potest*. Ne turberis quũ audis, Neque enim potest. Siquidem non hoc dicit, quòd carnalem habens affectũ, nũquam deo placere possit: sed dum in eo perseuerat, nequaquam deo subdi potest. alioqui quomodo plerique resipiscentes saluati sunt? Etenim nõ dixit, quòd ho-

mo illi adductus deo subdi nequeat, sed ipse affectus qui A
prauæ sunt actiones, quas etiam licet deserere. *Qui verò in carne sunt.* Qui autem dicũtur in carne esse? ij videlicet qui carnis habẽt affectum: ex mutuo enim respectu idem dixit.

Vos autem nõ estis in carne, sed in spiritu: Siquidem spiritus dei habitat in vobis. Quòd si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Cęterũ si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est secũdum peccatum: spiritus autem vita est secundũ iustitiam. Quòd si spiritus eius qui excitauit Christũ ex mortuis habitat in vobis: qui excitauit Christum ex mortuis viuificabit & mortalia corpora vestra, propter spiritum eius inhabitantem in vobis. B

Per datam dei gratiam non estis in carne, hoc est, in carnalibus & iniquis actionibus, sed in affectu spirituali. *Siquidẽ spiritus dei habitat in uobis.* Non est hoc loco dictio εἴπερ dubitantis, sed eius qui certus est ac credit, pro eo quod est: Quandoquidẽ spiritus dei habitat in vobis: sicut & eo loco 2.Thes.1.
vbi dicitur, Siquidem iustum est reddere his qui vos affligũt, afflictionem. Nã ibi quoq; εἴπερ ponitur pro ἐπειδήπερ. Pho.
ALIO MODO. Vide quomodo dicat, Siquidẽ spiritus dei habitat in vobis: & rursum, Si Christus est in vobis. Vbi enim vna sanctæ trinitatis persona habitauerit, ibi tota adest trinitas. Deinde ait, Quandoquidem Christus in vobis est, mortuo videlicet corpore secũdum peccatũ: nam hoc significet διὰ ἁμαρτίαν. Neq; enim inhabitaret Christus, nisi secũdum peccatum esset mortificatũ corpus. Mortuum est ergo corpus secũdum peccatum. *Quòd si quis spiritum Christi non habet.* Ne illos mœrore afficeret, nõ dixit, Quòd si non Seuer.
habetis, sed Si quis non habet, tanquã de aliis loquens. Spiritum autẽ Christi dixit dona noui testamenti. Nam cõmunis est patris ac filij spiritus: vt est illud, Spiritus autem patris qui excitauit Iesum ex mortuis, & rursum, Spiritus filij eius. *Cæterũ si Christus in uobis est.* Id quod triste erat ad alium & ad vnicũ retulit: dicens, Si quis spiritum dei nõ habet: quod autem optabile, ad ipsos & numero multitudinis.

D Cæterùm si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est. Corpus, inquit, mortuũ erit, quoad peccati operationẽ, nam hoc significat διὰ ἁμαρτίαν. Ostendit ꝙ carnem nõ accuset. Nam peccato iussit corpus mortificari, hoc est, ne peccatum operaretur. Spiritum verò, animũ hic appellauit tãquam iam spiritualem effectũ. Per hũc iustitiã prosequi iubet, cuius fructus vita est maximè optabilis: spiritus autem vita est. Ne timeas, inquit, quũ Mortuum audis: habes nãq; & vitam, nẽpe spiritũ ad iustitiȩ operationem. Quemadmodum autẽ dixit, Corpus quidẽ mortuũ est, ita & consequens erat vt diceret, Spiritus autẽ viuit. At dixit, Vita est, ostendens nõ tantùm viuere spiritũ, sed & viuificare. *Qui excitauit Christum ex mortuis*. Excitatus est dominus noster Iesus Christus à patre, restituta vita quoad carnẽ eius, per spiritũ

Iohãnis.

Cyrilli.

E sanctũ qui ipsi^9 est. Itaq; dici potest & à patre excitatus esse: sed & ipse erat qui p̱ spiritum sanctũ excitabat, omnia nãq; diuina à patre efficiũtur per filiũ in spiritu. Excitat ergo & Christus nostra corpora ex mortuis. *Viuificabit & mortalia corpora uestra*. Ad resurrectionis sermonẽ venit: Quia verò in hac omnes quidem resurgũt: sed alij quidẽ ad vitam, alij verò ad pœnam: nõ dixit, Resuscitabit, sed, Viuificabit, hoc est, ad vitam & gloriã resuscitabit. *Propter spiritum eius inhabitantem*. Causam dixit viuificationis. Nec dixit, Qui inhabitauit, sed inhabitãtem, significãs continuã inhabitationem.

Proinde fratres, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Nam si secundum car-

F nem vixeritis, moriemini. Si verò spiritu facta corporis mortificaueritis, viuetis. Etenim quicunque spiritu dei ducuntur, hi sunt filii dei.

Post tantam gratiam debemus secundum dei voluntatem viuere, & nõ amplius secundum carnẽ. Deinde ne existimetur necessaria corporis ministeria tollere, putà cibũ ac vestitum, subiungit, *Vt secundum carnem uiuamus*, hoc est in peccatis, & vt permittamus vitam carnalibus concupiscentiis. ALIO MODO. Debitores sumus, vt secundum dei voluntatem viuamus, non viuamus secundum carnem, siue carnaliter, ac terreno more. Non autem tollit carne viuere, aut illam alere ac fouere, *Moriemini*. Immortali morte gehennæ.

*Si verò spiritu facta corporis.* Si verò per spiritum sanctum corporis actiones, hoc est, praua abstuleritis, viuetis beata illa vita. *Etenim quicunque spiritu dei ducuntur.* Non dixit, Quicunque spiritum dei acceperunt, sed Quicunque spiritu dei ducuntur, hoc est, totius vitæ gubernatorem, ac præfectum præficiunt. Omnes enim qui baptizantur, spiritum accipiunt, sed non omnes illi præsidentiam sui tradunt. *Hi sunt filij dei.* Ecce lætam adoptionem annuntiat. A

Non enim accepistis spiritum seruitutis rursum ad timorem: sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba pater. Idem spiritus vnà testatur cũ spiritu nostro, quòd simus filii dei: quòd si filii, & hæredes, hęredes quidem dei, cohęredes verò Christi. B

Quandoquidem adoptionis meminit (erãt autem & Iudęi hoc nomine honorati, vt quum dicitur, Filius meus primogenitus Israel. Et illud, Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes) vult ostendere magnam adoptionum differentiam. Nõ enim accepimus, inquit, spiritum seruitutis: nec quemadmodum Iudæi spiritualem acceperunt legem tanquam serui ad timorem. Nam hoc significat Spiritum seruitutis. Ipsi enim per timorem qui veluti in manibus aderat, cogebãtur quasi serui vt facerent quæ deceret. Nos verò tanquam filij ob spem in cælis repositam facimus quę conueniunt. Itaque illis more seruorum in timore viuentibus solo nomine conueniebat adoptio, vt ex eo nomine honorarentur: nobis autem secundum veritatem. Quemadmodum enim apud illos omnia typus erat nostrorum, ita existimo & de adoptione. Spiritum seruitutis dicit spiritualem legem: neque enim in vniuersum acceperunt Iudæi spiritum. *Sed accepistis spiritũ adoptionis.* Vnde hoc manifestum est? Patrem, ait, vocamus deum. *Per quem clamamus Abba pater.* Per ipsum enim adoptionis spiritum digni habemur qui hanc vocẽ deo tribuamus, ipsũmq; patrem vocemus. Et vnde declaratur hoc bene fieri, deóq; gratum esse, vt hanc vocem ad ipsum referamus? Filius nos ita dicere docuit, Pater noster qui es ĩ cælis, &c. Apostolus verò, quia communia esse nouit dispensatio-

Exod. 4. Psal. 115. C Mat. 6.

D nis erga nos Christi opera, spiritus, inquit, attestatur. Nam quum Christus hanc tradiderit precationem, etiam spiritus tradit, & dono per ipsum dato in nobis attestatur. Quid autem attestatur? ꝙ bene & modo deo grato ipsum patrem nostrum dicamus: ꝙ filij ipsius simus adoptati ab eo per baptismum. Quòd si filij, & hæredes. Iudæi verò licèt filij dei vocabantur, multa tamen vtriusque & vocationis & adoptionis differentia. Siquidem illi in figura nominabantur, quẽadmodum & alia in figura gratiæ illis contingebant: nos verò non figuratiuè, sed perfectè: & illi quanquam filij vocabantur, non tamen ipsis datum erat, vt deum vocarent patrem: nobis autẽ & hoc donatũ est, multáque alia est excellẽtia. *Adoptionis.* Atqui consequens erat, vt diceret, Liber-
E tatis: sed tamen quod maius est dicit. *Per quem clamamus.* Dicimus enim, Pater noster qui es in cælis. Posuit autem & Hebraicam dictionem, vt genuinum ac per omnia patrẽ significaret. *Ipse spiritus unà testatur.* Quia Iudæi deum patrem vocabant, ostendere vult ꝙ illis quidem hoc permissum non erat, nobis autem indubiè, quod ex eo manifestum est, quod spiritus testatur, & ait, Ipse spiritus, hoc est, ipse paracletus vnà testatur cum spiritu nostro, id est, dono nobis ab ipso dato. Non enim hæc vox solius doni est, sed eius quoque qui largitus est, vbi ergo spiritus testatur, quæ ambiguitas est? *Et hæredes.* Consequenter auget dignitatem. Nam possunt & filij esse, nec hæreditatem suscipere. Vides ergo ꝙ alia sit nostra adoptio ab adoptione Iudæorum. Si-
F quidem nos etiam hæredes sumus, illi autem non. De eis e-
*Mat.8.* nim dicit, Malos malè perdet, & vineam locabit aliis: & rur-
*Mat.21.* sum, Multi, inquit, venient, & accumbent cum Abraham, filij autem regni eiicientur, videlicet Iudæi. ¶ In id quod dicitur, Spiritum seruitutis. Quia Iudæi adoptionem sibi vẽ-
*Iesa.1.* dicabant, Filios, inquit, genui & exaltaui: ostendit quanta sit differentia adoptionis nostræ ac illorum: & ait ꝙ illi spiritum seruitutis acceperant, putà legem tãquam à spiritu datam, magis aptam seruis. Etenim pœnæ paratæ erant etiam
*Ibidem.* corporales, lapidationes ac minæ, Gladius deuorabit vos: & ob id multus timor erat præ oculis. Rursumq; præmia terrena erant, Si audieritis me, bona terræ comedetis. Nostra verò præmia sunt bona cælestia, & mysticæ mensæ commu-

nicatio tanquam filiis data. *Cohæredes verò Christi.* Auget A
dignitatem rursum, nósque domini propinquos statuere
contendit.

CAPVT XIII.

*Repetitio de gloria quæ sanctis reposita est.*

SIquidem compatimur vt & glorificemur. Existimo enim non esse cōdignas afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Etenim anxia expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat. Quippe vanitati subiecta est creatura, non volens, sed propter eum B
qui subiecit ipsam in spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in ipsam libertatem gloriæ filiorum dei.

Ne segniores reddamur arbitrantes omne negotium esse gratiæ, exigit etiam quę à nobis sunt, Nam si in tristibus, inquit, communicauerimus, pariter & in commodis participes erimus. *Afflictiones præsentis temporis ad futuram gratiā.* Temporalitatem ac breuem durationem afflictionum significat per hoc quod ait, τȣ̃ νῦν καιροῦ, id est, præsentis temporis. Deinde ostendit totum penè gratiæ esse, ex eo ꝙ deus abundantior sit in retributionibus: nec possumus quicquam futura retributione condignum aut pati aut ad illam cōferre. *Quæ reuelabitur erga nos.* Bene reuelabitur siue detegetur. Etenim nunc quoque est, sed occulta. *Anxia expectatio creaturæ.* Expectatione expectat, ait, tāquam intenso vehementique desiderio. Est autem quod dicit huiusmodi. Ipsa quoque creatura nostram gloriam vehementer expectat. Quare? Incorruptibilis, inquit, formata, propter peccata hominum facta est corruptibilis: quandoquidem & nos ex incorruptibilibus facti sumus corruptibiles. Cupit itaq; creatura homines suscipere immortalitatem (quod in resurrectione erit) vt & ipsa suam accipiat immortalitatem. Nā homine propter quem facta est corruptibilis, immortalitatem suscipiente, ipsa quoque vnà suam accipiet immortalitatem. Totum autem prosopopœia est, hoc est, personæ effictio,

D quò bonorum demonstret magnitudinem: vtque ostendat nos potius anniti debere, vt huiusmodi gloriam ac immortalitatem assequamur, quàm ipsa creatura. Ne enim opineris inanimem ac insensibilem creaturam talia expectare vel sentire. *Reuelationem*, hoc est, perfectionem finalem, cùm demonstrandi sunt quidam esse filij dei, quidam autem filij diaboli: *Vanitati subiecta est*. Hoc est, corruptioni, ad hoc enim condemnata est propter nostra peccata. *Non uolens, sed propter eum qui subiecit ipsam in spe*. Christi, inquit, virtutis hoc est opus, etiam inuitam subiicere in spe: nam & ipsa liberationem sperat: in spe ergo liberationis subiecta est. Deinde seipsum interpretatur quomodo in spe. *Nam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in ipsam liberta-*

E *tem gloriæ*. Acsi dicat, Propter libertatem ipsam gloriæ, hoc est, propter nos erit creatura immortalis, sicut & ꝓpter nos

Oecum. facta est mortalis. Quod dicitur, εἰς τὴν ἐλευθερίαν, in ipsam libertatem, nempe cum articulo, significat ꝙ in eandem libertatem à corruptione veniet, in quam & nos, hoc est, ex corruptibili fiet incorruptibilis.

Scimus autem quòd omnis creatura congemiscit vnà cum filiis, simúlque parturit ad hoc vsque tempus. Non solùm autem illa, sed ipsi quoque primitias spiritus habentes, & nosipsi in nobisipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Siquidem spe salui facti sumus. Por-

F rò spes quæ videtur non est spes: quod enim quis cernit, cur etiam sperat? Si verò quod non videmus speramus, id per patientiam expectamus.

Gemit, inquit, creatura cupiens corruptionem in posterũ abiicere. Quòd si id optat creatura, multò magis nos hoc petere debemus, vtpote & dei verbo honorati & adoptionẽ expectantes. *Congemiscit*. Nã & ipsi primitias spiritus habentes, & nosipsi gemimus, propterea congemiscit. Hęc di-

Chrysostomi. xit non pręsentia condemnans, sed futura desiderans. Gustaui, inquit, gratiam, nec fero dilationem: primitias habeo spiritus, & ad id quod integrum est propero. Ascendi in tertiũ cælum, vidi gloriam illam ineffabilem, vidi splendida pala-

tia, cognoui quibus hic cõuersans priuatus sim, & propter- A
ea gemo. *Sed & ipsi primitias spiritus habentes.* Non solùm, inquit, creatura gemit, sed & ipsi qui paruum aliquod principium gustúmque spiritus acceperũt, festinant, vt ad ea quę ibi sunt transeãt. Quòd si spiritus primitiæ tales sunt, vt admiranda faciant opera ex sola vmbra, quid faciet quod perfectũ est? *Redemptionem corporis nostri.* Ne quis dicat, Tu Sup. eo-
dixisti ꝙ filij sumus, quã ergo aliam expectamus adoptio- dem.
nem, ait, *Redemptionem corporis.* hoc est, incorruptionem: tunc enim firma erit adoptio, tunc eius apparebũt effectus. Nunc enim neque gloria manifesta est, sed metus excidendi, propter vitam condemnationi obnoxiam. *Adoptionẽ ex-*
*pectantes.* Quam? quid enim? nonne hanc per baptismũ ac- Pho.
cepimus? nonne & ipse paulò antè dicebas, Spiritum ado- B
ptionis accepistis? Vtique, inquit. Quam ergo expectamus? eam quæ manifestabitur, ait, per corporis redẽptionem. Aliámne ab ea quæ dicta est? absit. Sed eam ipsam perfectiùs manifestandam, & ipsa experientia cognoscẽdam. Post corporis enim redemptionem, tunc bonorum erit fruitio, tunc ipsius corporis resurrectio & incorruptio: tunc regni cælorum hæreditaria possessio, tunc omnia adoptionis figura & effectus. Etenim nũc propter horum spem accepimus adoptionem. Ipse verò significantiùs dixit, Salui facti sumus, ostendens ꝙ à tempestate magnáque turbatione quæ ex peccato procedit, facta nostri adoptione liberati simus. Quomodo igitur hæc iam sperauimus, quum ista nondum facta sint, neq; in conspectum nostrum inciderint, aut in experiẽ- C
tiam? Bene, inquit, ac rationabiliter. Nam si ea quæ sperantur in conspectum nostrum venissent aut in experientiam, nequaquam sperarẽtur. Quod enim obtinet quispiam, quonam modo sperare potest? Iuxta spei igitur naturam id proprium est, ꝙ de futuris sit, & quæ nondum in seipsis sunt. Et nos itaque sperare oportet quæ non videmus. Si autem quę non videmus, illa tamen vt æquum est speramus, lõganimes esse oportet, & expectare quæ sperãtur, nec subitò requirere vt illa contingant: maximè quum spiritus per ea quæ hic præstantur dona ac beneficia, eorum fidem faciat quę in futurum seruãtur, & nostrarum cogitationum imbecillitatem adiuuet ac curet. Quot enim in nostris animabꝰ præstat be-

D quò bonorum demonstret magnitudinem: vtque ostendat nos potius anniti debere, vt huiusmodi gloriam ac immortalitatem assequamur, quàm ipsa creatura. Ne enim opineris inanimem ac insensibilem creaturam talia expectare vel sentire. *Reuelationem*, hoc est, perfectionem finalem, cùm demonstrandi sunt quidam esse filij dei, quidam autem filij diaboli: *Vanitati subiecta est*. Hoc est, corruptioni, ad hoc enim condemnata est propter nostra peccata. *Non uolens, sed propter eum qui subiecit ipsam in spe*. Christi, inquit, virtutis hoc est opus, etiam inuitam subiicere in spe: nam & ipsa liberationem sperat: in spe ergo liberationis subiecta est. Deinde seipsum interpretatur quomodo in spe. *Nam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in ipsam libertatem gloriæ*. Acsi dicat, Propter libertatem ipsam gloriæ, hoc est, propter nos erit creatura immortalis, sicut & ꝓpter nos facta est mortalis. Quod dicitur, εἰς τὴν ἐλευθερίαν, in ipsam libertatem, nempe cum articulo, significat ꝙ in eandem libertatem à corruptione veniet, in quam & nos, hoc est, ex corruptibili fiet incorruptibilis.

E

Oecum.

Scimus autem quòd omnis creatura congemiscit vnà cum filiis, simúlque parturit ad hoc vsque tempus. Non solùm autem illa, sed ipsi quoque primitias spiritus habentes, & nosipsi in nobisipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Siquidem spe salui facti sumus. Porrò spes quæ videtur non est spes: quod enim quis cernit, cur etiam sperat? Si verò quod non videmus speramus, id per patientiam expectamus.

F

Gemit, inquit, creatura cupiens corruptionem in posterũ abiicere. Quòd si id optat creatura, multò magis nos hoc petere debemus, vtpote & dei verbo honorati & adoptionẽ expectantes. *Congemiscit*. Nã & ipsi primitias spiritus habentes, & nosipsi gemimus, propterea congemiscit. Hęc dixit non pręsentia condemnans, sed futura desiderans. Gustaui, inquit, gratiam, nec fero dilationem: primitias habeo spiritus, & ad id quod integrum est propero. Ascendi in tertiũ cælum, vidi gloriam illam ineffabilem, vidi splendida pala-

Chrysostomi.

tia,cognoui quibus hic cõuersans priuatus sim, & propter- A
ea gemo. *Sed & ipsi primitias spiritus habentes.* Non solùm,
inquit,creatura gemit,sed & ipsi qui paruum aliquod prin-
cipium gustúmque spiritus acceperũt,festinant,vt ad ea quę
ibi sunt transeãt. Quòd si spiritus primitiæ tales sunt,vt ad-
miranda faciant opera ex sola vmbra,quid faciet quod per-
fectũ est? *Redemptionem corporis nostri.* Ne quis dicat, Tu Sup.eo-
dixisti ꝙ filij sumus, quã ergo aliam expectamus adoptio- dem.
nem,ait, *Redemptionem corporis.* hoc est,incorruptionem:
tunc enim firma erit adoptio , tunc eius apparebũt effectus.
Nunc enim neque gloria manifesta est , sed metus exciden-
di,propter vitam condemnationi obnoxiam. *Adoptionẽ ex-
pectantes.* Quam? quid enim? nonne hanc per baptismũ ac- Pho.
cepimus? nonne & ipse paulò antè dicebas , Spiritum ado- B
ptionis accepistis? Vtique,inquit. Quam ergo expectamus?
eam quæ manifestabitur, ait, per corporis redẽptionem. A-
liámne ab ea quæ dicta est? absit. Sed eam ipsam perfectiùs
manifestandam,& ipsa experientia cognoscẽdam. Post cor-
poris enim redemptionem,tunc bonorum erit fruitio, tunc
ipsius corporis resurrectio & incorruptio: tunc regni cælo-
rum hæreditaria possessio,tunc omnia adoptionis figura &
effectus. Etenim nũc propter horum spem accepimus ado-
ptionem. Ipse verò significantiùs dixit, Salui facti sumus,o-
stendens ꝙ à tempestate magnáque turbatione quæ ex pec-
cato procedit , facta nostri adoptione liberati simus . Quo-
modo igitur hæc iam sperauimus, quum ista nondum facta
sint,neq; in conspectum nostrum inciderint,aut in experiẽ- C
tiam? Bene,inquit, ac rationabiliter. Nam si ea quæ speran-
tur in conspectum nostrum venissent aut in experientiam,
nequaquam sperarẽtur. Quod enim obtinet quispiam,quo-
nam modo sperare potest? Iuxta spei igitur naturam id pro-
prium est,ꝙ de futuris sit,& quæ nondum in seipsis sunt. Et
nos itaque sperare oportet quæ non videmus. Si autem quę
non videmus,illa tamen vt æquum est speramus,lõganimes
esse oportet,& expectare quæ sperãtur, nec subitò require-
re vt illa contingant: maximè quum spiritus per ea quæ hìc
præstantur dona ac beneficia,eorum fidem faciat quę in fu-
turum seruãtur,& nostrarum cogitationum imbecillitatem
adiuuet ac curet. Quot enim in nostris animab⁹ præstat be-

D neficia, vt nunc alia taceam, docendo nos quomodo precari oporteat, ſcrutando corda, vtque vnico verbo dicam, omnia ſimul ad bonum operando? EIVSDEM alio modo in hoc quod dicitur, *Adoptionẽ expectantes*. Quare expectas? quia expectatione ac ſpe ſalui facti ſumus: quomodo ergo? an ne expectare ac ſperare iam oportebit? Quòd ſi ſperare oportet, vtique tolerare oportet, & per longanimitatem quę ſperantur expectare. Et ad hæc etiam habemus ſpiritualia dona quæ noſtras adiuuent imbecillitates, neq; circa ſpem vacillare ſinant. Quòd autem ſpirituale donum noſtras ſimul adiuuet imbecillitates, protinus manifeſtũ eſt etiam ex dono ſpirituali, quòd ad precum noſtrarum auxilium datũ eſt nobis. Siquidem ſpiritu ter hoc loco nominato, ſpirituale E ſignificauit donum: qui autem ſcrutatur corda, ipſe ſpiritus ſanctus eſt, qui à patre procedit. ALIO modo. *Adoptionẽ expectamus*. Deinde ne ea quæ præſentia ſunt calumniari videatur, détque occaſionem hæreticis, ait, non quæ præſentia ſunt eſſe mala, ſed quæ expectantur eſſe meliora, quæ ſunt adoptio. Tunc enim adoptionis effectus manifeſti fient. *Nam ſpe ſalui facti ſumus*. Tanquam dixiſſet, Quum omnia à deo acceperimus, nos ſolam fidem ipſi adduximus, cuius magna pars ſpes eſt futurorum. Ne igitur quæras vt omnia quæuis alia bona tibi hìc adſint, ſed ſpe in futurum differas. Quòd ſi omnia adeſſe cupis, iam non ſperas. Nam ſpes quæ videtur non eſt ſpes. *Si uerò quod non uidemus ſperamus*. Quòd ſi ea ſperamus quę non proſpicimus, in tolerantia F feramus horum expectationem: porro tolerantiam eſſe potiſſimam virtutis partem omnino manifeſtum eſt. Itaque ſpes & fidem & tolerantiam producere nata eſt.

Similiter autem & ſpiritus vnà auxiliatur infirmitatibus noſtris. Siquidem hoc ipſum, quod oraturi ſimus, vt oportet, non nouimus: ſed ipſe ſpiritus vehementer intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, nouit quis ſit ſenſus ſpiritus: quoniam ſecundum deum intercedit pro ſanctis.

Neque arbitreris ſuper tolerantia nimium eſſe laborandum;

dũ:non enim te ſinet ſpiritus defatigari,ſed ad hoc tibi erit auxilio:infirmi enim ſumus, & neque tolerantiam præſtare poſſumus abſque ſpiritus auxilio. ¶ Similiter autem & ſpiritus tui curam habebit,ſpirituali videlicet dono. *Hoc ipſum quod oraturi ſimus.* Et quid dico,inquit,ꝙ ad tolerantiæ operationẽ ſancti ſpirtus auxilio nobis opus ſit?etiã in his quæ facilitatem habere videntur, veluti in oratione, idem nobis contingit:interdum enim accidit vt inutilia poſtulemus. *Non nouimus.* Etiã ſeipſum immiſcuit,ne ſermo odioſus videatur. *Sed ipſe ſpiritus intercedit.* Olim varia dona varij accipiebant, prophetiæ, interpretationis linguarum: quæ omnia ſpiritum appellabant,tanquam à ſpiritu donata. Similiter autem & precandi donum quidam accipiebant. Quum enim ignoraret vulgus quid vtile eſſet,ideóque nõ rarò inutilia poſtularet, accipiebant nonnulli donum precationis,& pro vniuerſo populo precabantur:quod donum etiam ſpiritum appellabant. Hoc eſt ergo quod dicit: ipſa quoque precandi gratia pro nobis apud deum intercedit gemitibus inenarrabilibus. Id autem dixit, confirmare volẽs quòd ignoremus quonam modo orare oporteat. Niſi enim hoc eſſet, inquit, quid neceſſe foret quoſdã accipere donum precandi pro populo? Hoc nunc diaconus ſupplicando complet. ¶ Non dixit autem quocunq; modo ἐντυγχάνει,id eſt,intercedit,ſed ὑπερεντυγχάνει per compoſitum, ſignificans vehementem magnóque ſtudio factam ſupplicationem. *Qui autem ſcrutatur corda.* Ipſe paracletus qui ſpiritualium hominum corda inueſtigat, eorum videlicet, qui precandi gratiam ac ſpiritum acceperunt. *Nouit quis ſit ſenſus ſpiritus*, id eſt, ſpiritualium hominum qui dictum precandi ſpiritum acceperunt. Nouit ſenſum ſiue ſupplicationem. *Quoniam ſecundum deum intercedit.* Non docẽt, inquit, qui ſpirituales ſunt deum quaſi ignorantem, nouit enim paracletus. *Secundum deum intercedit*, non ſecundũ aliquam nociuam concupiſcentiam, ſed ſecundum deum, hoc eſt dei volũtatem. *Pro ſanctis.* Hoc eſt iis qui per precationem ſanctificantur,vel quia pro puris deóque placentibus operibus petitiones facit: vel pro hominibus ſanctitatem deſiderantibus.

A | Oecu. | B | Oecu. | C

Scimus autem quòd diligẽtibus deũ omnia coo-

D perantur ad bonũ his qui ſecundũ propoſitum vocati ſunt. Quoniam quos præſciuit, etiam prædefiniuit conformes imaginis filii ſui: vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres. Quos autẽ prædefiniuit, eoſdẽ & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos verò iuſtificauit, eos & glorificauit.

Ita, inquit, ob ignorantiam quam in precando patimur, à ſpiritu adiuuamur, vt etiam mala nobis conuertat in bona. *Omnia cooperantur.* Omnia, inquit, etiam mala: ſiquidem hæc quoque deus conuertit in bona: Nam ad eorum qui patiuntur gloriam conuertuntur. Maius eſt autem in bona cõuerti quàm omnino non ſuperueniſſe. *Qui ſecundum propoſitum uocati ſunt.* Quia incredibile videbatur mala conuerti in bona: propoſita dei vocatione, quod dictum eſt confirmauit. Neque enim hoc quibuſlibet contingit, inquit, ſed his duntaxat qui à deo vocati ſunt. Deinde ne putaretur tantùm ex parte quoſdam vocaſſe, dicit: His qui ſecundum propoſitum: id eſt qui ſecundum decretum, ſecundum electionem nacti ſunt vocationem: oſtẽdens quòd omnes quidem vocati ſimus: ſed illi obedierunt, ideo etiam adiuuantur, qui ſecundum proprium propoſitum vocati fuerunt. *Quoniam quos præſciuit.* Quoniam quos, id eſt, hos qui ſecũdum proprium propoſitum vocati fuerunt, præſciuit: ex cõmuni ſenſu repetendum eſt, Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. C*onformes*. Quod filius dei ſecundum naturam eſt in humanitatis aſſumptione, putà ſanctus & ſine peccato, hoc & ipſi ſecundũ gratiam facti ſunt: Cõformes enim, hoc eſt ſimilis formæ. Imaginem autem filij vocat diſpẽſationẽ, & corpus quod inde ſumptum eſt. Nam ſecundu diſpenſationem conformes & fratres ipſius ſunt homines, ſecũdum diuinitatem verò vnigenitus eſt vnicus. I*maginis*. Quænã dei imago intelligatur, idem ipſe explanat vbi dicit: Quẽadmodum enim geſtauimus imaginem terreni, geſtemus & imaginem ſupercæleſtis: hoc eſt vitam quæ in ſanctificatione degitur, conuerſationem erga vnumquemque reprehenſione carentem. Sicut enim imaginem terreni, id eſt, Adam dicimus eſſe vitam quæ in inobedientia & peccatis agitur:

Margin: E; F; Cyrilli. 1.Cor.15.

ita & imaginem supercælestis, hoc est Christi, sanctificationem, iustitiam, obedientiã. *Vt sit ipse primogenitus.* In omnibus cognationẽ significare cupit quæ nobis est erga Christum: cognationem inquam quæ est in dispensatione carnis suæ. *Quos autem prædefiniuit &c.* Subaudito vbiq;. Qui secundum propositum vocati sunt. Quoniam quos præsciuit, hos etiam prædefiniuit, qui secũdum propositum sunt: quos autem prædefiniuit eosdem & vocauit, qui secundum propositum sunt: & quos vocauit, eosdem & iustificauit, qui secundum propositum sunt: quos verò iustificauit, hos & glorificauit, rursum qui secũdum propositum vocati sunt, vt nihil absurdi occurrat, si quibusdam deus benefacit, quibusdam verò non. Quum autem subauditur Secundum propositum, statuitur illorum virtus qui secundum propriũ propositum crediderunt, & à personarum respectu deus liberatur. *Hos & iustificauit.* Per lauacri regenerationem. *Eos & glorificauit,* Per dona seu affectus adoptionis. A B

Quid ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo pacto non etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus qui mortuus est, magis autem & suscitatus est: qui & est ad dexteram dei, qui etiam intercedit pro nobis. C

*Quid ergo dicemus ad hæc?* Tanquam dixisset, Quum hæc ita sint, nemo deinceps ob afflictiones, aut pericula quæ hìc contingunt verba faciat. Quid enim dici potest ad tantam dei bonitatem? Quid ergo dicemus ad hæc? quænam? quòd prædefiniuit, quòd vocauit, quòd iustificauit, quòd glorificauit: ad tantam beneficiorum vbertatem quid dicemus? Neque gratiarum actionis sermonibus, inquit, ne q; operũ retributione abũdamus aut sufficientes sumus. tanta est ineffabilis ipsius apud nos gratia. Deinde tanquã sumpto hinc additamento ait: Si deus pro nobis quis contra nos? nullus: nam licèt quidam nocere tentauerint, nõ nocebũt, sed proderunt. Verùm vnde manifestum est, quòd deus pro nobis Pho.

D sit? Et ex his quæ dicta sunt, &, quod maximum est, omnémque mentem in stuporem redigit, quòd pro nobis filio proprio non pepercit. Si igitur deus pro nobis est, manifestum quòd omnia ad id quod vtile est, transferet: & quæ tristia videntur, vt gaudium concilient, efficiet: quemadmodum & in ipsis apostolis ac martyribus, tribulationes, persequutiones ac mortes fecit occasiones esse coronarum ac brabiorum, & conciliatiua regni cælorum. Sic igitur & nos, modò non deficiamus, nullus aduersum nos quicquam poterit. Posuit autem, *Qui proprio filio non pepercit &c.* simul & ineffabilem dei prouidentiam circa nos, vt diximus, ostendens & si quid molestiæ ab aliquibus patimur sustinere ac viriliter tolerare hoc exemplo adhortans: nec id solùm, verum-
E etiam refocillans ac mitigans. Nã si tanta filius pro te passus est, quid te pro ipso pati oportet? Item si ille, quum tanta passus sit, nihil tamen paternæ gloriæ aut diuinitatis ipsi detractum est: neque tu quum hæc pateris, teipsum paruipẽdas: omnino enim etiam post afflictionẽ ac mortem ipsam, promissiones accipies. In eo autem quod sequitur, *Quo pacto non etiam cum illo omnia donabit*, cõfirmare vult quòd nulla occasione aut prætextu, dono frustrari possimus. Cum ipso, ait, omnia nobis donabit. Dices fortassis, inquit, Nequãdo nostri obliuiscatur. Atqui ita & filij obliuisceretur: nam cum ipso cuncta nobis elargitur. Omnino itaque &
F absque vlla tergiuersatione assequemur quę nobis promissa sunt Quum autem de tentationibus loquutus sit quæ per afflictiones sunt & tormenta, dicens, Quis contra nos, aliud nũc tẽtationum genus ponit, nempe improperia, accusationes, vituperia, calumnias, quę infideles effundebant aduersum fideles: & hoc ex eo manifestat, quod ait: Quis accusabit aduersus electos dei? & in his etiã ostẽdit quemadmodũ & in prædictis quòd deo iustificante inuanum nugantur qui accusant vel condemnant. *Si deus pro nobis quis contra nos?* Ne etiam dicant: Reges nobis aduersantur populíq; ac pręfecti omnes siquidẽ insidiabantur fidelibus: dicit quòd potens est deus insidias quæ sunt aduersum nos efficere occasiones præmiorum: nullus ego contra nos erit. *Qui proprio filio non pepercit.* Quomodo ergo, inquit, abiiciet nos deus qui nõ modò conformes filio suo reddidit, verũetiã iustifi-

cauit & glorificauit:nec id solùm,sed & filium pro nobis omnibus dedit & publicanis & peccatoribus ac fornicariis. Quòd si filium,inquit,dedit ad mortem pater,quid de reliquis ambigere oportet? qui enim dedit quod magnum est, dabit vtiq; & quod minus est. *Quis accusabit.* Multi impij accusabant credentes. Dicit ergo,Quis idoneus est vt accuset aut redarguat eos qui à deo sunt electi? Et vide ꝙ nō dixerit Seruos dei aut Credētes,sed Electos,dignitatē extollens. *Deus est qui iustificat.* Rursum non ait,Qui peccata dimisit,sed quod maius est,Qui iustificat. *Quis ille qui cōdemnet?* Quum enim deus propria sententia quempiam iustificauerit,quis illum condēnabit? quòd si etiam condemnauerit,quid proderit? Qui cōdemnet autē,tanquam pro peccatis. *Christus qui mortuus est.* Secundum interrogationē idem producit,tanquam in his quæ sunt irrefragabilia. *Qui mortuus est.* Quis,inquit,ille qui condemnet quum spiritus auxilietur infirmitatibus nostris,pater iustificet,filius verò pro nobis mortuus sit? Nam quos trinitas iustificauit, quisnam condemnabit? Potest & hoc modo intelligere,vt ad id quod modò dictum est, respondeat, Si spiritus auxiliatur,si pater iustificauit,quis potens est cōdemnare? relinquitur,inquit, filius. filius igitur cōdemnare potest:atqui intantum dilexit, vt pro nobis mortem elegerit: quúmq; modò sit in dextera patris & ad propriam redierit gloriã,nostri dilectionem nequaquam reliquit:sed & patrem pro nobis intercedit, Nam hoc est quod sequitur,ἐντυγχάνει. Sic autem intercessionem siue aduocationē intellige, vt per hoc ꝙ humanitatē susceperit,patrem interpellare dicatur pro nobis. *Qui & est ad dexteram dei.* Ne enim intercessionem arbitreris minorationem,posita primùm honoris æqualitate dicendo quòd sit in dextera patris,ita subiunxit. Intercedit,volens ardentem ostendere dilectionem: non enim tanquam imbecillis ad saluandum eget patris auxilio, Absit, *Qui etiã intercedit.* Tanquam ad humanitatem respiciendo dictum est,eo quòd pontifex erat, Tu es sacerdos in æternum. Dominicę illius vocis intellectum manifestat ac designat, quæ in forma precationis patri offertur, Pater serua eos per veritatē tuam. &, Vt serues eos à malo,ac similia. Si ergo ita nostri curam habet filius,vt etiam intercedat: Nam tantam vim habet facta

Margin: A; B; Oecu.; C; Cyrilli. *Psal.* 10. Pho. *Iohan.* 17.

D tunc precatio vt ſemper ſit efficax, & quæ in ea continẽtur adimpleat: ſi tantam itaq; noſtri curam habet, quis eos condemnet qui in ipſum crediderunt? Pater iuſtificauit & glorificauit, ſpiritus auxiliatur, filius etiam mortuus eſt pro nobis ac reſurrexit & intercedit: quis igitur accuſet aut condemnet, ſancta trinitate nos adeò protegente?

CAPVT XIIII.

*De amore qui Christo debetur.*

QVis nos ſeparabit à dilectione dei? afflictióne? an anguſtia? an perſequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptũ eſt,
*Pſal.43.* E Propter te morti tradimur toto die: reputati ſumus ſicut oues mactationi deſtinatæ: ſed in his omnibus ſuperuincimus per eum qui dilexit nos.

Pho. *Quis nos ſeparabit?* Nullus, inquit, quos tãto amore ac prouidentia dignatus eſt deus. Quod nunc dicit, Quis nos ſeparabit, repetitio eſt illius dicti, Quid ergo dicemus, Quẽadmodũ & hoc, deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui condẽnet, illius repetitio eſt, Si deus pro nobis quis cõtra nos? Frequẽter enim huiuſmodi vſus eſt ſchemate propter conſequẽtiæ circuitum & amplitudinẽ. Nullus enim quod ego ſciam aut noſtrorum aut exterorũ quemadmodũ magnus hic Paulus F forma iſta vſus eſt. Ne ergo in obſcuritatẽ ſermo nimis ipſi excidat, adhibitis etiã vſus eſt repetitionibus. Poſſunt autẽ & à proprio principio deſumi hæ particulæ, vt non ſint veluti repetitiones eorũ quæ dicta erãt. *Afflictióne an anguſtia, &c.* Nõ dixit diuitias, gloriã & quæcunq; apud homines bona vidẽtur, ſed illa potius quæ etiã vim inferre nata ſunt humanæ naturæ. Nomen autẽ afflictionis in multis manifeſtatur: qualia ſunt carceres, vincula, exilia & quæcunq; ſunt huiuſmodi. *Sicut ſcriptũ eſt.* Confuſione volens eos adhortari, teſtimoniũ adduxit. Nam ſi in veteri teſtamento vitã deſpiciebãt, quibus terrena erãt præmia & quæ in terra poſsidebantur: quantò magis nos qui regnũ cælorum in laborũ retributionem habemus? *Propter te?* Teſtimonio cõfirmat ſermonem. *Toto die.* Contingit enim vt voluntate frequẽter in die moriãtur. Aut toto die. i. per totũ diem, ſiue per totã vi-

tam. Vnicus nanq; dies est vniuersa hominũ vita. *Reputati sumus sicut oues*. Omnibus, inquit, ad iniuriã exponimur. Manifestum est quod apostoli tanquã oues erant quæ mactãtur nihil cõtradicentes. *Sed in his omnibus superuincimus*. Auditorẽ erigit ne concidat audiens afflictiones, persequutiones & quæcũq; dixit, & ait, Omnia per Christi gratiã superamus. Nec dixit, Vincimus, sed ὑπερνικῶμεν. i. superuincimus: hoc est per eos à quib⁹ appetimur insidiis, coronamur. Nã insidiatores coronas nobis cõciliãt si modo grato animo feramus. A

Nam persuasum habeo quòd neque mors, neq; vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instãtia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla alia creatura poterit nos separare à dilectione dei quæ est per Christum Iesum dominum nostrum. B

Quoniam superius præsentia dixit, nunc futura enumerat, & ait, Neq; futura mors, neque futura vita, neq; angeli, neque potestates possunt me separare à dilectione dei quæ per Christum mihi cõciliata est. Omnia mihi exigua sunt si ad illum amorem conferantur. Deinde vbi omnem creaturã dixit visibilem ac intelligibilem, quæ sunt instantia ac futura, adiungit, Neque vlla alia creatura, hoc est si alia quæuis ab ea quæ est subsisteret, neq; ipsa mihi quippiam esse videtur ad dei amorem. Verùm quia & angelorum meminit ac potestatũ: ne arbitreris angelos aut potestates velle aliquos separare à Christo: Minimẽ gentium: sed ardentẽ erga deum amorem significare volens, ad hos descẽdit sermones. C *Neq; altitudo neque profunditas*. Profunditatem vt opinor gehennam nominat, altitudinem verò regnum. Ad hæc æternam dicit vitam & æternã mortem. Theod. ALIO quoque modo. Vtq; summatim dicam, Neque admodum gloriosa, neque valde humilia, neque bona, neq; tristia, neque honesta, neq; mala. Oecu. *Quæ est per Christum Iesum* Quum præmiserit dei dilectionem, ne ludificare videatur de priuata loquens dilectione (Nam qui amatus est, non mirum si redamet) adiunxit, Quę est per Christum Iesum. Amabant enim & Iudæi deum, sed non per Christum Iesum, vnde & perierunt.

D

CAPVT XV.

*De casu abiectorum Israelitarum, ac uerorum uocatione qui cum Gentibus introducti sunt.*

Cap.9. VEritatem dico per Christũ,non mentior: attestante vnà mecũ conscientia mea in spiritu sancto,quòd tristitia mihi sit magna & continuus dolor cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui mihi cognati sunt secundum carnem,qui sunt Israelitæ: quorum est adoptio,& gloria,& testamentum,ac legislatio,
E cultúsq;, & promissiones:quorum sunt patres,iíq; ex quibus est Christus,quod ad carnem attinet:qui est super omnia deus benedictus in secula,Amen.

Magnum est quod dicere parat: ideo viam præstruit vt fidem faciat,tres producẽs testes,Christum,spiritum sanctũ,
Pho. ac propriam conscientiam. Vide autem. *Veritatem,inquit dico per Christum*,nec mẽtior,& in hoc mihi testis est consciẽtia simul cum spiritu sancto. *Optarim anathema esse à Christo.* Vide exaggerationem. Siquidem nõ dixit, Velim,sed optarim. Quem nihil potest à dilectione dei separare, non mors cõminata,non vita prolõgata:non vt vno verbo dicam, vel quæ à futuro sunt seculo,vel quæ à præsenti, non quicquid
F potest quispiam cõminisci. Ob hoc enim & angelorũ meminit, & potestatũ & profunditatis & altitudinis. Quem ergo nihil separare potest, quomodo ipse vltro discedit? idque propter cognatos secũdum carnẽ? Nec solùm vltro separatur,sed & concupiscit ac requirit,& optat separari à dei dilectione:optarim, inquit,ego ipse anathema esse à Christo. Quid igitur est hocquomodo contingẽt ea quę sunt impossibilia? Primùm quidẽ dicimus hæc nõ esse contraria. Neq; enim contrariũ est ita Christum diligere, vt neque per supplicium,neque per vllã promissionem separari possis ab eius dilectione, ei quod est ita diligere proximũ vt ipsius salutem æqualem ducas propriæ saluti imò & maiorem. Non sunt ergo hæc contraria,quin potius sibi inuicem etiam cõformia. Nam qui fratrem suũ diligit,dominũ quoq; diligit,

& ediuerſo. In hoc, inquit, cognoſcent omnes quòd mei di ſcipuli ſitis ſi dilexeritis inuicē. Ipſe etiam Paulus dicit, Ple nitudo legis eſt dilectio. Rurſumq; dominus de dilectione in deum & proximū. In his, inquit, duob' prçceptis vniuer ſa lex & prophetæ pendent, vt quæ capita ſunt omniū alio-rum, dilectionis & in deum & in proximum. Vtique dicet aliquis, Atqui hoc loco videtur præponere dilectionē pro-ximorū dilectioni erga deum: & hunc optat negare, vt illos lucri faciat: Chriſtus verò dicit, Qui amat patrē aut matrē ſupra me, non eſt me dignus. At non eſt hoc ſupra Chriſtū amare. Nam quid erat illos amare? nēpe familiares illos effi cere Chriſto: quomodo ergo poſſet illos amare ſupra Chri ſtum, quum illos ad Chriſti amorem ac obedientiam trahe-re ſtudebat? magis enim eſt verbum eius qui eximiū oſten-dit amorē quem habebat erga Chriſtum, quoniam ſimul & alios ad ipſum impellebat. Rectè dices, niſi ſeipſum à Chri ſto ſepararet, dicēs, Optarim ego ipſe &c. Quid ergo dice-mus? Vel quòd nullo modo ſeipſum ſeparabat, neque e-nim dixit, Opto hoc fieri, ſed ardorem oſtendebat deſiderij quem erga Chriſtum habebat, ac ſtudium quo ſe deſpicie-bat vt omnes ad ipſum adduceret, maximéq; Iudæos. Nam hi cognati erāt, & plurimùm reſiſtebant. Hæc igitur volens demōſtrare, dicit, Si poſsibile eſſet, vt per meam perditio-nem glorificaretur Chriſtus, & Iudæi ſalui fierent, neque hoc detrectarem. Siquidem optarim, inquit, ſi poſsibile eſ-ſet, ſi liceret, ſi mihi hæc optio daretur. Vtrum cupis dirimi à Chriſto vt omnis natio Iudçorū vniatur, Chriſtúſq; glori ficetur, & promiſsiones patris cōpleantur? an in hac vnione eſſe, vt ſic tota natio Iudæorum ſeditioſè agatur ac ſepare-tur: ſi ergo hæc proponerentur, præferrem, inquit, Chriſti gloriam, multorúmque ſalutē, quàm propriam. Vides exi-mium Chriſti amorem? Poſtquam ab omnibus quæ ſunt, Chriſti amorem oſtendit, eandem nunc demonſtrat ab his quæ non ſunt, ſed iuxta hypotheſim per intellectum ſuppo nuntur. Meam etiā ſalutem in hypotheſi ob ipſius gloriam, & Iudçorum ad ipſum conuerſionem omnino negligerem. Etenim ſeparatus Paulus pro Chriſti gloria, & Iudæorū in ipſo vnione, facilè rurſum vniretur ac coniūgeretur, quēad modum pull' aliquis paululū à matre diſtractus: & ita rur-

A
*Iohā.* 13.
*Infrà* 13.
*Matt.* 22.
*Matt.* 1.
B
C

D sum ipse saluus fieret, ac Christus magis glorificaretur, genúsque Iudæorum saluaretur: & testamẽtum ac promissiones ad finem deducerentur. Quin potius ita & propter hæc diuisus, non diuideretur, sed magis vniretur. An nõ tibi videtur quando Timotheum circũcĩdit, quando expiatus est, quãdo ea quæ legis sunt, perficiebat, quũ gratiam prædicaret, quodãmodo aduersus gratiã diuisus esse videbatur, sibiq; repugnare? at neque diuisus erat, neque sibiipsi aduersabatur. Ob gratiã enim, vtque omnes Christo adduceret, hæc & alia omnia faciebat. Hoc est dilectionis Christo dignæ: hoc est, animæ vniuersæ in Christi desideriũ abũdè inflãmatæ. ALIO quoque modo. Neq; dicit, Anathema fieri, hoc est, nunc ab ipso separari: id enim nequaquam optabile
E videtur, sed anathema esse .i. separatus adhuc esse, & nondum ad Christũ venisse. Hoc, inquit, optarim, meipsum nõdum ad Christũ venisse, sed adhuc ab eo separatũ esse, si hoc ad vestrũ ingressum ac fidem in ipsum cõferret. Ne me, inquit, arbitremini ob id vocare vos ad Christum, quòd ego ad eum venerim: imò etiam ante me cuperem vos ad ipsum accurrisse. Deinde consequẽter ponit & causas. *Ego ipse.* Nõ alios vobis antepono quòd ad Christum accesserint, sed neque me ipsum, Eligerem enim nondum ad eum venisse, si per hoc vos accessissetis. *Anathema esse.* Videtur quidẽ pro fratribus ac cognatis abalienari à Christo, nam id designat Anathema. Attamen exactè intuẽti apparebit ob Christi di
F lectionem hæc dixisse. Quonam modo? Quum Christum blasphemiis appeti videret à Iudæis, vtpote dicẽtibus, Nos qui legem ac prophetas accepimus, qui Christi progenitores fuimus, quorum erat adoptio, eiecti sumus, & loco nostri introierunt homines modò ab aris ac nidore sacrificiorum idolorum egressi. Quia igitur hęc dicentes videbat, ne esset vlla blasphemiæ aduersus Christum occasio, cupiebat & Iudæos conuersos esse, adeò vt etiam Anathema ob hoc fieri vellet, quod demonstratiuum est dilectionis Christi. Quẽ enim nulla potuit separare creatura, quomodo separasset dilectio cognatorum ac fratrũ? *Ego ipse* Præceptor, inquit, omnium, qui mille expecto coronas, qui illius dilectionem cunctis rebus antepono. *A Christo.* Propter Christi amorem hoc dixit: cupiebat enim ipsum ab omnibus glo-

rificari, sed nolens manifestum fieri hoc donum (Siquidem A
donum est ita Christum diligere) cognatos se amplius diligere simulat. *Pro fratribus meis.* Ostendere volens immẽsum suum amorem ac studium erga Iudæos, ilico vbi dixisset, Nihil me potest à dei amore separare, subiungit, At pro fratribus meis, si illis vtile esset ad eorũ auxilium, optarim separari, hoc enim significat Anathema. *Quorũ est adoptio, &c.* Ostẽdit deum nihil prætermisisse ad Iudæorũ beneficentiam: ipsi verò propria ingratitudine ac improbitate ab omnibus exciderunt. Ideo etiã dei dona enumerat, adoptionem, gloriam, legislationem ac reliqua. *Qui est super omnia deus.* Hìc apertissimè nominat Apostolus Christum deum. Erubesce, miserrime Arie, audiens à Paulo glorificari Christum deum verum. *Benedictus in secula.* Ipse pro omnibus B
gratiarum actionem retulit, acsi diceret, Quãquam Iudęi erga ipsum sint blasphemi, At ego, inquit, qui arcana noui, eiúsque prouidentiam cognosco, noui ꝙ dignus sit glorificari, vtpote deus Christus super omnia in secula.

Non autem hæc dico quòd velut exciderit sermo dei. Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israel: neque quicũq; sunt semen Abraham, omnes sunt filii: sed per Isaac vocabitur tibi semẽ. Hoc est, non qui filii carnis, hi sunt filii dei, sed filii ꝓmissionis reputantur in semen. Promissionis enim sermo hic est, In tempore hoc veniam, & erit Saræ filius. C

Ecce, inquit, etiam anathema fieri cupio vt Iudæi credãt, & ne videatur mendax fuisse deus in his quæ promisit: attamen si exactè considerauerimus, neque nunc excidit sermo: nec irrita fuit dei promissio. Nam hæc dixi, non quòd velut exciderit sermo dei: hoc est, non quia excidit sermo dei, sed quo dilectionem erga illos ostendam. Ac deinceps ostendit quo pacto dei sermo ac promissio dei ad Abraham non exciderit. Quænam? vel quod semen eius iuxta promissionem ęquali cum astris numero futurum esset. Semen autem eius secũdum promissionem est fidelium, qui à diuina prouidentia non exciderunt. *Non veluti.* Non solùm, inquit, Pho.
non excidit sermo dei, sed neque veluti exciderit, hoc est,

D ſed neque propè fuit vt excideret, vel vt excidiſſe videretur. N*on enim omnes qui ſunt ex Iſrael, &c.* Et quomodo, inquit, non excidit verbum dei? quomodo? Quia non omnes qui ſunt ex Iſrael Iſraelitæ ſunt, hoc eſt, ſemen Abraham. Deinde hoc explanat. Non enim ex eo ꝙ ſint aliqui filij carnales Abraham, continuò iam etiam filij ſunt ſecundũ promiſsionem, & quibus promiſsio facta eſt: ſed qui ſint filij Abraham, audi, inquit, ſcripturam. Vide autem ꝙ non dixerit, Ex Iaacob, ſed Ex Iſrael, pro ſigno virtutis ponens dilectionem Iſrael, ac donum ſupernum oſtendens. Si non omnes qui ex ſemine ſunt Abraham, hi etiam filij ſunt Abrahã: manifeſtum certè eſt alium eſſe modum, qui eos reddat filios Abraham, præter natiuitatem quæ ab ipſo eſt. Quis au-

E tem ille eſt? promiſsionis, hoc eſt, illi filij ſunt, qui etiã promiſsione digni habiti ſunt: & multiplicati tanquam aſtra cœli, veluti ſunt fideles. i. non filij carnales. H*oc eſt, non qui filij carnis, &c.* Deinde recitatã interpretatur ſcripturam, quid ſit, Per Iſaac vocabitur tibi ſemen: nempe qui ex promiſsione ſunt filij. Non dixit autem ipſius Abraham, ſed dei: oſtẽdens neque Iſaac ſimpliciter ipſius Abraham fuiſſe, quia nõ virtute ſeminis natus eſt, ſed eius virtute qui promiſerat: vt oſtenderet ꝙ adoptionem habentes, hi ſunt ſecundum promiſsionem filij Abraham. H*i ſunt filij dei.* Quia hoc ſermone etiam Idumæi qui ex Abraham trahebant originem, quod ad carnem attinet, deberent eſſe filij dei, ſed non ſunt. Nam hi ſemen Abraham ſunt ſecundum carnem: verùm nos

F ſumus filij Abraham, qui in ipſius fide communicamus cum ipſo, per lauacrum diuini baptiſmatis. *Sed filij promiſsionis.* Quicunque, inquit, ad modum Iſaac nati fuerint, hi ſemen Abraham ſunt & filij dei. Iſaac enim non ſecundum naturæ legem natus eſt, ſed ſecundum virtutem promiſsionis. Itaq; qui ita naſcuntur, filij ſunt Abraham: ita & nos per lauacrũ naſcimur: ſiquidem nos etiam verbis promiſsionis naſcimur: verbis quidẽ, ꝙ in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti fiant in lauacro demerſiones: promiſsiones verò, ꝙ prophetæ multis ante temporibus baptiſma annũtiauerint, ve-

*Ieſa.1.* luti quum dicitur, Lauamini, mundi eſtote.

Non ſolùm autem hoc, ſed & Rebecca ex vno

concipiens Isaac patre nostro. Quum enim nondum nati essent, neque boni quicquam egissent aut mali: vt secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi, Maior seruiet minori: Quemadmodum scriptũ est, Iaacob dilexi, Esau verò odio habui. A Gen.25. Malach.1.

Et quid mirum, inquit, ꝙ Iudæorum hi soli in semen Abraham reputentur qui crediderunt, increduli verò non ita? Nam & hoc in aliis veteribus inuenies. Siquidem Isaac reputatur solus in semen, quum tamen alij essent à Cetura filij. Nec id solũ, sed & Rebecca ex vno Isaac accepto semine, quum duos peperisset, non habuit duos qui deo placerent, B aut in semen Abraham reputarentur: idque quum nondũ essent nati, neq; bonum egissent aut malum. Sic & de Iudæis: fideles quidem & semen Abraham sunt, & salui fiunt, infideles verò non ita. Ex *uno cõcipiens*: Nec tamen ob id duos habuit qui deo placerent. *Quum nondum nati essent.* Esau videlicet & Iaacob. *Vt secundum electionem propositum dei maneret.* Id est, electio quæ secundum scientiam est. Dicendo Pho. propositum dei, consilium eius significauit: dicens verò Secundum electionẽ, ostendit ꝙ à se inuicem differrent. Nullus enim alterum præ altero eligit, nisi hoc ab illo in aliquo dissideat. Dicẽs autem Non ex operibus, vocationis ac gratiæ ipsius magnitudinem demonstrauit. Nam etiam quũ nihil operati sint, eligit & adsciscit. Verùm si quum nihil ope- C rati sint eligit, quo pacto eligit: nobis etenĩ electio fit in his q̃ in aliquo differũt: qui autẽ nihil operati sunt, in quo differunt? Maximè. Humanis nanque oculis, quum nihil egerint, in nullo differunt: diuina autem futuri præcognitione plurimùm differunt. Nam ille quidem gratus fuit deo, hic autem non. Vocatio itaque non ex operibus facta est, & à vocatione & gratia facta est. Et iustè facta est: sed iustitia homines latebat. Quemadmodum sanẽ & nunc adhuc iustitia la- Exod.32. tet, quæ fuit in illorum occisione qui vitulum fecerant: quũ enim omnes vitulum fecissent, non omnes interempti sunt. Verùm quanquam in horum interfectione iustitia latuerit, tamen vniuersorum iudici exactè, & absq; vllo errore co-

D ſed neque propè fuit vt excideret, vel vt excidiſſe videretur. N*on enim omnes qui ſunt ex Iſrael, &c.* Et quomodo, inquit, non excidit verbum dei? quomodo? Quia non omnes qui ſunt ex Iſrael Iſraelitæ ſunt, hoc eſt, ſemen Abraham. Deinde hoc explanat. Non enim ex eo ꝙ ſint aliqui filij carnales Abraham, continuò iam etiam filij ſunt ſecundũ promiſsionem, & quibus promiſsio facta eſt: ſed qui ſint filij Abraham, audi, inquit, ſcripturam. Vide autem ꝙ non dixerit, Ex Iaacob, ſed Ex Iſrael, pro ſigno virtutis ponens dilectionem Iſrael, ac donum ſupernum oſtendens. Si non omnes qui ex ſemine ſunt Abraham, hi etiam filij ſunt Abrahã: manifeſtum certè eſt alium eſſe modum, qui eos reddat filios Abraham, præter natiuitatem quæ ab ipſo eſt. Quis au-
E tem ille eſt? promiſsionis, hoc eſt, illi filij ſunt, qui etiã promiſsione digni habiti ſunt: & multiplicati tanquam aſtra cœli, veluti ſunt fideles. i. non filij carnales. H*oc eſt, non qui filij carnis, &c.* Deinde recitatã interpretatur ſcripturam, quid ſit, Per Iſaac vocabitur tibi ſemen: nempe qui ex promiſsione ſunt filij. Non dixit autem ipſius Abraham, ſed dei: oſtẽdens neque Iſaac ſimpliciter ipſius Abraham fuiſſe, quia nõ virtute ſeminis natus eſt, ſed eius virtute qui promiſerat: vt oſtenderet ꝙ adoptionem habentes, hi ſunt ſecundum promiſsionem filij Abraham. H*i ſunt filij dei.* Quia hoc ſermone etiam Idumæi qui ex Abraham trahebant originem, quod ad carnem attinet, deberent eſſe filij dei, ſed non ſunt. Nam hi ſemen Abraham ſunt ſecundum carnem: verùm nos
F ſumus filij Abraham, qui in ipſius fide communicamus cum ipſo, per lauacrum diuini baptiſmatis. *Sed filij promiſsionis.* Quicunque, inquit, ad modum Iſaac nati fuerint, hi ſemen Abraham ſunt & filij dei. Iſaac enim non ſecundum naturæ legem natus eſt, ſed ſecundum virtutem promiſsionis. Itaq; qui ita naſcuntur, filij ſunt Abraham: ita & nos per lauacrũ naſcimur: ſiquidem nos etiam verbis promiſsionis naſcimur: verbis quidẽ, ꝙ in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti fiant in lauacro demerſiones: promiſsiones verò, ꝙ prophetæ multis ante temporibus baptiſma annũtiauerint, ve-
*Ieſa. 1.* luti quum dicitur, Lauamini, mundi eſtote.

Non ſolùm autem hoc, ſed & Rebecca ex vno

concipiens Isaac patre nostro. Quum enim nondum nati essent, neque boni quicquam egissent aut mali: vt secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi, Maior seruiet minori: Quemadmodum scriptũ est, Iaacob dilexi, Esau verò odio habui. A Gen.25.

Et quid mirum, inquit, ꝙ Iudæorum hi soli in semen Abraham reputentur qui crediderunt, increduli verò non ita? Nam & hoc in aliis veteribus inuenies. Siquidem Isaac reputatur solus in semen, quum tamen alij essent à Cetura filij. Nec id solũ, sed & Rebecca ex vno Isaac accepto semine, quum duos peperisset, non habuit duos qui deo placerent, aut in semen Abraham reputarentur: idque quum nondũ essent nati, neq; bonum egissent aut malum. Sic & de Iudæis: fideles quidem & semen Abraham sunt, & salui fiunt, infideles verò non ita. Ex *uno cõcipiens*: Nec tamen ob id duos habuit qui deo placerent. *Quum nondum nati essent*. Esau videlicet & Iaacob. *Vt secundum electionem propositum dei maneret*. Id est, electio quæ secundum scientiam est. Dicendo propositum dei, consilium eius significauit: dicens verò Secundum electionẽ, ostendit ꝙ à se inuicem differrent. Nullus enim alterum præ altero eligit, nisi hoc ab illo in aliquo dissideat. Dicẽs autem Non ex operibus, vocationis ac gratiæ ipsius magnitudinem demonstrauit. Nam etiam quũ nihil operati sint, eligit & adsciscit. Verùm si quum nihil operati sint eligit, quo pacto eligit: nobis etenĩ electio fit in his q̃ in aliquo differũt: qui autẽ nihil operati sunt, in quo differunt? Maximè. Humanis nanque oculis, quum nihil egerint, in nullo differunt: diuina autem futuri præcognitione plurimùm differunt. Nam ille quidem gratus fuit deo, hic autem non. Vocatio itaque non ex operibus facta est, & à vocatione & gratia facta est. Et iustè facta est: sed iustitia homines latebat. Quemadmodum sanẽ & nunc adhuc iustitia latet, quæ fuit in illorum occisione qui vitulum fecerant: quũ enim omnes vitulum fecissent, non omnes interempti sunt. Verùm quanquam in horum interfectione iustitia latuerit, tamen vniuersorum iudici exactè, & absq; vllo errore co-

Malach.1. B Pho. C Exod.32.

D gnita est. Sic & in aliis innumeris: veluti in his etiam quæ quotidie accidunt. Siquidem multa ignotas nobis habentia caussas, & quæ insipientibus sine ratione fieri videntur, iuxta hoc oculo caussæ, imò omnium inspectori omniúmque iudici, iustè & facta esse censentur, & re vera peraguntur. Diuus autem Paulus ait, quod si etiã nulla occulta ratio his quę fiunt inesset: ne ita quidem oporteret quosdam grauiter ferre, ac diuinam prouidentiam accusare, cur hic isto modo, ille verò illo modo vitam transigat. Habet enim potestatem figulus, prout voluerit effingere. Hoc tamen ex abundanti, inquit, est: quandoquidem prædicto quoque responsionis modo vtitur, quum ait scripturam dicere Pharaoni, In hoc

Exod.9. ipsum excitaui te, &c. Hic enim, quemadmodum dicit, irra-

E tionabile multis visum est Pharaonem excitatum esse ac regnasse, quum adeò scelestus, crudelis ac inhumanus esset: verùm scriptura, vbi caussam docuit, quod irrationabile videbatur, ad rationale transtulit. Atqui hoc ipsum quod rationabile est & difficultatis solutio, rursum hæsitantiam contentiosis ac perfidis parere potest. Dicentibus enim quod propterea Pharaonem in regem excitauerit, vt nomen suũ glorificaretur, vbi illum inaudito miróque supplicio punisset, ilico dicetur, Quid ergo adhuc cõqueritur? imò potius cur iam ipsum puniuit? nam quum peccauit, ad ipsius gloriam peccauit. Nisi enim peccasset, nequaquam punitus fuisset: quod si punitus non fuisset, nequaquam glorificatus fuisset. Porrò hoc intendebat, Vt ostendam, inquit, in te virtutẽ meam:

F quod si volebat, quis eius resistere potest voluntati? Vides quod dubitationis solutio, caussæque redditio his qui perfidi sunt hæsitantiã non absoluit, quin potius alterius ambiguitatis occasio facta est: propterea præstat huiusmodi causas non requirere: alioqui inquirentes efficient ipsas solutiones caussas esse maiorum difficultatum. Nam hoc gratarũ creaturarum ac seruorum est, à creatore ac domino caussas non expetere, sed in omnibus quæ fiunt gratias illi agere, quanquam rationes non comprehendant propter quas fiant, magis autem etiam super his debemus ampliùs gratias agere. Nam manifestum est quod eorum quę non deprehendimus, maiores sunt caussæ magísque admirandæ, & quæ nostras excedant apprehensiones. Itaq; maiores etiam gratiarum actio-

nes oportet offerre. Apostolus tamen in sequentibus etiam secundæ difficultatis ponit solutionem. *Iaacob dilexi, Esau vero odio habui.* Nam Iaacob qui nihil dum egerat, appellauit dilectum, Iaacob, inquit, dilexi, Esau vero odio habui. *Dictum est illi.* puta Rebeccæ, *Maior seruiet minori,* Siquidem homines fortasis post natiuitatem: deus verò etiã ante natiuitatem nouit, quæ futura sunt in homine. A

Quid ergo dicemus? Num iniustitia est apud deum? Absit. Mosi enim dicit, Miserebor cuiuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror. Igitur non volentis est, nec currentis sed miserentis dei. Itaque cuius vult miseretur, quẽ autem vult obdurat. B

*Num iniustitia est apud deum?* Absit. Esau enim tanquã malus odio habitus est, Iaacob verò tanquam bonus dilectus est. *Quid ergo?* Hoc est, quid de Iudæis dicemus qui fuerunt in deserto? nonne omnes vitulum fecerunt? quomodo dictum est Miserebor cuiuscũque misereor: Nam si iniustitia non est apud deum: & tamen quum omnes vitulum fecissent, Miserebor, dixit, cuiuscunque misereor: certè latentibus oculis deus in hominum corda ingreditur, & non quẽadmodum homines, Igitur neque cum Iudæis qui nũc sunt iniustè agit deus: sed & nunc quicunque digni sunt saluantur, quia credunt: quicunque verò indigni, pereunt, quia nõ credunt, *Miserebor cuiuscunque misereor.* Acsi dixisset, Ego noui qui sint digni salute & quinam indigni. Si igitur Moses ignorabat quinam digni essent, & qui indigni, multominus nos eorum quæ fiunt caussas cognoscere possemus: Dei enim iudicia quis scrutabitur? profectò nullus. *Igitur non uolentis est, &c.* Oportet siquidem velle & currere, & vnũquẽq; facere quod in se est: attamen quia absq; dei consilio, neque volens neque currẽs quicquam amplius sine dei auxilio perficit, reliquũ est vt deus eum qui saluus fieri cupit, etiã velit, & eius misereatur. Hęc omnia dixit diuus Paulus aduersus illos qui resistunt, ac dicunt, Quare abiectus est Iudaismus apud deum, & loco ipsius inductus est Christianismus ac fides? Volens itaque nos instruere, ne caussas à deo C

D repetamus eorum quæ operatur, sed cuncta bona arbitremur, etsi causas ignoremus. multa profert ad propositũ, hoc est, à multis exemplis & signis difficultatem in diuinis iudiciis coniectandis demonstrat. ITEM & alio modo. Non volentis solùm, neque currentis solùm, sed opus etiam est miseratione quæ diuinitus adueniat, auxilióque quod inde administretur. Aut etiã hoc modo intelligi potest quod dicitur. Igitur non volẽtis est, &c. Non vt in confesso sit apud Paulum, sed magis veluti ab hæsitãtibus prolatum est. Nam si cuius vult miseretur, &c. Si hoc, inquit, ita est, inuanũ volumus, & inuanum currimus. Ergo dictum hoc ad difficultatis erit confirmationẽ, non autem ad cuiusuis alterius explanationem. Deinde rursum sequitur difficultatis repetitio. Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult obdurat.

Pho.

E Postmodum quasi non sufficiat difficultas, reíque absurdæ magnitudinem demonstrasse, eius commutatio ponitur in id quod absurdius est, ac maiorem habens perplexitatem. Nam quid adhuc quæritur? ait, cur iam sumit supplicium? voluntati enim ipsius quis resistere potest? Ita aucta & exasperata difficultate solutionem per increpationem subiungit, terribiliter admodum: & consequenter ita dicens, Tu quis es qui ex aduerso respondes deo? Acsi dicat, Tu quid nunc agis ex aduerso respondens deo? Resistis ac oppugnas voluntatem, factúmque ipsius an non? Quòd si non, cur cõtradicis? cur ex aduerso respondes deo? Si verò resistis & cõtradicis, ac ex aduerso respondes: quomodo ais, Voluntati

F eius quis resistit? Itaque si certè contradicis, frustrà & aduersus teipsum dicis Quid adhuc quæritur. Si verò non resistis, iam omnino non dices Quid adhuc quæritur: neque illud, Cuius vult miseretur, quem autem vult obdurat: neq; omnino in huiusmodi cogitationes abduceris, vt aduersus creatorem verbis contendas in his quæ agit, mundúmq; gubernat, vtque contradicas illi, ac resistas. Ita ergo vbi diffusè hæsitationem euertit, alteram inducit solutionem ab eorum natura ac proprietate quæ apud nos effingũtur: partim quidem quæ admonitoriam contineat consultationem siue doctrinam, partim verò increpatoriam contradictionem. Et admonitoria quidẽ consultatio siue doctrina talis est, Quid contradicis? cur ex aduerso respondes artifici ac creatori?

imitare

imitare alia figmẽta, tu rationalis irrationalia, animatus inanimata, qui amplius factorem laudare debes, quàm suos illa figulos. Illa non cõtradicunt, neque opifici resistunt: atqui natura serua sunt, attamẽ iuxta ipsius voluntatem trãsmutantur, omnia artifici ce dẽtia: at tu neque naturæ necessitate seruus, sed sermone honestatus, arbitriique libertate, non cedis artificis voluntati, neque gubernationem amas: sed verbis contendis ac resistis, & eorum quæ fiunt, ac pronidentur caussas expetis. Num dicit figmentum ei qui se finxit: Cur hoc pacto finxisti me? Contradictio verò per increpationem talia est. Ex aduerso respondens, inquit, quasi coactus peccares, tanquam ille vinceret tuæ sententiam voluntatis, & hac in parte tuo priuateris arbitrio. Atqui in figmentis quæ libera non sunt, non videmus quæ tu facis. Illa in suos figulos non obmurmurãt, Quid me hoc vel illo modo fecisti? aut cur ita & non ita? siue cur omnino me formasti? tu verò & contradicis, & caussas ab opifice expetis. Certè libero arbitrio nos priuaris, certè non coactus peccas. Iustè itaque & puniris, & in reprehensionem cadis, quũ liber sis, nec facias quæ oportet. Et hæc quidem de his. A B

Porrò quod dicitur, An non habet potestatem figulus &c. Aliud est argumentum ad cohibitionem adductum. Dato, inquit, iuxta tuũ sermonem licèt iam cõfutatũ, ꝙ liber nõ sis, quòd deus ita te formauerit: neq; ita iustũ est deo cõtradicere, illũmq; accusare. Nã etsi nihil aliud prerogatiuæ illi retribuere velis, qui supra omnem est & mentem & sermonem: at saltem quòd omnibus commune est figulis quomodocunque rem effingentibus, admodum absurdum est, & impium ab eo tollere. Quid igitur illud est? Quod nullũ figmentum suum plasten incusat aut redarguit, sed liberam habet voluntatem quisque opifex operari prout voluerit ac fingere, & accusatione vacat, potissimũm autem apud ea quæ finxit. Itaque & tu etiam si vt dicis formatus sis, non debes indignari aut contradicere iuxta communem figmẽtorum legem ac modum. *Dicit enim scriptura Pharaoni & cætera*. Huius dilutionem inferius habet dicens, quòd ob propriam malitiam passus est Pharao quæ passus est: tanquam deus sanè illum saluum facere voluerit: iccirco etiam longanimiter tolerabat dato resipiscentiæ loco. *Virtu-* C

D *tem meam.* Dei virtus longanimitas est & virtus maxima. Oecu. Quis enim non obstupescebat, vbi adeo longanimem deus sese præbuerit? Dicit ergo: In hunc finem permisi te regnare, vt appaream longanimis. *Itaque cuius uult miseretur & cætera.* Illius miseretur, qui miseratione dignus est: durum autem & contumacem, durum esse permittit. Neque enim iudicij præsens tempus est, sed ciuilis politię ac libertatis arbitrij. Obdurat autem, hoc est, durum esse sinit, permittens ad arbitrij libertatem. *Quem autem uult obdurat.*

Greg. Nysseni. Diui Basilij. Tyrannum aegyptium adeò fuisse obduratum, non est intelligendum quod diuino consilio in eius animam posita sit durities: sed quòd voluntas ob inclinationem ad malum non susceperit sermonem qui duritiē emolliret. Obdurauit deus Pharaonem, longanimitate ac supplicij detentione augens illius malitiam, vt adaucta in extremū vsque terminū E illius prauitate, iustitia diuini iudicij in ipsum appareat.

Dices ergo mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis restitit? Atqui ô homo tu quis es qui ex aduerso respondes deo? Num dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me ita fecisti? An nō habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorē, aliud verò in ignominiam?

Tanquam ex consequenti fortassis dices: Quid ergo reli F quum est apud nos? Vt quid iam conqueritur & punit? Nam quis resistit eius consilio ac voluntati? Deinde os illis obturat, qui cūcta dei opera volunt inquirere, & eorum certè rationes quæ ipse facit cognoscere. Ob ea, inquit, quæ discis gratias habe; propter illa verò quæ ignoras ne discrucieris, neq; exquiras aut curiosē scruteris, certissimè cognoscēs ꝙ iustè rectaque ratione procedat, quāquam tu caussam ignores. Et quandoquidem veritas ita se habet, tu quis es ô homo qui ex aduerso deo respondes? hoc est repugnas ac discutis. Et bene ait Tu quis es? vtrum ipsi socius es in principatu? an iudex quispiam es? *Num dicet figmentum* Nōn hęc dicit tollēs arbitrij libertatem. minimè gentium: sed ostendens quòd omnibus modis deo obtēperare oporteat, quanquam eorum quæ fiunt rationes ignoremus: quod in petē-

dis aut non petendis à deo rationibus eorũ quæ contingũt, A
obedientem esse conuenit, quemadmodum lutum est figulo. *An non habet potestatem figulus luti.* Habet, inquit, potestatem deus qui excitat mortuos, vt hos quidem ad gloriam excitet, illos verò ad confusionem, iuxta congruentiam eorum quæ ab vnoquoque homine acta sunt in vita. Ita habet diuus Methodius libro de resurrectione. *Aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in ignominiam.* Non quòd hos quidẽ bonos, alios verò malos faciat deus. Nequaquã, sed cũcta dei opera bona sunt, & quod ad se attinet, hoc est iuxta suum ipsius consilium ac voluntatem, omnes vellet probos esse, studiosos ac fideles: sed veluti ex potestate quam habet deus vt faciat quę voluerit, hoc ab ipso dictum est. Pulchrè antẽ ac B
decenter omnia facit, quanquam nos caussas ignoremus, & ait: Quemadmodum figulus quod vult facit, lutúmque nihilq; contradicit aut sciscitatur: ita ne curiosè scruteris aut discrucieris, quòd illa ignores quæ deus te voluerit ignorare. Etenim ignorantia tibi omnino vtilis est: alioqui edoctus esses in his quæ non intelligeres.

Quòd si deus volens ostendere iram, & notã facere potentiam suam, tulit multa longanimitate vasa iræ apparata in interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam: quos & vocauit, nimirum nos: non solùm ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus. C

Longanimitatem voluit ostendere, sed quia dei longanimitate ad vitam flagitiosam abusus est, deinceps etiam iram ostendit. *Vide iudicia dei.* Præterea & aliter. Per hoc quod ait, *Quòd si deus uolens ostendere*, aut prius argumentum declarat pluribus illud dilatans ac manifestans: aut propriè ad ea quæ dicta sunt alterum inducit, quòd idem seruiat proposito. Oportuit, inquit, notam fieri punitiuam dei potẽtiã, oportuit longanimitatem, oportuit benignitatem & misericordiam, ac ineffabilem maximámque ipsius gloriam. Vnde autem hæc ostenduntur? Ex his quæ vulgo videntur incredibilia: ex Pharaone: ex hoc quòd eum qui nõ erat populus vocauerit populum: ex eo quòd reliquias Israel saluauerit, Pho.

D atque ex similibus. Itaque per id quod perfidi deum condẽnauerint iniustitiæ, hi qui æqui sunt, plurimùm lucri fecerunt. Rerum igitur natura perplexitatem non habet, sed perfidorum blasphemia. ALIO modo. Id quod ait, Quòd si deus volens &c. Præcedentibus connectitur. Si volens, inquit, deus ostendere, vtque notum faciat, & quòd ibi vocabuntur filij dei viuentis, & quòd reliquiæ Israel saluæ fient: si hæc facit, tu quis es qui ex aduerso respondeas deo?

Oecum. *Ostendere iram.* Non sanè iræ affectu captus est deus, Absit, sed quoniam hæc fecit quæ nos irati facimus, factum eius vocauit iram, ab eo quod nobis cognitum est. *Tulit multa longanimitate uasa iræ.* Hoc est fuit admodum longanimis. Pharaonem ducens ad pœnitentiam. verùm quum non rediret ad modestiam, vltionem de illo sumpsit. *Vasa iræ.*

E Deus quidem longanimis fuit quod in se erat: porrò Pharao vas fuit iræ, hoc est homo exasperans iram dei, vel dei attrahens iram. nec id solùm, verumetiam apparatus ad interitũ, id est ad hoc addictus & pręparatus vt perire oporteret: manifestans ꝙ ipse iræ dei causa esset, suęq; ipsius perditionis. Neq; enim deus causa est malorũ, sed quisq; seipsum vas efficit irę, quemadmodũ & vas benignitatis siue misericordię. Ita Pharaoni non deus, sed ipsius malitia fuit causa, vt pateretur ea quæ passus est, *Apparata in interitum.* Cur deum, inquit, irrationabilitatis condẽnas? per subdistinctionẽ legẽdũ est. Et quoniam ita cõtingit, cur irrationabilitatis cõdẽnas?

F *Tulit ad interitum.* Interitum verò dicit hoc loco perditionem. Tulit autẽ deus ad perditionem, non quoscũq;, sed eos qui se se in vasa iræ apparauerant, Veruntamen etiam in his quãquam se tales cõposuerant, quũ antea plurimũ longanimis fuisset, ita demũ iuxta id quod æquũ erat vltione vsus est. Aut ita potius intelliges. *Tulit multa lõganimitate uasa iræ apparata ad interitũ.* Tolerauit, inquit, sustinuit, idque multa longanimitate? Quomodo autẽ multa lõganimitate? quia quum iam apta & præparata essent ad perditionem, ac propter nimiã malitiã propemodũ iusta ira impleta essent: adhuc tamẽ perferebat & tolerabat ad cõuersionem eos expectãs. Quòd ergo ipse nõ perdat illa vasa, omnino manifestũ est, seipsa enĩ ad interitũ apparauerũt. Perdit tamẽ illa postquam seipsa prepararunt, postquam ad extremum malitiæ

procurrerunt,poſtquam ab eius longanimitate nihil auxilij acceperunt. Et oſtẽditur per iuſtam dei in illos animaduerſionem,etiam ipſius potẽtia,hoc eſt punitiua poteſtas & iræ demonſtratio,quam qui tales ſunt,digni ſunt vt conſequantur. Et *ut notas faceret diuitias*. Duob⁹ modis cõponitur quod hic dicitur,vel à cõmuni ſenſu ſubintelligẽdo,vel per defectum. A cõmuni quidem ſenſu oportet ſubintelligere Tulit. Tulit vaſa iræ,& tulit vaſa miſericordiæ. Per defectum verò:quia non dixit ad quid tulit vaſa miſericordiæ,ſicut dixit ibi ꝙ vaſa iræ tulit ad interitum. Hìc ergo ſubaudiendũ eſt Ad ſalutem. Dei ſiquidem potentiam deſpicientibus ac negligentibus neceſſarium vtilẽque erat,vt per ſupplicium faceret illis notum quàm potens eſſet,ꝙ robuſtiſsimus,omniáque conſiderans. *In uaſa miſericordiæ*. Quemadmodũ,inquit,in vaſa iræ, hoc eſt in Pharaonẽ tulit iram, multa primùm vſus longanimitate : ita & in vaſa miſericordiæ,nẽpe in nos qui digni ſumus miſericordia,tulit benignitatẽ. Nam hoc ſubaudiendũ eſt. *Quæ præparauit*. Præparauit autẽ quia miſericordia cognouit dignos per fidem , Porrò id in illius vergit gloriam. Præparauit, vtpote præſcius & cognoſcens,ꝙ virtutem eſſent amplexaturi. Præparauit itaque digna vaſa miſericordiæ ſuæ ad gloriã,hoc eſt vt ipſa glorificarentur. Etenim diuitiæ gloriæ ipſius notæ ſunt in nobis, quia quum idolis adhæreremus, ſeruíq; eſſemus affectuum & peccati:nõ ſolùm his liberauit,verumetiam per adoptionem glorificauit. *Non ſolùm ex Iudæis*. Vides ꝙ deus non ex vna tantùm parte,ſed tam ex Iudæis quàm ex gentibus ſaluos facit per fidem eos qui ſalute digni ſunt.

A B Pho. C

Quemadmodũ & in Oſee dicit,Vocabo populũ qui meus nõ erat,populum meũ:& eam quę dilecta non erat,dilectam. Et erit in loco vbi dictũ fuerat eis,Non populus meus vos,ibi vocabuntur filii dei viuentis. Ieſaias autem clamat ſuper Iſrael,Si fuerit numerus Iſrael vt arena maris,reliquię ſalųę erunt.

*Oſee*.1.2. *Ieſa*.10.

Quòd autem nõ temerè inquit,neque,ſicut diceret quiſpiam,ex vna tantùm parte ſaluos fecit deus ex gentibus fideles,ſed quoniam ſalute digni erãt: producit & prophetã,

D qui tantis antè temporibus hoc erat vaticinatus. Ecce enim deus populum & ecclesiam dilectam, ac filios vocat eos qui crediderunt ex gẽtibus. Quamobrem tandem? vtique propter illorum beneuolentiam ac fidem. *Eam quæ dilecta non erat.* Ecclesiam quæ ex gentibus congregata est: quæ antea non diligebatur. Neque enim deum cognoscebant. *Non populus meus uos.* Nam gentes olim negabat deus propter superstitionem. *Iesaias autẽ clamat super Israel.* Nihil, inquit, veretur, sed manifestè clamat. Ad hæc omnia inscrutabilia ipsius iudicia tu quis es qui ex aduerso respondes deo? A cõmuni sensu hoc subaudiendum est, vel per defectum accipiendum: putà si volens deus ostendere, &c. Deinde hæc & illa fecit, omniáque vtiliter ac sapiẽter: quonam modo audes
E tu causas expetere huiusmodi sapientissimorum ac incomprehensibilium operum? *Reliquiæ saluæ erunt.* Non omnes inquit, sed pars illorum: Nam hoc significat Reliquiæ. Ecce deus ineffabili sua benignitate, & ex Iudæis & ex gentibus populum sibi communem facit.

Sermonẽ enim cõsummans & abbreuians in iu-
Iesa.10. stitia: quoniam sermonem abbreuiatũ faciet domi-
Iesa.1. nus in terra, & sicut prædixit Iesaias, Nisi dominus sabbaoth reliquisset nobis semen, vt Sodoma facti fuissemus: & tãquã Gomorra assimilati fuissemus.

Oecum. τὸ συντελῶν consummans: significat ꝙ terminum obtine-
F bũt omnes, qui de fide deiq; cognitione sunt sermones: nec alius erit qui post hunc prędicabitur, quẽadmodum illa quę Iudæorum erant ad ea quæ nunc sunt transierunt. Sed ad omnis fidei, omnísq; sermonis cõsummationem datus est nũc
Pho. fidei sermo. Mosaica quidẽ lex data est, deo prædisponẽte. primúmq; deliniante gratiæ sermonem: euangelicum verò dat consummans & abbreuians, hoc est perficiens omnia, & ad optimum finem deducens, qui nullam aliã possit correctionem ac perfectionẽ suscipere. Cur autẽ illius fecit mentionem, Sermonem enim consummans & abbreuians? Tanquam causam aliquam reddens eorũ quæ dicta sunt, hoc cõiunxit. Et dicimus ꝙ aptè admodũ & conuenienter propter multas causas hoc adiunxit. Primùm etenim quia dixerat, Vocabo populum qui meus nõ erat, populum meum, &c. nę

quis dicat, Et quid hoc magnum est: Quemadmodum enim nonnulli qui populus erãt facti sunt, non populus, ita etiã si quidam qui populus nó erant, fiãt populus, nihil vetat quin hi rursum fieri possint, nó populus. Non ita, inquit, Sermonem enim consummans & abbreuians. Siquidẽ illa transierunt & transposita sunt, quum omnes deberent ad id quod melius erat adaptari: nunc verò non amplius hoc contingit: quia iam consummata est vocatio, spiritualísq; legislatio ac promissio. Propter hoc ergo fecit huius mẽtionem. Sermonem enim cõsummans. Secũdo verò, quia dixerat. Si fuerit numerus filiorũ Israel vt arena maris, &c. ne dicerent. Quũ sæpius multas audierimus promissiones, aut nihil omnino assequuti sumus, aut post longũ ac multum tempus, Siquidẽ etiam à multis exciderant propter suam ingratitudinem ac perfidiam: Ne ergo ita dicerẽt Iudæi. Verũ non nunc quoq; est ita, inquit: sed si modò volueritis, consummata est ac cõtracta salus in manu nostra. Et hæc quidem dicta sint ad ostendendum ꝙ hoc admodum aptè coniunxerit. Habet autem & propriam doctrinam. Talis nanque proprietas est diuini eloquij, & adaptat ac cohærere facit sequentia præteritis, rursúmque per eadem propriã stabilit intelligentiam ac doctrinam. Nam quum sit sensibus fertilissimum, breuissimis verbis multas ac varias complectitur intelligentias. Et nunc ergo dicit, Ne putetis ô Iudæi quòd euangelica legislatio sicut & Mosaica cessatura sit, illa erat figura & ad aliam respiciebat perfectionem. Rectè ergo cessauit. Dominica verò legislatio perfecta est: ad hanc respexit Mosaica, & huius typus erat. In ipsa enim est vera perfectáque iustificatio nostra ac salus, & post ipsam non est alia. Ideo meritò illa quidem cessauit, & adhuc perfectè cessabit: hæc autẽ semper erit. Porrò hæc dicit adhortans ad fidem in Christum, dignámque euangelio conuersationem. *Quia sermonem abbreuiatum.* Sermonem consummatum & abbreuiatum dedit, inquit, contractum. Abbreuiatus autem & consummatus sermo fidei est qui iustificabit credentes. ALIO MODO. Fidem dicit, Nam si confessus fueris, inquit, ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo quòd deus illum excitauit ex mortuis, saluus eris. Faciet autem, id est dabit. Vides breuitatem ac consummationem seu perfectio-

A B C

Infrà 10.

D nem? *Nisi dominus sabbaoth*, id est, exercituum, copiarum,
Pho. *Reliquisset nobis.* Per hæc territat illos & increpat, acsi diceret, Nisi quidam vestrũ certè credituri essent in Christum, à Sodomis & Gomorra in nullo differretis, quanquam de cognatione Adam gloriamini. Vel potius dictũ propheticum ad id intelligẽdum est quod dicitur, Faciet abbreuiatum sermonem: tanquam dixisset, Nisi fecisset dominus & dedisset perfectam euangelij legem per filium suum ad iustitiam & salutem nostram, omnes vt Sodoma facti fuissemus, &c. Nã semen euangelicam legem significat, sicut etiam dicit dominus, Exiit qui seminabat ad seminandum. *Reliquisset*. Non
Matt.13. tantùm seminasset, inquit, verumetiam præseruasset ne à volucribus raperetur, aut ab aliis quibusuis ferocibus & im-
E mundis spiritibus vel cognitationibus corrumperetur: sed & seminasset & præseruasset: vt & relictũ esset nobis, & ad culturam ac fructum prouenisset, Possemus autem & seminis loco apostolos intelligere: qui ex omnibus Iudæis in morẽ seminis electi, orbi relicti sunt, omnésque gentes, vt Chri-
Ibidem. sti ecclesia fierent, coluerunt. Etenim fermẽti parabola quæ est in euãgelio, à pluribus nostris patribus dicta est ipsis aptari. Quòd ergo pertinebat ad Iudæorum incredulitatem, inquit, vt Sodoma & Gomorra facti fuissemus, sed à domino sabbaoth relictum nobis semen, nempe apostoli, adductis in fructum gentibus, variáque agricolatione ostensa, promissiones quæ ad Abraham factæ sunt, in illis germina-
F tas & consummatas rebus demonstrat. *Reliquisset nobis*, Et
Oecum. per suam gratiam & propter relictorum beneuolentiam. Potes autem & de Christo intelligere quemadmodum diuus ait Cyrillus, hoc est, radicem, fermentum. Hoc autem modo semen intelliges de Christo, id est, corpus sine peccato habentem (fœtus enim erat non seminatus, Siquidem omnes homines peccauerunt) & planè semen impeccabilitatis, hominem impeccabilem verúmque deum.

CAPVT XVI.

*Quando iuxta incredulitatem fuit casus Iudæorum per scientiam erroneam, & prædicationem quæ illis non conueniebat.*

QVid ergo dicemus? Quòd gentes quæ non sectabãtur iustitiã, apprehenderũt iustitiam:

iustitiam autē eam quæ est ex fide. At Israel qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia nō ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offendiculi, quemadmodum scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis, & omnis qui credit in illum non pudefiet. A Iesa.8.

Ecce solutionem omnem & cuius gratia fideles salui facti sint: qui verò in Iudaismo remanserunt, non ita. Causas, inquit, inquiris cur in semen Abraham reputentur, qui non sunt ex circuncisione: quare is qui non erat populus, factus sit populus: & qui ex circuncisione sunt, eiiciantur? Multa quidē dixi & quòd neque omnino te oporteat de his verba facere: quòd etiam apud te Iudæū multa facta sint quorum rationes ignoras. Iaacob tuus ꝓgenitor quid operatus fuerat quòd Esau sit præpositus: inter eos qui vitulum formauerant, quidam solùm morte cōdemnati sunt, quum tamen omnes fuissent in impietate deprehensi: rursum Pharao, aliáque exempla innumera. Nunc verò tibi etiam hoc addo quòd propterea qui sunt ex Gētibus in semen Abraham reputati sint, tu verò nō ita: & quòd illi iustificati sint, tu verò non ita: quia illi ex fide apprehenderunt iustitiam & salutem quæ est ex fide: tu verò inflatus, quasi iustificatus esses per opera legis, & iustitiam quę ex fide est, contemnens: meritò quoq; alienus apparuisti à semine Abraham, qui per fidem iustificatus fuit: & de populo factus es non populus, & à fidelium salute excidisti. *Quæ non sectabantur iustitiam.* Admirandum enim est quòd Gentes quæ non sectabātur apprehenderint, Iudæi verò qui sectabantur, non apprehenderint. *Iustitiam autem eam quæ est ex fide.* Nam hæc verè iustitia est. Itaque legis iustitia falsa habetur. *At Israel ad legem iustitiæ non peruenit.* Hoc est ad iustitiam quę ex lege est. Interrogas quare? quia ea quæ in lege sunt non seruauit, quia non ex fide voluit iustificari: quis autem hominum ex operibus iustificatur? & quum Iudæi ex fide noluerint iustificari, sed ex operibus legis, frustrati sunt. *Offenderunt enim.* Hoc est, increduli fuerunt. Quomodo autem offendit quis- Pho. B C

D piam: si externis attendat, veluti hi legi animum attendentes, attendendo cõminuti sunt. *In lapidem offendiculi.* Offendiculi lapidem, & petrã offensionis, vocat dominũ, propter illos qui in ipsum offenderũt seu offensionẽ passi sunt, hoc ipsi nomine imposito. Impingere nanque soliti sunt, qui ad alia mentem habentes, viam prospicere nolunt. Hoc autem passi sunt Iudæi. Siquidem ad superflua legis inhiantes, lapidem à prophetis prænuntiatum intueri noluerunt. *Et omnis qui credit in illum non pudefiet.* Vides quòd nõ vnius tantùm partis deus sit, sed omnis qui in illum credit saluandus sit. Etenim infidelibus alius efficitur quàm sit ex sua natura: fidelibus autem iuxta naturam suam firmamentum est, fulcimentum ac securitas.

Theod.

E

Cap.10. Fratres propensa quidem volũtas cordis mei & deprecatio quę fit ad deũ pro Israel, est ad salutem. Testimoniũ enim illis perhibeo ꝙ æmulationẽ dei habeant, at non secũdum cognitionem. Nam ignorantes dei iustitiam, & propriam iustitiam volẽtes constituere, iustitiæ dei non fuerunt subditi. Finis nanque legis, Christus, ad iustitiam omni credenti.

Quandoquidem reprehenderat Iudæos, magísque id facturus erat: per hoc quod ait Fratres & similia, lenit illos, & ad exhortationem latẽter eos cõponit, ne irati, fiant omnino inobediẽtes. *εὐδοκία* dicitur vehemẽs desideriũ. *Cordis mei.*

F Obiurgaturus Iudæos, sermonis beneuolẽtiam præmittit: ne ab odio, sed à cura & studio procedere videantur obiurgationis verba. Dicit autem, Desidero admodũ & precor vt ipsi salui fiant. *Pro Israel est.* Nõ vtcunq; pro eis postulo, sed ad salutem, vt in Christũ credẽtes salui fiant. *Testimonium enim illis perhibeo.* Videtur gratiam inire cum illis. Testimonium, inquit, illis perhibeo ꝙ non propter hominem sint à Christo separati, sed propter æmulationem, nempe dei: hoc autẽ secũdum ignorantiam faciũt, arbitrãtes enim legẽ esse bonam, non credũt ꝙ per Christum salui fieri possint. *At nõ secundum cognitionem.* Aemulationem, inquit, habẽt, sed non vt id cognoscãt quod verè est honestũ, nã hoc est ipse Christus. Etenim si huiusmodi habuissent æmulationem, vtique

cognouissent. *Nam ignorantes.* Verbum hoc ignoscentis seu condonantis est. *Dei iustitiam.* Dei iustitiam vocat fidem in Christum, eo ꝙ dei gratia indigeat quã reliquerũt. *Et propriam iustitiam.* Propriam dicit iustitiam quæ ex lege erat, vel ꝙ deinceps vires non haberet, vel ꝙ laboribus ipsi opus esset ac sudoribus. Quærentes constituere. Contendẽtes propriam stabilire iustitiam. *Iustitiæ dei.* Sanè neque illam quę in lege erat compleuerunt, nã constituere eam quęrebant, at non constituerunt. *Finis nanque legis Christus.* Nono aduersus Iulianum libro ita habetur, Finis & tãquam abrogatio ac adimpletio legis Christus est. Quo autem pacto finis legis est Christus? Quia iustificauit, & ea quæ lex voluit quidem facere, sed non potuit, hæc veniens Christus perfecit & compleuit in eos qui in se crederent. Quoniam autem eam quæ ex lege erat, iustitiam omnino vocauit, ne existimarent legem posse iustificare, dicit Christum finem esse legis & completionem. Siquidem lex per fidem quæ in Christum est perfectionem habet. Qui ergo in Christũ credidit, complet legem. *Ad iustitiam omni credenti.* Ad iustificandum eum qui verè legem perficeret, hoc est, fidelem & credentem.

A

Pho.

B

Moses enim scribit de iustitia quæ est ex lege: ꝙ qui fecerit eam homo, viuet per illam. Cæterùm iustitia quæ est ex fide ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælũ? Hoc est Christum deducere: aut quis descẽdet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te est verbum, nempe in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus.

*Deut. 30.*

C

*Moses scribit de iustitia quæ est ex lege.* Hic terminus est iustitiæ quæ per legem est, ꝙ homo qui ea fecerit, viuet per illam. Non ergo saluus fieri potest qui ea non compleuerit quæ in lege habentur: quia igitur nullus hominum ea compleuit, excidit iustitia quæ per legem erat, ac inutilis facta est. *Cæterũ iustitia quæ est ex fide.* Vbi illam dixit iustitiã quę est ex lege, eam quoq; dicit quæ ex fide est, & ostendit non adeò laboriosam esse: quapropter nonnulli hanc assequuti

D sunt, illam verò nullus. *Ne dicas in corde tuo.* Ne putaretur fides facilis ad assequẽdum, ac facilè despiceretur, propterea ostendit ad eam quoque labore opus esse, & aduersus latentes cogitationes ipsam habere luctam. Siquidem ne dicas, inquit, vel in corde tuo, hoc est, ne cogites quidem, vel, omnem cogitationem foras eiice. ALIO modo. Quandoquidem audisti legis opera non posse hominem iustificare, disce quomodo per Christum sine labore ac facilè iustificemur. Fidem siquidem requirit è corde, & confessionẽ ab ore. Necesse est autem vt planiùs explicetur quod dictum est, Quis ascendet in cælum, &, quis descendit in abyssum. Potest autem hoc à Mose accepisse Apostolus, intellectũ iuxta suam magnam sapientiam. Moses nanque quantùm ad li-

E teram ita dicit, Dei præceptum coram oculis tuis situm est, ô Iudæe: nec te oportet aut in cælum ascendere vt illud inuenias, aut in abyssum descendere vt ipsum accipias, neque ad extrema maris transire, sed prope te est in ore tuo & in corde tuo. Siquidem omnia ostẽdit tibi deus per legem. Moses itaque iuxta literam hæc dicere videtur: Apostolus verò ad Christum ista retulit: hoc est, Ne vacilles neque in mente tua dicas, Quomodo Christus descendit de cælis, carnẽq; assumpsit? aut quo pacto mortuus surrexit ex abysso, id est, ab infimis locis, sed omnem cogitationem foras eiice. *Prope te est uerbum.* Contracta est in breui salus, nec externis egens laboribus: in corde enim & in lingua sita est: solido tamen ac prudenti opus habet animo.

F

Quippe si confessus fueris ore tuo dominũ Iesum, & credideris in corde tuo quòd deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Nam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Di-
*Iesa. 28.* cit enim scriptura, Omnis qui credit in eum nõ pudefiet. Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Siquidem idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuo-
*Ioel. 2.* cauerit nomen domini saluus erit.

Ostendit quomodo in corde, id est, in cogitatione & in

lingua sita sit salus. *Quòd deus illum suscitauit.* Modum dicit quo posſit quiſpiam ad fidem adduci. Nam concipe, inquit, potentiam eius qui suscitauit, & non hæsitabis circa fidem. *Nam corde creditur.* Siquidem quum corde credit quiſpiam in Christum, ab eo iustificatur: quum autem ore confitetur, saluatur. *Dicit enim scriptura.* Testimoniũ produxit vt ostendat non esse in fide differentiam inter Iudæũ & Ethnicum, Omnis enim, inquit, qui credit, Iesaiam in testem adducens. *Non enim est distinctio.* Omnibus communem gratiam prædicat: & quod in superioribus fecit multis sermonibus, fastum detrahere volens Iudæorũ, id nunc breuibus facit, Quia non est discrimen, inquit (nam id sibi vult διαστολή) Iudæi & Græci. *Nam idem dominus omnium.* Superiùs de patre dixit. An Iudæorũ deus tantùm? an non & Gentium? nunc autem idem dicit de filio. Ita differentiam non nouit in sancta trinitate. *Diues in omnes.* Ostendit Christũ vehementer nostram salutem appetere, quum proprias ducit esse diuitias multos credere ac saluos fieri. Hoc autem facit, instruens eos ne de seipsis desperent. Nam qui suas ducit diuitias alios saluos facere, nunquã cunctabitur aut procrastinabit ad saluandum. *Omnis enim quicunq; inuocauerit.* Si omnis, nihil excellentiæ habẽt Iudæi supra Gentiles, Testis est Ioel, qui hæc dicit. A Sup.3. B

Quomodo igitur inuocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierũt? Quomodo verò audiẽt absque prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptũ est. Quàm speciosi pedes annuntiãtium pacem, annuntiãtium bona. At nõ omnes obedierunt euangelio. Iesaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Itaque fides ex auditu est, auditus autem per verbum dei. Sed dico, Nunquid non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. C Iesa.52. Iesa.53. Psal.18.

Dixit, Omnis quicunque inuocauerit nomen domini, sal-

D uus erit. Quo itaque pacto fieri poterit vt prophetæ verba sortiantur effectum hominibus credere nolentibus? Seipsos igitur accusent: nam salutem à semetipsis excludunt. ALIO
Pho. modo. Hoc loco mentes consternatas admodum erigit, & miro modo procedit. Diuitias, inquit, ducit esse Christus vt credas & saluus fias. Omne itaque negotium à Christo perfectum est. Vis ergo saluus effici? inuoca Christum. Verùm inuocare vis? credere prius oportet. Vis autem credere? opus est primùm audire prædicationem. At prædicatorem quæris? Ecce ego clamo. Verùm ignoras vtrum ad prædicandum missus sim? prophetia est è supernis hoc annuntians, quòd non tantùm prædicaturi & annuntiaturi essent pacem, verumetiam magna & eximia peracturi, Quàm spe-
E ciosi, inquit, pedes eorum qui ad prædicandum currunt, qui euangelium annuntiant. Nullus itaque vobis prætextus est quin salui efficiamini. *Quomodo autem credent?* Nam iuxta consequentiam & hoc accidit. Quando ergo sermones eius audire noluerunt, meritò etiam non crediderunt. *Absque prædicante.* Itaque ecce, inquit, ego prædico: vos quoque æquum est facere sermones ac obiurgationes. *Nisi missi fuerint.* Ostendit quod non propria venerit autoritate, vt illis prædicaret, sed missus à Christo: per hoc seipsum fide dignum efficiens. *Sicut scriptum est.* Non solùm, inquit, missus, quinetiam iam olim prædictum erat missionem fieri oportere. Ex vtroque igitur fide dignus est, tum quod missus sit, tum quod iam olim missio prædefinita fuerit. *Quàm speciosi pe-*
F *des.* Illorum pedes laudati sunt, propter modum prædicationis apostolorum qui annuntiabant pacem siue reconciliationem dei erga homines, & bona quæ in ea sunt. Itaq; si aliter credere non poterant nisi audirent, & nisi eis prędicaretur: est autem illis prædicatum & audierunt: planè manifestum est quod deus nihil prætermiserit: ij verò qui non crediderunt, de seipsis conquerantur. *At non omnes obedierunt.* Quoniam hoc ipsi aduersabatur: dicerent enim, Si à deo missi estis, quare non omnes obedierunt euangelio? dicit quod hoc etiam multò antè dictum sit. *Domine quis credidit?* acsi di-
*Per unaudi-nis.* cat, raro vel pauci. Nam quum nos liberum habeamus arbitrium, neminem coactè ducit deus. *Iesaias enim dicit, Domine quis credidit?* Si te, inquit, hoc offendit quod nō omnes cre-

diderunt: id ipsum tibi persuadeat ad credendum, quoniam A
prædictum fuit ꝙ non essent omnes credituri. *Itaque fides ex auditu est:* Quandoquidem semper Iudæi signa requirebant, sumpta occasione ex dicto prophetico admonet eos quòd non oporteat signa requirere: Fides nanq; ex auditu, non ex signis generatur. *Auditus autem per uerbum dei.* Quoniã auditũ dixerat, adiungit, Per verbum dei. Ne existimes, inquit, vile quippiam esse auditum. Non sunt humana verba quæ dicuntur, sed dei. Si igitur miracula quæris ꝙ à deo sint, crede etiã verbis tãquam à deo dictis. *Atqui in omnem terram.* Quoniã dixit, Fides ex auditu est, dicet fortassis aliquis, Nũquid nõ audierũt Iudæi? & ait, Vniuersa terra audiuit, sicut testatur propheta: & hi apud quos tanto tẽpore versati sunt apostoli non audierunt? Atqui propheta hoc B
testatur: quomodo ergo posset illud habere veritatem.

Sed dico, Nunquid non cognouit Israel: Primus *Deut. 32.*
Moses dicit, Ego ad æmulationem prouocabo vos in non gente: in gente insipiente ad iram commouebo vos. Iesaias autem audet & dicit, Inuentus fui *Iesa. 65.*
his qui me non quærebant, manifestus factus sum his qui me non interrogabant. Porrò aduersus Israel dicit, Totum diem expandi manus meas ad po *Ibidem.*
pulum non obtemperantem & contradicentem.

At enim dicet quispiã, Multi quidẽ prædicauerũt, attamen verisimile est Israelitas non cognouisse virtutem prædicationis, & quo pacto id fieri posset, vt gẽtes quib⁹ nihil præ- C
dictum erat cognouissent, Israel autem non cognouisset qui prius audiuerat. Ecce enim legislator ipse ait. *Ego ad æmulationem prouocabo uos in non gente,* quum ergo gentes ad fidẽ accessisse videretis, & adhuc venire, vosipsos autem abiici: oportuit sanè etiam causam cognoscere. Magis autem vltronei adeò manifesta ignorastis vaticinia. *Primus Moses dicit.* Nam secundus dixit Iesaias. *Ad æmulationem prouocabo* acsi diceret, Irritabo & tristitia afficiam, & maxima est huius rei potentia: nam frequẽter qui adhortatione persuasus non est, huiusmodi irritatione persuasus est. *In gente insipiente.* Quid enim abiectius aut insipientius idololatris?

D *Iesaias autem audet.* Maluit, inquit, etiam periclitari propheta, quàm obtectam dicere veritatem ac dispensationem. *His qui me non quærebant.* Qui autem erant qui nec quærebant nec interrogabant? Hi videlicet qui è Gentibus erant. Vides quantas habebant ad cognoscendum occasiones? videntes enim Gentes per fidem magnifieri & placere, debuissent resipiscere: sed voluntariè excæcati sunt. *His qui me nõ interrogabant.* Gentium detrahit fastum: quia vniuersa res gratiæ erat. Attamen est quoque nonnihil & Gẽtium. Nam quod inuentum iam & manifestatum deinceps non deseruerint, virtutis illorũ fuit. *Porrò aduersus Israel dicit.* O quãta est Iudæorum accusatio. Siquidem ne dicant, Quare nobis non est manifestatus, sed Gentibus, adhuc quid circa illos
E los factum sit ostendit. Nam eos etiam deprecabatur, nec est auditus dominus. Totum verò diem, hoc est, tempus incarnationis. Vel potius omne prẹteritum tempus ex quo egressi erant ex Aegypto. *Ad populum non obtemperantem.* Deus quidem vocabat, & quasi amplexari cupiebat, quid autem illi? Non parebant, imò contradicebant.

CAPVT XVII.

*De scopo secundum quem eiecti sunt, ut postmodum reuerterentur imitatione Gentium honoratarum, hoc est, fidelium, quæ in fide conuenerunt.*

Cap.11. DIco igitur, Num repulit deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine A-
F braham, tribus Beniamin. Non repulit deus populum suum quem antea cognouerat. An nescitis de Elia quid dicat scriptura? quomodo interpellat
3. Reg.19 apud deum aduersus Israel dicens, Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subuerterũt, & ego relictus fui solus, & querunt animam meam? Sed quid dicit ipsi oraculum? Reliqui mihi septem millia qui non curuauerunt genua ipsi Baal.

Quandoquidem ergo non obtemperarunt imò contradixerunt, num ita abiecti sunt, vt conuerti nequeant, & ita irritæ factæ sunt ad Abraham promisiones? Minimè. Etenim

populus ipsius est,inquit, & antea cognouerat ipsum, hoc A
est antequam Gẽtes. Si quidẽ in proximo est probatio ac cõ
firmatio sermonis. Ego ipse,ait Paulus, qui gẽtium prędica
tor sum ac præceptor,Israelita sum. Igitur nõ estis à deo re-
pulsi,sed vosipsos repellitis. *Num repulit deus populum suum?*
Per interrogationem ac negationem producit sermonem.
Nõ *repulit deus populum suum quem antea cognouerat.* Nam
si repulisset, nequaquam ex Iudæis apostolos ac prædica-
tores elegisset. Etenim ego Paulus Iudæus sum. A*n nescitis
de Elia.* Ne dicant Iudæi,deniq; tu es omnis populi Israel?
& in te accepturæ sunt terminum quæ factæ sunt ad Abra-
hã promissiones? Ad hoc, Multi, inquit, sunt qui seruati
sunt,sed vos ignoratis. Etenim Elias quoq; solus putabatur B
esse relictus: verũ audiuit & alios esse. Ita & nũc multi sunt
ex Iudęis fideles,sed vos id ignorantes,me solũ esse putatis.
E*t ego relictus fui solus.* Quòd si Elias ignorabat ꝙ solus non
esset,multominus vos scire potestis. *Sed quid dicit ipsi oracu-
lum?* Hoc est sermo dei. Porrò vox Reliqui, designat quòd
potissima pars gratiæ erat.

Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Quòd si gratia, iam non ex operibus: quandoquidem gratia iam nõ est gratia. Si autem ex operibus, iam non est gratia. Nam opus iam non est opus.

C
Quemadmodum ergo tunc ex omni populo septem mil-
lia placuerunt,ita & nunc pauci placent: & illi reputãtur in
semen Abraham,nec excidit promissio dei. Et *in hoc tempo-
re.* Itaque tempore Eliæ gratia seruati sunt. Nam hoc signi
ficat coniunctio καὶ.i.&. Ac rursum, Sicut in Elia, inquit, ita
& nunc reliquiæ sunt eorum qui placent,qui secundum gra
tiam electi sunt. Dicendo autem Electionem,ostendit etiam
electorum probationem. Non probati enim,nequaquã ele-
cti essent. Dicendo verò Gratia,ostendit dei donum. Q*uòd
si gratia.* Si gratia eligimur,facile est accedere,& in Christũ
credere, neq; enim opera nobis necessaria sunt vt ad ipsum
currramus & credamus,sed sola mens & volũtas sufficit: se
cundum gratiam enim & nõ propter opera nos suscipit. Ita
que si per gratiam vocat & suscipit,nulla nobis ad hoc ope-

D rum necessitas, Nam si nobis necesse esset habere opera, iam gratia non maneret gratia, nempe per opus in mercedis retributionem commutata. *Quandoquidem gratia iam non est gratia.* Non solùm autem id absurdi consequetur, si arbitremur quòd operibus nobis opus sit ad accedendum & credendũ in Christum, verumetiam aliud simile. Nam si ex operibus accedere oportere nos arbitrabimur, manifestum est quòd excisa sit gratia. Si enim excisa nõ est, iam neque opus manet opus, quum gratia nõ permittat opus subsistere, sed gratis electionem fieri ostendat. Gratia siquidem & opus, natura à se mutuò distincta sunt: & quidẽ ad opus merces sequitur, sed non gratia, porrò gratia datur non vt retributio, sed vt donum ac munificentia. Manifestum itaque est quòd quũ
E gratia beneficentiam præstat, siquis hac frui arbitretur per opera, gratiã quantum in se est tollit, & gratia iam non manet gratia: rursumque opera iam non manent opera: propriam enim non seruant naturam, quoniam opera consequitur merces & non gratia. Gratia igitur beneficẽtiam disponente, si quis etiam per opera hanc assequi nitatur, inuanum erit nisus, † neque operum erit vt opera adhuc permanere possint: neque his erit merces, priores partes sumente gratia: frustráque laborabit vt per opera accipiat, quod gratis præbuit gratia. ALIO modo. Si gratia, inquit, iam non ex operibus. Si enim concedatur quòd sit ex operibus, ablata est gratia ne sit gratia. Rursumq; si ex operib⁹, iã gratia nõ est, quia si concedatur gratia, iam opus non manet opus. Iã
F *non ex operibus.* Ne dicant quòd licẽt prophetæ exhortabãtur, & deus aduocabat, ipsáque ad æmulationẽ prouocatio sufficiens erat vt nobis persuaderet: tamen grauia quædam à nobis petebantur, & ita non obtemperauimus: propterea dicit: Gratia est tota res, nec vlla operũ necessitas est ad credendum. Neq; enim ii qui accesserunt, propter præacta opera idonei ad vocationem visi sunt, sed dei gratia est tota res. Nam opus iam non est opus, priores sumente gratia, quæ iam facta est opus, & velut repellit opus ne sit opus.

† μήτι τῶν ἔργων ἔργων ἔτι δυναμένων διαμένειν

Quid igitur? Quod inquirit Israel, hoc non est consequutus, electio verò est cõsequuta, cæteri autem excæcati sunt. Quemadmodum scriptum est:

Dedit eis deus ſpiritũ cõpũctionis,oculos vt nõ vi- A
deant,& aures vt non audiant,vſque ad hodiernum Ieſa.6.
diem.Et Dauid dicit : Fiat menſa eorum in laqueum & in captionem & in offendiculum , & in retributionem ipſis.Obtenebrentur oculi eorum ne videant,& tergum eorum ſemper incurua. Pſal.68.

*Hoc non eſt conſequutus*. Non eſt hoc interrogãtis,ſed conquerentis.Aduerſus ſeipſum,inquit,pugnat Iudæus, qui iuſtitiam quęrit quam nõ vult accipere:hoc enim inquirit Iudæus quod conſequi non vult.Nam quod dicitur,Hoc non eſt conſequutus,ex propria intellige voluntate, nẽpe quod ſciens non eſt conſequutus,non quòd per impoſsibilitatem ſit fruſtratus.Quis enim ex operibus iuſtificatus eſt? *Electio uerò eſt conſequuta*: Puta fideles tam ex Iudæis quàm ex Gentibus ,dicens autem electionem , oſtendit etiam illius probationem,deíque gratiam.Dictio Conſequuta eſt, manifeſtat bonorum magnitudinem quam non ſperabat. Cæteri autem excæcati ſunt.Quinam? Quotquot in Iudaiſmo permanſerunt. Deinceps poſt argumentationem audet eos cæcitatis accuſare. *Dedit eis deus*. Verbum Dedit,non operationem indicat ſed permiſsionem,id eſt ſumere permiſit, conceſsit. *Spiritum compunctionis*. κατάνυξιν dicit animæ habitudinem & attentionem ad id quod peius eſt. Siquidem κατανενύχθαι eſt quodammodo infixum & captum eſſe ſiue bono ſiue malo. Nũc autem immutabilitatem eorum ad malum vocauit κατάνυξιν, id eſt, compunctionem ſiue defixionem: *Oculos ut non uideant*. Vbi dixit excæcati ſunt, Ieſaiæ profert teſtimonium ne moleſtus eſſe videatur.Cauſam verò cæcitatis dicit fuiſſe cõtentionem ipſorum. Oculos nãque habentes vt viderent Chriſti miracula , & aures vt doctrinam audirẽt,nullo horum ad id quod opus erat vſi ſunt, ſed illos quidem clauſerunt,has autem obturarunt: tanquã ſtudio in hoc nitentes ne ſalui fierent. *Et Dauid dicit*. Deinde profert Dauid qui narrat vltionem huius incredulitatis, quæ vltio iam terminum accepit & in effectum deducta eſt. *Menſa eorum*. Bona ac delitiæ ipſorum in contrarium immutentur:hoc autem ſignificat menſa & laqueus. *Et in ca-*

(margin: B, C, Oecu.)

D *ptionem & in offendiculum*. Facilè, inquit, ab impetentibus capiantur. *Et in retributionem*. Retributionem dixit, ostendẽs quòd hæc patientes peccatorum pœnas pendunt. *Obtenebrentur oculi eorum*. Quod spontaneè facturi erant tanquam in execrationis parte ponit. Nam quia solem, inquit, iustitiæ videre noluerunt, ne videant. *Et tergũ eorum*. Romanis ipsos subiiciẽdos esse significat. *Semper*. Vt nũquam liberentur permanentes in incredulitate.

Dico igitur: Num impegerũt vt caderent? Absit, sed per lapsum ipsorum salus contigit gentibus, vt
E ad æmulationem eos prouocaret. Quòd si lapsus ipsorum diuitiæ sunt mundi & diminutio eorum diuitiæ Gẽtium: quantò magis plenitudo ipsorum?

Vbi acriter eos obiurgasset, nititur nũc aliquam ipsis consolationem inuenire. Etenim peccata ait maxima sunt, num ergo taliter impegerunt, vt quum ceciderint amplius non resurgant etiã si velint? Absit, inquit: quanquam enim impegerunt, recipi possunt à deo si modò velint. Vide tamen quòd in ipsa quoque cõsolatione obnoxios facit eos maximorum peccatorum. ALIO modo. Quoniam inter eos qui impingunt, quidam crure tantùm offendũt, alij verò etiam decidunt, volens simul Iudæos ad magnum animi mœrorem deducere, vt qui prius contumeliosi fuissent, simul etiam ad finem adhortari: dicit quòd impactio eorum facta est, nõ vt omnino deciderent, sed vt crure tantùm offenderent: neque hoc temerè, sed dispensatione quadam hoc factum est, vt per illorum offensionem salus fiat Gẽtibus: fiat autem & eorum ipsorum erectio, illos qui sunt ex Gentibus æmulando ac imitãdo. Ipsos itaque offendisse, confert quodammodo ad ipsorum erectionem, si ipsorum lapsu salus est Gentibus: in salute autem æmulatio: in æmulatione verò eorũ qui ciderant erectio. Talis namque est dei ineffabilis & incõprehensibilis prouidentia ac dispensatio, quòd ex his quæ maximè videntur implicata explicet, & ex aduersis ea præstet quæ vtiliora sunt. Siquidem Iudæi ita impegerant, vt & caderent & iacerent, & nec sibi nec aliis alicuius commodi causa fierent: deus autem lapsu illorum & ad Gentium salutem vsus est, & ad eorum ipsorũ erectionem à lapsu. Itaque

Pho. F

non sic impegerunt deo hæc disponente vt caderēt, sed impegerunt vt corrigerentur. Magis autem sicut dicit Apostolus, vt diuitiæ mundi fierent ac diuitiæ Gentiū, & inde peracta est mundi recōciliatio, omniúmque perfecta resuscitatio, non eorum tantùm qui impegerant, verumetiam eorum qui vsque ad mortem ac mortificationem deciderant. Et vide. Initio quidem, Iudæorum incredulitatem vocauit impactionem, deinde lapsum. Postquam autem ostēdit eis bonorum magnitudinem, si modò obtēperare velint, ipsos etiam erexit, diuitias Gētium appellans & mundi reconciliationē, suámque carnem. Tunc etiam quāta sit incredulitatis absurditas ostendit, indicans ipsos per hanc factos esse mortuos. Verùm hoc quoque miro modo facit: admodúmque sapiēter. Etenim quia simpliciter mortuos ipsos appellare valde amarum erat ac pene intolerabile, magísque ad iniuriā conferebat quàm ad exhortationem: id non ita aridè ponit, sed miscet illud ac laudis ordine producit, dicens, Quæ erit assumptio ipsorum nisi vita ex mortuis? per vitam quidem ponens quod delectet, addens autem, Et mortuis, subindicat ꝙ illorū incredulitas mortificatio fuerit. Deinde vbi dixisset ꝙ lapsus illorum facta sit salus Gentium, ex hoc consequenter magis astruit ꝙ ipsorum quoque futura sit salus. Deducendo autem argumētum, vbi more suo ante periodi expletionem circuitibus vsus esset, dicens, Vobis quidē dico gentibus, rursus argumentum repetit & ait, Nam si reiectio eorum & cætera. Et nota ꝙ vt plurimùm in repetitionibus nō ita nudè iterum repetit, quasi ad hoc conaretur: sed vel cum augmento, vel cum maiori elucidatione vel expresſius & omnino absque aliquo cultu ac permutatione raro eum inuenias repetitione vtentem, qua tamen continuē ferè vtitur. *Sed per lapsum ipsorum.* Totus hic locus dictus est vt & eos consolaretur, & persuaderet ne desperarent: vtque Gētium fastum detraheret, ac suaderet ne obliuioni ista traderent. Propterea, inquit, Gentes saluæ factæ sunt, quia hi non sunt adducti vt salui fierent. Siquidem, veluti dignum erat, hos primùm oportuit saluos fieri, deinde Gentes: verùm quia hi noluerūt, vos primitiui facti estis, Vnde & ipse dicit, Iudæo primùm & Græco. Et dominus, Ite potius ad oues perditas domus Israel. Rursumq;, Vobis oportebat primū loqui ver

A B C *Supra 1.* *Matt. 10.* *Acto. 13.*

D bum. Vides igitur ꝙ Iudæorum incredulitas locum dederit Gentibus, vt primitiui fierent ad fidem? *Vt ad æmulationē eos prouocarent.* Vt, quandoquidē ex seipsis credere noluerunt, saltem vel æmulatione crederent. *Quod si lapsus ipsorum.* Ad consolationē eis loquitur & exhortationem. Nam si lapsus ipsorū & diminutio, facta est tot hominibus occasio bonorum, quātò magis si omnes salui fiant? siquidē hoc significat Plenitudo quàm multis sanè fuerint, inquit, salutis occasio omnes, quum salui fiunt. Ex hoc itaq; etiā ipsos instruit ne

Pho. desperent. *Diuitiæ Gentiū*, facta est videlicet. *Quantò magis plenitudo ipsorum.* Hoc est vt ipsi etiā perficiantur cum his qui salui fiūt. Si ergo his etiā non præsentibus diuitiæ mun

E di factæ sunt ac diuitiæ Gentium: quantò magis ipsorum etiam perfectio diuitiæ erunt mundi ac diuitiæ Gentium.

Vobis enim dico Gentibus: quatenus quidē sum Apostolus Gentium, ministerium meum glorificabo, si quo modo ad æmulādum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Nam si reiectio ipsorum est recōciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Quòd si primitiæ sanctæ, sancta est & cōspersio, & si radix sancta est, san

F cti erunt & rami.

Pro Iudęis loquitur: partim quidē ne odio dixisse videatur ea quæ dixit, partim verò vt Gētium fastum cōprimat. Vos, inquit, Gētes duplici nomine laudo ac glorifico. Primùm ꝙ vestri ministeriū, hoc est prędicatio mihi tradita sit: & mihi necesse est vt vos tanquā meos discipulos laudem ac glorificem. Deinde vt quosdā etiam Iudæorum, quos suam quoq; carnē appellat, stimulatos ex vestri collaudatione, saluos faciam. Ex hoc autē Gentes illustrat, tanquā Iudęis causa fuerint salutis. Siquidē qui ex perditione erāt, vobis, inquit, sunt occasio salutis, nēpe Gentes, ex fide videlicet. *Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam.* O Iudaicam peruicaciam. Non dixit, Persuadeā, sed Ad æmulandū prouocem, tanquā non alio modo sint credituri, nisi vehemētia quadam illata. In superioribus quidē cognatos vocat eos ac fratres: nunc verò Carnem, familiariores eos efficiēs. *Ali-*

*quos ex illis.* Ne hoc quidē modo omnes,ſed aliquos,adeò A
ipſorum nouerat peruicaciam.Porrò quod ait, Nam ſi reie Pho.
ctio ipſorum,&c. eius repetitio eſt quod dixit, Quòd ſi lapſus ipſorum,vt etiā prædiximus:aut cauſa eſt ſtudij Pauli, vt ipſi ſaluarentur,veluti ſi quis diceret,Cur Paule laboras pro Iudæis? cur ais,Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meā,& ſaluos faciam aliquos ex illis? & cur tantùm aſſumis laborem? Certè,inquit,cōuenit mihi ſolicitū eſſe ac laborare.Nam ſi reiectio ipſorū,&c.hoc eſt,ſi etiā ipſis non præſentibus deus mundo recōciliatus eſt,& medius paries, veteris inimicitiæ de medio ſublatus eſt,quid, an non contingere poterit cōmodum maximéq; admirandū, ſi & hi ſal ui fiant & adiungantur? *Recōciliatio mundi.* Quoniā ipſos rurſum obiurgauit,rurſum eos laudat,eadē dicēs quæ antea
dicta ſunt. Nam ſi quod ipſi impegerint,mūdo fuit occaſio B
ſalutis,quid poterit quiſpiam dicere futurū eſſe ſi aſſumantur à deo? quid inquā,aliud niſi reſurrectionem mortuorū? ſed quemadmodū reſurrectio non propter aſſumptionē ipſorum erit,ita neq; ſalus Gentiū facta eſt propter ipſos. Sed his ſermonibus gratum ſe illis præbet vt exhortetur. ALIO modo. Si deus,inquit,illis iratus,talia donauit aliis: vt inimicos etiā faceret amicos: quū eos aſſumpſerit,quid nō pręſtabit? Vita ex mortuis tunc erit,id eſt innumera bona.nam hoc ſignificat per Vitam,Simul etiā innuit quiddā profundius: ꝙ ſicut reſurrectio ex mortuis non propter Iudæos e-
rit:ita nec aliorū ſalus propter ipſos facta eſſet,niſi fidē ha- C
buiſſent. Nam omnia quæ pro illis dicit, frigida (vt aiunt) gratia tribuere videtur: quēadmodum ægrotātibus frequēter faciunt medici.Licèt enim maxima parte,inquit,damno
affectis iis qui ſalui fiunt,nihilominus ſalus ipſorū reconci- Pho.
liatio mundi efficitur,hominúmq; inimicitia quæ aduerſus deū erat diſſoluitur,quid exiſtimare oportet vbi illa quoq; pars,nēpe Iudæi,aſſumpta fuerit,& his qui ſalui fiunt addi-
ta? Quid igitur eſt aſſumptio ipſorū ſiue additamentū niſi Oecu.
magnæ diuitiæ? niſi perfectū integrúmq; gaudiū,quale erit in perfecta cōmuniq; vita,ac reſurrectiōe ex mortuis. *Niſi uita ex mortuis.* Si hoc,inquit,quę erit aſſumptio ipſorū, niſi vt dicamus ꝙ ipſos peccatis mortuos viuificat qui aſſumit,
nēpe deus? *Quòd ſi primitiæ ſanctæ.* Hoc adſtruendū eſt quòd Pho.

D omnino saluabuntur Iudæi: idque confirmat dupliciter: primùm quidē ex consequentia: secundò verò eam quę ad hoc affertur difficultatem frequenter dissoluens. Primitias autem & radicem vocat ipsum Abraham: conspersionem verò & ramos, eos qui ex eius genere crediderunt. *Et conspersio.* Si ergo cum primitiis & radice simul necesse est, & cōspersionem sanctam esse ac ramos, Iudæi verò nō sunt sancti, vtique etiam à cognatione Abraham exciderunt. VEL quia

Oecum. eos sanctos vocat, hortatur ad fidem, acsi diceret, Apti estis ac conuenientes, solùm velle vobis deest.

Quòd si nōnulli rami defracti sunt, tu autē quum oleaster esses, insitus fuisti illis, & consors radicis ac pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ra-

E mos. Quòd si contra gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices itaque, Defracti sunt rami vt ego inserer: Bene, propter incredulitatem defracti sunt, tu verò fide stetisti. Ne efferaris animo, sed time. Nam si deus naturalibus ramis nō pepercit, nequo modo fiat vt nec tibi parcat.

*Quòd si nonnulli rami.* Consolando eos posuit vocem quę paucitatē significaret: quū superius indicauerit paucos saluos fieri, vt quādo dicit, Reliquiæ saluæ fient. *Tu autem quū oleaster esses.* Quantò abiectiores ostēdit illos qui ex Gentibus erāt, tantò acrius eos pūgit. Dum verò dicit, *Insertus es.* Ostēdit in radicem ab ipsis differētem, magísq; pręcellētem

F insitos fuisse eos qui ex Gētibus erāt. itaq; mordētis ac perstringētis verba sunt. *Et consors radicis.* Hoc ad miseriā pertinet Iudæorū, illos qui in nullo ipsos præcellerēt, consortes factos esse radicis se præcellētioris, ipsos verò repulsos esse. *Ne glorieris aduersus ramos.* Magnā ostēdit deiectionem Iudæorū. Neq; enim dixit καυχῶ glorieris, sed per cōpositū κατακαυχῶ cōtra glorieris, qualiter aduersus eos fieri solet qui humi iacent. Deinde etiā latenter eos mordet, ostēdens quę gloriatione digna sunt contigisse Gētibus ex fide. quāquam nō cōuenit, inquit, gloriari. *Non tu radicem portas, sed radix te.* Et quid hoc ad defractos ramos? Nihil. Nam si aduersus radicē gloriarer, id locū haberet: si verò radicem tā-

quam sanctā adoro, quid ad ramos qui exciderūt si portor à radice ? sed vult Apostolus vel vmbram ipsis inuenire cōsolationis, ne nimia tristitia absorbeantur, sed resipiscant tanquam relicta ipsis salute. Dices itaq;, *Defracti sunt rami.* Effectus est sermo, acsi Gentes dicerēt, Et quare nō gloriabor, quum tanta mihi accesserint bona? hi defracti sunt, ego insitus sum, hæresq; gloriæ patrū factus sum: ac ꝓmissionibus quæ illis datæ erāt, ego ꝑegrinus & in nullo cognatꝰ fruor. Ex eo autē quod ait, Bene, Gētes collaudat, eisq; assentitur, tanq̃ vera dicētibus, *Propter incredulitatem defracti sunt.* Vide Apostoli sapientiam: Quum pro Iudæis sermonē facere videtur, amplius eos conterit ac contūdit. *Tu verò fide stetisti.* Causam abiectionis illorū, nostræque assumptionis refert ad fidem in Christum. *Nam si deus naturalibus ramis non pepercit.* Vult illorum calamitatem commiserādo augere, per modū obiurgationis Gētium: *Ne quo modo fiat ut ne tibi parcat.* Sermonis asperitatem ac duritiem hæsitantia tollit. A B

Vide igitur bonitatem ac seueritatem dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te verò, bonitatem, si permāseris. Alioqui & tu excidéris. Et illi rursum si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens enim est deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus fuisti oleastro, & præter naturam insitus fuisti in bonā oleam: quantò magis hi qui secundum naturam sunt, inserentur propriæ oleæ. C

Ad deum eiúsq; gratiam totū refert negotiū. Neq; enim ait, Vide quantū laboris habuisti bonorumq; operū. *Si permanseris in bonitate.* Si digna dei benignitate operatus fueris: neque enim sola tibi fide opus est. *Seueritatem autem dei.* Quòd eis non pepercerit, eo ꝙ patrum virtute indignos ipsos inuenerit. *Alioqui & tu excidéris.* Neque enim tibi bona, neque illis mala sunt immutabilia. *Et illi si non permanserint.* Siquidem deus ipsos nō amputauit, sed ipsi seipsos. *Potens enim est deus.* Probabilitatem addit sermoni ex diuina potentia. Potens, inquit, est deus. *Nam si tu ex naturali excisus fuisti oleastro.* Caussam reddit quòd si modò voluerint inseri, pos-

D omnino saluabuntur Iudæi: ídque confirmat dupliciter: primùm quidē ex consequentia: secundò verò eam quę ad hoc affertur difficultatem frequenter dissoluens. Primitias autem & radicem vocat ipsum Abraham: consperſionem verò & ramos, eos qui ex eius genere crediderunt. *Et consperſio.* Si ergo cum primitiis & radice simul necesse est, & cõsperſionem sanctam esse ac ramos, Iudæi verò nõ sunt sancti, vtique etiam à cognatione Abraham exciderunt. VEL quia eos sanctos vocat, hortatur ad fidem, acsi diceret, Apti estis ac conuenientes, solùm velle vobis deest.

Oecum.

Quòd si nõnulli rami defracti sunt, tu autē quum oleaster esses, insitus fuisti illis, & consors radicis ac pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ra-

E mos. Quòd si contra gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices itaque, Defracti sunt rami vt ego inserer: Bene, propter incredulitatem defracti sunt, tu verò fide stetisti. Ne efferaris animo, sed time. Nam si deus naturalibus ramis nõ pepercit, ne quo modo fiat vt nec tibi parcat.

*Quòd si nonnulli rami.* Consolando eos posuit vocem quę paucitatē significaret: quũ superius indicauerit paucos saluos fieri, vt quãdo dicit, Reliquiæ saluæ fient. *Tu autem quũ oleaster esses.* Quantò abiectiores ostēdit illos qui ex Gentibus erãt, tantò acrius eos pũgit. Dum verò dicit, *Insertus es.* Ostēdit in radicem ab ipsis differētem, magísq; pręcellētem

F insitos fuisse eos qui ex Gētibus erãt. itaq; mordētis ac perstringētis verba sunt. *Et consors radicis.* Hoc ad miseriã pertinet Iudæorũ, illos qui in nullo ipsos præcellerēt, consortes factos esse radicis se præcellētioris, ipsos verò repulsos esse. *Ne glorieris aduersus ramos.* Magnã ostēdit deiectionem Iudæorũ. Neq; enim dixit καυχῶ glorieris, sed per cõpositũ κατακαυχῶ cõtra glorieris, qualiter aduersus eos fieri solet qui humi iacent. Deinde etiã latenter eos mordet, ostēdens quę gloriatione digna sunt contigisse Gētibus ex fide: quãquam nõ cõuenit, inquit, gloriari. *Non tu radicem portas, sed radix te.* Et quid hoc ad defractos ramos? Nihil. Nam si aduersus radicē gloriarer, id locũ haberet: si verò radicem tã-

quam sanctã adoro, quid ad ramos qui exciderũt si portor à radice? sed vult Apostolus vel vmbram ipsis inuenire cõso lationis, ne nimia tristitia absorbeantur, sed resipiscant tanquam relicta ipsis salute. Dices itaq;, *Defracti sunt rami.* Effe ctus est sermo, acsi Gentes diceret, Et quare nõ gloriabor, quum tanta mihi accesserint bona? hi defracti sunt, ego insi tus sum, hæresq; gloriæ patrũ factus sum: ac pmissionibus quæ illis datæ erãt, ego pegrinus & in nullo cognat⁹ fruor. Ex eo autẽ quod ait, Bene, Gẽtes collaudat, eisq; assentitur, tanq̃ vera dicẽtibus, P*ropter incredulitatem defracti sunt.* Vide Apostoli sapientiam: Quum pro Iudæis sermonẽ facere videtur, amplius eos conterit ac contũdit. T*u uerò fide stetisti.* Causam abiectionis illorũ, nostræque assumptionis refert ad fidem in Christum. N*am si deus naturalibus ramis non pepercit.* Vult illorum calamitatem commiserãdo augere, per modũ obiurgationis Gẽtium: N*e quo modo fiat ut ne tibi parcat.* Sermonis asperitatem ac duritiem hæsitantia tollit. A B

Vide igitur bonitatem ac seueritatem dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te verò, bonitatem, si permãseris. Alioqui & tu excidéris. Et illi rursum si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens enim est deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus fuisti oleastro, & præter naturam insitus fuisti in bonã oleam: quantò magis hi qui secundum naturam sunt, inserentur propriæ oleæ. C

Ad deum eiúsq; gratiam totũ refert negotiũ. Neq; enim ait, Vide quantũ laboris habuisti bonorumq; operũ. *Si permanseris in bonitate.* Si digna dei benignitate operatus fueris: neque enim sola tibi fide opus est. *Seueritatem autem dei.* Quòd eis non pepercerit, eo ꝙ patrum virtute indignos ipsos inuenerit. *Alioqui & tu excidêris.* Neque enim tibi bona, neque illis mala sunt immutabilia. E*t illi si non permanserint.* Siquidem deus ipsos nõ amputauit, sed ipsi seipsos. P*otens enim est deus.* Probabilitatem addit sermoni ex diuina potentia. Potens, inquit, est deus. N*am si tu ex naturali excisus fuisti oleastro.* Caussam reddit quòd si modò voluerint inseri, pos-

D ſint. Nam ſi fides, inquit, ea quæ præter naturam erant, effe cit, quantò magis ea quæ ſunt ſecundum naturam? *Inſerentur propriæ oleæ?* Ne quis Iudęum maius quiddã habere exiſtimaret, de Ethnicis audiens dici præter naturam. &, Inſitus fuiſti, ponit etiam ſimile de Iudæis, dicens, Inſerẽtur, vt dignitatis æqualitatẽ oſtendat, quódq; nihil illis excellẽtiæ ſit ab eo ꝙ ex bona ſint olea, quandoquidẽ & illis ſemel opus ſit inſeri. Quũ autẽ audieris dicentẽ Paulũ, Secundũ naturã, cõſidera quid veriſimile ſit ac cõſequẽs, putà veriſimile erat vt filius ſancti patris Abrahã ſanctus eſſet. Quẽadmodum rurſum quũ ait, Pręter naturã, hoc eſt, quum nõ ſit conſentaneũ, nec incõſequens vt filius ſceleſti Gręci ſanctus ſit.

E Non enim volo vos ignorare fratres myſterium hoc, vt ne ſitis apud voſipſos elati animo, quòd cæcitas ex parte accidit Iſrael, donec plenitudo Gentium intrauerit, & ſic omnis Iſrael ſaluus erit: ſicut
59. ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui liberet & auertat impietatem à Iaacob. Et hoc illis à me teſtamentũ, quum abſtulero peccata eorum.

Genn. *Nolo uos ignorare myſterium*. Quod à vobis, inquit, ignoratur. *Apud uoſipſos elati animo:* Siquidẽ ob ignorãtiam † ſirmum habebãt propriũ concilium. *Quòd cæcitas.* Ne autem magnũ & admirãdum de vobiſipſis cogitetis decepti, quaſi cæteris ſapientiores eſſetis: diſcite breuiter horrẽdum omnino myſterium, quod ineffabilem oſtendit circa omnes dei prouidentiam, nempe quòd Iſraelitis, præter electionem. (Nam hoc eſt quod ait, Ex parte) excæcatis, ipſiſque ſalutem repellentibus, ad vos eam tranſtulit deus, vbi autẽ vos adoptati fueritis, rurſum omnes quoq; illos gratia aſſumet. Nam hoc ipſum quoque atteſtatur manifeſtũ Ieſaiæ oraculum. Ex *parte.* Non ex toto inquit. Siquidem nonnulli ex Iudęis venerãdi erant qui crediderãt, & qui in poſterũ credituri erant. *Plenitudo Gentium.* Plenitudinem Gẽtium dicit omnes qui ex Gẽtibus erãt credituri. Vbi igitur omnes ingreſſi fueritis ad fidẽ, tunc etiã Iſrael credẽdo ſaluus erit. Iſrael autẽ vocat eos qui in Iudaiſmo permãſerant. Nã pones, inquit, eos tergum, & inter reliquos (ponitur enim περιλόιποις

† ἰκίϱουμ.

F

Pſal. 18.

pro κατὰ λόγοις) parabis faciem illorum. Et verè omnis Israel saluus erit, id est, plures auertentur quidem à peccatis, & conuertentur ad ipsum, *Veniet ex Sion.* Iesaiam rursum inducit clamantem quòd veniet ex Sion qui saluare possit: & purgabit peccata Israelitarum. Et quãdo hæc erunt? Quũ abstulero peccata eorum. Hoc est testamentum veluti signũ, quum dignos duxero remissione quæ fit per baptismũ. Itaque quia hoc nondum sunt assequuti, siquidem adhuc excæcati sunt, in posterũ hoc futurum est. *Et hoc illis.* Ne quis existimet scripturam Iudæis qui iam crediderant aptari, signum ponit quo ostẽditur de futuro esse prophetia. Quodnam est illud? *Quum abstulero peccata eorum.* Si ergo nondũ abstulit, vtique complenda est adhuc scriptura. Vnde subiũgit, Nam pœnitudine vacant dona dei. *Quum abstulero.* Tunc, inquit, continget promissio dei. A B

Secundum euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionẽ autem dilecti propter patres. Nam pœnitudine vacant dona & vocatio dei. Quemadmodum enim & vos aliquando increduli fuistis deo, nũc autem misericordiam consequuti estis per illorum incredulitatem: sic & isti nunc increduli facti sunt in vestri misericordiam, quò etiã ipsi misericordiam consequantur.

Quantum, inquit, ad euangelium attinet, propter vos qui estis è Gentibus inimici sunt Iudæi. Quonam modo? Quum enim vobis annuntiatum sit euangelium, facti magis proterui, à fide resilierunt. *Inimici propter uos.* Inimici facti sunt Iudæi propter eos qui ex Gentibus crediderant, sicut antea dixit, Quatenus quidem sum Gentium Apostolus, ministerium meum glorificabo. Quare? Si quo modo, inquit, ad æmulandum prouocem carnem meam. Nam si per fidem Gentium, ad æmulandum prouocãtur & imitantur Iudæi, fiũtq; fideles: quomodo propter eos inimici ediuerso fiũt fidei ac euangelij? Verùm dicimus primùm ꝙ non dixerit, per fidẽ eorum qui ex Gentibus erant Iudæos ad æmulandum prouocari vel imitari, sed per hoc quòd Gentes glorificarentur & laudarentur. Gloria enim & laus Gentium instigatura C Pho.

D erat illos ad æmulationem ac imitationem prouocatura. Nō sunt itaque contraria ad se inuicem quæ dicta sunt. Secundò autem: Neque enuntiatiuè dixit, ꝙ ad æmulandum prouocabuntur Iudæi, sed ambiguè vacillans, ait enim, Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam: acsi dicat, Forsitan vel fortaßis fiet. Quanuis etiam dixisset per illorũ fidem, & non per gloriam & laudes ad æmulandum prouocari Iudæos, neque ita sermo sibi pugnaret. Etenim per hoc quod ait, Inimici propter vos, incredulitatem dicit Iudæorum, & caussam propter quam vehementiùs odio haberent fidem. Per illud autem, Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, suum studium ostendit, animíque promptitudinem quam habebat vt saluos faceret qui ex Gẽtibus
E erant. Et præter ea quæ dicta sunt, neque ita pugnarent dicti sermones, etiamsi vtrunque affirmando dixisset. Nihil enim vetaret quosdam eorum qui credidissent instigatos fuisse Gentium fide, vt æmularentur & crederent: rursúmque multos qui non crediderant, indignatione & odio aduersus eos qui è Iudæis erant, duriores factos esse minúsque credentes euangelicæ prædicationi: veluti ipsis quoque rebus est videre. Siquidem hi qui Gentes imitantur, accedunt ad fidem & salui fiunt: qui verò his indignantur, vehementiores inimici fidei constituuntur. *Secundum electionem autem.* nempe quia patres eorum electi sunt à deo, dilecti sunt.
Oecum. *Propter patres.* Deinde quoniam in incredulitate permanserunt, & ob hoc dilecti non sunt, securè loquẽs dicit, Pro-
F pter patres acsi diceret, Quanquam ipsi propter incredulitatem dilecti non sint, attamen propter patres adhuc diligũtur: vnde & salutem recipiunt. Et vocatio dei. Facta videlicet circa genus Iudæorum. *Quemadmodum enim & vos aliquando increduli fuistis deo.*
Eiusdem. Ostendit hìc Gentes primùm vocatas fuisse. Deinde quoniam non obedierunt, Iudæos misericordiam consequutos, post hęc rursum idem e diuerso cõtingere. Quandoquidem enim noluerunt Iudęi credere, denuò vocatæ sunt Gentes, & secundò vocatæ crediderunt: id tamen non ad Iudęorum vergit eiectionem, sed vt ipsi quoque misericordiam consequãtur. *Aliquando increduli fuistis.*
Pho. Per hæc Iudæos ad fidem in Christum adhortatur, simúlq; bonam eis spem offert, ac omnem eleuat pudorem, Ne pu-

dore, inquit, suffundaris, etsi incredulus fuisti vt accederes, A
neque desperes ꝙ tardiùs accedas, serò licèt adueniens, misericordiam consequêris. Etenim Gentes etiam quum vocatæ essent primùm incredulæ fuerunt, at nunc crediderũt, neque pudore affectæ sunt ob priorem incredulitatem, neque ex tarditate vllum passæ sunt impedimentum ad salutẽ. Igitur neque tu ipse Iudææ erubescas, neque desperes, sed prompto animo ad fidem accede, & omnino misericordiam consequêris. Quæ ergo dicta sunt aut exhortationis & admonitionis locum habebant, vel etiam prophetiæ adstruendo id quod futurum est, ex comparatione & testimonio eius quod iam præcessit. Quod autem dicit, Misericordiam cõsequuti estis per illorum incredulitatem, &, Increduli facti sunt in vestri misericordiam, nõ vult ꝙ incredulitas Iudæorum causa fuerit, vt Gentes misericordiam consequerẽtur, B
neque ꝙ misericordia Gentibus præstita fuerit causa incredulitatis Iudæorum: sed hæc dicit ostẽdens ac docens quòd deus nunquam prætermiserit facere quod suum est, suámq; misericordiam scaturire. Quanquam enim olim Gentes incredulæ fuerunt, nũc autem Iudæi non credunt: ipse tamen beneficiis afficere ac misereri non cessat: idque manifestum est ex eo quòd & tunc misericordiam pręstitit Iudęis quum Gentes essent incredulæ, & nunc misericordiam tribuit Gẽtibus quũ Iudæi sunt increduli. Præterea etiam manifestius ex eo fiet, ꝙ etiam Iudæorum licèt increduli facti sint, adhuc miserebitur. Simul autem & accusatio est aduersus Iudæos, acsi diceret, Quanquam ipsi à fide destiteritis, ne existimetis ꝙ fides minus habuerit virium. Quemadmodum enim olim quum Gentes desciuissent, nil detractum est cultui diuino: ita & nùnc vobis à fide rescisis, nihil fidei detrahetur. Effinxit autem pręd icta aduersus Gentes, grauiorem reddere volens aduersus Iudæos reprehensionem. Possunt tamen etiam hæc aduersus Gẽtes intelligi esse dicta: ne ideo insolescant ꝙ crediderint, Nam & vos, inquit, per miserationem dei credidistis: & illi qui increduli facti sunt, misericordiam consequentur ac credent. C

Conclusit enim deus omnes in incredulitatem, vt omnium misereretur. O profunditas diuitiarum

D & ſapientiæ & cognitionis dei, quàm inſcrutabiliã ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ ipſius. Quis enim cognouit mentem domini? aut quis cõſiliarius illi fuit? aut quis prior dedit ei, & reddetur ipſi? Quoniã ex ipſo & per ipſum & in ipſum ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

Pho. *Concluſit omnes in incredulitatem.* hoc eſt, conuicit incredulitatis. Alio item modo. Particula hæc, Concluſit deus omnes in incredulitatem, duo ſignificare poteſt: vel ꝙ incredulos fecit, & hoc locum non habet: vel ꝙ incredulos demonſtrauit, & hoc etiam verum eſt. Nam per multam prouidentiam ac beneficentiam, quã ſemper erga homines demonſtrauit, illorum incredulitatem ac perfidiam magis notauit ac diuulgauit. Manifeſtum eſt autem ꝙ multi non crediderunt in eum, ſiue Iudæi ſiue Gentiles eſſent: ideo quoque dicit Omnes, eos qui ex duobus populis increduli fuerunt complectens. Quomodo autem concluſit deus omnes in incredulitatem? beneficiis afficiens prouidens ac miſereſcens. Quid ergo, quum increduli fuerint, non dabunt pœnas? Et quid hoc ad benefactorem? Siquidem ille vt omniũ miſereretur, omnibus prouidebat, ac beneficiis afficiebat: ꝙ ſi illi fuerunt increduli, nihil hoc ad benefactorem: attamen hoc etiam modo conuerſorum miſerebitur, nec eos auerſabitur. Vel hoc modo. Olim fuerunt Gentes incredulæ, nunc Iudęi facti ſunt increduli. Atqui & illas oportuit, quũ per tot ſigna ac beneficia Iudæos beneficiis affici viderent, non eſſe incredulas: & nunc Iudæos videntes maiora edi miracula, oporteret ad fidem præ Gentibus accedere: ſed neq; tunc Gentes, neque nunc Iudæi quod melius erat ſibi elegerunt. Itaque manifeſtum eſt ꝙ & tunc Iudæi & nunc Gentes, dei miſericordia ac benignitate, & ad fidem manuducti ſunt & ſalutem conſequuti. Vel potius hoc modo. Quoniam dixerat, Quo & ipſi miſericordiam conſequantur: ait nunc, Vt omnium miſereatur, hoc eſt, vt alios per aliorum peruicaciam ſaluos faciat. Prius enim quum Gentes eſſent incredulæ, Hebræos ſaluos fecit, vt dictum eſt. Rurſum ſub Chriſto Iudæis factis incredulis ſalui facti ſunt Ethnici. Sa-

E

προνοούμενος.

F

lute Ethnicorum Iudæi ad æmulationem prouocati, fiunt & ipsi salui: & ita omnes misericordiam consequuntur: hi per illos, & illi per istos. O *profunditatem*. Nam profunditatẽ quidem esse nouit, qualis autem aut quanta sit ignorat. Diuitias autem vocat bonitatem. *Diuitiarum & sapientiæ & cognitionis*. Quum sapientiam intellexerit dei gubernationem, qua ab exordio mundi vsus est, quomodo contraria disponat per cõtraria, nec habeat quid ad ipsam discere posset, solùm admiratus est. *Quàm inscrutabilia sunt*. Non solùm enim cognosci non possunt, sed neque inquiri. *Viæ eius*. Gubernationes seu dispensationes eius dicit. *Quis enim cognouit mentem domini*. Ipse, inquit, solus quæ sua sunt nouit. Quum autem sapiens sit, non alterius consilio instructus est, sed ipse sibi sufficiens est, sed & omnium bonorum fons est: *Aut quis prior dedit ei?* Nulli, inquit, ad debitorum repensionem beneficia confert, sed semper prior dona tribuit. *Quoniam ex ipso*. Ipse inuenit bona. *Et per ipsum*. Ipse etiam ea quæ sunt formauit. *Et in ipsum sunt omnia*. Conseruat quæ facta sunt, vt qui ea compegit & conglutinauit. *Ipsi gloria in secula*. Quum magna dixisset & incredibilia, admirabundus tantùm, sicut illi moris est, in δοξολογίαν, id est, glorificationem terminauit.

A

B

## CAPVT XVIII.

### *Adhortatio ad uirtutem, quæ erga deum est & homines.*

OBsecro igitur vos, fratres, per miserationes dei vt præbeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, sanctam, deo beneplacentem, rationalem cultum vestrum. Et ne configuremini huic seculo, sed trãsformemini per renouationem mentis vestræ: vt probetis quæ sit voluntas dei bona & beneplacens & perfecta. Cap. 12. C

Ipsæ, ĩquit, dei miserationes per quas salui facti estis, obsecrãt vos (Nã ipsos inducit quasi ad eos fiat supplicatio) vt ad dignam illis conuersationem trãseatis. *Vt præbeatis corpora uestra*. Ad duo exhortatur, nempe ad vitæ curam & ad fidei studium. His enim quæ dicit, Vt præbeatis siue exhibeatis corpora vestra, &c. optima vita admonet esse conuer-

D ſandum. Per id autem quod addit, Rationalem cultum ve-ſtrum, poſtulat vt fidei rectitudinem proſequantur. Præponit autem quæ conuerſationis ſunt; quoniam vitam puram pietatis quoque ſermo ſequi ſolet. Vide autem quomodo vtrunque ſcitè & acutè dixerit, Præbete, inquit, corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, deo beneplacentem. Deinde his non contentus, aliud etiam adiungit, Quidnam illud eſt? Secundum rationalem, inquit, cultum veſtrum, hoc eſt, ſecundum illius legem, conformiter ad illam & ſecundum illam: in nullo ab ea diſsidentes. Nam hoc eſt Sanctam & viuentem & deo beneplacentem hoſtiam corpus noſtrum exhibere, cultum noſtrũ in nullo verſari extra ea quæ ſancita ſunt. Vtrunque enim oportet & fidem vitæ, & vitam fidei eſ-

E ſe conformem. Siquidem quemadmodum is qui rectã obtulerit fidẽ, ſi prauus ſit moribus, operibus ſuis confeſsionẽ accuſat fidei: ita etiam qui bonas exhibet operationes, ſi fidem impiam præponat: quum impius ſit, etiam actiones deprauat, ac diuulgat nullum eis ineſſe fructum ſpiritualem. Oportet ergo conuerſari ſecundum rationalem cultum noſtrum. *Viuentem.* Quia dixerat Hoſtiam, ne quis exiſtimaret ꝙ noſipſos iuberemur iugulare & immolare ſubiunxit viuentem. Quo autem modo erit corpus hoſtia? Videãt quæ recta ſunt oculi: lingua & manus, illa quidem in dei laudibus, hæc autem in præceptis exerceantur. Quæ ſi ita fiant, corpus viua efficitur hoſtia. *Sanctam.* Hanc hoſtiam à Iudaica diſterminans dicit Sanctam, beneplacentem & ratio-

F nalem. Iudaica enim quum corporea eſſet, nõ admodum ſancta erat aut beneplacens, vtpote irrationalia mactans. *Rationalem cultum.* Spirituale, inquit, obſequium, conuerſationem ſecundum Chriſtum: acſi dixiſſet, Exhibete corpora veſtra hoſtiam per rationalem cultũ, hoc eſt, ſine ſanguine, vel offerte hoſtiam viuẽtem & rationalem cultum: A communi enim ſenſu ſupplendum eſt Offerte. Et *ne configuremini huic ſeculo.* Et quomodo ſeipſum offeret quiſpiam hoſtiam viuam? Quomodo? Ne configuremini, hoc eſt, ne figuretis voſipſos iuxta figuram mundi huius: nihil enim ſanum habet vel ſtabile: ideo quoque figuram vocat id, ſignificans

Oecum. non manere: & hoc dicẽdo fragilitatem denotat. VEL, Ne

Pho. ſimul cum temporibus trãſmutemini. ALIO MODO Dicendo,

cendo, Ne configuremini huic ſeculo, hoc ſignificat. Ne commutemini aut ſimul transferamini cum doctrinis eorũ qui doctrinam adferunt ex ſęculo hoc fluente nec permanente. Hoc dicto, ne quidam Iudęorum dicerent, Igitur neque omnino nos oportet transferri aut transfigurari à tradita nobis in lege doctrina: propterea ſubdit: Sed transformemini: hoc eſt oportet vos ſecũdum dei voluntatem trãſferri. Magnum eſt autem diſcrimen doctrinæ quæ à mundo eſt & ſapientiæ quæ eſt ſecundum dei voluntatem. Et illa quidem ipſam quoque legalem figuram perdit, in aliam miſeriæ aut corruptionis formam ducens: hæc autem non ſolùm non perdit legis figuram. (Siquidem legalia in figura & typo ac vmbra erant) ſed potius reddit ipſum meliorem: eam, quæ à lege reliqua erat, formam & pulchritudinem explens ac perficiẽs, ideo rectè ait, Ne cõfiguremini, ſed trãſformemini: nam illud perditio eſt, hoc autem ſalus ac perfectio. Sed transformemini. Mundi vocans figuram, virtutis formam dicit, oſtendẽs naturalem eius pulchritudinem. *Per renouationem.* Quandoquidem is qui humanus eſt non poteſt non peccare, ait: Renoua ſemper temetipſum per reſipiſcentiam. Nihil enim adeò animã corpusque inueterat atque peccatum. *Vt probetis.* Aut hoc dicit: Renouare vt diſcas quid vtile ſit, & quę dei volũtas. *Et beneplacẽs.* Ad Iudęos ſermonem dirigit qui legem habebant: dicens quòd lex dei ſanè etiam voluntas erat, at non beneplacẽs neque perfecta, ſed ob veſtram, inquit, imbecillitatem permiſſa, perfecta autem & beneplacens, nouum eſt teſtamentum.

Dico enim per gratiã quæ data eſt mihi cuilibet verſanti inter vos, ne quis efferatur ſenſu vltra quã oportet ſenſu efferri, ſed ſentiat de ſe ad modeſtiam, vt cuique deus partitus eſt menſuram fidei.

Quum ſuperius dixiſſet Per miſerationes, nunc per gratiam ait, ob modeſtiam, ſeipſum nequaquam fide dignũ exiſtimans ad perſuadendum. Propterea interdum quidem miſerationes, quandoque verò gratiam producit, Dicens autẽ per gratiã, dei beneficia memoriæ ſuggerit. *Cuilibet uerſanti inter uos.* Quod ait. Cuilibet verſanti inter vos, variis modis intelligi poteſt. VEL, dico cuilibet verſanti inter vos, id

D est omnibus dico, omnes admoneo, & hanc potestatẽ ex gratia habeo, Vel, dico, Ne efferamini sensu per vllum donum siue gratiam supra quemlibet versantem inter vos. (Græca enim vtrunque sensum admittunt λέγω παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν μὴ ὑπερφρονεῖν). Hunc nanque intellectum indicant etiam quæ subduntur, quibus ait, Vt cuique deus partitus est, &c. Admodum autem sapienter ac prudenter, admoniturus eos ne sensu efferrentur, præposuit Per gratiam dei. Quoniã enim aliquibus accidit vt admoneant ac præcipiant ex fastu, huiusmodi cogitatiões præuertẽdo curauit. Nõ est, inquit, ex meo affectu vt vos admoneã, per dei gratiam hoc facio, ipse iubet, eius prçceptum impleo, Oportet itaque obtẽperare & nõ repugnare. *Ne quis efferatur sensu*. De animi modestia exhortatur. Nõ vltra mensuram de nobis sentiamus.

E Nam hoc est amentiæ ac vecordiæ. *Sed sentiat de se ad modestiam*. Prudentiam enim aut sensum accepimus, non vt ad vecordiam eo vteremur, illumque demẽtaremus, sed ad modestiam, hoc est ad sanandã mentẽ. Nam id σωφροσύνην vocat, nõ temperantiã seu cõtinentiam quæ aduersus impudicitiã distinguitur. *Vt cuique deus partitus est*. Quomodo partitus est? vtrum secũdum magnificentiã? minimè: at quomodo? secundum mensuram fidei. Dicit autẽ fidem non quæ di-

Pho. uinum cultum cõsequitur. nã hanc omnes fideles ac dei cultores habẽt & perfecti sunt in ipsa. qui hæc dona in baptis-

F mo acceperunt: sed fidẽ nunc dicit quæ inter dona est. Quẽadmodum & in euangeliis dictũ est, Domine adde nobis fidem, Et rursum, Si habeatis fidẽ vt granũ sinapis. Manifestũ

Matth.17. enim est aliud hoc esse fidei significatũ ab eo quod sumitur in cultu diuino, Erant nõnulli apud illos donis donati: & hi quidẽ super his multùm sibi arrogabãt, ac erigebãtur aduersus cçteros: alij verò inuidia stimulabãtur. Itaq; ait: Quid erigeris in fastum, aut quid inuides? Si deus partitus est, bene omnino partitus est. Vnusquisq; ergo in eo quod habet, ordine procedat, & neq; super eo tollatur: dei enim donum est, non tuum bonum opus: neq; inuideat, nã deus partitus est, qui nouit quid vnicuique decens sit & aptum: *Mensuram fidei*. Quisque, inquit, in hoc permaneat, & neque inuideat, neque extollatur. Fidei autem, id est doni.

Quemadmodũ enim in vno corpore multa mẽ-

bra habemus :membra autem omnia non eundem A
actum habent. Sic multi vnũ corpus ſumus in Chri
ſto:ſinguli autem alii aliorum membra . Habentes
tamen dona ſecundum datam nobis gratiam diuer
ſa:ſiue prophetiam,iuxta proportionem fidei : ſiue
miniſterium in adminiſtratione : ſiue qui docet in
doctrina:ſiue qui exhortatur in exhortando.

Tu,inquit,quid extolleris,tu verò quid inuidia ſtimularis? Nonne omnes ſumus vnum corpus, & membra alij aliorum? Nec dixit: Qui vile donum habere videtur,eius membrum eſt qui maius habet:ſed quod etiã is qui maius habet, eius mẽbrum eſt qui minus accipit: hac diſcuſsione volens & hos in officio cõtinere,& illos conſolari. Membra autem omnia non eundem actũ habent, Ad hoc Apoſtoli tendit parabola,quòd ſicut membra diuerſum ſortita ſunt actum,ita varia data ſunt à ſpiritu dona, Habemus caput Chriſtũ, nos autem alij aliorum membra ſumus. *Habentes tamen dona.* Duobus modis effiguratus eſt totus hic locus ad eam vſque partem qua dicitur, Qui exhortatur in exhortando. Quinã ſunt illi? Nempe is qui ἀπὸ κοινοῦ dicitur,id eſt repetitio à cõmuni ſenſu,ſiue ab his quæ præceſſerunt, & iis qui ἐλλειπτικὸν,id eſt defectiuum appellatur. Primo nãque modo ad ſingula membra repetitur Habẽtes à communi ſenſu,putà: Siue prophetiam quis habeat,ſiue miniſteriũ quis habeat. Id autẽ vocatur A cõmuni ſenſu repetitio,& etiã Zeugma,quia iungit plurale ſingulari,& participiũ verbo. Ita ergo à communi ſenſu accepta dictio Habentes iuxta Zeugma perficit tandem ea ratione ſententiã implẽtq; loca. Modo autem defectiuo rurſus effiguratur: deficit enim quippiã ad ipſam ſententiæ perfectionem :puta, Maneat quiſque in dono quod accepit: aut, cõtentus ſit: aut, eo ordine procedat, vel aliud huiuſmodi. veluti, Siue prophetiam quis habeat, ſiue miniſterium, maneat quiſque: & qui prophetiam habet & qui miniſterium & qui doctrinam & qui exhortationem, denique in dono quiſque quod accepit. Et frequens eſt taliũ vſus apud diuum Paulum. Nec mireris ſi quum hæc non didicerit, talibus ſit vſus, Siquidem gratia quę maiora tribuit, etiam hu

B (margin, beside "omnia non eundem actũ habent")
Pho. (margin, beside "Habentes tamen dona")
C (margin, beside "Siue prophetiam quis habeat")

D milium cognitionem frequenter prȩstat. Nō quòd hȩc magnum aliquid sint. Quid enim est prȩter quàm labor ac nomina hominum, qui circa dictiones & syllabas earúmq; compositionem curiosi sunt & anxij? Nō ergo his vsus est tāquā hæc magna quȩdam sint: sed vt eos confunderet qui ob ista plurimùm extolluntur, eosque ad animi modestiam reuocando lucrifaceret, quò suæ parerent admonitioni. Omnia enim impigrè aggrediebatur Paulus dummodo salutem ferret hominibus. Ideo quoq; citationes poeticorum carminū & Græcȩ historiæ, innumeraque huiusmodi non cunctatur proferre, modò etiam per hæc aliquam speret hominū arripere salutem. Papè quantus animus ac studium. Bene autem & tali vsus est sermonū genere, & rursum apostolico ac simplici & generoso ac illaborato charactere non abstinet. Etenim si nusquam his vsus fuisset, qui nihil nō audēt impossibilitatem ac imperitiam causarentur: quādoquidem etiam nunc quidem talia nō intelligentes, ipsum ignorantiam huiusmodi rerum habuisse suspicantur. Quoniā nec ipsi intelligunt. Rursum verò si perpetuò his fuisset vsus, character Apostolicus inter abiectos haberetur. Prudenter itaque ac sapientissimè vtrūq; diiudicauit. Illis siquidem vsus est, vt manifestum faceret, volēti facilè esse vsum similium quodque ea non ignoraret. Permāsit autem in Apostolico Charactere, generosum & inelaboratū ac purum sermonē, eiusq; propriam naturam in honore habens. Cur ergo & reliqui

E (margin at "plici & generoso")

F suis sermonibus talia non intermiscuerunt. Sufficit hic etiā solus, ad ostēdēdum quòd illis quoque facile fuerit hoc efficere si uoluissent: quāquam in illorum etiā epistolis talia, licèt rarius, reperire est. Si verò quum dicitur habentes dona, nequaquam quiescendum sit vsque ad eum locum. Benedicite persequentibus vos, alia quidem sententia emerget, & vnius duntaxat figuræ compositio erit, sed ad spiritū nimis protensa periodus. *Secūdum gratiam.* Si deus donauit, quid tu extolleris? neque enim tuum rectum opus sunt ipsa dona: dei, inquit, donum est. *Diuersa.* Bene ait diuersa, vt ostendat non hoc quidem magnum, illud verò paruum: nam omnia magna sunt: sed varia esse & congrua. *Iuxta proportionem fidei* Nunc quum dona maiora videntur, ostendit eos qui accipiunt in causa quòd acceperint. Nam etsi gratia

ſit, tantum tamen influit, quantum inuenerit vas ſeſe aptum per fidem cõſtituere. Siue prophetiam iuxta proportionem fidei habemus, inquit, ſiue miniſterium qui acceperit. Miniſterium generale quiddam eſt: omnia ſiquidem dona ad miniſterium data ſunt. Cæterum per ſpecialia quoque ediſſerit. Siue miniſteriũ quis acceperit, in miniſterio maneat, inquit. Siue qui docet acceperit doctrinæ donum: à communi ſenſu repete Maneat. Siue qui exhortatur acceperit donum exhortationis, in exhortatione maneat. A

Qui impartit, in ſimplicitate: qui prçeſt, in ſedulitate: qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio non ſit ſimulata: ſitis odio proſequentes malum: adhærentes bono. Fraterna charitate ad mutuò vos diligẽdum propenſi, honore alius aliũ præcedẽtes: ſtudio non ſegnes: ſpiritu feruentes: domino ſeruiẽtes: ſpe gaudentes, in afflictione patientes, orationi inſtantes. B

Oſtendit deinceps ꝙ malè donis vtentes, faciunt ea inutilia. *In ſimplicitate.* Quoniam dona vel in impartiendo ſuam oſtendunt efficaciam, vel in præſidendo, vel in miſerando, dicit ꝙ non vtcunque hæc exhibere oporteat: ſed dare cum ſimplicitate & gaudio: non vt aliquid quod damno afficiat, ſed quod lucrum potius afferat: & præeſſe non negligenter, ſed quaſi de ſeipſo ſtudiũ haberet: præterea miſereri hilariter promptòque animo, quaſi id fructũ nonnullum adferat. Quomodo autem hæc erũt? Si dilectionem habeamus inter nos mutuam: dilectionem autem non fictam aut ſimulatam, ſed abſque fictione & ſimulatione, perfectámque & verè dilectionem. *In ſedulitate.* Neq; enim ſufficit tantum præeſſe. *In hilaritate.* Non quaſi damnum recipiens ad miſerandum moueatur, ſed quaſi ipſe potius lucrum faciat. Inde enim cõtinget hilaritas. *Dilectio non ſit ſimulata*, aut fucata, non fictio dilectionis, ſed ſyncera dilectio: qua præſente, rectè exhibentur illa quæ dicta ſunt. *Sitis odio proſequẽtes malum.* Non ſolùm à malo, abſtinentes, ſed illud plurimùm odio habentes. idq; facit præpoſitio ἀπὸ in dilectione ἀποστυγοῦντες. Deinde ait. Non modò proſequamini malum odio, verumetiã adhæreatis bono, per hoc autem affectionem ad bonum ſi- Pho. C

D gnificat. *Adhærentes bono.* Accidit enim & de turpibus esse dilectionē: propterea dixit Odio habere quod malum est.
Pho. Quomodo contingit adhærere bono? Fraterna charitate, inquit, siue per fraternam charitatem. Per hoc enim cogno-
Iohan.13. scent, inquit, ꝙ mei sitis discipuli si dilexeritis vos inuicē. Porrò discipulus qui doctrinas seruat, adhæret ac vnitus est præceptori, qui propriè bonus est & ipsum bonum, nempe dominus noster Iesus Christus. Sed vnde procedit fraterna charitas? vnde contingit illam venari? ex eo, inquit, ꝙ alius alium honore præcedat: verè enim dilectio securum sumit principatum, si quisque conetur præuenire ad honorandum proximum. *Fraterna charitate, &c.* Nam si fraternam
E habueritis charitatem, vtique inuicem diligetis, fratres enim estis. Deinde dicit quomodo fraterna charitas perficiatur: si quisque, inquit, præeat in honorando fratre, *Studio non segnes.* Nam & hoc amorē parit, si non honorauerimus tantùm, sed in hoc etiam plurimum studij adhibuerimus. *Spiritu feruentes.* Quo autem pacto hoc erit? Si in bonis vixerimus operibus, habebimus feruidum in nobisipsis & calore penetrantem omnia spiritum sanctum, *Domino seruientes*: His enim quæ dicta sunt continget nobis vt domino seruiamus. Ita verè videbimur domino seruientes per bona opera. Hæc vera seruitus est. *Spe gaudentes.* Quonam modo contingere potest spiritu feruere. Si spe, inquit, gaudeatis.
F Siquidem nihil adeò promptum ad omnia facit, atque bona spes. Si etiam afflictiones patienter sustinueritis: & si precationem indesinentem habueritis. *In afflictione patientes.* Nam patientia parit probationem. *Orationi instantes.* Hac enim auxiliante omnia erunt facilia.

Necessitatibus sanctorū cōmunicantes: hospitalitatem sectātes. Benedicite persequētibus vos: Benedicite & ne maledicatis. Gaudete cū gaudētibus, & flete cum flentibus. Idē alii de aliis sentientes, nō sublimia de vobis, sed humilibus vos accōmodantes. Ne sitis prudētes apud vosmetipsos, nulli malū pro malo reddētes, prouidētes bona corā omnibus hominibus: si possibile est, quantū ex vobis est cum

omnibus hominibus in pace viuentes,nō vosipsos A
vlciscentes dilecti,sed date locum iræ.Scriptum est Deut.32.
enim,Mihi vltio,ego rependam dicit dominus.

N*eceßitatibus sanctorum*.Hoc est in his in quibus necessitate cōstricti fuerint.Eleemosynā erga sanctos inducit,ideo etiam seruauit illam inter præcipua. In superioribus quidē de vniuersali loquutus fuerat eleemosyna. Cōmunicantes, inquit.Nam res ipsa communicatio quædam est: tu enim facultatē confers illis,ipsi verò tibi libertatē erga deum aliaq; bona innumera. H*ospitalitatem sectantes*.Ne expectes dicit, donec ille ad te veniat,erubescit enim,sed tu potius sectare ipsum. B*enedicite persequentibus uos*. Vbi docuit quonā modo versari oporteat erga fratres,docet quomodo etiam erga B hostes.Vide autē ꝙ non dixerit,Ne vlciscaris neq; maledicas,sed quod maius est Benedic & pro eo precare, G*audete cum gaudentibus*. Nō solùm,inquit,verbis benedicite,sed & operibus:gaudentibus quidem cōgaudentes,lugentibus verò collugentes.Tantum autē maius est cōgaudere gaudētibus,quantum nō raro fœlix prosperorum successus inuidiæ occasio impiis efficitur. I*dem alij de aliis sentientes*. Veluti,Si magnum ducis teipsum,talem ducas & fratrem tuum,etiam si pauper sit,quoniam nō est diuitiarū ac paupertatis discrimen apud deum.Quo autē modo fieri hoc potest? Si nō sentias de teipso sublimia,sed cōferaris & accōmoderis humilibus,& in illorum cōdescēdas abiectionē. His sanè timorem ac vanam gloriā illorū reprimit. Verisimile enim erat illos propter suā ciuitatē,captos esse ac detineri hoc affectu. N*e* C *sitis prudētes apud uosmetipsos*.Hoc est ne ducatis vosipsos esse sapientes & nullius cōsilio egentes. Væ sapientibus apud Iesa.5. seipsos & corā facie sua prudentibus. M*alum pro malo*. Nam si vituperandus ac miser est qui malum facit,quare nō fugis malorum imitationem? sed vt te vlciscaris, obnoxium constituis temetipsum ac socium impietatis. P*rouidentes bona*: Hoc dicit,Prouidete vt boni appareatis:vt in nullo occasionem detis vituperandi vos.V E L:Postquam superius dixit, Nulli malū pro malo reddentes,addidit etiā,Prouidētes bona: tanquam dixisset,Non satis est tantùm nō reddere mala, sed oportet quoq; illi prouidere qui malefacit nobis. Nam

D & in superioribus non satis illi fuit, ne maledicerent persequentibus, sed etiam benedicere iussit. *Si poßibile est quãtum ex uobis est*. Accidit enim interdum vt possibile non sit, vbi de pietate sermo est: propterea dixit, si possibile est, quantũ ex vobis est: hoc est, tu quod tuũ est, facito: neq; inimicitiæ ansam præbeas aut Græco aut Iudæo. Id enim est quod ait, *Cum omnibus*, nempe fidelibus & infidelibus. *Non uosipsos ulciscentes*. Quandoquidẽ hoc consequẽs erat, eum qui iniuria affectus esset, vltionem assequi: hoc ipsum, inquit, tibi præcipitur ne teipsum vlciscaris, & deus te vlciscetur. Nam datæ, ait, locũ ac spatium vt ira dei veniat. Si enim teipsum vltus fueris, vbi venerit ira dei, locum nõ habebit vltionem

E sumẽdi: quia primùm vltus es temetipsum, ꝙ si tu non vin-

Iohãnis. dices, ira veniet. Quoniam autẽ is qui iniuria affectus est, hoc maximè videre desiderat, nempe seipsum vltione frui: hoc ipsi cum magna tribuit largitate. Nam si ipse non vindicet, deus vltor erit. Permitte igitur illi vt vindicet: hoc est enim quod ait, Datæ locum iræ. *Scriptum est enim*. Eum qui iniuria affectus est magis consolãdo, produxit scripturę testimonium, *Mihi ultio*, id est apud me est vltio.

Si igitur esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi potum. Hoc enim faciens, carbones ignis cumulabis in caput ipsius. Ne vincaris à malo, sed vince bono malum.

F Non solùm, inquit, in pace viuite, ne vos vlciscamini, sed & benefacite, alẽtes ac potum tribuẽtes. Deinde quia graue erat quod pręcipiebatur, subiũgit consolãdo eũ qui affectus est iniuria. Hoc faciens ignem illi cumulabis in caput: Simúlq; terrens eũ qui affecit iniuria. *Ne uincaris à malo*. Quũ prius demulsisset eum qui iniuria affectus erat, & suasisset ei benefacere, dicẽdo, Carbones cumulabis: sublimius nũc ipsum admonet. Nã si hoc affectu, inquit, alis vt ignem illi cumules, non vicisti malũ, sed ab ipso victus es: ego autem cupio vt tu malũ vincas. Igitur ne affectu nocendi benefacias: tuæ nãque consolationis gratia dicta sunt pędicta, quòd ci-

Pho. bans potúmq; tribuẽs, carbones ignis cumulaturus esses, nõ sanè vt ita facias. Licèt enim quum tu beneficium inimico præstas, deus illi irascatur, & ignem tentationũ ac afflictio-

num quas ipse struxit aduersus proximũ, in caput ipsius cõuertat: attamen tu ne hoc fine velis ei benefacere, vt hũc in huiusmodi malis videas, ita enim victus es à malo: & ille quidem nihilominus quæ pati eum oportebat, patitur: tu verò mercedem perdidisti victus à malo. Magis autem si tali mẽte deus te videat, neque te vindicat. Si quidem bonũ ac mitem qui iniuria affectus est, vindicat: at illum qui animo ac volũtate seipsum vltus est, & per boni operationem beneficij malignè est operatus, vt illius calamitatẽ videret qui se contristauerat. Tu ergo benefacito vt vincas malum: & vt filius efficiaris, sicut ait dominus, patris qui in cælis est. A Matt. 5.

Omnis anima potestatibus præeminẽtibus subdatur. Non enim est potestas nisi à deo: quæ verò sunt potestates, à deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibiipsis iudicium accipient. Cap. 13. B

Postquam auditorum mentes sufficiẽter composuit, eósque docuit inimicis quoque se beneuolos, hanc etiam subiungit admonitionẽ: omnem animã instruens, siue sacerdos sit quispiam siue monachus siue apostolus, vt magistratibus subdantur. Nam hæc subiectio non euertit pietatem. Admonet autem hoc Apostolus, ostendens quòd euangelium non doceat defectionem neque inobediẽtiam aut contumaciam, sed beneuolentiam magis ac obedientiam. ALIO MODO. Magnam vbique capitis huius rationẽ habet, ostendens non ad subuersionem communis disciplinæ Christi leges esse: quúmque sufficientes sint veritatis causa bellum in nos gerant: quid, inquit, necesse est nobisipsis superfluos procurare aduersarios? *Non enim est potestas.* Non hęc de quocũque dicit principe, sed de ipso principatu. Quoniam enim honoris ac conditionis æqualitas in omnibus, seditiosa res erat, deus potestates adiũxit. ALITER. Quid ais? Est princeps omnis à deo traditus? Nõ hoc, ĩquit, dico, neq; mihi nũc de singulis principibus sermo, sed de re ipsa. Principatus enim esse, & hunc quidem gubernare, aliũ verò gubernari, nec omnia sursum ac deorsum ferri, diuinę sapientiæ opus esse dico. Siquidẽ non dixit, Non est princeps, sed, Non est potestas nisi à deo. *Quæ verò sunt potestates.* De eodem loquitur. C

D Quum enim dixerit, Non eſt poteſtas niſi à deo: rurſum idem dicit, Quæ verò ſunt poteſtates, à deo ſunt ordinatæ, ſiue factæ: deus, inquit, illas ordinauit ac diſpoſuit. ALITER. Omnes ergo poteſtates à deo ordinatæ ſiue factæ ſunt, quamcunque conſideraueris: ſiue patris erga filium, ſiue viri erga vxorem, ſiue alias omnes etiam quę in animalibus ſunt, putà apibus, gruibus ac piſcibus. *Itaque quiſquis reſiſtit* Ne abiecti viderentur Chriſti ſerui ſi principibus ſubiicerentur: Oſtendit quòd parêre oporteat, & non reſiſtere, aut inobedientes eſſe principibus: Nam qui hoc facit, deo, inquit, reſiſtit, qui principatus conſtituit. *Dei ordinationi reſiſtit.* Hinc etiam lucrum facis, ait, quòd ſubderis: non ſolùm quia præceptum comples, verumetiam quia deum honoras, poteſtatem ab ipſo ordinatam ac traditam honorans. Beatus qui hoc modo & propter iſta poteſtatē honorat, eíque ſubditur: quemadmodum miſer eſt qui propter hæc nō ſubditur. Siquidē duplex reportat iudiciũ. Primùm à deo, quòd ordinatam ac definitam ab eo poteſtatem contemnit: ſecũdò à deſpectis principibus. Vide autem & lucrum à principibus acceptũ, prohibent malos, exhortantur probos, quum ipſos honorent, & admoneant ad virtutem. Oportet igitur ipſos ſuſcipere etiam ob id quia dei miniſtri ſunt, voluntati dei obſequētes: & tertiò quòd propriis relictis, cōmunium curam habeant, proximorum vtilitati incumbentes: & propria requie poſtpoſita, laborē pro illis ſuſcipiãt. Quis hos, ſi nullus etiã ſubeſſet timor, ex ipſa iudicij conſcientia non veneraretur, & patrum ac præceptorum loco haberet? Fœlices ſunt huiuſmodi principes. *Iudicium accipient.* Condemnationem, inquit, à deo ſibi contrahunt.

Pho.

E

F

Nam principes non ſunt timori bonis operibus, ſed malis. Vis autē non timere poteſtatem? Quod bonum eſt, facito, & habebis laudem ex illa: dei enim miniſter eſt tibi ad bonum. Si autem quod malum eſt, feceris, time. Non enim fruſtrà gladium geſtat: Nam dei miniſter eſt, vltor ad irã faciēti quod malum eſt. Iccirco neceſſe eſt ſubdi, nō ſolùm propter iram, verumetiam propter conſcientiam.

Quid doles,inquit,quod subditus sis potestati?quid verò timés illam ac tremis? Non enim increpat rectè viuentes,neque formidabilis est curam habenti virtutis. *Bonis operibus*. Hoc est,iis qui bona operantur. *Sed malis* Hoc est,illis qui mala operantur. *Vis autem non timere potestatem?* Quòd si vis, inquit, non modò clementem esse tibi principem, sed & laudatorem, quod bonum est facito. *Dei enim* minister est tibi. Adeò nanque laudabit te quod bonum est facientem,vt tibi etiam cooperaturus sit, & auxilium præstiturus. Siquidem timor occasio tibi efficitur bene viuendi. Ob id autem dixit eum dei ministrũ esse ad bonum,quia subseruit dei consilio laudans bonos,& malos puniens:sicut & deus consimiliter facit. Ex hoc autem te ad bonum impellit & exhortatur. Nam hoc significat. *Est tibi ad bonum*. Et tibi,inquit,minister est ad bonum, quũ videlicet dei sit minister. Quo autem modo dei minister est? Malos prohibens, & nocumentum quod tibi ab illis impẽdebat auferens,prębénsque securitatem vt facias bonum. Inseruit autem tibi ad bonum etiam vbi te propter mala terruerit, arcens te ab illis & exhortans ad virtutem. Præterea verò & honorans ac suscipiens ad hoc ipsum exhortatur. *Si autem quod malum est feceris,time*. Itaq; princeps non est causa timoris, sed malum opus,aut ipsum malè operari. *Non enim frustrà gladium gestat*. Vides quomodo & subditum terruerit,& principem armauerit? nam dei minister est. Qui enim malè viuẽtes punit,deo ministrat ad iram. Sicut ministrat deo laudãs bonos : ita & puniens malos, deum imitatur, iratus , malis, eósque puniens. Si enim dei minister est, si laudem habebis ex illa:non solùm oportet propter iram quæ ex ea aduersus delinquentem consequitur,subdi illi,sed multò magis conuenit tanquam dei ministrum, & tanquam collaudantem, & ad virtutem exercentem,honore dignum ducere. Etenim si etiam nullus esset eius timor , prouocat tamen conscientia vt illi obediamus ac subiiciamur. Non solùm propter iram dei quæ aduersus illos prouocatur qui nõ subdũtur potestati. *Sed etiam propter conscientiam* hoc est,ne videaris cõsciẽtia carere, & ingratus ac perfidus esse, qui bene de te merito,ac dei ministro non subdaris. Plurimis siquidem beneficiis afficiunt nos principes : nam per eos vita nostra consi-

A B Pho. Pho. C

D ſtit:eo ꝙ niſi ipſi eſſent,omnia perirent: iis qui potentiores ſunt,piſcium in modum,minores deuorantibus. *Etiam propter conſcientiam.* Propter iram quidem,praui etiam nolentes ſubduntur : propter conſcientiam verò, qui probi ſunt, ſponte ſubdi debent,& cum animi alacritate.

Siquidem etiam propter hoc tributa ſoluitis. Nã miniſtri dei ſunt in hoc ipſum incumbentes. Reddite ergo omnibus debita:cui tributum, tributum: cui veſtigal,vectigal:cui timor,timorem:cui honor, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi hoc vt vos mutuò diligatis.

E Et adeò,inquit,verum eſt quòd beneficium præſtent poteſtates, quòd ideo etiam tributa penditis, tanquam gubernationis ac prouidentiæ mercedem præbentes. *Nam miniſtri dei ſunt*: Hoc eſt,dei ſubditi,& in hoc deo miniſtrantes: vt veſtri curam habeant ſicuti deus:dei enim complent voluntatem, *In hoc ipſum.* Vt veſtri curam habeant. *Incumbentes.* Sua,inquit,negligentes,vacant curis pro nobis ſuſceptis. *Reddite ergo omnibus debita:cui tributum, tributum.* Oſtendit debiti ſeu crediti eſſe negotium : propterea dixit Debita, & Reddite, tanquam videlicet debitum his quibus varij principatus concrediti ſunt. Ei cui tributum debetur, quod videlicet κεφαλητῶρ dicitur (nempe pro ſingulis capitibus exolutum) redde tributum,cui verò vectigal, F ſiue collatio, aut contributio, nempe pro terra coempta, redde vectigal. Nec ſolùm pecunias debemus,ſed & timorem, hoc eſt, pudorem & reuerentiam, ac ſubiectum honorem. Subiungit ergo, *Cui honor, honorem.* Timor ſiquidem duplex eſt : vnus quidem quo timent delinquentes, qui ex mali conſcientia procedit,quem in ſuperioribus interdixit Apoſtolus: alter verò quem habent diligentes erga eos quos diligunt : hic eſt excellẽs honor de quo dictum eſt, Non eſt inopia timentibus eum, reuerentiam enim hic indicat. *Niſi hoc ut uos mutuò diligatis.* Ad matrem bonorũ peruenit,nempe mutuam charitatem,oſtendens hanc creditum eſſe ac debitum.

Nam qui diligit alterum, legem compleuit. Si-

quidem illud, Non adulterium committes: non occides: non furaberis: non falsum testimonium dices: non concupisces, & si quod aliud est præceptum, in hoc verbo recapitulatur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. A

Ostendit deinde quod lucrum proueniat ex dilectione: Nam qui hāc complet, inquit, totam legem complet: & quo id modo fiat, dicit. Quomodo is qui proximum diligit, legem compleuerit, hinc manifestum est. Nam qui diligit, dilecti cōiugem nequaquam violabit, in ipsum vitæ caput insidias parans, & dilectum damno afficiens: sed neque cruentas manus aduersus eum armabit: neque furari conabitur: nec vllo alio modo obfirmatus in concupiscentiam alicuius eorum quæ ipsius sunt, facta violētia auferet. Horum enim nihil est diligētis. Neq; falsum testimonium aduersus proximum feret: neque iusiurandum peierans iurabit. Patrem autem & matrē an non eximiè diliget & honorabit qui proximum diligit? Quomodo verò is qui eiusmodi est, diuinitatem ipsam non verè ex toto corde suo, & ex tota fortitudine sua amabit ac glorificabit? Qui autem his seipsum muniuit, quam aliam virtutem cum prædictis non augebit ac perficiet? Itaque qui proximum diligit, totam legem complesse dici poterit. Deinde quia solent homines nomen dilectionis etiā apponere affectibus, hac vocatione indignis, ipse tradit eius descriptionem quam dixerit dilectionem, asserens totam complecti legem, ac summatim colligere virtutum multitudinem. Nam dilectio, inquit, quam dicebam, proximos mutuò coniungens ita vnit, vt quisque non alium esse ducat eum qui coniunctus est, imò ipsum existimet esse seipsum. Vnde manifestum est, ꝙ nullus aduersus proximū quicquam operabitur mali. Deinde concludendo repetit: *Consummatio itaque legis est dilectio.* Hoc est verè & iustè dixi ꝙ is qui diligit, legem compleuerit. Quum autem dixerit, ꝙ qui diligit, totam legem complet, ostendit quonā modo hoc fiat, nam omnia, inquit, præcepta per dilectionem cōplentur. Non tamen simpliciter dixit, Complentur, sed Recapitulantur: hoc est, succinctim, breuique ratione vniuersa efficiuntur, & omne præceptorum opus breuibus impletur.

Pho. Nota.

B

C

D *Proximum tuum sicut teipsum.* Quod ait sicut teipsum, intensam dilectionem significat.

Dilectio proximo malum non operatur. Consummatio itaque legis est dilectio. Et hoc quũ sciamus tempus quòd hora sit nos iam à somno expergisci. Nũc enim propior est nostra salus, quàm tum quum credebamus.

Vidisti quomodo virtutes omnes contineat dilectio: abstinere nẽpe à malis & facere bona? Ecce abstinẽtiam à malis, Proximo malum non operetur. Ecce bonorum operationem, Consummatio legis est dilectio. Nam proximo bene facit. Omne autem legis studium huc tẽdit vt recedatur

E à malis, & fiant bona. *Dilectio proximo malum non operatur.*

Seue. Principium finisque bonorum est diligere proximum sicut seipsum. Et *hoc quum sciamus.* Cõplete, inquit, dilectionis opus, quum sciatis tempus vrgere, virtutémque exigere. N*unc propior est nostra salus.* Hoc est, nunc quum nouimus quæ sint opera commodiora, faciliùs certè datum est vt salui simus, quàm tũ cùm adhuc instituebamur in fidei ratione. Non enim simul vt in Christũ credidimus, continuò etiã exactam agẽdorum apprehẽsionem accepimus. Quum sciamus, inquit. Quidnam illud? Tẽpus ait: E*t hoc quũ sciamus.*

Pho. Hoc prædictis appensum est, & ad illa redditur, quũ sit magis intensio, & exhortationẽ manifestet prædictorũ. Quorũ autem prædictorum? Omnis anima potestatibus præeminẽtib⁹ subdatur. Et, Reddite omnib⁹ debita. Et, Nemini quicquam debeatis nisi hoc, vt vos mutuò diligatis. Hæc ergo fa

F cite, ait, propter prædicta, & ob id maximè: quodnam? quòd sciamus tempus, ꝙ abbreuiatum sit tempus vitæ nostræ: & oportet nos, qui tanquam nihil agentes dormimus, veluti ex somno quantocius excitari. Manifestum enim est, ꝙ nunc multò magis fini vitæ nostræ accedimus, quàm tum cùm credidimus: Salutem autem vocat finem vitæ, quia tunc iis qui digni sunt, salus ac fruitio magis detegitur, ideo quoq; diẽ illum appellat, quòd delectationem præbeat & illuminet, eáque manifestet, quę prius quoad experientiam ac fruitionem ignorabãtur, sola verò spe conspiciebantur. Meritò autem præsentem vitam noctem appellat, conferendo ad futu-

rum diem. Nam multa quæ hoc tempore tanquam in nocte occultantur, fient ibi manifesta veluti in claro die. Item multa quæ hic tanquam in tenebris ignorantur, ibi sicut in luce cognoscentur soluto omni vmbraculo, omníque facie abstersa: & caligine quæ cogitationibus obtendebatur, expurgata, Itaque abbreuiata, inquit, est nox, id est, vita nostra ac finis prope est: hoc est, dies iã appropinquat mortis ac retributionis. Oportet igitur hanc etiam ob caussam prõpto animo præceptum omne perficere, diligere inuicem, reddere omnibus debita, subdi potestatibus. Siquidem paruus quoque nunc labor est: non in longum protenduntur certamina, licèt paululum certare oporteat. Nam admodum breue factum est stadium vitæ nostræ: nemo cunctetur, omnes studium adhibeamus. *Quòd hora sit nos iam.* In proximo, inquit, est finis, Et ita nos properare oportet ad operationem bonorum operum. A *somno expergisci.* A segnitie exurgere. N*unc enim propior est nostra salus.* Præsertim ꝙ vita paululum retracta, propius efficitur tempus resurrectionis ac salutis nostræ, quàm tum quum initio venimus ad fidem. *Salus.* Si fuerimus vt oportet præparati, salutaris nobis erit iudicij dies: sin autem, perniciosus. A commodioribus tamen diem illum denominat. *Quàm tum quum credebamus.* Verisimile est ꝙ hi initio quidem tanquam recentes in fide feruerent, postmodum verò languescerent, hoc ergo nunc latenter innuit, acsi dicat, Quantò propinquior est nunc nostra salus, hoc est, iudicij dies salutaris, magis diligentes esse oportet, & non segnes effici.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die honestè ambulemus. Non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus & libidinibus: non contentione & ęmulatione: sed induimini dominum Iesum Christum: & carnis curam ne feceritis ad concupiscentias.

Noctem vocat pręsentem vitam, quòd nihil à somniis differant quæ in ea sunt: diem verò tempus futurum, quòd in eo manifestanda sunt occulta. *Abiiciamus igitur opera tene-*

D *brarum.* Opera tenebrarum dicit prauas actiones:arma verò lucis,virtutem.Etenim in modum armorum,protegit hominem:ad modum autem lucis,illustrat. *Tanquam in die bo*
Pho. *nestè.* Quasi iam præsente, tanquam instante, quantum hactenus nunquam,futuro die,ita honestè cõuersemur. Quid sit autem Honestè,interpretatur ipse subdendo,Non comessationibus,&c.Porrò rectè admodum dicit, Honestè. Nam licèt supplicium non esset repositum delinquentibus, nec fruitio rectè operantibus:oporteret turpitudinem & impudicitiam ac inuerecũdiam fugere:& virtuti adhærere. Quũ autem ea quæ dicta sunt vtranque sequantur vitam, quidnã facere oportet? *Ambulemus.* Vbi superius dixisset futurum
E iudicij diem,ipsum nunc ponit ob oculos,auditorem territans.Dicens autem Ambulemus, sermonem inuidia carere facit,seipsum etiam immiscens. *Non comessationibus & ebrietatibus.* Non prohibet bibere,sed inebriari. κῶμοι autẽ cantilenæ dicuntur, quæ inter vinolentiam & petulantiam referuntur.Id autem etiam παροινία appellatur. *Et libidinibus.* Non omnem tollit concubitum,sed stuprum. *Non cõtentione & æmulatione.* Contẽtione dicit de ira,æmulatione verò de inuidia. *Sed induimini dominum Iesum Christum.* Nã qui illum induit, vndiq; virtutem habet. Quomodo autem ipse induẽdus est?Si nobis omnia sit, interiùs & exteriùs apparens in nobis. Vocat autem indumentum nunquam ab eo deficere. *Et carnis curam.* Dicens non oportere carnem cu-
F rare vel ei prouidere,adiunxit,Ad concupiscentias: ne arbitreris ꝙ nec in necessariis oporteat nos carni prouidere,putã in cibo ac indumento. Prouidẽdum est igitur illi ad permanentiam,non ad libidines.

Cap. 14. Eum autem qui infirmus est fide assumite, non ad diiudicationes disceptationum. Alius quidẽ credit quæuis edenda: alius autem qui infirmus est,olera edit.Qui edit,non edẽtem ne despiciat: & qui non edit,edentem non iudicet:Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui iudicas alienum famulum? proprio dominò stat aut cadit. Statuetur autẽ: Nã potens est deus statuere illum.

Nonnulli

Nonnulli qui ex Iudæis crediderant, legi adhuc adhærentes, multas escas abominabantur, veluti carnes porcinas: & ne manifesti fierent, sola edebant olera, vt temperantię videretur esse obseruatio, & non quòd abominarentur. Erant autem & alij fideles ex Iudæis, qui quum firmiter credidissent, cibos non obseruabant. Ad hos igitur synceros fideles sermonē dirigēs, perstringit eos qui cibos abominabantur, infirmos fide appellans. Vide autem mihi prudētiam & efficaciam ac prouidentiã Pauli, benignè corripit eum qui discernebat inter cibos: hinc quidem, ne si solàm intendat obiurgationem, resiliat: illinc verò ne bene agere videatur, si maneat nō correptus. Ideo ait Assumite eum, quia infirmus est. Ne iudices eum: quare? Non quòd malè non agat: sed quòd alium habeat dominũ qui ipsum iudicet: per hoc etiã eum consolando vt diximus, de non condemnando proximo: rursumque dans intelligere quòd etsi hic illum non iudicet, iudicio tamē obnoxius est is qui cibos obseruat: propemodum dicens Quanquam etiam hic te non iudicet, dominum tamen habes qui te iudicet: ideo te ab huiusmodi parsimonia ac sorde oportet abstinere. Prohibet autē ne de cibis alius alium iudicet: ne circa fidei initia de his contendentes ac rixantes, in periculum ex hoc venirent, ne etiam circa lætalia dissiderent: & in eo quod summa erat, nempe fide in Christum, damnum pateretur. Quid igitur si nūc videamus circa cibos Iudaicas abseruationes seruãtem, an nō condemnabimus? Maximè. Quomodo ergo ait, Ne iudicetis, vt non iudicemini? Non de fide, aut de his quæ ad fidem cōferũt, oportet hoc accipere. Absit. Neque de his qui nullo pudore absurda perpetrant: sed de operibus circa vitam, de his quæ suspitione habentur: de his quæ in modum festucæ sunt, prout ipse dominus dicebat, de his enim ac similib⁹ neq; os aperire oportet: & maximè quòd prędicto capiti alterum quoque addit dicens, non in eo tantùm quod prædictum est non oportere proximum contemnere aut cōdēnare: sed neque in eo quod sequitur. Est autem illud tale. Alij quidem distinctis seu discriminatis diebus edebant, alij verò singulis. Dicit ergo ꝙ ne in his quidem oportet mutuò iudicare aut condēnare inuicem, neque is qui edit, alterum condemnet. Ieiunat enim proximus & benefacit, quũ hoc

A

Pho.

B

Matt. 7

C

D agat propter deum. Neque rursum is qui ieiunat cõdẽnare debet illum qui nõ ieiunat discriminatis diebus (hoc est qui singulis diebus edit) nõ enim pręcepti legis est, vt trãsgressio iudicium adferat, sed solius voluntatis. *Non ad diiudicationes disceptationum.* Semel quidem feriit illos quum diceret, infirmos fidę: secundò verò, dicens Assumite: Nam ostẽdit eos multa cura egere: tertiò quum ait, Non ad diiudicationes disceptationum. Siquidem in tantum eos labi significat, vt illi etiam qui cum eis in amicitia communicabant diiudicarẽt ac separarentur. Alius quidem credit quæuis edẽda. Qui syncerè, inquit, credit, nullámq; habet iudaicam obseruationem, omnia sine abominatione edit. Commẽdat autem ipsum à fide. *Alius autẽ qui infirmus est* (circa fidem) *olera edit.* In hoc etiam reprehendit eũ, quòd non laudata abE stinentia olera ederet, quãquam hoc fingeret, sed fidei infirmitate. *Qui edit non edentem ne despiciat.* Nõ dixit, Corrigat sed Ne despiciat, ostẽdẽs ꝙ ridiculè faciat. Oportet enim fraternè emẽdare, & nõ tãquã abominandũ despicere. Siquidẽ velut hi qui per fidẽ edebãt omnia sine iudicio, despiciebant obseruantes cibos: ita illi hos tãquã edaces vẽtríq; deditos iudicabãt. Vide autẽ ꝙ de edẽtib[9] dixit, Deus enim illũ assumpsit: de obseruantibus autẽ cibos nihil tale dixit. *Deus enim illum assumpsit.* Nam deus, inquit, illũ ad se attraxit, & omni iudaica obseruatione liberauit. Famulus Christi quẽ F Christ[9] assumpsit, alienus est à lege. Quis ergo es tu qui ex lege iudicas eũ, qui à lege alienus est. *Tu quis es qui iudicas.* Ad eũ qui syncerè credit ipsi sermo est. Porrò ex hoc manifestũ est quòd nõ solùm despiciebant, verùm etiam iudicabãt eos qui olera edebant. *Alienum famulum.* Dei, inquit, est, & ad deũ pertinet casus ipsius aut excitatio. Nõ ergo quòd condẽnatione digna nõ agat, ne ipsum iudices, sed ꝙ alienus sit famulus. *Statuetur autem.* Rursus infirmos ferit, nempe qui cibos obseruant. Dicens enim Statuetur, ostendit eos vacillare, idque adeò vt deo sit ipsis opus qui eos confirmet.

Severia.

Alius quidem iudicat diem à die: alius verò iudicat omnem diẽ. Vnusquisque proprię menti satisfaciat. Qui curat diem, domino curat: & qui nõ curat diem, domino nõ curat. Qui edit, domino edit,

gratias enim agit deo:& qui non edit,domino non edit,& gratias agit deo. A

Verisimile est quòd nõnulli qui indies ieiunabant seu abstinebant,eo tempore condemnabant eos qui non continuè abstinebant,quibus interdicit ne cõdemnet, aut vehemẽter accusent. Nuper enim ad fidẽ venerãt,& verebatur ne multa accusatio eos omnino à fide separaret,accusationibus ad irã prouocatos. V*nusquisque propriæ menti*. Non de omnibus accipias. Vnusquisque propriæ menti satisfacit,sed de solo ieiunio,idque cõdescẽdo ait,quia Romani nuper fidei adhæserant. Quòd si etiam de fide prædictum verbum acceperis toto cęlo aberras. Iuxta propriam autem mentem quisq; sibi satisfaciat:vel quòd benefaciat si semper ieiunet, siue abstineat:vel quòd † non benefaciat si non semper ieiunet. B *Qui curat diem,domino curat*. Non est hoc verbum de fidei dogmate accipiendum:id quod & ipse prædixit. Siquidẽ & hic & ille vni innituntur scopo,nempe diuino honori. Nam qui diem curat arbitratur se dei legem obseruare:qui verò dies nullo in hoc habet discrimine,omnem diem tanquam à deo conditum simili habet in honore. ALIVD. Quod ait, Qui curat diem,domino curat:& qui non curat diem,domino nõ curat,manifestum est quòd hoc nobis significet, Qui iudicat & existimat bonum esse omni die edere,domino curat:hoc est id domino hoc existimat,& propter dominũ hoc facit. Et qui non iudicat hoc, neque bonum arbitratur omni die edere,propter dominum ita iudicat & arbitratur. Hæc C enim prædicta sunt ipsi caussa vt hoc iudicet: putà vt vnusquisque propriæ menti satisfaciat. Quomodo hoc dicis Paule? Bene,inquit,dixi : quoniam & qui super diẽ ieiunat siue abstinet,& qui edit omni die,ambo in domini placitum hoc faciũt:nec oportet vt ob hoc alius aliũ vllo modo iudicet. Deinde etiam caussam adit dicẽs : Etenim is qui edit gratias agit deo,in eo quòd edit, quòd hominibus tribuerit facultates quibus vitã continuarẽt:& qui ieiunat aut abstinet, gratias agit,quòd hominibus abstinentiam dederit ac tolerantiã,his insuper traditis quibus potest quispiã carnis deuincere affectus. Qui verò alio quouis modo edit aut abstinet,iudicio obnoxius est:quo modo fuerũt quædã hęreses:

† *Arbitror ĩ posteriore parte disiũctiuæ legẽdũ affirmatiuẽ Benefaciat sine negatione, ut ĩ priore: attamẽ Græca habent* οὐ καλῶς ποιεῖ *nõ benefacit, præfixa negatione*. Pho.

D Hæc ergo de edentibus & ieiunantibus siue abstinentibus propriè intelligēda sunt: at nō de quibusuis aliis. Nō enim ad omnia canō hic procedit, sed vt diximus specialis est, & solū hoc aliáq; huiusmodi complectitur. Siquidē neq; in argumento paulò ante dicto quadrat, putà de eo qui inter cibos discernit: ille enim nō edēs, nequaquā ad Christi gloriā nō edit, sed tāquā imbecillis & infirmus in fide. Sed illum quidē nō oportet condemnare propter tēporis occasionem, quia prędicationis initiū erat: illum verò qui quotidie edit, aut eum qui super diē ieiunat, neq; hūc neq; alterū oportet omnino accusatione persequi: ambo enim ad gloriā dei faciunt quod faciūt. Et sequētia omnia quæcūq; ad illā torquētur intelligentiam, de ieiunātibus vel abstinētibus super di
E em & edentibus quotidie, accipienda tantùm sunt: quale est illud, Tu autem quid iudicas fratrem tuum: & illud, Igitur vnusquisq; nostrū de seipso rationē dabit deo. Deinde sumpta hinc occasione ac mentione facta quòd dominum habemus, & iudicem in tribunali sedentem, ad generalem admonitionem conuertit sermonē. Quid hoc aut illud dico, inquit? Ita oportet ad nos inuicem mutuò affectos esse, vt in nullo quantū in nobis est inducamus alius alij offensionem aut offendiculū. Dixit autem Fratri, volēs & nomine flectere. Quare, inquit, offendis? Frater tuus est, membrum tuum est, vnum habetis patrem, vnum creatorem. Si ergo sublatæ fuerint à vobis offensiones & scandala, multò magis auferetur iudicium & condemnatio: non solùm ne ob hoc aut illud
F iudicetis & condemnetis: sed simpliciter & in totum auferetur, ne omnino alius alium iudicetis & condemnetis: Et tūc verē erit & qui non iudicatur maximè beatus, & proximus illi is qui non iudicat, quum nos in virtute & sanctitate vixerimus, & omnem iudicandi aut condēnandi occasionē ex multis abstulerimus. O Pauli vocē, ô architecti fundamentum. Hoc ait iudicate, ne ponatur offendiculum fratri aut offensio: hāc primam basim iacite: si hoc principium in vobis fuerit perfectū, cætera facile fuerit superædificare. *Et qui non curat diem.* Vel ita dicit: Cui curę est vt quotidie ieiunet aut abstineat, propter dominum ita affectus est. Quicquid autē propter dominū fit, bonum est. *Gratias enim agit deo.* Si igitur oportunum efficitur opus, vt deo per omnia gratiæ

agātur, quare circa ieiunium adeò dissidetis? paruū enim est A
discrimen. Cōdescendendo quidē ita dicit, Attamen quomodo potest Christo gratias agere is qui non edit? Nam quasi legi adhęrens non edit. Cæterū is qui edit, gratias agit deo.

Nullus enim nostrum sibiipsi viuit, & nullus nostrum sibiipsi moritur. Nam siue viuamus, domino viuimus: siue moriamur, domino morimur. Siue ergo viuamus: siue moriamur, domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit ac reuixit, vt & mortuis & viuis dominetur.

Habemus, inquit, dominū cui & viuimus si viuimus, cui etiam morimur si morimur. Si ergo ad dominū vita mórsq; B
pertinet, ipse disponet quæ nos cōtingunt, neq; oportet iudicare proximū aut despicere. Nā *siue viuamus.* Ipse siquidē solus vitæ ac mortis habet potestatē. *In hoc enim Christus & mortuus est.* Rationē subiunxit cur nos & viuētes & mortui Christi simus. Ad hæc autē etiam illud ostēdit, ꝙ si tāta circa nos vsus est prouidētia, vt etiā crucifigeretur, nequaquā nos despiciet. Nā si nostri etiā dum mortui sumus curā habet, multò magis dū viuimus. Hoc autē dicit aduersus eos qui condēnant ꝙ infirmorū in fide curā habeat deus, ob immensam circa nos prouidētiam & eū qui fide pusillus est adhortatur, facta beneficiorū dei mētione. *Et mortuus est & resurrexit.* Quòd nobis, inquit, dominaretur, prius ipse iustas caussas deposuit. *Vt & uiuis & mortuis dominetur.* Hoc est animis & corporib⁹: illi enim sunt immortales, ista verò mortalia. Ita habet diuus Methodius libro de resurrectione. C

Tu verò cur iudicas fratrem tuum? aut etiam tu cur despicis fratrem tuum? Omnes enim statuemur ante tribunal Christi. Scriptum est enim, Viuo ego dicit dominus. Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur deo. Vnusquisq; igitur nostrum de seipso rationē dabit deo. Ne posthac igitur alius alium iudicemus. verùm illud iudicate magis, ne ponatur offensio fratri aut offendiculum. *Iesa. 45.*

D Rursum sermo illi est ad eum qui fide pusillus est. *Etiam tu cur despicis fratrem tuum?* Hic sermo ad eum qui fide firmus est dirigitur. Fratris autem nomine soluit illis contentionem. Scriptum est enim, *Viuo ego, &c.* Videtur quidem per prophetiæ deductionem ad modestiã reuocare fidelem, ne iudaizantem despiceret: totam tamen particulam dixit, eius qui adhuc iudaizaret animum concutiens: hic quidẽ iudicij mentione, ibi verò Christi beneficiis exhortãs. Etenim si omnes, inquit, ante Christum statuemur: & ipse, non lex, rationẽ à nobis exiget: cur tu legi adhæres, & nõ Christum semel apprehendis? *Mihi sese flectet omne genu.* Omnium E dominium huic subesse attestatur. *Et omnis lingua confitebitur.* Propria videlicet peccata, ex ipsa conscientia, tanquam proprio iudici. Oecu. ALIVD. Dictũ est de deo patre quòd Iohan. 5. hic nullum iudicat, sed iudicium dedit filio. Manifestum ergo quòd de iudice dictum fuerit à Paulo, Cõfitebitur deo, & Rationem dabit deo. Itaque Christus deus est, etiam si nolint impij. *Ne posthac igitur alius alium iudicemus.* Rursum primo hæret sermoni, ne timore videatur fecisse iudicij mẽtionem, sed quadam sermonis consequentia. *Ne ponatur offensio.* Hoc & ad eum qui syncere fidelis est, & ad illum qui adhuc iudaizat aptatur. Nã & is qui perfectus erat, offendebatur obseruatione ciborum proximi, & is qui cibos obseruabat, vehementi increpatione illius qui syncere creF debat. Vno itaq; consilio duos corrigit vt ab his abstineãt, quæ proximo fiunt occasio scandali.

Scio quidem & persuasum habeo per dominũ Iesum, nihil esse commune per ipsum: nisi quod ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Verum si propter cibũ frater tuus contristatur, iam non secundum charitatẽ ambulas. Ne cibo tuo illũ perdas, pro quo Christus mortuus est. Ne igitur conuitiis afficiatur bonũ vestrum. Non est enim regnum dei cibus & potus: sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Nam qui in his seruit Christo, acceptus est deo & probatus hominibus.

Adhuc ipsi de ciborum obseruatione sermo est. Quia ergo dixit, Scio & persuasum habeo nihil esse cõmune, ne dicat is qui adhuc hæret in Iudaismo, Et quid si tu persuasus sis, quum lex contrarium doceat? addit, Per dominum Iesum: ostendens quòd ab ipso hæc didicerit & certior factus sit, & non à seipso dicat. *Nihil commune esse.* Hinc rursus ad ea redit quæ de cibis dicta sunt: & potentes in fide admonet vt infirmis succurrant. Ex his etiam quæ dicit, ostendit bonum quidem esse niti illum corrigere qui inter cibos diiudicat: quod si hic corrigi nequeat, melius tunc esse defectum hunc contemnere, omnique modo illum manuducere quo lucrifiat ac saluetur. *Nihil*, inquit, *esse commune per ipsum.* Ne dicant, Tu quis es qui legem feras Mosi contrariam? Mosis dominum in medium producit, docens quòd ipse legales obseruationes cessare fecerit, nullúmque edulium duci impurum permiserit. Nam hoc significat, Per ipsum, id est iuxta legem euangelicam. Aut, Nihil commune δι' αὑτοῦ, hoc est per se, ex natura. Siue δι' αὐτοῦ per ipsum, nempe deum. Per datam, inquit, nunc ab ipso gratiam nihil natura commune est, sed ab accedentis voluntate fit commune. Vnde etiam soli illi fit commune, non autem omnibus. Nam ait, Illi commune est. *Verùm si propter cibum frater tuus contristatur.* Siquidem fideles syncere credentes exprobrabant illis qui iudaismum adhuc sequebantur, & ita cibos obseruabant. Non vult ergo illos in his quę non adeò magna sunt, grauiter corripi, veritus ne forte pusillo facti animo, tandem à fide desciscant. Quanquam, inquit, nihil in cibis commune sit, abstine tamen à vehementi reprehensione fratris tui, dispensatorio modo ordinans propter dictam caussam. Vide autem Pauli sapientiam. Omnino certior factus quòd nihil commune sit, & ita fide pusillum esse ostendens eum qui ex ciborum obseruatione infirmaretur. Iam, inquit, non secundum charitatem ambulas. Vult enim charitatem esse, sciens omnia per illam paulatim corrigi. *Ne cibo tuo illum perdas.* Licèt tu quum sis fidelis, omnia edas: ne illum vehementer increpando, penitus à fide eiicias. Etenim etiã pro illo Christus mortuus est. Propterea dispensatorio modo debes illi condescendere.

A

Pho.

Theod.

B

Seuer.

C

Hic suadet fideles quoque à cibis abstinere vt condescẽ- Pho.

D datur fide pusillis, quod etiã in processu dicit. N*e igitur conuitiis afficiatur bonum ueſtrum*. Accusando enim & semper cõtendendo ob ciborum obseruationem aduersus illum, non solùm reddis eum peruicacem, sed etiam alienis à fide tribuis occasionem, vt fidem nostrã conuitiis afficiãt propter huiusmodi pugnas. Nam bonũ vocat fidem. Bene quidem doces, sed contentio conuitiorum caussa efficitur. N*e conuitiis afficiatur bonum ueſtrum*. Bonum quidem, nam fide confirmatum est non diiudicandos esse cibos: sed contendentes & vehemẽter rixantes aduersus eos qui diiudicant, facitis bonum vestrũ affici conuitiis. Illi nanque redarguti cõpelluntur aduersum vos dicere, quòd hoc non ex fide faciatis, sed ventris curandi gratia. Itaq; etiã si aliud nihil in caussa esset, oportuit ab huiusmodi contentione abstinere: quin potius

Oecum.

E hóc ipsum ne conuitiis afficiatur bonum vestrum: satis esse debuit vt persuaderet vobis contentionem dissoluere in cõcordiam & amorem. Neque enim hoc est contemnere quæ fidei sunt, sed honorare, prohibendo conuitia quibus afficeretur. Verisimile quoque est quòd nonnulli à fide alieni audientes contentiones, Christianorum dogmata irrident, ac subsannant, conuitiisque afficiunt. Ob quę omnia melius esset loco intempestiuę contẽtionis concordes circa opportuna & conformia charitati, omnem calũniæ ac blasphemiæ prætextum amputare. Hæc enim sunt quæ ad regnũ cælorum introducũt, nempe pax in fide, gaudiũ in spiritu sancto & iustitia. N*on eſt enim dei regnum cibus & potus*. Cohibere

F vult illos ab accusationibus. Siquidem per cibum & potum, inquit, regnum dei non possumus ingredi. ALIO modo. Dicens, Non est enim regnum dei cibus & potus, ostendit contentionem illorum circa cibos vehementissimam esse ac vltra limites: & tale quippiã insinuat: Si regnũ dei cibus ac potus essent, nõ decertaretis vehementius. Simul etiam adhortãdo si pro his ita contẽditis, quid facere oportet pro iustitia & pace & gaudio in spiritu sancto? S*ed iuſtitia*. Quæ sunt ergo quæ in regnum dei introducunt? iustitia, hoc est, vita studiosa: pax erga fratrem, & gaudiũ ex concordia. Quoniã autem cõtingit pacem & gaudiũ esse etiã in turpibus, addit, In spiritu sancto: tanquam diceret, Hanc dico pacem, & hoc gaudium quæ in spiritu sancto efficiũtur, hoc est, per spiri-

Pho.

tum sanctũ introducuntur. N*am qui in his seruit Christo.* hęc A
ita faciens tanquam debitor,& qui ad id obligatur,cum timore ac tremore,sicut fidelis dei seruus. Qui enim in his timidus est & arrogans,non seruit deo,neq; illi acceptus est. Contingit & ex inani gloria corripere, & nõ ex timore aut dilectione dei:ideo subdit. Nam qui in his seruit Christo, nempe in iustitia & gaudio pacéque spirituali. E*t probatus hominibus.* Non solùm autem hoc, verùm admirabuntur te homines,videntes quòd pacem habeas & gaudium ac iustitiam:præterea & porcinas carnes nullo discrimine edas.

Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ mutuæ inter nos ædificationis.Ne cibi causa destruas opus dei.Omnia quidẽ pura,sed malũ est homini qui per B
offendiculũ vescitur.Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, neq; quippiam facere in quo frater tuus impingit aut offenditur aut infirmatur.

Quum ergo hæc in confesso sint,inquit,sitq; ostẽsum bonam esse pacem,in hac nos exerceamus, per quam cõtinget etiam omniũ ædificatio. N*e cibi causa.* Nõ solùm,inquit,nõ ædificas dũ propter cibos semper accusas, sed & fidẽ quam habet dissoluis:peruicaciores ipsos efficiens ac irritans,donec penitus à fide desciscãt. O*pus dei.* Deus,inquit,per pas- Oecum.
sionẽ ædificauit, tu verò ipsius ædificiũ ꝓpter cibum dissoluis.Opus autem dei vocat hominũ salutem. O*mnia quidem pura.* Ne multa correptione facta aduersus eos qui sanũ ha- C
bebãt iudicium, confirmet infirmum ad ciborũ obseruationem,deinceps etiam ad illũ vertit sermonẽ.Omnia quidem pura,inquit,sed malum est homini qui cum consciẽtia mali vescitur.Q*ui per offendiculũ uescitur.* Etenim si coactus edas, nihil hoc tibi profuerit:quia cum diiudicatione edisti. Neque enim ipsum edere efficit te purum, sed pura mẽs qua edis. B*onum est non edere carnes.* Hic nõ solùm admonet fidelem ne grauiter lacessat infirmum,verumetiam vt ad ipsum sese demittat:& carnes non edat,nec vinum bibat,& si quid aliud obseruare oporteat ob fratris salutem. Nã maximam habet condescensionis occasionem infirmitas. N*eque quippiam facere in quo frater tuus impingit.* Vide quomodo in ser-

D mone fidei eos mordeat qui fide pusilli sunt. In quauis re talis impingit quod cæcorum proprium est. offenditur autem quod eorum proprium est qui facilè offensionem patiũtur. Infirmatur verò, quod imbecillium est & fide pusillorum.

Tu fidem habes, apud temetipsum habe coram deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui verò diiudicat, si ederit, condemnatus est: quia non ex fide edit. Porrò quicquid non ex fide est, peccatum est.

Fidem hic dicit de his quæ præmissa sunt, nẽpe de cibis: quandoquidem eam quæ de dogmatis est, debet quisque co-
Matt. 10. ram omnibus profiteri. Nam, omnis, inquit, qui confessus
E fuerit me coram hominibus, & cætera. Hic autem insinuat eum quoq; inaniter gloriari qui perfectus erat. Perfectus, inquit, es, & numeris omnibus expletus? quid virtutem ostentas? nouerit deus rem. *Beatus est qui non iudicat seipsum in eo quod probat.* Hoc est in eo quod probauerit vtrum hoc modo an illo sit agendum: putà vtrum hoc sit edendum, an non sit edendum. Quomodo autem hoc erit? Ex conscientia pura. vbi enim dixisset, Apud temetipsum habe fidem: ait, Etiam si omnes te accusent dispensatoriè quippiam agẽtem, aut propter salutem fratris tui, modo tua conscientia non accuset te, beatus es. Ex his sanè infirmum clàm percu-
Pho. tit. Nam si ex conscientia est fidelium corona & fœlicitas, vtique & cõdemnatio. Ne ergo ex diiudicatione ob necessitatem
F vescaris, inquit, Qui non iudicat seipsum. Obiectionem soluit. Quid ergo, dicet aliquis, an propter infirmum neq; ego edam? num ad ipsum accedã? num ipsi similis efficiar? Ad hoc ergo propemodũ dicit, Absit. Nam fides tua coram deo pura est, & incorrupta manet. Deinde, quid dico, inquit, quòd nihil ex hoc nocumenti recipias: & quòd fides tua maneat coram deo? etiam puritatem tibiipsi cõcilias, si propter fratris vtilitatem ac salutẽ non vescaris. Beatus, inquit, qui non condemnat seipsum in eo quod probat: hoc est, qui conscientiam suam habet sibi attestantem: nõ in hoc solùm quòd propter fratris salutem à cibis abstinet: verumetiam in omni simpliciter re, quancunque exacta probatione perpenderit bonam esse: Deinde illam fecerit, con-

ſcientiam habens atteſtantem: talis beatus eſt, tantùm abeſt, A
vt nocumentum aliquod huius gratia recipiat. *Qui verò di iudicat.* Hoc rurſum ad ſanum in fide. Cur enim illum cogis edere, qui nondum confirmatus eſt? an neſcis quòd is qui di iudicat, ſi ederit condemnatus eſt? quia non ex fide edit, ſed ex neceſſitate aut pudore? neque enim credidit illud purũ eſſe, & ita edit. Cur ipſi ergo condemnationis cauſſa efficeris cogens ipſum ad edendum, quum patiatur offendiculũ. Deinde poſtmodum affirmando dicit, quòd quicquid fecerit quiſpiam non ex fide, in eo peccat.

Ei autem qui potens eſt vos confirmare iuxta euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti: ſecundum reuelationem myſterii, temporibus B
æternis taciti, nunc verò manifeſtati: & per ſcripturas propheticas ſecundum præceptum æterni dei, ad obedientiam fidei, per omnes gentes agniti, ſoli ſapienti deo, per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſecula, Amen.

Hyperbaton eſt, Ei autem qui potens eſt vos confirmare gloria in ſecula, Amen. *Vos confirmare.* Precatur deinceps pro imbecillibus. Nam precatione illis opus erat, vel conſilio. Dicens autẽ Confirmare, ſignificat eos vacillare. Deinde modum etiam confirmationis inducit. *Iuxta euangelium meum,* Vt ita, inquit, viuant ſicut iubet euangelium. I T B M Oecum.
alio modo. Poſt admonitionem ſemper præcari ſolet, quod C
etiam hìc facit, orans pro imperfectioribus: non ſolùm verbo inſtruens, ſed etiam auxilium à deo adferens. Cõſequentia autem coordinationis talis eſt. Ei autem qui potens eſt vos confirmare per Ieſum Chriſtum gloria in ſecula, Amen. Articulus verò ᾧ, id eſt, cui, ſuperfluè ponitur, ideo aſſumptus, quòd opus eſſet repetitione. Ei qui potens eſt vos imperfectos & vacillantes confirmare. Quomodo? Iuxta euangeliũ meũ, hoc eſt, vt his quæ doceo adhæreatis. Porrò meum euãgelium & Chriſti prædicatio vnũ ſunt. Non enim noſtra ſunt dogmata, ſed ipſius leges. *Secundum reuelationem myſterij* Magni ſignum honoris, quòd myſterij ſitis facti participes: rei olim quidem prædefinitæ, nunc verò per ſcripturas pro-

D pheticas apparentis. Quid itaq; times tu imbecillis, ne porcinas carnes edens, à lege discedas? Ecce enim scripturæ omnes prædicant hoc mysterium quod ciborum indifferentiā inducit, sed & secundum præceptum æterni dei. Non ergo deo repugnare oportet, sed credere ac obedire: nā fides non curiositate, sed obediētia indiget. Quin & Gētes omnes ita credunt: omnibus enim innotuit: quomodo ergo tu ipse adhuc legi seruis? Porrò Soli sapienti deo, dixit ad distinctionem angelorum & nostri, aut falsò nominatorum deorum, non filij aut spiritus sancti, Absit. Nam filius sapientia patris est. Ipsi ergo gloria qui mysterium manifestauit, non legi cui adhuc adhæres, cibos obseruans. Quod autem addit, per Iesum Christum, potest velut antea dictum est, coniun-

E gi præcedenti, Ei qui potens est vos confirmare per Iesum Christum. Ipse enim mysterium Gentibus manifestauit, qui discipulos emisit ad docendum omnes Gentes. Articulus verò ῷ.i. Cui, superfluus est. *Et κήρυμα.i. præconium seu prædicationem Iesu Christi.* Quod est autem præconium Iesu? vt

Pho.

Ioban. 17 cognoscāt, inquit, te, & quem misisti Iesum Christum. Qui

14.10. vidit me, vidit & patrem. Ego & pater vnum sumus. Et sicut

Mat.16. ait Petrus ꝙ ipse sit filius ille dei viuentis. Et ꝙ iudiciū om

Ioban.5. ne filius habeat. Et euntes docete omnes gentes baptizantes

Mat.28. eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. *Et prædicationem Iesu Christi.* Quis autem est hic Iesus Christus? Is qui ab initio erat quidem cum patre, nunc autem manifestatus est. Et quomodo manifestatus est? Mysterio, inquit, reuelato,

F nam æternis tēporibus tacitum erat: soli patri & filio & spiritui sancto cognitum erat: nunc autem reuelato mysterio, in omnes gentes manifestatus est Christus, ꝙ filius dei sit ac deus eiusdē substantiæ. Sed quomodo manifestatus est? Per prophetas, per scripturas illorum. Et vnde hi loquuti sunt, ac scripserunt? iubente ac inspirāte sanctissimo spiritu: hūc enim ęternum deum vocat, hoc est, non temporalem. Quod ergo est opus propheticarum scripturarum, quas per spiritum loquuti sunt? vt manifestaretur Christus omnibus gentibus. Quomodo? dum illi obedirēt fidei, per eos qui ipsam illis annuntiauerunt: quorum plurimam partem Pauli cursus & euangelium perfecit. Habes igitur & hìc coniunctam trinitatem. In eo quidem quod dicitur, Sapienti deo, patrē:

per illud autem ꝙ ait IesumChristum,planum est ꝙ filium: A
Cæterùm ex eo ꝙ secundum præceptum æterni dei prophe tas ait vaticinatos fuisse,spiritum sanctum . Et vide acutam aciem sublimis ac verè cælestis discursus mentis Pauli. Siquidem quoniam sapientem omnino spiritum esse , nullorũ patet calũniæ:fuisse verò ab æterno,multorum patitur obie ctiones,hæc permutauit:& hoc quidem ꝙ nonnullos habebat contradictores nisi Paulus clamasset,ponit de spiritu,ęternum eum vocans.Illud autem, quod facile captu erat, vt etiamsi de ipso non testificetur, tamẽ de spiritu conciperet, nihil ex hoc timens,ponit de patre, vocans eum sapientem. Neque enim verebatur,ne quis à multorum cordibus aufer ret vel sapiẽtiam à spiritu,vel æternitatem à patre. Idipsum autem & de filio . Nam & quod ait temporibus æternis , & B
Manifestati,æternitatem prędicat filij:id curans ad quod fu turum erat vt nonnulli impingerent. Quemadmodum ergo dum filius ac spiritus dicti sunt æterni,etiam pater ex conse quenti datur intelligi æternus : ita dum pater dictus est sapiens , etiam filius ac spiritus meritò ineffabili ac diuina sapiẽtia pollere intelligi possunt: & neq; æternitas à patre potest auferri:neque filius aut spiritus queunt sapientia priuari.Et quod de patre dicit hìc diuus Paulus,dictioni Sapiẽti coniungens Soli,verè erat sapientiæ spiritus,& mentis quæ Paulo concessa erat à spiritu.Nam in hoc posuit Soli,in quo omnibus est indubitatum,etiam his qui sunt maximè peruicaces, ꝙ filius ac spiritus hoc priuati non sint . Cur hoc fecit?vt etiã in quibuscunque aliis diuinis sensibus ac nomi- C
nibus dictionem Solam adiunctam audieris , non ad distinctionẽ filij ac spiritus vocem intelligas,sed ad omniũ quidẽ aliorum distinctionem,monarchiæ, verò trinitatis vnionẽ ac coniunctionem,nam hic exprimens vbi facilè intellectus concipitur, iubet etiam in similibus eandem habere opinionem. Audisti sapientem patrem? & filium ac spiritum vnà cõcipe sapientem: æternum dixi filium ac spiritum? eodem etiam modo patrem mihi intellige. Regem dixi patrem, potentem, magnæque autoritatis ? ita quoque & filium ac spiritum glorificare oportet. Bene dixi Solum,vt singulariter trinitati id quod excellens erat reseruarem,non vt ipsam dignitatem discindendo auferrem.Quum Solum addo,omnia

D alia separo, ipsam verò per dictionē Solum magis vnio: non eam in partes diuidens quæ naturali forma indiuisibilis est, sed vnitatem in auditorum mentibus magis constringens. *Et prædicationem Iesu Christi.* Christus, inquit, hæc prædicauit: leges itaque euangelij non hominū sunt, sed ipsius Christi. Quòd autem fide dignæ sint, ostendit & à prædicatione & à nomine: nam euangelium dicitur. Quæ est autem Christi prædicatio? ipse Christus. *Secundum reuelationem mysterij.* Quod euangelium, inquit, datum est secundum reuelationem mysterij. Qualis? Taciti quidem prioribus æternis temporibus, hoc est, multis, nunc verò manifestati. Significare vult magni honoris esse donum, non ex hoc solùm ꝙ illud prædicauerit Christus, & ꝙ euangelium dicatur: verùm E etiam ex eo ꝙ nunc gratis manifestatum sit, quanquam ante secula fuerit. Nam ab initio erat filius, sed nunc cognitus est quum prius ignoraretur. *Et per scripturas propheticas.* Quomodo autē manifestatū est? inquit. Per scripturas propheticas, quum pater ita fieri iussisset. Per hoc autem incredulum ad fidem exhortatur. Nam quid trepidas illi syncerè credere? prophetæ dixerunt, deus præcepit. *Ad obedientiam fidei.* Nam fides obediētia opus habet, ne quis curiosè scrutetur quam ob caussam nunc manifestatū sit, & quare olim tacebatur. *Per omnes gentes.* Ne timeas, inquit, non tu solus credis, sed & vniuersus orbis. *Soli sapienti deo.* Ad distinctionem ex aduerso falsò dictorum deorum, non Christi vel spiritus: Absit. *Per Iesum Christum.* Agniti inter omnes F gentes per Iesum Christum, vt qui etiam prædicauit. Cæterùm per interpositionem dicit, Soli sapienti deo gloria. Vel hoc modo. Ei autem qui potens est vos confirmare soli sapienti deo, quo autem modo confirmare? per Iesum Christum: gloria in secula, amen. *Cui gloria.* Cui parelcon est, hoc est, per interpositionem additum. Quod dicitur, Cui gloria, ad tria adiungendum est, putà Ei qui potens est vos confirmare soli sapienti deo, &, Secundum pręceptum æterni dei, ac tertiò, Per Iesum Christum. Per hæc enim manifestata trinitate gloriam quoque retulit ad trinitatem.

Oecum. Pho.

CAPVT XIX.

*De imitatione clementiæ Christi.*

DEbemus autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium baiulare,& non nobiſipſis placere. Vnuſquiſque noſtrum proximo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibiipſi placuit: ſed quemadmodum ſcriptum eſt, Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam olim ſcripta ſunt, vt per patientiam & exhortationem ſcripturarum ſpem habeamus. A Cap. 15. Pſal. 68.

Ad eos qui ſani erant in fide conuertit ſermonem, docens oportere illos condeſcendere imbecillibus. Debitores enim huius ſumus. Vide autem quàm attenuet ac deiiciat imbecilles. Nam de aliis quidem ait Potentes: de his verò infirmitates,& Impotentium, ac Baiulare, *Et non nobiſipſis placere.* ſed proximo placere per cõdeſcẽſionem & noſtri demiſsionem. Oportet enim vnumquenque noſtrum proximo placere. Sed quoniam etiam in malo placere contingit, addidit, *In bonum ad ædificationem.* Nam hoc faciẽs, ipſum ædificabis ac corriges. *Etenim Chriſtus non ſibiipſi placuit.* Si voluiſſet, inquit, quod ſuum erat ſpectare, nequaquã paſſus fuiſſet: licebat enim ipſi ab iniuriis immunem eſſe: at nõ ſibiipſi placuit, neque ſui curam habuit, ſed eius quod nobis vtile erat. ALIVD. Licebat ipſi non exponi opprobriis, non pati quæ paſſus eſt, ſi quod ſuum erat ſpectaſſet, ſed dum quod noſtrum erat ſpectauit, quod proprium erat neglexit,& iniuria affectus eſt, & malam gratiam apud multos retulit. *Sed quẽadmodum ſcriptum eſt:* Nihil, inquit, nouum factum eſt: ſed, qui in veteri lege tibi opprobrarunt & te contumelia affecerunt, ô deus pater, hi etiam aduerſus me filium tuum venerunt. *Quæcunque enim ſcripta ſunt, &c.* Hæc ad noſtram, inquit, doctrinam ſcripta ſunt vt imitemur & toleremus. *Vt per patientiam.* Vt admoniti à ſcripturis, & per ſcriptam ibi patientiam neruis additis, in ſpe dei permaneamus. Nam patientia ſpem extruit, rurſumque ſpes patientiam ſeu tolerantiam. B Iohan. C

Deus autẽ patientiæ & exhortationis det vobis

D idem ſentire inter vos mutuò ſecundũ Ieſum Chriſtum: vt vnanimiter vno ore glorificetis deum & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti. Quapropter aſſumite vos inuicem ſicut & Chriſtus aſſumpſit nos ad gloriam dei. Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum factum fuiſſe circuncіſionis, ad confirmãdas promiſsiones patribus factas.

Oſtendit ꝙ cum ſcripturis & illarum doctrina ac exhortatione opus ſit etiam præcibus, vt dei attrahamus auxiliũ. *Det uobis idem ſentire.* Dilectionem mutuam ipſis precatur. Sed quoniam contingit dilectionem habere etiam in malo, E hanc ab illa diſtinguens ſubiungit, Secundum Ieſum Chriſtum. *Vt unanimiter.* Quæ eſt autem vtilitas habendæ mutuæ dilectionis, & idem ſentiendi inter ſe mutuò? Id, inquit, cauſſa efficitur vt vnanimiter vnóq; animo glorificent deũ. *Quapropter aſſumite uos inuicem.* Hoc eſt, recõciliamini inuicem inter vos. Rurſumque Chriſtum adfert in exemplum. Hoc autem facientes, deum per mutuam dilectionem glorificabitis. *Ad gloriam dei.* Hyperbaton eſt. Aſſumite vos inuicem ad gloriam dei. *Dico autem Chriſtum Ieſum, &c.* Eos qui in Iudaiſmo adhuc hærebant reprehendit, & ait, Chriſtus veniens patri cooperatus eſt vt promiſsiones Abrahæ datæ ad terminum deducerentur. Cooperatus eſt autem omnem complendo legem etiam circunciſus: nam hoc vocat F miniſtrum factum fuiſſe circunciſionis: vt hac quoque confirmata, legem etiam compleret. *Dico autem Chriſtum Ieſum.* Tanquam diceret, Quomodo vos aſſumpſit Chriſtus? Pho. Ita dico, inquit: Iudæos quidem, circunciſus, & iuxta oracula deſcendens ſecũdum carnem ex ſemine ipſorum. Ex quo etiam patri cooperatus eſt vt veras oſtenderet & compleret promiſsiones. Siquidem ne quis diceret, Et quæ erat neceſſitas vt aſſumerentur Iudæi qui iam olim ad patris familiaritatem aſſumpti erãt, ac promiſsiones ſuſceperãt, quas impoſsibile erat non euenire, quum fallere non poſſet is qui promiſerat? Hoc, inquit, ideo fuit neceſſe, quia etſi prius aſſumpti erant Iudæi, quanquã promiſsiones ſuſceperant niſi aſſumpſiſſet eos filius, incarnatus ac circunciſus, nequaquã

promiſ-

promiſsionibus digni habiti fuiſſent, quũ ſeipſos præcepto rum tranſgreſſores feciſſent, neque patris oraculũ circa veritatẽ, immutabile ac pœnitere neſciũ, vtilitati eis fuiſſet, quippe qui ſua tranſgreſsione impedimentum præſtitiſſent, ne ea veritas contingeret. Propterea quum ipſos aſſumpſiſſet ac circunciſus eſſet: & patris veritati cooperatus eſt, & vt promiſsiones perficerentur ac confirmarẽtur ſimul effecit. Sed ipſos quidem Iudæos hoc modo & propter iſta aſſumpſit: verùm quare Gẽtes aſſumpſit? propter ineffabilem miſericordiam, vtque magis glorificaretur pater. Nam ſi promiſsiones compleri, & non videri quibuſdam patrem fuiſſe mendacem, confert ad ipſius gloriam, quomodo ad immenſam patris gloriam non conferet, prius non ſpopõdiſſe nec promiſiſſe, & tamen ita repẽte donatos fuiſſe incredibilibus ac inſperatis bonis? ALIO modo. Chriſtus ſolus legem cõpleuit, omnia exequẽs præcepta. Sed & Iudæus ſecundum carnem erat: nam & hoc per circunciſionem ſignificatur: & qui ab eo adoptati ſunt, ſicut aſtra cæli multiplicati ſunt, & ſicut arena quę eſt ad littus maris. Ipſe itaque & patri cooperatus eſt vt verax appareret: & vt promiſsiones ad Abraham factæ complerentur, omne quidem exequens præceptum, ſed in ſemen Abraham reputatus, vniuerſum orbem fidelibus impleuit. *Miniſtrum factum fuiſſe circunciſionis.* Potes hoc etiã modo intelligere. Miniſter factus eſt Chriſtus Iudæorum: in hoc videlicet vt Iudęi intra promiſsiones continerentur, vt ipſe etiam qui eas promiſerat pater, verax appareret. *Ad confirmandas promiſsiones patribus factas.* Vt veracem, inquit, oſtenderet patrem qui eas promiſerat: lex autem nõ potuit ipſas confirmare. Quàm igitur abſurdum eſſet, nos ipſum qui noſtras confirmauit promiſsiones quas patres acceperant, Chriſtum contemnere, legique hærere quæ promiſsiones nobis ſeruare nequiuit.

A B Eiuſdem *Gene.* 22 C

Cæterũ vt Gentes pro miſericordia glorificent deum, quemadmodum ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo pſallam Et rurſum dicit: Gaudete Gẽtes cũ populo eius. Et rurſum, Laudate deum omnes Gentes, & collaudate

*Pſal.* 17 2. *Reg.* 12 *Pſal.* 117. *Ieſa.* 11.

D eũ omnes populi. Rursumq; dicit Iesaias: Erit radix Iesse: & qui exurget ad imperandum Gentibus, in eo Gentes sperabunt.

Iudæi quidem promissiones saltem acceperant, quanquã nihil inde vtilitatis accepissent, nisi Christus eos confirmasset: vos autem Gẽtes, inquit, de sola benignitate ac humanitate deum laudare debetis: quãdoquidem neque promissiones habebatis, sed misericordiam cõsequuti estis, totam rem exequente gratia: quantò magis ergo ex Christi gratia misericordiam consequuti estis, tãtò magis dei debitores estis vt portetis eos qui ex Iudæis pusilla fide sunt. Ea enim dei gloria est concordia & pax vestra, cum his nanque differit

E qui ex Gentibus fideles erant qui maximè vrgebant obseruantes cibos. Promissio facta erat ad Abraham quę diceret, Tibi dabo terram, &, Per semen tuum benedicentur omnes Gentes: sed post hæc, omnes qui de semine Abraham erant, obnoxij facti sunt supplicio: lex enim non seruata iram eis operabatur, & insuper promissione illa ad patres facta priuabat. Accedẽs igitur filius cooperatus est patri vt promissiones illas veras redderet. Complens enim totam legem in qua etiã erat circũcisio, & hac via & per crucẽ liberatis his qui in transgressione erant, nõ permisit excidere promissionem. Quando ergo dicit ministrum circuncisionis, hoc dicit, quòd quum venisset totámque legem implesset, etiã circuncisus & semen Abraham factus, soluit legalem maledi-

F ctionem, iram dei sedauit, aptos denique fecit vt in posterũ promissionem susciperent. Ne ergo dicant *hi qui accusantur: Quomodo ergo Christus circuncisus est, totámq; legẽ seruauit, si ediuerso ipsam euertit? ait: Neq; enim vt lex maneret hoc fecerat, sed vt ipsam solueret, & ab illius maledictione liberaret. Deinde ne id verteret in tumorem eos qui ex gentibus erant, dicit. V*t gentes pro misericordia glorificent deum*. Hoc est autẽ quod dicit: Iudæi quidẽ promissiones saltem acceperant: tu verò ne id quidem, sed sola benignitate saluus factus es: quanquã nec illi à promissione quicquã eminentius habuissent, nisi aduenisset Christus. Gloria autẽ dei est ꝙ coniuncti sint, ꝙ ipsum vnanimiter benedicant, ꝙ imbecilliorem ferant. P*ropter hoc confitebor tibi in gentibus.*

Iohãnis in totum eũ locum ab ea parte dico autem Christũ Iesum.

* οὗτοι δὲ ἐγκαλούμενοι.

Testimonium profert, ostendens quòd coniunctos oporteat esse iudæos Gentibus. ALIO modo. Illud autem confitebor tibi in Gentibus domine, ex persona Christi dictum est: hoc est, prędicabo te pater mi inter Gẽtes. *Et qui exurget ad imperandum Gentibus.* Coniunctio *καὶ*, id est, &, superfluè interponitur vt sit hic sensus, Erit radix Iessę, quęnam illa? qui exurget, inquit, ad imperandum Gentibus, id est, Christus. A

Deus autem spei impleat vos omni gaudio & pace in credendo, in hoc vt exuberetis in spe per potẽtiam spiritus sancti. Persuasus sum autẽ fratres mei & ego ipse de vobis, quòd & ipsi pleni estis bonitate, impleti omni scientia, potentes etiam inuicem alius alium admonere. B

Rursum ad orationem venit, & ait: Deus liberabit vos à mutua inter vos pugna, & ab omni ãgustia quæ inde prouenit. *Deus spei.* Spei, inquit, deus est deus noster. Itaq; bene precor vobis. Spero enim efficacẽ fore orationẽ, si modò ipsi velitis. In credẽdo autẽ impleti sitis gaudio, & pace quæ secũdũ cogitationes est (quod pro vobis exopto) sitis etiã in spe exuberãtes siue ditati & abũdè affecti. Hæc autẽ per gratiã ac potẽtiã sanctissimi spiritus cõtingũt. ALIO modo. Orat vt impleãtur omni gaudio fideles qui ex Iudæis erãt, nã hi animo angebãtur ab aliis obiurgati; & impleãtur pace qui erãt ex Gẽtibus, hi siquidẽ inimico animo videbãtur se habere erga eos qui legi adhuc adhærebãt: magis autem vtrique vtroq; repleantur. *In credendo.* Hoc enim à nobis inferẽdũ est, nempe fides. Ex hoc sanè spes in deũ nobis accedet, omnium caussa bonorum: quam maximopere precatur. Vt exuberetis, inquit, quod non alio modo continget nisi per potentiã spiritus. Qui ergo spiritum habet, omnia habet. *Persuasus sum autem.* Non opus est mihi, inquit, vt ab aliis discã, sed certior factus sum. *Pleni estis bonitate.* Bonitatẽ vocat perfectam virtutem: Pleni verò, dictio intensiua est. *Impleti omni scientia.* Quid autẽ proderit si quispiam fratres diligat, nisi ad id quod opus est possit vti dilectione? Propter hoc dicit, Omni scientia. *Potentes etiam inuicẽ alius alium admonere.* Non solùm non egetis admonitione, sed & alios docetis. C

D CAPVT XV

*De ministerio ipsius Pauli in partibus Orientis & Occidentis.*

AVdacius autem scripsi vobis fratres ex parte: tanquam commonefaciens vos propter gratiam quæ data est mihi à deo, vt sim minister Iesu Christi in Gẽtes sanctè administrans euangelium dei, vt fiat oblatio Gẽtium acceptabilis, sanctificata per spiritum sanctum.

*Audacius ex parte.* Hoc est quodammodo, & si quis nõ videat totam sentẽtiam, sed verbo ipsa ex parte curiosius scrutetur sine intellectu. Si ergo ex parte consideret, apparebit E sanè illi, quòd duriorem ac asperiorẽ me vobis exhibuerim per literas, sed ego tanquam commonefaciens scripsi. Et rursum necesse fuit mihi scribere, quòd gratia mihi à deo data ἱερουργῶν. sit in hoc vt prædicarem ac docerem Gentes: minister enim sum Christi, tanquam famulus & obsecundãs ipsius voluntati. Et quid operaris? Sanctè administro, inquit, siue sacrifico euangelium eius: hoc est, hostiam istam ei immolo, nempe euangelium ipsius. Et quomodo contingit immollare ac sacrificare euangelium? Offerẽdo, inquit, illi Gẽtes quę per illud credunt, & vt ipsæ fiãt acceptabiles & sanctificatę per spiritum sanctum: Adducendo itaque ad fidem, euangelium dei sacrificat. Vel dictio ἱερουργοῦντα, simplicius intelligen- F da est, vt significet sanctè ac diligenter operantem, non temere ac negligenter. Aut hoc ergo modo, aut potius isto accipiendum est. *Audacius scripsi ex parte uobis, etiam tanquam commonefaciendo scribens.* Siquidem incũbens mihi necessitas & vehementius & diligentius scribere postulat. Ego verò ausus sum & exactam diligentiam omittere & non tãquam præceptor scribere: sed multùm parcendo & tanquam commonefaciens, siue potius ad memoriam reducẽs: quanquam deberem & exactius & vehementius hoc facere : ad hoc enim primũ à gratia traditus sum, & in hoc vt ministrem ac seruiam ordinatus sum. Itaq; si quis dicat fortassis quòd in his quæ scripsi obiurgaui vos, & quibusdã vestrũ visus sum præstitisse me vobis duriorem: tantum abest vt ego hoc fecerim, vt etiam verear ne quo modo pœnas luam quod adeò

parcens ac timidè ſcripſerim,tãquam auſus ſim minus face- A
re quàm opus exigat præceptoris. Etenim maiora ac plura ſcribere deberem,vt qui ad docendũ adhibitus ſim:nũc verò quaſi audacius quippiã faciens,tantùm parcendo ac adeò meipſum demittendo ſcripſi. ALIO modo. Romani in dignitate conſtituti erant,ac mirum in modũ criſtas erigebãt, ideo cõciliat eos dicens ſe auſum fuiſſe:multùm enim ipſos hoc verbo frangit. Nec id ſatis eſt,ſed addidit, Ex *parte*,hoc eſt leniter & breuius:& non quaſi docens,ſed ad memoriam reducens. *Fratres*. Oportuit enim eos qui acrius obiurgati eſſent affatim lenire. *Tanquam commonefaciens*. Leniter,inquit,quomodo? veluti ad memoriam reuocãdo admonens, hoc eſt paululum cõmonefaciens. Huiuſmodi autem ſigni- B
ficantia dictionũ prohibet ne in totũ admoniti eſſe videantur. Vnde non dicit docens, ſed Cõmonefaciens ſeu ad memoriam reuocans. *Propter gratiam quæ data eſt mihi à deo*. Non meus labor eſt,inquit,ſed gratia dei. Oſtẽdit autem ꝙ ne admonere quidẽ fuiſſet auſus niſi Gentes ipſi fuiſſent cõcreditæ,multa autem vtitur modeſtia. *In Gentes ſanctè adminiſtrans*. Itaq; à vobis quoq; iuſtum fuit vt audirer. *Acceptabilis*. Quum igitur concreditum mihi ſit hoc obſequium & ſacrum miniſterium,mihi ſtudio eſt vt in opus deducam dei conſilium: id autem eſt vt oblatio veſtra acceptabilis fiat. ITEM alio modo. Non vt ego glorificer,propterea vobis quoque ſcripſi,ſed vt vos etiam cum cæteris Gentibus ſaluę ſitis, atque ita Gentium oblatio fiat perfectè acceptabilis. C
*Per ſpiritum ſanctum*. Quomodo verò acceptabiles & ſanctificati eritis? Si habueritis,inquit,ſpiritum. Porrò ille quomodo accedet? Per vitam inculpatam. Qui ergo non rectè viuunt, ſpiritum ſanctum à ſe repellunt.

Habeo igitur gloriationem in Chriſto Ieſu in his quæ ſunt ad deũ. Non enim auſim loqui quicquam eorum, quæ non effecit Chriſtus per me ad obedientiam Gentium verbo & opere,per potentiam ſignorum ac prodigiorum, in potẽtia ſpiritus dei:vt ab Ieruſalem & circumiacẽtibus locis vſque ad Illyricum impleuerim euangelium Chriſti.

D Glorior igitur non in meipso, neque in studio meo sed in Christo, in rebus quæ pertinent ac redeunt ad patrem. Fides itaque in Christum ad patrem pertinet. Primùm siquidem modestia vsus est dicens Audacius autem scripsi, nunc seipsum attolit, attamen in Christo Iesu. ALIO modo. Quid ergo? tibíne concredita est Gentium oblatio? vtiq;, inquit, & gloriari possum de his quæ in illis operatus sum. Gloriatio verò mea nõ est in me, hoc est in viribus & potẽtia mea, sed in Christo Iesu. Etenim si quid dixero aut gloriatus fuero, nihil aliud audebo dicere quàm ea quæ per me Christus effecit in hoc vt Gentes obedirent ac crederent. Quid igitur effecit? Sermonem dedit ad prædicandum: signa & prodigia ad benefaciendum ac persuadendum tribuit. Tandem adeò auxit & dilatauit ac confirmauit fidem per me prædicatam, vt à Ierusalem ex qua primum germen tulit, & circũadiacentibus regionibus vsque ad Illyricum radices fixerit ac inhæserit & impleuerit prædicatio tantas hominum terras. Itaque bene etiam vobis scripsi ac suggessi de his quæ apud illos acta sunt, audens etiã vos admonere vnà cum spiritu, de his quę vobis proposita sunt ac promissa iuxta potẽtiam ac libertatem. *Non enim ausim loqui quicquam.* Postquã dixit, Habeo gloriationem, addit non verborum arrogãtiæ esse prædicta, neque enim, inquit, audeo quicquã dicere eorum quæ nõ sunt mihi à Christo tradita ad sacram Gentium administrationem, vtque Gentes mihi obediant. Imo & signorum operationes ac prodigiorum demonstrationes mihi datæ sunt. Iam enim seipsum attollit, quia in præcedentibus vehementer se depresserat, dicens, Audacius scripsi vobis, ne tanquam vilis hominis sermo fieret abiectus. *Eorum quæ nõ effecit Christus per me.* Ostendit ꝙ nihil erat ipsius sed totum Christi. *In potẽtia spiritus dei.* Dignitatẽ dicit spiritus dei. Hæc, inquit, feci siue prodigia, siue signa potestate ipsius. *Vt ab Ierusalem & circumiacentibus locis.* Porrò eorum quæ dicta sunt demõstratio, discipulorũ est multitudo. Propterea dixit, Circumiacẽtibus locis, ne rectam viã consideres, sed omnes positas in circuitu regiones. Non dixit Prædicauerim, sed quod maius erat Impleuerim. Illyricum autem nouissima pars eius est, quæ nunc Bulgaria dicitur.

Pho. [margin]

E [margin]

F [margin]

Ita verò annitens euangelium annuntiare, non

vbi nominatus erat Christus,ne super alienum fun A
damentum ædificarem:sed sicut scriptum est,Qui-
bus nõ est annuntiatum de eo videbunt: & qui nõ Iesa.52.
audierant intelligent. Quapropter etiam impedie-
bar frequenter,quò minus venirẽ ad vos, nunc ve-
rò quum non amplius habeam locum in his regio-
nibus, desiderium autem habeam veniendi ad vos
multis iam annis,vt si proficiscar in Hispaniam, ve
niam ad vos. Spero enim me transeundo visurum
vos, & à vobis deducendum illuc, si tamen vestra
consuetudine prius ex parte fuero expletus. B

Conatus,inquit,& gloria mihi erat ibi euangeliũ annunciare,vbi nondũ nominatus fuerat Christus. Quare? Ne super alienum fundamentũ ædificarem. N*on ubi nominatus erat Christus*. Non ꝙ cæterorũ Apostolorum societatẽ despicerem,sed ꝙ cõtentiosum ac iniustũ iudicarem, gloriã alienis debitam operibus surripere. N*e super alienũ fundamẽtum ædificarem*. Alienum fundamentũ dicit aliorum prædicatorũ doctrinam. Alienum verò nõ diuersitate prædicationis, sed ratione mercedis ac laboris. *Sed sicut scriptũ est*. Ostendit ꝙ hoc agens prophetiam implebat. *Quapropter etiã impediebar frequenter*. Eius quod in initio dixerat, Sæpius proposui venire ad vos,rationem nũc reddit. Nam doctrina,inquit,circa gentes me prohibuit. Πολλὰ multùm,hoc est sæpe. *Quum non amplius locum habeam*. Vides ꝙ non cupiditate suæ gloriæ scripserit eis: neque vt dicitur assentandi illorum gratia,vt qui primates essent. Siquidem propemodum hoc scribit. Quoniam opus compleui,& nihil est quod agam, volo venire ad vos. D*esiderium autem habeam*. Ne illos deiicere videatur scribẽs,Quia nihil est quod agam veniam ad vos, subiungit, Desiderium habeam multis iam annis, hoc desiderium cõplere nitor. V*t si proficiscar in* H*ispaniam*. Ne rursum adulationis ergo dixisse existimetur Desiderium habeã multis iam annis, quod dictum est corrigit dicens, Ob hoc potissimùm venire cupio,vt in Hispaniam proficiscar. *Spero enim me transeundo uisurum uos,& à uobis deducendum.*

Supra 1.
C

D Ne dicant, Facis nos ✝ viæ accesſionem præter propoſitũ, ✝ ὁδοῦ πάρεργον.
ſubiũgit, Et à vobis deducẽdum, vt rurſum dilectionem o-
ſtẽdat. Sed quoniam id nõ ſatis erat, addit, Expletus fuero:
quod patris potius erat q̃ præceptoris. Ex *parte expletus fue-
ro.* Hoc eſt in parte. Nullũ enim tẽpus perfectè explere me
poſſet veſtra dilectione, aut cõuerſationis veſtræ ſatietatem
inducere: ſed gratum eſt mihi vt ſaltem ex parte implear.

Nunc autem proficiſcor Ieruſalem miniſtrãs ſan
ctis. Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ commu-
nionem aliquã facere in pauperes ſanctos qui ſunt
Ieroſolymis. Placuit nanque ipſis, & debitores ſunt
E illorum. Nam ſi ſpiritualibus eorum communica-
uerũt Gentes, debẽt etiam in carnalibus miniſtra-
re ipſis. Hoc igitur vbi perfecero, & obſignauero
ipſis fructum hũc, reuertar per vos in Hiſpaniam.
Scio autem quòd vbi venero ad vos, in plenitudine
benedictionis euangelii Chriſti veniam.

Quia dixerat, Quum nõ amplius locũ habeam in his re-
gionibus, veniam ad vos: adhuc autẽ moram facturus erat:
ne ſe illuſos eſſe arbitrentur, cauſſam dicit cunctationis ad-
huc detinẽtis. *Miniſtrans ſanctis.* Si Paulus miniſter erat, cõ-
cipe rei magnitudinẽ. *Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ.* Nõ
F ſolùm cauſſam referre vult detinẽtis adhuc cũctationis, ſed
hortari quoque eos vt ſimiliter aliis mittant qui ſunt in Ie-
ruſalẽ. Nam hoc vult quũ etiam illos nominat qui miſerũt
εὐδόκησαν .i. placuit eis, ſiue cõſultatione facta ſtatuerunt:
id eſt, qui in Macedonia ſunt & Achaia voluerunt eleemo-
ſynam facere. *Communionem aliquam.* Vocat autem eleemo-
ſynam, communionem: tanquam ipſi quidem pecunias mit-
tant, ſancti verò libertatem erga deum in vnum conferant.
*In pauperes ſanctos.* Duplex erat cõmunicationis neceſsitas,
& propter paupertatẽ, & propter virtutem. *Et debitores ſunt
illorum.* Quare autem hoc ſtatuerunt facere? Quoniam hu-
ius ſe cognoſcunt eſſe debitores. Non itaque ex eleemoſy-
na, ſed ex debito mittunt. *Nam ſi ſpiritualibus eorum commu-
nicauerunt.* Conſequenter dicit quomodo ſint eorum debi-

tores: propter ipsos, inquit, maximè venit Christus: de fidelibus enim sermo ipsi erat qui ex circuncisione venerant: & illorum erant bona ac promissiones. Quemadmodum ergo spiritualibus illorum communicauerũt Gentes, ita oportet quoq; ipsas in carnalibus ministrare illis. Iam autem nõ dicit, Cõmunicare, sed ministrare, ordine ministrorum eos ponens, qui sanctis tributa penderent tanquam regibus. *Et obsignauero eis.* Veluti in asylo tutóque loco reponiturus sit (siquidem in cælo reponiturus erat) dicit, Et obsignauero eis, siue sigillo muniuero. *Fructum hunc.* Fructũ vocat eleemosynam, ostendens quòd lucrum magis faciat is qui tribuit. *In Hispaniam.* Rursum Hispaniæ meminit, vehementem ostendens amorem quem habebat erga Hispanos. *In plenitudine, & cætera.* Hoc est, scio quòd vbi ad vos venero, inueniam vos bonis fœtos ac ornatos. Quod enim ait, In plenitudine benedictionis euangelij, significat ipsos omnia in se habere bona. VEL hoc modo. Scio quòd vbi venero, ad implendum vos benedictione euangelij veniam. A B Oecum.

Oro autem vos fratres per dominum nostrũ Iesum Christũ, & per dilectionem spiritus, vt simul mecum certetis in præcationibus pro me ad deum fusis, vt liberer ab incredulis in Iudæa: vt ministerium hoc meum versus Ierusalem, acceptum fiat sanctis: vt in gaudio veniam ad vos per volũtatem dei, vnáque vobiscum refociller. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen. C

Quasi ipse idoneus non sit ad persuadendum, Per Christum, inquit, & per spiritum sanctum vos oro. Vide autem quòd filij ac spiritus meminerit, iam verò non meminit patris: quod dictum est, vt vbi patris ac filij tãtùm meminerit, ne turberis, quòd non etiã spiritus meminerit. Multifariam enim de sancta loquitur trinitate. *Vt simul mecum certetis.* Maxima vtitur animi modestia, quòd dicat sibi opus esse illorũ oratione. *Vt liberer.* Non dixit, Vt confligam & vincam illos, sed, Liberer, diuinam complens legem, quæ dicit, Vigilate vt non intretis in tentationem. *Ab incredulis.* Significat malos quosdam, & lupos magis quàm homines qui ipsi pa- Matt. 5.

D raturi erant insidias. *Acceptum fiat.* Vt & hostia mea, inquit, accepta sit apud deum, & vt ipsi cum prompto animo & gratiarum actione ea suscipiant quæ à me tradentur. *Vt in gaudio ueniam.* Nā si ab incredulis, inquit, liberatus fuero, & ministerium meū acceptum fiat, in gaudio & nō in tristitia veniam. *Per uolūtatem dei.* Quod ab initio dixit, etiam nunc dicit, Si quo modo iam tandē prosperū mihi cōtingat iter per volūtatem dei veniēdi ad vos. *Vt nāq; uobiscum refociller.* Vides q̄ à fastu alienus sit? Non enim dixit, Doceā vos aut instruam, sed, Refociller: hoc est, vos in me per doctrinam, & ego in vobis per fidei traditionem: quod etiā circa initia dixerat: hoc autem est simul consolationem accipere per mutuam fidem. *Deus autem pacis sit cum omnibus uobis.* Hoc

E vtique Paulo moris est precationem admonitioni subiicere.

Cap.16. Commēdo autē vobis Phœben sororē nostram, quæ est ministra ecclesię Cenchreēsis: vt illam suscipiatis in domino, ita vt decet sanctos, & adsitis ei in quocunque negotio vobis eguerit: hæc enim & multis adstitit, & mihiipsi. Salutate Priscillā & Aquilam adiutores meos in Christo, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt: quibus nō solus ego gratias ago, sed & omnes ecclesię Gētium, ac domesticam illorum ecclesiam.

F Vide quot titulis Phœben ornet. Siquidem quia hęc erat quæ epistolam deferebat, ipsis eam cōmendat. Honestat autem tum quòd eius primùm meminerit, tum quòd sororem vocet: quid autem si Pauli fortassis soror erat? *Suscipiatis in domino.* Vel propter dominū, vel secūdum dominum. *Ita vt decet sanctos.* Eo, inquit, modo quo decet sanctos suscipere. Duplam dedit curæ ipsius occasionē: & vt propter dominum ipsam susciperēt, & ꝙ ipsa sancta esset. *Et adsitis ei.* Vides quantū fugiat ne molestus sit. Non dixit, Eximite eam ab impendētibus sibi malis, sed Adsitis: hoc est, quoad in vobis est benigni sitis, manūq; porrigite. *Adstitit multis.* Magna laus & quæ sufficiat ad eos exhortādum. *Et mihiipsi.* Quod maximum erat vltimo loco posuit: verè enim beata est quæ potuit sanctam Pauli animam refocillare. Mihiipsi, hoc est,

Apoſtolo,concionatori,communi orbis præceptori. *Salutate Priſcillam & Aquilam adiutores meos.* Auxiliati ſunt, inquit,in doctrina,in tentationibus,in periculis.Eſt autē hoc magnæ laudis. Quidam verò hos adiutores intellexerunt, ꝙ ipſi quoque tabernaculorum textores eſſent. *Sed & omnes eccleſiæ Gentium.* Vel propter doctrinam,vel propter facultatum in illos collationem. *Ad domeſticam illorum eccleſiam.* Adeò probi & virtuti addicti erant, vt ſuam etiā domum eccleſiam fecerint. Vel dicitur hoc, quia omnes domeſtici fideles erant,vt iam domus eſſet eccleſia. A

Salutate Epænetum dilectum meum qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſtum. Salutate Mariam, quæ multùm laborauit erga nos.Salutate Andronicum B & Iuniam cognatos meos & cōcaptiuos meos qui ſunt inſignes inter apoſtolos, qui etiā ante me fuerunt in Chriſto. Salutate Ampliam dilectum meū in domino. Salutate Vrbanum adiutorē noſtrum in Chriſto: & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellem probatū in Chriſto.Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli domo.Salutate Herodionem cognatum meum.Salutate eos qui ſunt ex Narciſsi familiaribus,qui ſunt in domino.Salutate Tryphænam & Tryphoſam quæ laborant in domino. Salutate Perſidem dilectam quæ multùm laborauit in domino. C Salutate Rufum electum in domino & matrem ipſius ac meam. Salutate Aſyncritum, Phlegontem,Hermam,Patrobam, Hermen, quíq; cum illis ſunt fratres. Salutate Philologū & Iuliam,Nereum & ſororē ipſius ac Olympam, & omnes qui cum illis ſunt ſanctos. Salutate vos inuicem oſculo ſancto. Salutant vos eccleſiæ Chriſti.

Magnum erat, Pauli dilectum eſſe, vtpote qui iudicio & non ad gratiam ſolet diligere.Primitias autē illum dicit,vel quòd primus credidiſſet, vel quòd pietatem cæteris om-

D nibus maiorem ostendisset. Ne autem putes ꝙ in temporalibus rebus esset primitiæ, addit In Christum. *Multùm laborauit*. Ostendit quòd præter doctrinam in aliis quoque erga ipsos laborauerit. *Erga nos*, Non solùm, inquit, circa seipsam laborauit vt salua esset, verumetiam circa nos, apo-
1. Tim.2. stoli vice fungens ac euangelistæ. Quomodo ergo dixit, Mulieri docere non permitto? publica nẽpe ac communi præsidentia eam arcens, & cõcionatorio suggesto, non verbi doctrina. *Et concaptiuos meos*. Maius encomiũ est dicere, Cõcaptiuos meos. Indigniora nanque patiebantur quàm alij captiui, nẽpe persequutionem sustinentes, & cõtumelia ac iniuria affecti. *Insignes*. Magnum quidem est esse apostolos, maximũ verò inter hos esse insignes. *Qui etiã ante me*. Cõ
E sidera sanctam Pauli animam. Non pudore afficitur dicens, Hi ante me Christo crediderunt. *Adiutorem nostrum in Christo*. Magna laus Vrbanum fuisse adiutorẽ, id tamen maius, ꝙ adiutor fuerit in doctrina. *Apellem probatum*. vtpote irreprehensibilem. *Eos qui sunt ex Aristobuli domo*. Non erãt fortasis quales primi: idcirco neque nominatim meminit illorum. *Qui sunt in domino*. Aequalis omnibus laus, ꝙ in domino essent, hoc est, fideles. *Quæ laborant in domino*. De Maria superiùs dixit, Quæ multùm laborauit: de his verò nunc dicit, ꝙ adhuc laborent: maior itaque laus est. *Persidẽ dilectam*. Hæc maior erat Tryphęna & Tryphosa, tum ꝙ dilecta, tum ꝙ multùm laborauerit. *Et matrem ipsius ac meam*. Duplex bonum & ꝙ filius fuerit reprehensione carens, & ꝙ
F mater virtutem colens. Porrò hoc significat quod addit, Et meam. *Et qui cum eis sunt fratres*. Magnum quoq; erat hos esse Pauli fratres. *Philologum & Iuliam*. Philologum, quẽ primum Sinopes episcopum fuisse aiunt sub Andrea. *Et omnes qui cũ ipsis sunt sanctos*. Quòd si sancti, non parua laus illorum est. *Salutate uos inuicem*. Omnes nunc permixtim ponit, ne quæ suboriatur tristitia his quorum non est nominatim facta mentio. *Osculo sancto*. Nam etiam non sancto contingit. *Salutant uos*. Iam non hunc vel illum, sed ipsos in communi vniuit, dicens Vos.

Obsecro autem vos, fratres, considerate eos qui dissidia & offendicula, præter doctrinam quam vos

didiciſtis, faciũt: & declinate ab illis, nam tales domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium. Nam veſtra obedientia ad omnes permanauit. Gaudeo igitur propter vos. Sed volo vos quidem ſapientes eſſe ad bonum, ſynceros verò ad malum. Deus autem pacis conteret Sataña ſub pedibus veſtris breuì. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum. A

Nouum genus conſilij. Supplicis perſonam induit, ac fratres vocat multo cum honore. *Conſiderate eos qui diſsidia.* Scrutamini, inquit, ac perdiſcite. Oſtendit autem fallaciam illorum, & quòd non palàm oſtendantur eſſe ſcelerati, Et id in maximam eccleſiæ ſubuerſionem eſt quòd non diſcriminentur à ſe inuicem. *Et offendicula.* Poſt diſsidia nanq; patet introitus offendiculis. Quid autem ſint offendicula interpretatur, Sectę, inquit, præter doctrinam noſtram introductæ. *Sed ſuo uentri.* Omnes etenim ſectæ ac offendicula inde proueniunt, quòd homines affectibus obſequantur ac ventri. Ideo dicit quòd tales Chriſto non ſeruiũt, ſed ſuo ventri. Videtur autem Iudæos deſignare. Omnes ſiquidem accuſant Iudæos tanquam ventri deditos. *Per blandiloquentiam.* Verbotenus, inquit, obſequuntur, mens autem doloſa eſt erga vos. Hunc verò dicit communem modum deceptionis, quòd primùm ipſis eſſentantur. *Corda ſimplicium.* Non dixit Veſtra, ſed ſimpliciorum. *Nam ueſtra obedientia.* Et quòd non vos, ſed ſimpliciores decipiant hinc manifeſtum eſt, quòd veſtra obedientia ac perſuaſibilitas ad omnes peruenit. Multos autem teſtes ipſis ſtatuit, ne ad malam doctrinam erubeſcerent. *Gaudeo igitur propter uos.* quòd non ſitis decepti. *Sapientes quidem eſſe ad bonum.* Subindicat q etiam quidam illorum decepti erant. Siquidem ait, Ad bonum quidem volo vos prudentes eſſe, ad praua verò imperitos mali: hoc eſt prudentia quidem vti, ne ab aliis quicquam iniuſtum vobis fiat: ſynceritate autem ne aliis inſidiemini. *Deus autem pacis.* Quoniam erant diſsidia, pacis datorem inuocat, vt cohibeat offendicula. *Conteret.* Quod

D multò magis erat quàm subiicere. *Satanam.* Non solùm, inquit, immittentes offendicula conteret, sed & ipsum illorum ducem Satanam. *Breui.* A tempore cõsolationem cõfirmat. Gratia domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Suggerit ipsis dei gratiam quæ semper saluos facit. Quòd si quum inimici essent saluos fecit, multò magis nũc. Vides quòd cum operibus etiam gratia nobis opus sit vt salui simus? Nam postquam obedientiam ipsis adesse testatus est, tunc etiam gratiam optat.

Salutant vos Timotheus adiutor meus, & Lucius & Iason ac Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in domino. Salu-
E tat vos Gaius hospes meus totiúsque ecclesiæ. Salutat vos Erastus, œconomus ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu Christi sit cũ omnibus vobis, Amen.

Vides encomium Timothei? adiuuat enim ipsum in euãgelio. *Et Sosipater, cognati mei.* Cognati, inquit, similes in pietate. *Tertius qui scripsi.* In magnæ laudis loco posuit, ꝙ Pauli amanuensis fuerit. *Gaius hospes meus.* Hoc est, hospitio me suscipiens: & magna laus erat, quòd omnem ecclesiã hospitio exciperet vnà cum Paulo, qui non temerè apud eũ fuisset hospitatus, nisi Gaius omnino dignus fuisset. *Oeconomus ciuitatis.* Eius posuit dignitatem, vt noueris quòd nõ
F diuitiæ, non dignitas, alicui sint impedimento ad rectè viuẽdum aut credendum. *Gratia domini nostri Iesu Christi.* Gra-
Sup.1. tiæ meminit, Christi beneficia illis suggerens. *Sit cum omnibus uobis, Amen.* Ita à precatione cœpit, Gratia vobis & pax à deo patre & domino Iesu Christo: & ita conuenienti modo sermonem concludit in precationem, Gratia, inquit, domini Iesu Christi. Amat enim semper hoc ponere fundamentum, paríque modo hunc ponere terminum.

SCRIPTA EST A CORINTHO,
per Phœben ministram ecclesiæ
Cenchreensis.

ARGVMENTVM PRIORIS AD Corinthios Epiſtolæ. A

HAnc ab Epheſo ciuitate Aſię ſcribit, quũ iam eos & vidiſſet & docuiſſet, hac itaque epiſtola memores eos reddit. Eſt autem hoc epiſtolæ argumentum, Corinthij contentioſè congregati ſententiis diuidebantur, & iam erant inter eos diſsidia. Quúmque diuiſiones eſſent, conniuebant cum eo qui nouercam vxoris loco acceperat. Alij verò continentiæ prætextu proprias deſerebant vxores: quidam autem in templis idolorum edebant, habentes ea quæ idolis immolabantur indifferẽtia. Alij præterea eos qui linguis loquerentur in admiratione habentes, cæteros deſpiciebant. Denique errabant etiam circa reſurrectionis myſterium, dicentes carnem hanc non reſuſcitari. His omnibus apud Corinthum commotis, populi vicini ſcribunt Apoſtolo: & nũc ad ſingula reſcribit. Et primùm quidem fert teſtimonium de prudentia atque cognitione ipſorum: nec eos recipit qui diſsidia excitabant. Præterea ſuadet non in ſermone, ſed in opere & † virtute exiſtimari ſitam eſſe virtutem. Deinde vbi illum increpaſſet qui nouercam acceperat: fuiſſetque adhortatus, ne lites ac iudicia inter ſe haberent, conſequenter ad ea reſpondet quæ ſcripſerant, de nuptiis quidem, indiuiſibile eſſe coniugium: ad tempus autem tantùm vt abſtinerent, quo orationi vacarent. Verùm quum illi continentiam amarent, de virginitate ſcribit, Hoc non ad neceſsitatem, inquit, ſed conſilio fiat. Poſtmodum de his quæ idolis immolantur, ne ſcientia abutantur, ſed in mutua dilectione conuerſentur. Prohibet itaque fieri conuiuia in templis idolorum, ne puſilli offendantur. Exinde ſcribit de ſpiritualibus donis, ne ob dona diſsideant: neque iſtum qui hoc habet donum ei præponãt qui illud habet. Nam omnia eiuſdem dicit eſſe ſpiritus. Et tandem de reſurrectione docet carnem reſurgere, quæ moritur quidem corruptibilis caro, ſurgit autem incorruptibilis per Chriſti gratiam. Reſurrectionem verò ex eo quòd Chriſtus reſurrexerit confirmat. Demum ſermones exhortatorios ad mores ſcribit, & de eleemoſynæ in ſanctos collectione præcipit, ſicque concludit epiſtolam.

B

† δυνάμει.

C

D THEODORETI.

INdignè ferens dæmon Corinthum tanta hominum frequētia ciuitatem, ac idololatriæ primùm deditam, in deū credidisse, subornat nōnullos diuites ac philosophos qui inter eos erant, & seipsos constituerant vt in spiritualibus rebus populo præsiderent: quo deinceps plurimi è vulgo diuitibus tanquam potentibus iungerentur: ad philosophos verò accederent, tanquam ad eos qui præstantius aliquid docere possent supra doctrinam Apostoli: vt ex hoc dissidia ac contentiones inter ipsos excitarentur. Scripserunt itaque Paulo per Fortunatum, Stephanum & Achaicum de nuptiis & virginitate, per quos rescripsit ipsis, tum de his, tum de
E aliis, misso simul etiam Timotheo. Quoniam igitur diuites ac philosophi ex arrogantia populum diuiserant, arrogantiæ affectionem inter initia corrigit.

# PRIOR AD CORINTHIOS EPISTOLA.

Cap.1.



PAulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem dei, & Sosthenes frater, ecclesiæ dei quæ est Corinthi sanctificatis per Christum Iesum vocatis sanctis, vnà cum om-
F nibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in quouis loco & suo & nostro: gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Ex eo ꝙ seipsum dicit vocatum, corrigit illos, Ego ipse, inquit, non cōstitui meipsum Apostolum, & quomodo vosipsos constituitis præceptores? *Apostolus Iesu Christi.* Præceptor vester Christus est, inquit, cur homines fecistis vobis præceptores? *Per uoluntatem dei.* Et hoc vt volūtas dei
Pho. per nos apostolos prædicaretur. Et *Sosthenes.* Siquidem ne arbitremini ꝙ vendicata mihiipsi docēdi dignitate, vos purgaturus veniam à tumore qui inde prouenire solet: ecce &

Sosthenen

Sosthenen mihiipsi coniūgo ac fratrem appello, & vnà cū ipso scribo,quę mea sunt cōmunicās. Cur igitur vobis obsisto? Quia nociuus est vobis tumor ob doctrinam exortus. Etenim quum nihil vobis prosit,eos etiam qui obtemperāt à doctrina sana aberrare facit, & commune diuidit ecclesiæ corpus. *Frater.* Ex modestia sese Sostheni coniungit. *Ecclesiæ dei.* Quòd si dei ecclesia estis,quo pacto vosipsos hominibus addixistis: *Sanctificastis per Christum.* Hoc est lauacro & fide Christi,nō per eos qui nunc sunt vobis pręceptores. *Vocatis sanctis.* Nam & hoc ipsum quòd vos credideritis non vestrum est,sed à deo vocati estis ad fidem. *Vnà cum omnibus qui inuocant.* Non solùm vobis Corinthiis, inquit, gratia & pax, sed vnà cum omnibus qui inuocant Christum in quocunque loco aut illi sunt aut vos estis. ALIVD. Quā tùm illi etiam inter se dissidebant,tantùm ipse contendebat eos illis quoque coniūgere qui procul distabant: ideo optaturus eis gratiam & pacem à deo,quum dixisset Vocatis sanctis,potius coniungendo subiunxit, Cum omnibus qui inuocant &c. Et vobis,inquit,& vniuersis sit à deo patre gratia & pax. *Et suo & nostro.* Quoniam vbi dixisset Cum omnibus qui inuocant nomen domini,adiunxerat tantùm Nostri, tanquam id corrigens & ostendens communem ipsum & cunctorum esse dominum & magistrum, addit: Et suo & nostro. Quòd si cōmunis omnium dominus est, & non solùm noster,sed etiam eorum qui vbiuis locorum degunt,vt quid inter vos mutuò dissidetis? & cōmunē dominationē, vosipsos separādo,iniuria afficiētes,aliis atq; aliis vos attribuetis. *Et pax à deo patre.* Quid autē aut erga quē,inquit,pacē habetis,aut à quo gratiā accipitis? ego ait hęc à deo vobis cōtīgere cupio. His autē doctores eorū ocultè reprehēdit.

A

Pho.

B

C

Gratias deo meo semper pro vobis super gratia dei quæ data est vobis,per Christum Iesum,quoniam in omni reditati estis per ipsum in omni sermone & in omni sciētia quibus testimonium Christi confirmatum est in vobis.

*Gratias ago.* Instruens nos vt grati simus, hoc in omni addit epistola. *Deo meo.* Ex multo amore vindicat sibi id quod commune est. *Super gratia dei.* Donis plurimùm intumesce-

D bant:Hunc ergo innuit ſenſum:Si non veſtris bonis operibus ſed Chriſti munere donū accepiſtis, quid intumeſcitis. *Per Chriſtum Ieſum.* Capitur enim ἐν χριςῷ pro διὰ χριςοῦ. Nam per Chriſtumdedit pater, *Per ipſum.* Siquidem rurſum ἐν αὐτῷ capitur pro δι' αὐτοῦ. Quod ſi per ipſum in omni redditati eſtis, idq; diuitiis quę à deo ſunt, quo pacto voſipſos hominibus addixiſtis? *Et in omni ſcientia.* Cōtingit enim ſermonem eſſe abſq; ſcientia, veluti ſunt nugę. Rurſum ſcientiam eſſe cōtingit abſq; ſermone, quemadmodum in idiotis: qui rē quidē intelligunt, verū quod animo conceperūt exprimere nequeunt. Sed vos, inquit, vtroq; ditati eſtis: tā ſermone quàm ſcientia. *Quibus teſtimonium dei.* καθὼς capitur pro δι'
E ὧν. Siquidem per ſermonem, inquit, & traditam à deo ſcientiam, teſtimonium Chriſti, hoc eſt prædicatio, fide cōfirmatū eſt in vos, quod vobis nō ꝓpria datū eſt induſtria, aut ex-
Pho. terna ſapientia, ſed dei gratia. ALIVD. Vnde manifeſtum eſt ꝙ ſermone ditati ſitis ac ſcientia? ex eo quòd prædicatio fidei in Chriſtum, confirmata eſt in vobis: huius nanque cō-
Eiuſdem firmatio in vobis, & ſermonis & ſcientiæ vobis teſtimoniū eſt. *Teſtimonium Chriſti.* Aut voluntaria & ſalutaris paſsio, vtque vno verbo dicam, facta pro nobis verbi exinanitio & incarnatio: Aut teſtimonium Chriſti gratia eſt donúmque ſignorum. Siquidē hæc ſunt teſtimonium fidei in Chriſtum ac diuinitatis & magnitudinis eius. In his enim ditati erant
F Corinthij. Nam quum hæc, inquit, in vobis cōſpiciantur, bene prædiximus quòd in omni ſermone omniq; ſcientia ditati ſitis. Pars enim ſunt donorum ſermo atque ſcientia: ſermo quidem conferens ad docendum, ſcientia verò ad intelligendum. Quod autem ſequitur, Sic vt non deſtituamini, ſecundæ magis quadrat interpretationi.

Sic vt non deſtituamini in vllo dono, expectantes reuelationem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui etiam confirmabit vos vſque ad finem inculpatos in die domini noſtri Ieſu Chriſti.

Quæritur hoc loco, quum prius dixiſſet Ditati eſtis in omni ſermone & in omni ſcientia, rurſumq; nūc, Sic vt nō deſtituamini in vllo dono, quā ob cauſam in ſequētibus dicit
*Infrà 3.* ipſos carnales? Adhuc enim carnales eſtis: Quia & hęc & il-

la multis conueniebant. In tanta enim congregatione neq; omnes poterant esse perfecti, neque rursum omnes imperfecti aut imprudẽtes. *Expectantes reuelationem.* Sic vt nõ destituamini in vllo dono ad expectãdum reuelationem Christi. Necessaria est enim tolerantia ad expectandum. Porrò reuelationem vocat secundum aduentum, ostendens ꝙ etiã nunc sit, quanquã oculis non videatur carnalibus. *Qui etiam confirmabit vos.* Indicat eos fluctuare. Dicẽs autẽ *Inculpatos*, significat eos culpæ esse obnoxios. *In die domini.* Ab humanis abducens terret eos, facta iudicij mentione. A

Fidelis deus per quem vocati estis in consortium filii eius Iesu Christi domini nostri. B

Hoc est verax: quòd si verax, complebit omnino quę promisit. *Per quem uocati estis.* Nemo quippe venit ad filium, nisi pater traxerit eum. Quemadmodũ neq; ad patrẽ quisquã venit, nisi cui reuelauerit filius, per quẽ vocati estis, hoc est à quo vocati estis, qui vocauit vos. Et intellige quo modo ponat diuus Paulus δι' οὗ, id est, per quẽ, etiã de patre: & pro quo illud ponat: vt quum idipsum de filio audieris non substantiæ mutationem sed identitatem concipias. *Vocati estis.* Neq; enim à vobisipsis venistis, sed gratia vocati estis. *In consortium.* Papæ quid ait? In cõsortium vocati estis, inquit, vnigeniti, vt & in regno & in gloria cõsortes efficiamini. quod alibi dicit. Si sufferimus & conregnabimus. In consortium vocati estis Christi, vt quid alios atq; alios constituendo vobisipsis præceptores ac doctores, à diuino illo salutaríq; cõsortio vosipsos distrahere ac ãputare cõtenditis? Pho. Iohan. 6. 2. Tim. 2. C

CAPVT I.

*Quod non oporteat à se inuicem dissidere ob amorem gloriæ quæ de humana est sapientia.*

OBsecro autem vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi vt idem dicatis omnes, & non sint inter vos sectæ. Sitis autem compositi eadem mente eadémque sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei ab his qui sunt Chloæ quòd contentiones sint inter vos. Hoc au-

D tem dico quòd vnusquisque vestrum dicit. Ego
quidem sum Pauli, ego autem Apollô, ego verò Ce
phæ, rursum ego Christi. Diuisus est Christus?

Ego, inquit, qui obsecro non sufficiens sum ad persuadẽdum. Per Christum itaque obsecro: hoc est ipse Christus, iniuria affectus obsecrationem facit & adhortationem. *Et non sint inter uos sectæ*. Quòd enim vos in multa diuisi sitis, non effecit multas partes perfectas, sed perfectam partẽ putà ecclesiam discidit. *Compositi*, Hoc est completi, perfecti. *Eadem mente*. Quoniam præmiserat, Idem dicatis, ne existimarent in verbis duntaxat oportere esse consensum, subiungit Eadem mente, hoc est, & sermonibus & operibus & sententia & sensu sitis conformes. *Significatum est enim mihi*. Ne in
E ficias eant testes quoque eos producit qui Chloę erant. *Fratres mei*. Nam etsi manifestum sit, inquit, peccatum, fratres mei estis. Quod autem ait Mei, affectus est. *Ab his qui sunt Chloæ* Familia quædam erat ita appellata, cuiusdam fortasis Chloę. Non autem nominatim eos dixit qui significa
Pho. uerant, ne aduersus illos odia gererent. *Quòd contentiones*. Quum ea denuntiat quæ ab iis accepit qui significauerant, contentiones dicit, ne efferaret eos aduersus familiã Chloę, quum autẽ illa dicit in propria persona, vocat illa schismata, hoc est dissidia vel sectas, quod multò peius est quàm cõtentiones. *Hoc autem dico*. Explanationis causa addidit, Hoc autẽ dico, ac si dixisset, Verbi gratia: huiusmodi sunt quæ fa
F citis. *Quòd unusquisque uestrum dicit*. At non ita dicebant illi, Ego sum Pauli, ego autem Apollô: sed verbi causa ita dixit: diuites ac sapientes occultè subindicans ad quos confluebant. ex hoc ostendens quòd si ita dicendo se Pauli esse vel Apollô, culpa non caruissent: multò magis dicentes se sapientum esse aut diuitũ: quos sibiipsis pręceptores cõstituerũt Ego *uerò Cephæ*. Præferens Petrum, postremo ipsum loco posuit: quandoquidem hæc accusationis illorũ gratia dicit *Rursum ego Christi*, Non carpit quòd diceret, Ego Christi sum: sed quòd non omnes hoc dicerent, indignatur. *Diuisus est Christus?* Rescinditis, inquit, Christũ, diuiditis corpus eius. Est autem hoc verbum plenũ terroris. Aut hoc modo. (vt μεμέρισαι actiuè significet) Num diuisit inter homines

Chriſtus regnum & eccleſiam? Num quoſdã habet Chriſtus qui hæreditatem cum eo diuidant, vt cum eo patiatur quiſpiam eos qui ſalui fiunt? Num quoſdam etiã habet conſortes, quique cum eo terrarum orbem impleuerunt? Chriſtus is eſt qui pro mundo mortuus eſt, veſtrum autem nullus. Diuiſus eſt Chriſtus (vt affirmatiuè legatur) hoc eſt, particulatim quidam veſtrum ſortiuntur Chriſtum, alij verò alios: nẽpe hi Cephã, illi verò Apollô, qui primus fuiſſe dicitur Corinthiorum epiſcopus. A Theod.

Num Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati fuiſtis? Gratias ago deo quòd neminem veſtrum baptizauerim niſi Criſpum & Gaium, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizauerim. Baptizaui autem & Stephanæ familiam: præterea haud ſcio num quẽ alium baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus vt baptizarem, ſed vt euangelium prædicarem: non in ſapiẽtia ſermonis, ne euacuetur crux Chriſti. B

Conſequenter tollit quod abſurdum eſt, omnẽmq; rem in ſeipſum traducit: ne ex inuidentia videatur mentionem facere nominũ aliorum. Nec dixit, Num Paulus vos fecit aut creauit, ſed quod multò amplius illius benignitatem manifeſtabat, crucem in medium adduxit, ac baptiſma quo purificantur peccata. Nam per hæc dei regnum nacti ſumus. Ab exordio autem epiſtolæ in finem vſque continuo ferme ordine meminit nominis Chriſti vt frequentia ſalutaris huius appellationis faſtum ac putredinẽ arrogantiæ exhauriẽs expurgaret. *Gratias ago deo.* Baptizaui quidem, ſed in Chriſti nomine, inquit. Cur gratias agis Paule ꝙ neminem eorum baptizaueris præter illos quos enumeraſti? an baptiſmus inter illa ponendus eſt quorũ parua eſt habenda ratio? nequaquã, inquit, ſed de hoc duplici nomine gratias ago. Vno quidem ꝙ non baptizando non dederim quibuſdam anſam dicendi, ꝙ multos ob id baptizarem, quò cœtum diſcipulorũ mihiipſi conſtituens, pręceptoris ac ducis nomen mihi conquirerem. Altero autem ꝙ neque ad eam rem Apoſtolatum à Chriſto acceperim. Simul oſtendens quòd ſi ego, inquit, C

D qui à Christo missus sum: vt prędicarem & annuntiarem ipsius euangeliũ, parcè ac raro baptizaui, quum tamen cognatum sit ac consequutiuũ baptisma prædicationi: vos qui penitus missi nõ estis quomodo vosipsos pręceptores exhibere audetis? quomodo verò etiã baptizatis, aut aliorũ quippiam omnino facitis, quorũ donum aut apostolatum nõ accepistis? *Quòd neminem uestrum baptizauerim.* Quidã ob eos intumescebant quos baptizauerant. Itaque ait: quid intumescitis, quum ego gratias agam quòd non baptizauerim. Hoc autem dicit illorum expurgãs arrogantiã, non baptisma vilipendens, Absit. *Ne quis dicat.* Quamobrem gratias agis ꝙ neminem baptizaueris? Ne quis dicat, inquit, quòd meo nomine baptizauerim. Nam si, quum abiecti illi & obscuri baptizarent, tantum exortum est dissidium, vt illorum
E nomine cognominarentur, quid obsecro factum fuisset, si Paulus vniuersos baptizasset? *Præterea haud scio.* Ex hoc ostendit quòd hoc illi magno studio non erat vt baptizaret, quum ne meminisset quidem. Hoc autem dicit obiurgãs fastum illorum qui ex eo intumescebant ꝙ baptizarent. *Non enim misit me Christus ut baptizarem.* Quare igitur baptizabat si ad hoc missus non erat? Quia ad prædicandũ quidem euangelium missus erat, nõ tamen baptizare prohibebatur, sed id quoque ex liberalitate præstabat. *Sed ut euangelium prædicarem.* Nam hoc magni erat laboris, quódque ferreum requireret animum. Siquidem ille iam credentes baptizat, hic verò incredulis euangelium prædicabat, apud quos etiã
F periculis exponebatur. *Non in sapientia sermonis.* Rectè, Nam in sapientia scientiæ euangeliũ prędicabat, Ideo quoque alibi dicit, Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. (2.Cor.11.) Quid enim sapientius est, aut ad scientiam melius ac vehementius quàm scire ac docere quòd cruce ac morte deuicta sit mors, & nostrum genus nempe hominũ longua maximéque miserabili diaboli tyrannide sit liberatum? *Ne euacuetur crux Christi.* Ne nocumentum & abiectionem crux sustineat. Etenim si in sapientia sermonis prædicassent apostoli, potuissent nonnulli existimare ꝙ propter sermonum apparentiã persuasi fuissent homines, non propter virtutẽ Christi qui prædicabatur, quod nocumentum fuisset prędicationis & Christi. Nunc autem mundum illiteratis ac imperitis

credidisse hominibus, Christi virtutem declarat. Euacuatur enim & abiecta redditur crux Christi siue volūtaria eius passio pro nobis, ab his qui magnitudinem ac diuinitatem eius, sapientia ac persuasibilitate nituntur demonstrare. Nam qui fieri potest vt quod supra sermonem ac naturam est, sermone & arte quadam demonstretur? Imo quæ etiam necessitas est sermonum virtutisque flexanimæ, quum signa ac miracula fortius omni voce clament? A Pho.

Sermo enim crucis, his quidē qui pereunt stultitia est: nobis autē qui salutem consequimur, potētia dei est. Siquidē scriptum est, Perdam sapientiam sapientium, & intelligentiā intelligentium reiiciam. Vbi sapiens? Vbi scriba? vbi disputator huius seculi? An nō infatuauit deus sapientiā mundi huius? Iesa. 29. B

Verisimile est incredulos fuisse apud ipsos qui cruci detraherent. Ait ergo, Nihil mirū aut nouum vobis videatur. Siquidem his qui pereunt, ea quæ ad salutē à deo data sunt, stultitia esse videntur. Ostendit consequenter quòd fieri nō posset, vt sermone sapientiæ adducerentur quidam ad prædicationem: Siquidem sermo de cruce non tantùm non adducit, sed etiā stultitia videtur his qui pereunt. Quòd si hoc ita est, quidnā dicere posset quispiā de prædicatione, quum gratia ipsi non omnia suppeditet? *Nobis autem qui salutē consequimur, potentia dei est.* Nam qui non resilimus, sed spem habemus salutis, ex hoc potissimùm dei potentiā ac sapiētiam cognoscimus: potētiam quidem, quòd morte soluerit mortem: sapientia verò, quòd iam perditos, hoc modo saluos fecerit. *Vbi sapiens?* Sumpta loquēdi libertate à scriptura, eos postmodum obiurgat dicens, *Vbi sapiens?* de Græcis: *Vbi scriba?* de Iudæis: *Vbi disputator?* hoc est qui ratiocinationibus ac scrutationibus omnia committūt. Ac si diceret. Hi enim omnes nullū ab errore potuerunt eripere. *An non infatuauit deus sapientiam mundi huius?* Omnes enim qui sapientes esse videbantur infatuati sunt, adeò vt illi inuenire nō possent quę à piscatoribus & illiteratis hominibus prædicata sunt & cōfirmata. Quomodo autem infatuauit? hoc est stultam esse coarguit, eo quòd veritatē inuenire nō possent. Pho. C

D Theod. ALIVD. Sapientiam mundi vocat eloquẽtiam. Etenim huius largitor deus est. Nã & ipse linguas diuisit, & proprios cuique caracteres distribuit. Itaq; Gręcæ quoque linguæ ipse dedit splendorem. At illi hoc vsi nõ sunt ad id quod oportuit, efficientes ipsum seductionis illecebras, idque agẽtes vt sermonis persuasibilitas causa fieret introducẽdi erroris per fabulosas ratiocinationes. Redarguit igitur nõ eloquentiam, sed eam quæ in ipsa est fallendi promptitudinem.

Quandoquidem enim in sapiẽtia dei non cognouit mũdus per sapiẽtiam, deum: placuit deo per stultitiã prędicationis saluos facere credentes. Quoniã & Iudæi signa postulant, & Græci sapiẽtiam quærunt. E Nos autem prædicamus Christũ crucifixum: Iudæis quidẽ offendiculũ, Græcis verò stultitiam.

Cyrilli. *In sapientia.* Quæ videlicet in creaturis relucebat, nempe in cælo & in terra. Quãdoquidem, inquit, nõ cognouit mũdus deum per talem ipsius sapiẽtiam quæ in creaturis conspiciebatur: placuit deo per crucẽ saluos facere eos qui crederent, quæ stultitia esse videt incredulis, & his qui pereũt. Sapiẽtiam autem appellat humanam quoq; intelligẽtiam & eloquẽtiam, siue ipsam dictionis suauitatem: ut ostẽdat deũ mentis esse creatorẽ, & prudẽtiæ ac eloquentiæ largitorem: quanquam nõnulli his ad ea quæ non oportet vsi sint. Stultitiam verò prædicationis dicit simplicitatem dictionũ. Diuini siquidem discipuli idiotæ erant, quoad sermonem attinet, F sed diuites scientia. *Et Iudæi signa postulãt.* Si Iudæo inquit, dixerimus, Crede, protinus signa ac prodigia fieri postulat ad prędicationis confirmationem. Nos autẽ Christum prædicamus crucifixum: quod non modò non est signorum demonstratio, quin potius imbecillitatis est, quantùm ad id quod apparet. Attamen quũ hoc infirmum videatur, & his quæ requirunt contrarium, adducuntur nihilominus ad fidem, quòd magnam dei ostẽdat potẽtiam. Rursum Gręci sapiẽtiam à nobis requirũt: sed illis quoq; nos crucẽ prædicamus, quod ad id quod in prospectu est, stultitiæ esse videtur, deum videlicet prædicare crucifixũ: at hoc quoque modo persuadentur, & obtemperant. An non hęc maximæ sunt

admirationis ac miraculi, eos per hæc persuaderi quæ con A
traria sunt iis quæ requirunt. Aut hoc quoque modo intelligi potest. Quoniam, inquit, Iudæi signa postulãt, & Græci sapientiam, inueniunt vtrique in Christo ea quæ requirũt. Quomodo? Siquidem incredulis Iudæis offendiculum est, Grçcísque infidelibus fatuitas apparet. At hi qui ex ipsis vocati sunt & electi, inueniunt eum patris esse potentiam & sapientiam. Quid enim ais Iudæe? signa requiris? Ecce Christus potentia est quæ signa edit. Tu verò quid ais Græce? sapientiam postulas? habes Christum qui patris sapientia est. Quoniam igitur signa ac sapientia à nobis requirũtur, prædicamus Christum qui vtrũque est his qui vocati sunt, qui quum ea inueniãt quæ requirũt, credunt. Increduli verò, offendiculo ac fatuitate digna existimãt quæ vehemẽtem me- B
rentur admirationem. Et quid mirum? quum hic quoq; sensibilis Sol obscurus videatur his qui aspectu cæcutiũt? *Iudæis quidem offendiculum.* Qui primo aspectu videtur offendiculũ. Quis enim incredulorum nõ offenderetur? aut quis infidelitatem relinqueret? *Græcis verò stultitiam.* Quẽadmodum esse videtur prædicare eum esse deũ qui crucifixus est.

Sed iisdẽ vocatis Iudæis pariter & Græcis, Christum dei potentiã ac dei sapientiam. Quoniam stultum dei, sapientius est hominibus: & imbecille dei, robustius est hominibus.

Esse quidem videtur offendiculum, inquit, ac fatuitas: attamen iisdem ipsis apparet Christus, & ea quæ passus est, esse dei potentia ac sapientia. An non hoc admirãdum? *Sed* C
*iisdem vocatis.* Vocatos appellat eos quos deus vocauit, eo ꝙ digni essent. *Quoniam stultum dei.* Crux enim stultum quiddam videtur, verùm sapientius est hominibus. Quomodo? Siquidem sapientes ac philosophi circa frigida ac insensata occupati erant; crux autem mundum saluum fecit. Aut hoc etiam modo: Vis dicere quòd stultum dei sapientius sit hominibus, & imbecille robustius? Ab ipsa enim sola vocatione facile est hoc intelligere. Intuere enĩ obsecro, nõne multi sapientes erant mundana sapientia? nõne multi potentes erant hac potentia? nonne multi generosi erant temporali generositate? Quid ergo? Num hos fecit Christus suos di-

D scipulos,& per ipsos elegit vos? nequaquam,sed ediuerso. Imò quę iuxta mundum stulta erant, & imbecillia ac ignobilia,contemptáque elegit:nempe homines piscatores, pauperes ac illiteratos , & per illos vocationem effecit omniũ vestrum,& sapientum & insipientum , & pauperũ & diuitum, & imbecilliũ & robustorum,& pudefecit nobiles,robustos, ac sapientes . Quod enim illi tentare nequaquam ausi sunt, nempe mundum vniuersum transmutare , hoc imbecillia & stulta manifestè peregerunt. An nõ ex eo pudefacti sunt qui sapientes esse videbãtur ac potentes? An non apertè demõstratum est quòd stultum ac imbecille dei , sapientius ac robustius sit hominibus? Etenim quum innumeri tentassent

E Christi nomen extinguere,non modò nõ extinctum est,sed & floret amplius per crucem: quæ quũ imbecillitas esse videretur,robustos deuicit . ALIVD. Non solùm quia omnis humana intelligentia error quidem est , si ad firmitatem ac immobilitatem diuinarum & perfectissimarum intelligentiarũ conferatur. sed quod etiam familiare sit theologis ad obuiandum humanis affectibus,de deo per priuatiua effari. Sic & oracula dicunt inuisibile lumen,quod tamen omnia illustrat : & multimodis laudatum atque nominatum, ineffabilem dicunt,nominéq; carere , & eum qui omnibus præsens est,& ex omnibus rebus inuenitur,incomprehensibilem appellant,& qui inuestigari non possit.

Beati Dionysij

Videtis enim vocationem vestrã fratres,quòd nõ

F multi sapientes secũdum carnem,non multi potentes,non multi nobiles,verùm quæ stulta secundum mundum erant,delegit deus, vt pudefaceret sapiẽtes:& quæ secũdum mũdum imbecillia erant,delegit deus,vt ea pudefaceret quę robusta sunt:& quæ secũdum mũdum ignobilia erant & contẽpta, delegit deus:& ea quæ non erant, vt ea quæ sunt,obscuraret:ne gloriaretur vlla caro coram ipso.

Considerate, inquit, & attendite quanta potest vocatio, quæ effecit vt idiotę adeò sapiẽtia discerent dogmata. *Quòd non multi sapientes.* In hanc vocationem & fidem nõ venerũt multi sapientes. Addidit autem,Multi, quia nonnulli etiam

sapientes crediderant vt Areopagita, Antypatus ac alij: & ob hanc causam vbique additur Multi, quia erant & quidã potentes ac præclaro genere orti qui crediderant. *Secundum carnem.* Iuxta id quod apparet, secundum præsentem vitam & externam eruditionẽ. Hi enim maximè stulti sunt, qui sibiipsis persuaserunt ꝙ essent sapientes: ideóque difficillimè possunt à suis auelli dogmatis. *Non multi potentes.* Siquidem potentes ac præclaro nati genere, fastu pleni: illi quidem propter diuitias, hi autem propter genus, seipsos à dei cognitione separant, nec volunt præsentia despicere. *Sed quæ stulta sunt secundum mundum.* Vbique reiecta ac vilia accepit, vt potentes incredulos pudefaceret. Quum autẽ audis delegit, ne suspiceris ꝙ deus † opus habuerit pauperes assumere, potentes verò repellere, sed ꝙ abiecti accurrerunt magis ad fidem. Qui enim in potentatibus erant & sapientia, seipsos abstraxerunt, indignum ducentes quòd ab idiotis discerẽt. Deus nanq; omnes saluos fieri cupiebat. *Vt sapientes pudefaceret.* Quum autem vbiq; audis pudefaceret, de illis intellige qui in propria fidebant sapientia ac diuitiis, nec crediderant. Hæc enim maxima Christi victoria est per stultos siue idiotas deuincere sapientes ac pudefacere. Maximus sapientum pudor est ꝙ idiotis inferiores inueniantur: & maxima Christi victoria est per stultos superare sapientes. *Quæ robusta sunt.* Hoc est, intumescentes ob potentiã & diuitias. *Et ea quæ non erant.* Ea non esse dicit quę ne esse quidẽ existimãtur propter multã abiectionẽ. *Vt ea quæ sunt obscuraret.* Omnia, inquit, fecit deus, quò eos ab arrogãtia cohiberet, & à sui reputatione, qua sese aliquid esse existimabant, & vos adhuc arrogantes estis ac intumescitis. *Ea quæ non erant.* Videbantur apostoli non esse quicquam vtpote abiecti: Græci verò esse videbantur, ꝙ sese aliquid esse arbitrarentur, quum tamen non essent. *Ne glorietur ulla caro coram ipso.* An igitur neq; nos, inquit, gloriabimur? Vtique vos qui fideles estis gloriari debetis: Non enim estis caro, sed ab eo per regenerationem nati estis, & sapiẽtes estis: sed ipsum habentes qui sapientia est, qui à tyrannide redemit: nec id solùm, sed & sanctificauit per baptisma: nec tantùm etiam hoc, verumetiam per dona iustificauit. Nos ergo propter hęc gloriari debemus. Gloriari autem non quòd

A

† aut, laborauerit Gręca habẽt ἔργον ἔχειν

B

C

D nostro aliquo egregio facinore his digni facti simus: sed in domino, ꝙ vniuersa huiusmodi cōmoda gratiæ ipsius sint, ac benignitatis quam nobis exhibuit.

Ex eo autem vos estis per Christum Iesum, qui factus est nobis sapientia à deo, iustitiáque & san-
Ierem.9. ctificatio ac redemptio: vt, quemadmodum scriptū est, Qui gloriatur, in domino glorietur.

Ex *eo autem vos estis*. nempe deo, hoc est, abduxit vos ab omni fastu deus, filios suos per Iesum Christum effecit. Itaque debemus & nos arrogantiam fugere, quæ inimica est deo. Qui inquit, *Christus factus est nobis à deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. hoc est, qui fecit nos, &
E iustos, & sanctos, quum nos redemisset ab illis, quæ sunt istis contraria. Quum enim stulta delegisset, effecit ea sapiētia, & iusta, ac sancta. *Qui factus est nobis sapientia à deo*. Non dixit, Sapientes nos effecit, sed ostēdens ineffabile munus, ait, Factus est nobis sapiētia: hoc est, seipsum nobis dedit. Quum magna de filio dixisset, vtpote ꝙ sapientia esset, iustitia, sanctificatio ac redemptio, addit, A deo, ne ingenitum eum suspiceris. *Ac redemptio*. Vide quomodo ordine procedat. Primùm quidem sapientes efficiens ab errore liberauit, & tunc iustos & sanctos superuentione spiritus sancti reddidit, & ita à cunctis malis liberauit: Nam hoc est redemptio. *Vt, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in domino glorietur*. Omnia, inquit, hæc facta sunt, vt nemo seip-
F sum aliquid esse existimet, neque in seipso glorietur, sed in deo. Occultè autem ipsos notat: Nam erant nonnulli superbientes & elati.

Cap.2. Et ego quum venissem ad vos, fratres, veni, non in excellentia sermonis, aut sapientiæ annuntians vobis testimonium dei. Non enim iudicaui me scire quicquam inter vos, nisi Iesum Christum, & hūc crucifixum.

Quum dixisset ꝙ sapientia infatuata est, & qui stulti videbantur delecti sunt, addit, Et ego ipse, qui præco sum & prædicator, non veni syllogismis instructus, aut humana sapientia. *Sermonis aut sapientiæ*. Quid enim, etiamsi voluis-

ſet, dixerit quiſpiam, num in ſapientia verſari potuiſſet? Ipſe quidem non potuiſſet, at Chriſtus potuiſſet ipſum ſapientem efficere ſi voluiſſet. *Teſtimonium dei.* Mortem enim Chriſti prædicando annuntiabat, ideo illam appellat teſtimoniũ. *Non enim iudicaui.* Etenim ego hoc cenſui, inquit (quoniam & Chriſtus ſtatuit) vt ſine eloquentia prædicarẽ. *Niſi Ieſum Chriſtum.* Externa, inquit, non fuit mihi opus ſapientia, ſed ſolum Chriſtum prædicaui, & hunc crucifixum: & tamen omnium ſapientium ora obturaui. A

Et ego in imbecillitate & timore ac tremore multo verſatus ſum apud vos. Et ſermo meus ac prędicatio mea non fuit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus ac potentiæ: vt fides veſtra non ſit per ſapientiam hominum, ſed per potentiam dei. B

Nam quomodo non imbecillis, quum à tot magiſtratibus perſequutiones ſuſtineret? Tãtùm non dicit, Vt quid voſipſos traditis, quidam ſapiẽtibus, quidam verò potentibus. Pho. Num hęc quippiam ad prædicationem conferunt? nempe apparens ſapientia, diuitiæ & potentia? Conſiderate quomodo venerim vobis prædicans, num in ſapientia? ſed nequaquam hoc dicere poſſetis, An in potentatu? atqui tremens ac timens, plenúſque minis mihi intentatis ita prædicabam inter vos. Cur ergo vos ſumpta horum obliuione, ſapientes & diuites ac potentes requiritis? & hos vobis præceptores ac doctores exhibetis? *Et timore.* Non ſolùm, inquit, mihi opus non fuit ſapientia vt prædicarem, verumetiam quũ in multo eſſem timore ac tremore propter perſequutiones, ita tamen prædicaui, quod opus multam oſtendit potentiam crucis, quia in ruditate ac timore prædicando præualuerit. Eos autem deprimit, qui apud ipſos ſapientes erant: oſtendens quanta fuerint obſtacula impedientia ne crederetur prædicationi, & tamen creditum eſt. *Non in perſuaſoriis.* Neque enim prædicatio adulterata erat per externam eloquentiam aut eruditionem. *Sed in oſtenſione ſpiritus.* Nam per ſpiritum ſanctũ & ſigna ac virtutes quæ ab eo ſunt, demonſtramus apertè ꝙ vera dicamus, & per vim ac potẽtiam C

D quæ exerit se in nobis. *Vt fides uestra non sit.* Etenim si per humanam fuisset sapientiam, suspitio fortassis haberi potuisset, quod per eloquentiam superasset: Nunc verò quum per signa sit & virtutes, certitudinem conciliat fidei. Siquidem demonstratio quæ per opera est & signa, firmior est ea quæ ex verbis producitur.

Porrò sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autem non seculi huius, neq; principum seculi huius qui abolētur: sed loquimur sapientiam dei in mysterio, quæ recondita est, quam præfiniuit deus ante secula in gloriam nostram, quam ne-
E mo principum seculi huius cognouit.

Postquam semel demonstrauit eam, quæ hominibus sapientia videtur esse, stultitiā: Dei verò sapientiam quæ pereuntibus stultitia videtur, veram esse sapientiam, iam deinceps sumpta audacia vocat ipsam sapientiam. Dicit autem sapientiam prędicationem de Christo, quódque per crucem salua facta sit creatura quæ sub cælo est. *Inter perfectos.* Hoc est, inter fideles: nam illi sapientes ac perfecti sunt, qui humana tanquam imbecillia despexerunt, ac sese deo tradiderunt. *Non seculi huius.* Seculi huius dicit propter temporalitatem ipsorū, quod vnà cum hoc seculo persistant, at non procedant ad futurum. *Qui abolentur.* Siquidem cessant vnà cum præsenti vita. At non ita iusti: quin potius florent
F tunc magis quàm nunc. Principes autem vocat: clàm designans philosophos qui apud eos erant, historiographos ac rhetores, qui etiam reipub. administratores facti erant. *In mysterio.* Mysterium vocat prędicationem de Christo, quia neque vlla cælestis virtus nouerat illud priusquam fieret: & quia alia videmus, & alia credimus. Christum videns, tanquam benignum & humanum colo: seruum audiens effectum, ob dispensationem eum adoro. *Quæ recondita est.* Nam & hoc quoque tempore occulta est, incredulis quidē vehementer, credentibus verò non adeò. *Quam præfiniuit deus.* Quam, inquit, sapientiam præfiniuit pater, ostendens gubernationem quā circa nos habuit, vt per ipsam nos glorificaret. Quod autem ait, Ante secula, significat coæterni-

tatem cũ patre. *Quam nemo principum.* Poteſt quidem hoc intelligi etiam de Pilato & Herode,nam ignorabant hãc ſapientiam. Poteſt & de pontificibus ac ſcribis qui ignorabãt factam per Chriſti crucem,& mortem,diſpẽſationem.Quũ autẽ prius appellaſſet principes ſeculi huius ſapientes Græcorum,nunc dicit ſapientes Iudæorum. A

Nam ſi cognouiſſent, nequaquam dominum gloriæ crucifixiſſent:ſed quemadmodum ſcriptum *Ieſa.64.*
eſt,Quæ oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ præparauit deus diligentibus ſe.

Quoniam inſenſatis crux ignominia eſſe videtur, vide quomodo facta Chriſti mentione, dominum gloriæ ipſum B vocat: oſtendens quòd non ſolùm nihil illi ad gloriam crux aut mors obfuit, verumetiam ob humanitatem ſeu benignitatem magis glorificatus eſt. ALIVD. Si id quod ait, Oecum. Principũ ſeculi huius, pro Herode & Pilato acceperis, ſimpliciùs intelliges quod ſequitur, Nam ſi cognouiſſent, nequaquam dominum gloriæ crucifixiſſent:neque enim tanta capti erant inſania,quum eos non occuparet inuidia. Si verò pro pontificibus & phariſæis acceperis,qui nouerant ipſum eſſe Chriſtum (idque ex eo manifeſtum eſt quod dicebant cultores vineæ,Hic eſt hæres,agite,occidamus eum,& *Mar.12.* vinea erit noſtra:ſed inuidia excæcati ſunt)tunc quod infe- *Mat.21.* riùs additur ſic intelliges. Si cognouiſſent quòd à cruce tãta Gentibus eſſet futura ſalus,nequaquam ad hoc perueniſ- C ſent vt eum crucifigerent:eligentes potius inuidia tabeſcere, quàm vt Gentes ſaluæ fierent,& ipſis eiectis illæ eorum loco ſubſtituerentur. ALIVD. Opportunè dominũ glo- Iohan. riæ appellauit. Nam quoniam crux ignominiæ eſſe videbatur, oſtendit eam eſſe magnam gloriam. *Quæ præparauit deus.* Quæ autem præparauit deus diligentibus ſe? Chriſtum videlicet ac ſalutem, quæ per incarnationem facta eſt. Diligentes autem ſcriptura vocat credentes. Sed quomodo ait, Auris non audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt, quum ſancti prophetæ prius audiuerint myſterium? & dicimus aliud eſſe audiſſe vt hominem,& aliud audiſſe vt prophetã. Ieſaias enim dicit, Addidit mihi aurẽ ad audiendum, *Ieſa.50.*

D non ꝙ antea aure hominis destitutus fuisset, sed ꝙ prophetæ aurem accepisset.

Nobis autem deus reuelauit per spiritum suum. Nam spiritus cũcta scrutatur etiam profunda dei. Quis enim nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quæ dei sunt, nemo nouit nisi spiritus dei.

Si igitur nullus nouit vos, inquit, quomodo didicistis? Quia deus, ait, nobis reuelauit per spiritum, non per humanam sapientiam. Hæc enim non est habita digna quæ videat mysteria. Nam spiritus cuncta scrutatur. Deinde ostendit quod potissimum est in hac disciplina, Nisi enim spiritus

E nos docuisset, inquit, qui dei quoque profunda nouit, nequaquam scire potuissemus: nam hoc mysteriũ est inter inenarrabilia, ideo quoque spiritu nobis opus erat præceptore. Quod autem ait, *Scrutatur*, non ignorantiæ offensiuum est, sed ediuerso exactæ potius cognitionis. Diuus Gregorius ita intelligit: non ꝙ spiritus curiosè indaget, sed ꝙ in

Seuer. contemplatione delectetur. *Etiam profunda dei.* Profunda dei appellat profundissimas ipsius, maximéque nos laten-

Cyril. tes dispositiones seu dispensationes. ALIO MODO. Profunda dei sunt sacrarum literarum occulta ac recondita cognitio, quum spiritus qui nouit, sanctorum reuelat animabus diuinã quãdam intelligẽtiam in eis exhibens. *Nisi spiritus hominis qui est in eo.* Quemadmodum enim, inquit, quę

F hominis sunt nullus hominũ nouit, nisi proprius ipsius spiritus: ita neq; ea quę dei sunt quispiã nouit, nisi spiritus dei.

Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus quæ à Christo donata sunt nobis: quæ & loquimur, non per sermones quos docet humana sapientia, sed per eos quos docet spiritus sanctus spiritualibus spiritualia comparantes.

Oecum. Mundi spiritum vocat, vt opinor, humanam sapientiam ac eruditionem, quam non accepimus, inquit, vt qui crucem obscuret, ne aboleatur crux sicuti prædixit. Sed spiritũ dei

accepi-

accepimus, vt sciamus quæ donata sunt nobis à deo:hoc est A
quæ dispẽsatiuè facta sunt à Christo. *Non per sermones quos docet humana sapientia.* Tãtò,inquit, nos hominibus sapiẽtiores sumus,quantò sapientiori vtimur pręceptore. Illi siquidem Platonem ac Pythagoram habent præceptores,nos autem spiritum sanctum. *Sed per eos quos docet spiritus sanctus.* Nullus itaque vsus est humanę sapientiæ omnia nanque spiritualia sunt. Spiritualibus spiritualia comparantes,Hoc est quod dicit.Quũ inuestigatur quæstio aliqua spiritualis, ab exẽplis spiritualib⁹ cõparationes ac interpretationes adducim⁹, vt verbi causa:Si surrexit tertio die Christ⁹ : Ex Iona
probationes,ac testimoniũ adduco. Si natus est dominus ex B
virgine:ex sterilib⁹ Anna& Elizabet sumitur interpretatio.

Animalis autem homo non accipit ea quæ sunt spiritus dei,stultitia siquidẽ ipsi sunt:nec potest cognoscere,quia spiritualiter diiudicantur. *S*piritualis verò vniuersa quidem diiudicat, ipse autem à nemine diiudicatur. Quis enĩ cognouit mẽtẽ dominiqui cõciliabit eũ?Nos autem mentem Christi tenemus.

Animalem vocat hominẽ eũ, qui omnia animæ rationibus tribuit,nec quicquã fide suscipit, nec superno opus esse auxilio arbitratur: qui quũ doctrinas spiritus non possit
mente comprehendere, nec velit absq; rationibus credere, C
omnia arbitratur esse stulta, quæ diuinæ sunt dispẽsationis. ALIO modo. Animalis est qui iuxta carnẽ viuit, & nondũ per spiritum mente illuminatus est,sed innatam tantùm, &
humanam habet intelligẽtiam, quam cunctorum animabus *Iohan.*
creator immittit. ALIO modo. Hoc est: quando aliquid spirituale & ineffabile fuerit, à spiritualibus testimonia ducimus,vtpote ad id quod surrexit Christus, Ionæ testimonium adduco : quod ex virgine natus est, adduco steriliũ partum ac generationem. Animalis verò est qui rem omnem animæ cõsiderationibus attribuit,nec arbitratur superno aliquo opus esse auxilio. ALIO modo . Animalis opus habet
diiudicatione & perscrutatione,ac disciplina spirituali, vt *Pho.*
suscipiat ea quæ sunt spiritus,sed quũ arrogantior sit quàm vt ad hanc sese demittat,& sufficere iudicet humanas con-

D siderationes,non modò nihil comprehendit eorumquæ i-
gnorat, sed ediuerso quoque in maiorem demersus igno-
rantiam,animę affectũ & ægritudinẽ legibus spiritus adap
tat,& existimat ea esse stultitiã,quũ seipsum accusare debe
ret, qui humilibus ac humanis mensuris supernaturalia, &
ratiocinationes excedentia mensurare tẽtauerit. Spiritualis
verò nõ opus habet diiudicatione,sed quũ omnia spirituali
ter,& diuina sapientia probet ac iudicet,spiritus cognitio-
ne perficitur. Ideo à nullo diiudicatur:à fidelib9 quidẽ,quia
nõ dissonat nec dissentit ab ipsis:ab incredulis verò,quia lõ
gè superior est illorum diiudicatione,& quia nõ solùm hac
nõ eget,sed & nouit exactè diiudicãs,ꝙ hac vtentibus maxi
mum ipsa præstiterit impedimẽtũ ad spiritualiter diiudicã
dum,& recipiendum ea quæ sunt spiritus. Iccirco quoq; hi
E dominico sensu carent,siue præceptis,& ea quæ inde sequi-
tur,legis traditione,quæ eos castigaret, & ad spiritualium
quæstionum apprehensionẽ excitaret. Ipsa enim dominica
præcepta cõfirmãt nos,& ad eũ nos reducũt,aptosq; effici-
unt ad diuinã doctrinam & intelligẽtiã,quæ dignis inde sup
peditatur. Propterea quum nosipsos ad hæc composuéri-
mus,meritò Christi mẽtẽ habemus. Nam quæ Christi sunt
sentientes ac intelligentes,iã non humana & carnali cogita-
tione fluctuantes obruimur,aduersis vtrinque flatibus tẽ-
pestatem ferentes:sed solidi ac firmi in cælesti diuinaq; mẽ
te affecti,veritatis apprehensionẽ assequimur. *Nec potest co
gnoscere*. Ignorat,inquit,quòd ipse stolidus sit. Nõ enim po
F test intelligere quòd in talibus sola fide sit opus,deficienti-
bus scilicet humanis cogitationibus. Nam hoc est, Spiritua
liter diiudicantur,quòd per fidem ac spiritum demõstratio
nes habent ea quæ diuina sunt. *Vniuersa quidem diiudicat*. Spi
ritualis,inquit,fideliter intuetur omnia ac intelligit vniuer
sa & quæ propria sunt & quæ infidelium :quæ autem ipsius
sunt,increduli nequeũt intelligere:Nam hoc est, quod ait.
*Ipse autem à nemine diiudicatur*. Quomodo igitur fidelis no-
uit omnia? Quoniã pręsentia quidem nouit,quòd videlicet
caduca sint & fragilia,futura verò nouit,nẽpe quòd stabilia
sint & æterna. Incredulus autem neque præsentia nouit(ma
gnificat enim ipsa quum nihil sint)neque futura,nam ea ne
esse quidem credit. *Quis enim cognouit mentem domini*. Qua-

re infidelis nihil nouit?(Nã hoc est quod ait Quis, id est, nullus infidelis nouit:)Quia, inquit, non cognouit mẽtẽ domini. Ideo neque cõciliabit eũ sibi, hoc est, placabit, aut in amicitiam reducet: inimico autem nequaquã reuelabit deus: Et quare fideles & spirituales cognoscũt. Quoniã, inquit, mẽtẽ Christi habemus, hoc est, spiritũ Christi. & quæ nouimus, à spiritu sancto edocti sumus. Illi igitur meritò ignorãt quũ deũ habeãt auersum: nos verò cognoscimus, quũ vsi simus doctore spiritu. Est autẽ hyperbatõ quod ait, Quis enim cognouit mẽtẽ domini: Consequutiuè enim debet illi particulæ coniungi. Nec potest cognoscere, quia spiritualiter diiudicatur. Potest tamẽ & sine hyperbato declarari prout posita est elocutionis particula. Nos *autẽ mẽtem Christi habemus*, Qui imitatione mentis illius, quò ad humanitatẽ quã suscepit Christus deus noster suam mẽtem purificarunt, hi mẽtẽ Christi habent. ALIVD. Aut mẽtem Christi vocat patrẽ. Habemus, inquit, in nobisipsis Christi patrem, iuxta illud: Inhabitabo in eis, & inambulabo. Mẽtem enim appellare patrẽ, sanctis frequens est, vt quum habet Gregorius. Mente verbo & spiritu vna connaturali diuinitate. Et rursum: Primùm quidem considerat angelicas potẽtias ac cælestes, † & conceptus mentis opus fuit verbo completum, & spiritu perfectũ. *Mentem Christi habemus*. hoc est, quę in mẽte Christi sunt: & ea cognoscimus quæ ipse vult, & reuelauit. Pulchrè autem à dei autoritate corroborauit eũ quia particeps esset spiritualis doni: vt illi non esset opus alterius doctrina, sed aptus quoque esset, & alios instruere. Non enim potest, inquit, dei consilia intelligere, vt aliquod ipsi adferat auxilium. Nos sanè qui intelligentiam à Christo, per fidem quę in ipsum est accepimus, alios quoque docere pollicemur.

Pho. A

B Grego. Oecum. 2. Cor. 6.

† κὴ πρῶν νόημα ἐγ- γορ κρ.

Iohan. C Theod.

Et ego fratres non potui loqui vobis vt spiritualibus, sed loquendum fuit vt carnalibus, vt infantibus in Christo. Lactis potu vos alui non cibo: nõdũ enim poteratis, imò ne nunc quidem adhuc potestis. Nam adhuc carnales estis. Siquidẽ quum inter vos sint æmulatio & cõtentio ac factiones, an non carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cap. 3

D Vbi ipsorũ fastum qui de humana erat sapientia depressisset, vult nũc eum quoq; deprimere, qui & in spiritualib' erat, ostẽdẽs ꝙ neque audire posrint quippiã perfectũ. Bene autẽ dicitur Nõ potui, pro eo quod est nõ volui, ne hoc inuidia dixisse videatur. *Sed loquendum fuit ut carnalibus.* Et quomodo carnales erant, qui etiam signa edebãt? Et dicimus ꝙ & tales quodãmodo erant, & nõ tales. Cõtingit enim & signa edere & esse carnalẽ, quales erãt illi qui dicebãt, Domine, nonne per nomẽ tuũ hoc & illud fecimus: & audierunt: Non noui vos. *Vt infantibus in Christo.* Infantibus quod ad Christi leges pertinet. *Lactis potu uos alui.* Lac dicit imperfectam adhuc doctrinam, cibum verò perfectam. *Nondum enim poteratis.* Quoniam, inquit, noluistis. nam hoc in sequẽtibus ostẽdit, quòd ipsorũ causa erat quòd nõ possent, quod etiam ipsos à venia separat, siue ea priuat. *Siquidem quum inter uos sint æmulatio & contentio.* Vides quòd ipsorum prauitas fuerit? Et quomodo sumus, inquiunt, carnales? causam dicit quæ hoc efficiat. quumq; etiã de aliis vitiis accusare posset, instat† ad id quod vrget nempe de factionibus & ęmulatione quæ inde oriebatur, simúlque contentione. *Et secundum hominem ambulatis?* Non secundum deum quæritis, sed secundum hominem conuersamini, hoc est, carnaliter.

Matth.7.

†πρὸς τὸ κατεπεί-γον ἵσταται

Etenim quum dicat aliquis, Ego quidem sum Pauli, alius verò, Ego Apollô: nonne carnales estis? Quis igitur est Paulus? Quis verò Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuique dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, nẽpe deus. Cęterum qui plantat & qui rigat vnũ sunt. Vnusquisque tamen propriam mercedem accipiet iuxta suum laborem.

F

Rursum illorum taxat sapientes ac diuites qui eis præerãt, & factionis ansam dabãt. *Quis igitur est Paulus?* O admirãdã sapientiã. Seipsum & Apollô extenuat, vt hoc statuat. Si nos, inquit, nihil sum', quid poterit quispiã dicere

deprçceptoribus qui apud vos sunt? *Nisi ministri*. Magnũ quidem esse etiam ministros fidei, verùm si ad exemplũ conferas, radicémq; bonorũ Christum, pars quædã sermonis est. A
Nam qui bona tribuit, is demũ bene de nobis meretur, non qui ministrat. Minister tamen maior est eo qui euangelium prædicat, quatenus hic quidẽ sermones annuntiat, ille verò etiam opera exhibet. *Et ut cuiq; dominus dedit*. Neq; eam, inquit, ministerij partem à nobisipsis habemus, sed hoc ipsum quoq; à Christo accepimus. Hoc enim vult quum ait, Et vt cuiq; dominus dedit. *Ego plantaui*. Ego quidẽ primus prædicationẽ in vobis dissеminaui. Apollos verò sua exhortatione nõ permisit semẽ ardore tentationũ exarescere. Perfectũ verò opus, dei est qui dedit incremẽtum. *Neq; qui plantat est* B
*aliquid*. Vide quomodo depressionẽ diuitum ac sapientũ qui eis præerant, inuidia carere facit, deprimẽdo seipsum, & Apollô quantũ ad apparentiã: & ostẽdẽdo ꝙ ad solum deũ attẽdere oporteat, & in ipsum referre vniuersa quç cõtingunt bona? *Qui plãtat & qui rigat, unũ sunt*. in hoc ꝙ nihil amplius possint absq; deo augmẽtante. ALIO modo. Quãdoquidẽ Pho.
multa sanè percurrit de præceptoribus, dicẽs, Quis est Paulus, quis verò Apollos? & rursùm, Itaq; neq; qui plantat est aliquid neq; qui rigat: hoc autẽ faciebat, eorum mitigare volens ardorẽ, qui ob doctrinã superbiebant, & ad cõtentiones ac factiones Christi populũ pertrahebant. Quoniã igitur satis visus est illorũ fastum purgasse, eo ꝙ seipsum quoq; vnà cum Apollô, depresserit ne quidã dicant, Vanè igitur prædicas, frustrà sustinens pro prædicatione labores: huiusmodi C
refellẽs obiectiones, subiunxit: Vnusquisq; suã mercedẽ accipiet iuxta suũ laborem; dicens propemodũ, Nequaquam animo ãgatur qui bene docet: quanquã enim prohibetur, ne Christi populũ diuidat, sibiq; vẽdicet, & inter ipsos tanquã præceptor sese iactet: attamen mercedẽ accipiet neq; id temerè, sed iuxta suũ laborem. Deinde rem amplius attolens, & confirmãs ꝙ omnino erit merces. Nam dei, inquit, cooperatores sumus. simul quidẽ vt dixi doctrinæ opus illustrãs, simul etiã rursùm subindicans ꝙ opus dei sit. Itaq; nõ oportet aut sibi vindicare aut illud discindere, quin potius coniungere & vnire: nam hoc est cooperari. sibi autẽ vindicare ac diuidere, inimicorũ est & hostium. Deinde in hoc insistit

D eadem vtens demonstrationis regula: quod omnino non oporteat populum personis distribuere. Dei, inquit, agricolatio estis, dei ædificatio. Vt quid vosipsos deprimitis, id quod dei est, attribuentes conseruis? *Iuxta suũ laborem.* Quoniã verisimile erat eos qui amplius laborauerãt circa illorũ fidem segniores reddendos, quũ audirent omnes vnũ esse, siue parum siue multum quispiã cõtulisset, illud statim curat. Vnũ inquit, sunt in hoc quod nihil amplius facere possint absq; deo, qui incrementũ tribuit. Nã quod ad retributionẽ pertinet, vnusquisque iuxta suum laborem habebit mercedem.

E Nam dei cooperatores sumus: dei agricolatio, dei ædificatio estis. Iuxta gratiam dei quæ data est mihi vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autẽ superędificat. Porro quisque videat quomodo superędificet. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positũ est quod est Iesus Christus.

Nos autẽ qui dogmata salutem cõcernentia vobis prędicauimus, dei cooperatores sumus. Siquidẽ ad dei scopũ qui vult omnes saluos esse, cooperati sumus. At non ita qui vos nunc diuidũt, ac dissensionis causa vobis efficiũtur. *Dei agricolatio.* Vos autem dei agricolatio deiq; ædificatio estis: quod si F dei agricolatio & ędificatio estis, à domino vos appellari oportet, nõ ab iis qui nunc vobis pręsunt. Dicebãt enim, Ego quidem huius sum, ego verò illius, nẽpe sapiẽtum ac diuitum nomina exprimẽtes. *Vt sapiens architectus.* Sapientẽ architectũ vocat seipsum non vt se laudet: sed ostẽdere volens quod hoc sapientis sit architecti ponere huiusmodi fundamentum, hoc est Christũ. Et vt appareat quod non seipsum laudãtis sit verbum. *Iuxta gratiã*, ait, *quæ data est mihi*: ac si dicat, Non meum est sapiens hoc facinus, sed dei qui gratiosè donauit. *Alius autẽ superædificat.* Ad exhortationem quæ circa cõmunem conuersationẽ est descendit, superædificationẽ vocans cuiusq; actiones. Videat igitur, inquit, vnusquisq; quomodo ædificet super fundamentũ: id est habens fidẽ ipsumq; Christum, vt bonas faciat operationes. *Nam fundamentum aliud.* Ne igitur illis attendatis, ait, qui vos diuidunt, quum aliud

non sit fundamentum præter Christum quem annunciaui. A
Hoc habeamus, huic adhæreamus tanquam fundamento super hoc ædificemus ædificia bonæ conuersationis.

Quòd si quis superstruat super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides preciosos: ligna, fœnum, stipulam: cuiusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit, quia per ignem reuelatur: & cuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus mãserit quod superstruxit, mercedem accipiet. Si cuius opus exustum fuerit, damnum patietur: ipse verò seruabitur, sic tamen vt per ignem.

Post fidem, operatione ac ædificatione opus est. At iusti auro æquales & argẽto pellucentibúsq; gemmis, suas super fidem ædificant actiones: peccatores verò syluã quæ facilè accenditur futuróq; igne dicta est. ALIVD. Præceptores diuina docent, auditores verò iuxta sciẽtiæ electionem quod agendũ est eligũt: sed die quo apparuerit saluator probatio erit, exactáq; disquisitio: & eos quidẽ qui probè vixerunt, tanquã aurũ & argentũ, ignis reddet splendidiores: prauitatis autẽ operatores, more lignorũ fœni ac stipulæ cõsumet. A doctore verò qui ea docuit quę decent non exigentur pœnæ, imo salute dignus habebitur & hoc est quod ait, Ipse verò seruabitur nẽpe qui docet, opus autem exuretur, hoc est ij qui seipsos extruxerunt prauũ opus. Et ita diligenter legentes inueniemus scripturarũ sententiã, Si cuius opus exustum fuerit, dãnum patietur: ipse verò seruabitur: si tamẽ, vt per ignẽ: hoc est ipsius opus exuretur per ignem, ipse verò seruabitur, nempe doctor ille: neq; enim causa fuit mutationis ad id quod peius est. Nam cõueniẽtem ipse doctrinã attulit. Verùm si quis nolit particulã illam. Sic tamen vt per ignem, operi aptare, sed doctori: tũc sic intelligito, ꝙ pro illis nõ exigentur ab eo pœnæ: seruabitur autẽ, per ignem & ipse probatus, vtrumnã vitam habeat doctrinæ cõgruentẽ. *Aurum.* fidem in Christum. *Argentũ.* Nam sunt & inferiores. Multæ siquidem sunt apud patrem mãsiones. *Dies enim declarabit.* Diem dicit iudicij, In igne autem dicit reuelari opera: hoc est manifestum fieri cuius sint naturæ, vtrum

B (margin, beside "Post fidem")
C (margin, beside "gentes inueniemus")
Iohan. 14. (margin, beside "res. Multæ siquidem")

D aurum, vtrum argentũ, talium inquit, ignis probatiuus erit. *Si cuius opus exustum fuerit.* Si cuius, inquit, opus vim ignis non tulerit, sed probatum ac conuictum fuerit esse malum, Oecum. damnũ, ait, patietur. Itaque nihil prodest fides recta absque bonis operibus. An ne ita quoq; intelligere possumus? Illi quidem qui syluã seu materiã facilè exurẽdam ædificarũt, penitus eiiciũtur: damnum enim patiũtur omnium suorũ laborum. *Ipse uerò seruabitur.* Quisnam? Qui superædificauit aurum & argẽtum lapidésq; pretiosos. Quũ enim de ipso dixerit ꝙ mercedem accipiet, nũc dicit quã mercedem, nẽpe salutem. Saluabitur autem, ipse quoq; dolorem passus, sicut verisimile est de eo qui per ignem trãsierit, sibíq; vnitas modicas sordes expurgarit. Solius nãque dei est perfectè pecca E to carere: homines verò etsi q̃ maximè iusti fuerint, nõ perfectè puri sunt, Siquidem dictũ est ꝙ in multis labimur om Iaco.5. nes: &, Nullus purus est à peccato, ne si vnius quidẽ diei sit Eccle.7. vita eius. Nam Malachiæ dictum est quòd tanquã ignem in Malac.3. fornace, & tanquam herbã fullonum quosdam abluet deus, & purificabit. *Ipse uerò saluabitur.* Quod ait, Saluabitur, Pho. tantũdem est acsi dicat, non tolletur è medio, neque reuertetur in nihilum, quẽadmodum prauæ eius actiones. Nam hæc vsque ad id tempus existentiam habere videbantur, & fiebant. Veniente autem eo die & igne, ipsæ quidem vanæ & cassæ efficiũtur, neque amplius fieri possunt: attamen homo qui illas operatus est, nõ simul cum eis interimitur, sed manet ac seruatur, pœnas luens per ignem. Ob hoc enim F quum dixisset, Seruabitur, subiungit, declarans quomodo seruabitur, Sic tamẽ vt per ignem, hoc est, ad hoc manet, & seruatur vt per ignem puniatur in seculũ. In interpretatione Iesaiæ diuus Basilius facta huius verbi mentione, pro purificatione ipsum accipit. *Vt per ignem.* Omnia metaphoricè dixit: sed vide, Nõ quasi fascis exustus ad nihilum redigetur. sed quid? *Ipse uerò saluabitur.* Conseruationem vocat vitam quæ semper in igne agetur & ipsum conseruati in illo. Nam vide quid addiderit, Sic tamen vt per ignem: hoc est, ita seruabitur, vt qui in igne seruatur, id est exuritur, nec consumitur. Ne enim conseruationem audiens, ob bonum nominis omẽ: existimes suppliciũ opera duntaxat respicere, opus fuit hac additione, Ipse seruabitur per ignem

semper ardens: Nam hoc significat dictio, ὡς, id est, Vt. A

An nescitis quòd tẽplum dei sitis, & spiritus dei habitet in vobis? Si quis templum dei prophanat, hunc perdet deus. Nam templum dei sanctum est, quod estis vos. Nemo seipsum fallat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim mundi huius, stultitia est coram deo.

Volens consequẽter aduersus illum deflectere sermonem qui cum nouerca scortabatur, vide quàm apto sit vsus procœmio, cum solicitudine quam de ipsis habet eos alloquens. *Et spiritus dei habitat in uobis*. Peccatum auget ex dono, nempe B inhabitatione spiritus. Si verò templum dei sumus ex eo ꝙ spiritus in nobis habitat, vtiq; spiritus est deus. φθερεῖ hunc deus, hoc est, ἀπολεῖ, id est, perdet (Prius autẽ φθείρει propha Oecum. nat vertimus) Hoc autem nõ execrãtis est, sed quod futurũ est prædicẽtis. *Nam tẽplum dei sanctum est*. Quoniam igitur sanctum est templũ quod sanctum habet inhabitatorem, nõ potest scortator tẽplum esse dei. Quis autẽ est templũ dei? vos, inquit, si puri manseritis. *Nemo seipsum fallat*, existimãs videlicet aliud esse præter ea quæ dicta sunt. *Si quis uidetur sapiens esse*. Sapiẽtes appellat humana preditos sapiẽtia. *Stultus fiat*. Stultus fit in hoc seculo qui humanam aspernatur sapientiam; nouitque ex ea nihil veræ vtilitatis accedere. hoc C enim supernam ipsi conciliat sapientiam. Quemadmodum enim paupertas secũdum deũ diuitiæ sunt, & ignominia gloria: ita stultitia secũdum deũ sapientia est. Vide autem quòd non dixerit, Abiiciat sapientiam, sed significans oportere illam maximè despicere: dixit, Stultus fiat & idiota: instruens ne nos pudeat apud nosipsos ignorãtiæ. Nam fidem nobis conciliat quæ mysterium prædicationis de Christo humanis nõ permittit rationibus. Verbi causa, vnde sibi manifestum esse dicit ꝙ Christus sit filius dei, aut vnde scrutatur quòd carnem acceperit. *Sapientia enim mũdi huius stultitia est coram deo*. Siquidem non solùm ad verã nihil confert sapientiam, verumetiam impedimẽto est quòd se scire putent, respuãtque addiscere, nam hoc facit sapientiæ humanæ inflatio.

D Scriptum est enim, Qui comprehēdit sapientes
Iob. 5. per astutiam ipsorum. Et rursum, Dominus nouit
Psalm. 93. cogitationes sapientium quòd vanæ sint. Nemo itaque hominum glorietur.

Per propria ipsorum arma, nēpe astutiam, cōprehēdit eos deus. Quonam modo? Quia enim per calliditatem suā siue versutiam ac astutiam circa res humanas, existimant se omnia scire, nec sibi opus esse doctoribus: per hanc ipsam eos accepit, rebus ostēdens ꝙ nihil sciant eorum quæ necessaria

Pho. sunt. Quomodo autem comprehēdit sapientes per astutiam ipsorum? Arbitrabantur per humanā, quæ illis inerat sapiētiam, sese comprehēsuros virtutē mysterij Christi: ipsi verò non solū nō sunt assequuti quæ sibi humanis rationibus cō-

E cessa existimabant: verūetiam astutia ipsis in contrariū cessit eorum ad quæ tendebant, in maiorem ignorātiam atque perplexitatem coniiciēte ipsos cogitationum ac rationū imbecillitate. *Dominus nouit cogitationes*. Si ergo dominus nouit, quis iam contradicet? Quòd si cogitationes hominū vanæ sunt, & si sapientes per suam astutiam magis capiuntur: quodnam lucrū magis ex ipsa habeāt manifestum est: quia neque humana sapientia neq; cogitationū calliditas potest quicquam aut prodest ad doctrinam aut cognitionem rerū spiritualium. Quòd si horū nihil ad ista confert, quomodo poterit quispiam docēs gloriari (quum demonstrata sint ea quæ inter homines aliquid esse videntur nihil posse) quasi conferrent illa ad vtilitatem? Manifestum enim est ꝙ etiam

F si quispiam aliquid doceat, gratiæ dei est, donique superni, & non propriæ opus sapientiæ aut acuminis ingenij: dona verò non vt his extollamur, accepimus, sed ad cōmunem hominum vtilitatem. *Quòd vanæ sint*. An non ita est? arbitrātur se nullo egere: sed sibi sufficere ad veritatis apprehēsionem. *Nemo itaque hominum glorietur*. In doctores ipsorū rursum inuehitur, qui plurimum efferebātur quòd, dona quædam doctrinæ & aliorum quorūdam accepissent. Quare autem doctores non debent gloriari, sed dicis Nemo hominū glorietur? Quia, inquit, quæcunque dona habent, illa propter vos, nempe plebem, acceperunt, quò vobis prodessent. Quid ergo in his gloriantur quæ non suis laboribus, sed

propter vos acceperunt veſtrámque ſalutem? *Nemo glorietur.* Vel propter doctores: neq; enim quicquam à ſe habēt: vel propter humanas cogitationes, neque enim per illas poteſt veritas comprehendi, ſuperior autem interpretatio magis aptatur & particulæ dictionibus & his quæ ſequuntur. A

Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura. Omnia, inquam, veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus verò dei.

Rurſum ſeipſum & Petrũ & Apollô poſuit, doctores eorum deſignans: oſtendens ꝙ etiam dona propter ipſos accepiſſent, & doctores creati eſſent. hoc autem faſtum eorum vehementer deprimit. Deinde illud quoque ſignificat: Si ego, inquit, & Cephas & Apollos veſtri ſumus, multominus ſanè deberent doctores veſtri criſtas erigere. *Siue mundus.* Ipſe quoq; mundus & vita propter vos ſunt, ac cōdita ſunt. Item mors ipſa ad veſtram facta eſt caſtigationem. *Siue præſentia.* Oſtendit cuncta propter ipſos facta eſſe & præſentia & futura. *Omnia veſtra ſunt.* tanquam beneficia & dona. *Vos autem Chriſti*: tanquam creaturæ & opera. *Chriſtus verò dei.* tanquam germen ac filius: Pulchrè autem hoc addidit: quoniam enim dixerat, Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti: ne ſi ibi pedem fixiſſet, filium ingenitum ac ſine principio exiſtimarent, ſubiunxit, Chriſtus verò dei. Non autem Chriſtus ita dei eſt vt nos Chriſti, Abſit: ſed nos quidem Chriſti ſumus, tãquam opus & factura ipſius. Chriſtus verò dei eſt, tanquam germen ante ſecula & filius, & tanquam patrem habens principium. B C

Sic nos exiſtimet homo tanquã miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum dei. Quod supereſt autem, illud requiritur in diſpenſatoribus, vt fidus aliquis inueniatur. Mihi verò indigniſsimum videtur vt à vobis diiudicer, aut ab humano die, imò nec meipſum diiudico. Nullius enim mihi conſcius ſum, ſed non ob id iuſtificatus ſum. Cæterùm qui diiudicat me, dominus eſt. Cap. 4.

D Dicendo Nos, designat doctores qui apud illos erãt. *Tãquam ministros Christi*. Quoniam vehementer doctores eorum deiecerat, nunc sensim ipsos exaltat, Christi ministros appellans & dispensatores. Attamen licèt ita sit, inquit, nullus relicto domino à ministris nomen accipit. *Et dispensatores*. Mysteriorum vocat dispensatores, ostendens ꝙ non cuiuis simpliciter oportet tradere mysteria, sed dignis. *Vt fidelis quispiam inueniatur*. Fidelis, inquit, deberet esse dispensator, nec dicere sua esse quæ domini sunt, sed tanquam minister dispẽsare. Et hoc modo deprimit ipsorum fastum, Hoc enim est, inquit, quod quæritur, & omnino seruari deberet à dispensatoribus, vt fideles essent, ac seipsos famulos dicerent, & non sibi vindicarent aut appropriarent quæ domini

Pho. sunt. AVT hoc modo. Existimet, inquit, nos homo & cæ-

E tera habere quæ dixi: & quod potissimum dispensatores cõtingit, etiam nos habere existimet, vt à communi sensu repetatur Existimet. Quid est autem hoc quod inter dispensatores requiritur? vt fidelis, inquit, iueniatur: Deinde his qui impudentes futuri erant, eúmq; aggressuri ac dicturi, Quid ergo? Num tu huiusmodi es? obuians ait, *Mihi verò indignissimum videtur, vt à vobis diiudicer*. Hoc autem dicit non seipsum extollens, sed eam quæ decet dignitatem, prædicationi ac doctrinæ seruans. Nam si ipsum curiosè scrutarentur, eiúsque facta disquirerent, aut suspectum haberent, nullatenus fieri posset, vt ea quę apud eos prędicaret ac doceret susciperent. Iustè igitur ac sapienter, & ad eorum ipsorum sa-

F lutem vtiliter, huiusmodi suspitionem, illorúmque temeritatem reprimit ac cohibet, & constãter tollit. Ne tamen hæc non causa prædicationis dixisse videatur & ob communem vtilitatem, sed sese iactans ac extollens, subiungit, *Sed non ob id iustificatus sum*. Quanquam enim vobis non liceat me diiudicare, imo nec omnino aliis hominibus: sed potius credentes, nullámque circa me hæsitationem habentes, vtilitatem ac doctrinam prædicationis oporteat haurire: idque adeò fideliter ac firmiter, vt etiam sciatis ꝙ neque ipse possim diiudicare meipsum: nullius enim mihi conscius sum, quod maximũ est ac inuincibile virtutis testimonium: quãdoquidem nullus nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso habitat, Quanquam hæc in me sint, inquit,

non ob id iustificatus sum: adhuc enim communi iudice mihi opus est, illóque nondum à causa discedente, in certamine ac timore adhuc sum, tanquam nondum iustificatus. Verùm neque propterea vos conuenit qui prædicationem suscipitis, vt cum hæsitatione vos erga me habeatis, aut iudicare siue diiudicare præsumatis, aut quod communis est iudicis insensatè vobis ipsis rapiatis, ac tẽpus iudicij ad vos antea deriuetis. Si verò non ζητεῖται. i. quæritur, sed ζητεῖτε, id est, quærite accipiatur, tanquam imperantis aut consulentis, tũc, vt manifestum est, nihil obscuritatis habebit, sed facilis erit intellectus. *Mihi uerò indignißimum est, ut à uobis iudicer.* Ne hoc prætextu de ipso quoque Paulo ambigerẽt, num fidelis esset dispensator an non, quòd fuisset euersio fidei ipsorum, suam tuetur personam, dicens, indignum duco vt à quoquam diiudicer. Hoc autem non ex elatione ait, sed vt dixi, timens ne dubiam illis fidem faciat. *Aut ab humano die.* Hoc addens ostendit quòd non à vobis tantùm, inquit, nolo iudicari. ( Alioqui hoc ad contemptum ipsi cederet) sed neque ab alio: nam hoc significat quod addit, Aut ab humano die. *Sed nec meipsum diiudico.* Hoc est, quòd nec seipsum dicit sufficere ad exactum huiusmodi iudicium: quoniam nullius mihi conscius sum, sed non ob id iustificatus sum. Ne iactantiæ ducas esse quod dictum est, subiungit, *Sed non ob id iustificatus sum.* Non possum, inquit, securus esse, nisi deus me iustificauerit. Quid enim si peccarem? num vobis peccasse arbitrarer? Vnde subiungit, *Qui diiudicat me, dominus est*, verus nempe iudex. A B C

Itaque ne ante tempus quicquam iudicetis, tantisper dum veniat dominus, qui occulta quoque illustrabit tenebrarum, & propalabit consilia cordium: ac tunc laus erit à deo.

Quòd si eum quoque iudicat dominus qui nullius sibi conscius est, eo quòd ipse rectus sit ac verus iudex, cur vos quæso, fratres vestros iudicatis? Nam & hic morbus apud ipsos erat, quem etiam corrigere nititur. ALIVD. Admonet ne honestum esse ducant seipsos vlcisci, neque eos iudicent qui peccare videntur: neque turbentur ob ea quæ hoc tempore mortalium aspectibus occulta sunt: quãdoquidem Euseb.

D dominus ipse qui omnibus præsidet, impiorum quidem occulta tenebrarum illustrabit: iustorum verò qui in mundo sunt, qui deum sua modestia ac industria colunt & vulgo occulti sunt, propalabit consilia cordium: quibus etiam laudẽ futuram esse dicit à deo. *Qui occulta quoque illustrabit tenebrarum.* Qui manifestabit, inquit, quæ nobis abscõdita sunt. Tenebras verò dicit latentes prauas actiones. Frequenter enim quispiam bonum aliquod quãtùm ad apparẽtiam operatur, at voluntas quæ latet, errore conuincitur. *Et propalabit consilia cordium.* Omnia enim coram ipso nuda sunt & a-
Hebr. 4. perta, nullúmque religionis velamentum iuuare potest habẽtem. *Ac tunc laus erit à deo.* Ad id quod magis faustum est descendit. Siquidem consequens magis erat vt diceret, Tũc
E supplicium erit quàm laus: verùm ad id quod commodum est deflexit sermonem.

Hæc autem, fratres, per figuram transtuli in meipsum & Apollô propter vos, vt in nobis discatis, non supra id quod scriptum est, de vobis sentire: ne hic istius, ille huius nomine inflemini, alius aduersus alium.

Pho. Quare vos per figurã transtuli in me & Apollô? Propter vos, inquit, ne vos contristarem si nominatim obiurgarem. Etenim corrigere studebat, at ne contristaret obseruabat. Per figuralem verò trãslationem vtrũq; continget, inquit,
F modò volueritis, vt & corrigamini, & absque mœrore audiatis quæ ego ad correctionem reprehendo. Hoc autem faciebat, ne si definitas personas reprehẽsione designaret, videretur humano quodam affectu aut odio, hos quidem sinere, illos verò perstringere. Præterea quoque ne huiusmodi diiudicatione hos quidẽ corriperet, illos verò ad desperationem iniiceret, aut ad iram, maiorémque cõtentionem excitaret: quorum verò in reprehensionibus non meminisset, hos tumore potius & arrogantia impleret. Ideo iustã ob causam nominatim non obiurgauit: sed translata figuraliter in seipsum & Apollô accusatione, communem admonitionem nudã ac facilẽ omnibus reddidit. *Propter vos.* Hoc est, ne speciatim præceptorum vestrorum personas audientes, despiceretis sermonem. *Vt in nobis discatis.* Ad præceptores

dirigitur: vt per noſtras, inquit, perſonas diſcatis de vobis ſentire iuxta id quod ſcriptum eſt. Eſt autem ſcriptum, Qui vult eſſe primus, ſit omnium poſtremus. *Ne hic iſtius, ille huius nomine inflemini.* Nempe diſcipuli præceptorum nomine. Relictis autem doctoribus ad populum dirigitur ſermo: populus nanque ob præceptores efferebatur: vt, qui hunc habebat præceptorem, aduerſus diſcipulum qui alium habebat intumeſcebat ac gloriabatur. Bene autẽ illud appellauit inflationem & veluti tumorẽ, à metaphora corporis ꝙ prauos gignit humores, aut prauum accepit ſpiritum. A Marci.10

Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod nõ accepiſti? ꝙ ſi etiã accepiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſſes? Iam ſaturati eſtis? iam ditati eſtis? Sine nobis regnum adepti eſtis? atque vtinam ſanè adepti ſitis, vt & nos vnà vobiſcum regnemus. B

Acſi diceret, Quis te iudicauit & approbauit tanquam laude dignum, ô præceptor ac doctor? num homines? at non rectum eſt illorum iudicium. *Quid autem habes quod non accepiſti?* Verùm dices rectum eſſe hominum de te iudicium: & verè fortaſsis laude dignus es ob doctrinã: at ne ita quidem extollaris. Non enim tuum opus eſt factum hoc, ſed dei donum: qui autem gloriatur, ac ſeſe iactat nequaquam vt qui illud dono accepit gloriatur, ſed tanquam ſuis id nactus laboribus. *Quòd ſi etiam accepiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſſes?* Interrogatiuè hoc dicit, vt ſit iſte ſenſus, Quid gloriaris? num quaſi non acceperis, ſed domi habueris? Atqui accepiſti. *Iam ſaturati eſtis?* A tempore ipſos confundit, dicens, Adeò velociter ſaturati eſtis, nullóque indigetis? *Iam ditati eſtis?* vt nullo vobis opus ſit? Siquidem gloriatio manifeſtat quòd ad ipſam peruenerant ſciẽtiæ ſaturitatem, nec vlla re egerent. *Sine nobis regnum adepti eſtis?* Moraliter proceſsit hic ſermo. Et primùm quidem illorũ ſtultitia demonſtratur ac inſipientia: quia tantis, inquit, acceptis donis non vultis nos ſocios ac participes efficere eorũ quæ vobis data ſunt, Dolens, inquit, hęc dico. Eſt autẽ ſermo hic ironicus quo dicit, Regnũ adepti eſtis, vtinã adepti eſſetis, ait, at non ita eſt. Deinde ne ironicè dixiſſe videatur, Atq; vtinam ſanè adepti ſitis, oſtendit ꝙ vehementer optaret. Id autem C

D quomodo?, Quia vestrum, inquit, regnum esset meum. Siquidem præceptori gloria est, quum discipuli in fide ditati sunt. Si saturati estis, si ditati estis, si regnũ adepti estis, gloria nostra est, quum vnà vobiscum regnũ adepti simus. Vos iam in Christo & prudentes estis & fortes ac præclari. Nam hæc ironicè loquentis verba sunt.

Videre videor enim quòd deus nos apostolos postremos designauit, tanquam morti destinatos: quoniam spectaculum facti sumus mundo & angelis ac hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos imbecilles, vos au-
E tem validi: vos præclari, nos autem inglorii ad hoc vsque tempus.

Mœrentis, imo potius in ruborem conuertentis ac pudefacientis verba loquitur, Nam vt video, inquit, ex his etiã quæ vos agitis, nos apostoli nouissimi omniũ à deo designati sumus, tanquam nescio qui, cõdemnati ac morti destinati, hoc est, vt facilè ab omnibus occidamur. Siquidem nos vt malis afficiamur exponimur, vos autem regnum iam adepti estis. Ex eo enim ꝙ vos adeò breui regnum adepti estis, nos, vt arbitror (nam hoc est quod præmisit videre videor) cognoscimus ꝙ nouissimi condemnamur vt mala patiamur. Potest quoque affirmatiuè rectáque sententia accipi quod dictum est, Videre videor, inquit, ꝙ deus nos apo-
F stolos, postremos prædicatores ac doctores vestros constituit, post quos nemo vnquam alios aliunde apparentes deberet suscipere. Nequaquã enim dicere possent ꝙ ipsi quoque à deo missi sunt. Nos enim missi sumus à deo destinati, Quod autẽ ait, ὡς ἐπιθανάτιοι, dupliciter intelligi potest. Aut quia cæteri discipuli qui suo tempore fuerant, morti addicti erant, seipsum quoque cæteris annumerat discipulis, & omnes à pluribus denominat. Aut vt metaphoricè sumatur ἐπιθανάτιοι idem significans quod certi, veri, post quos non sunt alij: quemadmodum etiam dicũtur ἐπιθάνατιαι διαθῆκαι, id est, firma, postremáque testamẽta: nempe eo ꝙ sint immutabilia: nam quæ ante illa sunt mutantur, quæ verò post illa fiunt, ficta ac irrita sunt, & lege reiiciũtur. Rursus quod dicit, Vi

cit. Videre videor, non hæsitationis est, sed * moris significa- A
tiuũ. Ad hæc, vnde, inquit, manifestũ est ꝙ postremi ac no- * ἤθους ἐμφαντικόν.
uissimi designati simus, & post quos non sit alios dari prędi-
catores? Quia spectaculũ facti sumus mundo ait, Mundus
ipse orbisque terrarum hoc testatur, nec soli homines sed &
superni angelorum ordines. Quomodo vos tanquã autores
ac magistri nouæ doctrinę inflamini ac erigimini. Etenim
si ea docetis quæ à nobis accepistis, discipuli estis frustráq;
inflamini. Si verò alia, ab his quæ accepistis, scitote quòd
nos ij sumus quos deus postremos ac finales certósque apo-
stolos designauit siue ἐπιθανατίους. Vnde igitur accepistis ea
quę docetis? Nam si nos sumus quos deus nouissimos ac po-
stremos designauit, manifestum est quòd si quã vtilem do- B
ctrinam, facinúsue egregiũ acceperitis, à nostris laboribus
ac disciplinis vobis prouenit. Vtinam ergo per hæc ditati si-
tis, vtinã regnũ adepti, vt & nos qui vobis diuinæ semina
cognitionis ac virtutum iecimus, vnà uobiscum regnemus.
Verùm timeo ne vestra non ita se habeant. *Apostolos.* Mul-
tam habet emphasim quod ait nos apostolos, hoc est, qui tan-
ta pro Christo passi sumus. *Quoniam spectaculum facti sumus.*
Vnde, inquit, adducor vt existimem quòd postremi facti si-
mus? Quoniam spectaculum mundi sumus: hoc est non in-
vno angulo mala tolerantes, sed vbique terrarum: & vos iã
regnũ somniatis? Quoniam autem hæc dicit de apostolis,
ostendit illorum existimationem vanam esse ac fallacem.
*Et angelis.* Talia, inquit, sunt nostra certamina, vt angeli-
co etiam digna sint aspectu. *Nos stulti propter Christum.* Etiã
hoc pudefaciẽtis est. Nos vt video stulti sumus qui talia pa- C
ti sustinemus. *Vos autem prudentes estis*, qui ita vestra dispo-
sueritis vt iam regnetis in Christo, id est, in rebus quę Chri-
stum concernunt. Deinde subiungit quòd imbecilles quo-
que & inglorij ac necessariis rebus egentes. Vos autem om-
nino ediuerso, tanquam hoc ostendere volens: Nos potius
oporteret bonis frui qui molestias tulimus ac laborauimus
quàm vos qui in nullo fatigati estis: quòd si nos nõdum frui-
mur, sed adhuc mala patimur, quomodo vos tanquam præ-
miis per dona fruentes, & quasi iam regnum cælorũ in ma-
nibus habentes (quod superius designat dicẽs, iam regnum
adepti estis) magnificè de vobis sentitis, & vosipsos iactatis?

D Nos stulti propter Christum, hoc est, stulti apparemus suffe rendo: Vos autem quum nihil patiamini, opinione vestra ha bere videmini Christi regnum. Porrò ad finem vsq; sententię sermo per ironiã ipsi processit. *Ad hoc usq; tẽpus.* Omitto, inquit, vetera, præsentia tãtũ refero in quib' cõstituti sum'.

Et esurimus & sitimus ac nudi sumus, colaphisq; cędimur, & incertis vagamur sedibus, & fatigamur propriis laborantes manibus: malè audiẽtes, benedicimus: persequutionem patientes, sustinemus cõuitiis affecti, obsecramus: veluti excrementa mundi

E facti sumus, omnium peripsema ad hoc vsq; tẽpus.

Ad eos qui delitiis affluebant dicitur, Colaphis cędimur: ad eos qui intumescebãt, Incertis vagamur sedibus: hoc est ob persequutionem certum non habemus consistendi locũ. *Laborantes.* Hæc ad illos referuntur qui lucri ac quæstus caussa ad prędicationem accedebant. Nos, inquit, fatigamur propriis operantes manibus, malè audiẽtes, persequutionẽ sustinentes, conuitiis affecti, nõ indignamur sed gaudemus ideo etiam benedicimus. *Persequutionem patiẽtes, sustinemus.* Hoc est stultum fieri propter Christum. Qui enim hæc patiuntur nec repugnant, quin potius verbis commodioribus respondent, stulti apud homines existimantur. *Veluti excrementa.* hoc est tanquam immundicia sic inglorii & contem-

F pti facti sumus. Deinde ne existimarent ꝙ ipsos designaret (Nam Corinthi multa passus erat) mundi, inquit, nõ vestra. *Excrementa.* Hoc est putamina & purgamenta facti sumus, siue rudera, quæ communiter ἀποφιλοκαλήματα dicuntur. Ab omnibus vilipendimur, omniúmque excrementa sumus nosipsos omnibus subiiciẽtes hominibus propter Christum. *Omnium peripsema.* Ac si diceret: Gratiam omnibus habeo. Sunt autem veluti grauiter ferentis verba, vt ipsis persuadeat ne magnificè de se sentiant. Nam si nos, inquit, apostoli inter hęc versamur, vt quid vos efferimini propter ea quæ accepistis dona, ac si iam magni aliquid essetis? περίψημα verò dicitur σπόγγος quòd laborantis sudores abstergit. *Ad hoc usque tempus.* hoc est, ne nunc quidem quieuerũt calumniatores & qui nos molestiis afficiunt.

Non vt pudore vos suffundam hæc dico, sed tan A
quam filios meos dilectos admoneo. Nam etiam si innumeros pædagogos, habeatis in Christo, non multos tamen patres. Siquidem in Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Adhortor itaque vos vt imitatores mei sitis.

Non hæc, inquit, scripsi quò pudefacerem vos, sed vt admonerem. Nam si vt filios diligo, cõsentaneum quoque est vt quæcunque in vestram sunt vtilitatem faciam. Neque enim tanquam discipulorum sed tãquam filiorum curam habeo. B
*Nam etiam si innumeros pædagogos*. Ad suos discipulos hæc dirigit ostendens quòd multò magis eos diligeret quã magistri qui nunc insilierant, ipsosq; diuiserant. Id autem & ex ipsis, inquit, manifestum est nominibus, siquidem illi prędagogi sunt, ego verò pater. *Habeatis in Christo*, Ne illos quidem ferire voluit quum addat In Christo. *In Christo Iesu*. Non ad me hęc refero, sed ad Christum. *Ego vos genui*. Itaque ipsi quoque præceptores vestri à me didicerunt ea quæ vobis proponunt. *Genui*. Naturæ vtitur nominibus, aut ostendens suum amorem, aut quòd per prædicationem genuisset eos in baptismate. *Adhortor itaque vos ut imitatores mei sitis*. Aequum est igitur vt me imetemini, Neque hoc dicit seipsum iactando, sed ostẽdens facile eis esse vt ipsum imitarẽtur. Nam si ego, inquit, Christum imitor quomodo C
vos me non imitamini?

Propterea misi ad vos Timotheum qui est filius meus dilectus & fidelis in domino, qui in memoriam vobis reducet vias meas quæ sunt in Christo: sicut vbique in omni ecclesia doceo. Perinde quasi nõ sim venturus ad vos inflati sunt quidam. Sed veniam breui ad vos si dominus voluerit, & cognoscam non sermonem istorum qui inflati sunt sed virtutem. Nõ enim per sermonem est regnum dei, sed per virtutem.

*Propterea misi ad vos Timotheum*. Quandoquidem vestri cũ

D ram habeo tanquam filiorum. *Qui est filius meus.* Amorem ostendit quem erga Timotheũ habebat, ipsósq; præparat quò reuerenter eum conspiciant ac suscipiant. Non vulgari, inquit, modo fidelem ad opera corporea. sed in domino, hoc est, in rebus quæ ad Christum pertinẽt. Qui in memoriam vobis reducet. Non ait docebit, ne grauiter ferrent si à Timotheo qui recens aduenisset docendi essent: propter quod etiam dicit. *Vias meas*: hoc est nihil proprium dicet, sed quæ mea sunt. Vias vocat dispositiones, prędicationem, pericula, mores apostolicos, ac diuinas leges in quibus ambulo. *Quæ sunt in Christo.* D inde sermonem proferẽs, vias, inquit, quæ sunt in Christo, nihil humanum habeant, Nihil nouum vobis dicet, sed doctrinas meas quas in singulis
E ecclesiis doceo. *Perinde quasi non sim uẽturus.* Quoniam dixit, Mitto Timotheum, ne segniores redderentur tanquam ipse ad eos venturus nõ esset: corrigit hoc dicẽs: Sed veniã. *Inflati sunt quidam.* Erant nonnulli vt verisimile est qui seipsos prouexerant, arroganter sese gerentes aut ob scientiam, aut ob vitam, aut ob aliud quiduis rerum spiritualium. Deinde hinc inanis gloria ac inflatio subintrarat. Per absentiã siquidem magistri quum nullus esset qui argueret ac corrigeret, inflabantur. *Sed ueniam.* Quod ait, Veniam breui ad vos, terrentis est & pauorem incutientis, idque apparantis vt ipsi vigilarent & in officio continerentur. *Et cognoscã.*
F Fortassis etiam sese iactabant tanquam perfecti ac spirituales: sed veniẽs, inquit potero cognoscere num de vobisipsis gloriemini. Nihil enim meriti habet, absque operibus gloriari, sed si digna sermonibus sint opera: Siquidem non sunt necessarij sermones, sed vt opera spiritualia quis operetur. Sermones nanque sine operibus in regnum cælorum nequaquam introducent. Et hoc est quod ait, Non enim per sermonem est regnum dei, sed per virtutem, id est, per operum demonstrationem.

### CAPVT II.

*Aduersus stupra & scortationes ac eos qui cum his participãt*

Cap.5. QVid vultis? num vt cum virga veniã ad vos an cũ charitate & spiritu lenitatis? Omnino auditur inter vos stuprũ quale nec interGẽtes no-

minatur: vt etiam patris vxorē quis habeat. Et vos A
inflati eſtis ac non magis luxiſtis, vt tolleretur de
medio veſtrum qui facinus hoc perpetrauit.

Nam in veſtra, inquit, ſitum eſt poteſtate vt hæc faciatis: aut vt ſegnes effecti me ad irā & vltionem prouocetis, quē admodum Petrum Ananias, & meipſum Elimas, aut vt ſtudioſē agentes & vigilantes ad charitatē ac lenitatem me excitatis. *Cum ſpiritu lenitatis.* Poteſt enim & ſpiritus eſſe auſteritatis ac vltionis. *Auditur inter uos.* Cōmunem facit omnibus accuſationem, ne ſegnes reddantur tanquā alieni à delicto. *Inter uos*: qui fideles eſtis, tantáque accepiſtis beneficia. Nec dicit Peragitur, ſed ex abūdanti cautione Auditur. *Nec inter Gentes.* A Gētilibus, hoc eſt incredulis exprobrat fidelibus. Quod ſi apud illos nec nominatur, quid dicet quiuis quando hic etiam perpetratur? *Vt etiam patris uxorē quis habeat.* Fortaſsis nouercam. Si quę inter Gentes ſunt, ea vel audiri inter vos magnum adfert opprobriū: turpia quæ inter Gentes peraguntur, hæc etiam inter vos fieri magnā reddet accuſationē. Quòd ſi hoc ita eſt, fieri inter vos quæ nec inter illos perpetrantur, quā non ſuperabit prauitatem? Quod verò ait, Omnino auditur, veluti ex fama obſtupentis eſt & excādeſcentis. O facinus indignum, Omnino, inquit, auditur. Hæc in aliquorum lingua omnino de vobis graſſantur. *Et uos inflati eſtis.* Illius namque delictum cōmunem debuit adferre vobis pudorem? nunc autem inflati eſtis, eo ꝙ videtur ſibi quiſque rectè operari. Quòd ſi proprium duceretis illius delictum tanquā partis veſtri corporis, lugeretis vtique quoniam in commune eccleſiæ damnum redundauit. *Vt tolleretur.* Quare nos lugere oportuit? tanquam ex re oppoſita. Quam ob rem? Non vt eiiceretis, ſed vt tolleretis veluti in peſte quadam: ac ſi dixiſſet Neceſſariæ ſunt preces ac luctus vt tollatur huiuſmodi peſtis. *Qui facinus hoc perpetrauit.* Non exprimit nomen: quod facere conſueuimus in iis quæ admodum abſurda ſunt: tanquā appellationem quoque veluti rem infectam deuitans.

B

Pho.

C

Siquidem ego tanquam abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui tanquam præſens,

D vt is qui hoc ita patrauit, in nomine domini nostri Iesu Christi, tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini Iesu. Non est bona gloriatio vestra.

Properat eum expellere, & neque corporalem suam præsentiam vult ipsos expectare. *Præsens autem spiritu.* Ostendit se spiritu præsentem, veritus ne quid aliud de ipso eiiciendo consultarent & ait, *Iam iudicaui.* Nullus itaque differat: meum aduersus illum iudicium iam stabilitum est. *Vt is qui hoc ita patrauit.* Alij ita legerunt: vt eum qui hoc ita patrauit in nomẽ domini nostri Iesu Christi: hoc est qui in nomen Christi iniurius fuit: & postquam Christi cognomen accepit, talia ausus est, tradatis Satanæ. *Congregatis vobis.* Ne præfracti animi esse videatur quod iam iudicauerit,
E ipsos quoque assumit socios dum ait, Congregatis vobis & meo spiritu, id est mea inuisibili præsentia. Deinde adiunxit: *In nomine domini Iesu*: hoc est secundum deum congregemini ac iudicetis, non humano erga illum pudore aut honore reprimamini: timuit enim ne quid aliud iudicarent. *Et meo spiritu.* Rursum seipsum illis exhibuit, nec id solum, sed & Christum: vt quum iudicauerint tanquam Christo & ipso Paulo præsente, syncerum ac incorruptum ferant suffragium. *Ad interitum carnis.* Terminum præfigit Satanæ, vt duntaxat corpus tangeret, non etiam animam. Simile est
Iob 1. quod de Iob ait deus, Verumtamẽ animam eius ne tangas.
F Bene autem ait, Ad interitum carnis, hoc est vt ægritudine ipsum maceraret. Quoniã enim à corpore & alimento procedunt concupiscentiæ, corpus vult puniri ac mortificari. Interitum itaque dixit carnis, terminum præfigens diabolo, neq sinens eum vltrà procedere. *Vt spiritus saluus sit.* Vt anima, inquit, seruetur, nam & corpus hoc modo seruabitur. Et præterea, In hoc vt spiritus seruetur, id est, vt spiritus sanctus ipsi seruetur, & nõ discedat tanquam ab impio. Hoc autem prouidentis potius est quàm supplicium infligentis. *Non est bona gloriatio uestra.* Subindicat ꝙ illum non permisissent resipiscere, eo ꝙ gloriarentur in ipso. Nam erat hic fortasis vnus sapientum apud ipsos.

An nescitis ꝙ paululum fermenti totã consper-

sionem fermentat? Expurgate vetus fermentum vt A
sitis noua cõspersio, sicut estis azymi, (id est fermẽto carẽtes) Nam & pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festum celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & prauitatis: sed in azymis synceritatis & veritatis.

Ipsis quoque cauet. Etenim malum, inquit, quod negligitur, reliquum ecclesiæ corpus inficit, eo ꝙ alij quoque illud imitentur. Quemadmodum enim fermentum, quum sit modicum, totam fermentat conspersionem, & in totum diffunditur: ita & huius peccatum, inquit, multos ad se attrahit. *Expurgate uetus fermentum*, hoc est eos qui huiusmodi operantur: vetus autem fermentum ipsos appellat, aut ꝙ peccato putrefacti sint, aut quòd omnes in Christo noua sint creatura, solùm autem peccatum sit vetus. Dicens autem, Expurgate, exactã significat purgationem. *Vt sitis noua conspersio.* Nouum enim hominem nouit scriptura eũ qui probus est, veterem verò illum qui impius. Significat autem quòd non multi erant apud eos peccatores. *Vt sitis noua conspersio.* hoc est extra vetus illud fermentum, de quo prædixi quòd debeatis azymi esse, id est fermento carẽtes. Et vnde manifestum est ꝙ fermento carere debeamus? Ex eodem manifestum est. Nam pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Sicut ergo hi qui sub lege viuebant, immolato ab ipsis temporario ac irrationali agno, septem diebus erant azymi, id est fermento carentes. Neque enim licebat fermẽtatum panem, aut domi habere aut edere. Ita quoque & nos æterno ac rationali agno qui tollit peccatum mundi pro nobis immolato (hoc enim est nostrum pascha) debemus semper fermento carere, & esse noua cõspersio, vt nihil veteris fermẽti siue peccati nobisiipsis conferamus. Vide autẽ quomodo consequenter ac familiariter permãserit in metaphora. Quoniam enim peccatum eius qui stuprum commiserat, appellarat fermentum: ostẽdens quòd ex hoc, nisi purificetur, facilè & alia paratur massa siue conspersio: aptauit consequenter & ea quæ sequuntur, nempe vetus fermentum & nouam conspersionem, ac azymos siue panes fermento

(B and C margin letters)

D carentes: virtutes ac vitia his designans nominibus. *Nam & pasca nostrum*. Cõiunctio γὰρ causalis est, & ita causaliter ponitur. Nam pasca nostrũ pro nobis immolatus est Christus. Quoniam enim iubet lex * post primogeniti victimam in paschate septem diebus panes fermento carentes edere, dicit quod panes illi fermento carentes figura erant, ne nos quicquam vitiorũ in nobisipsis haberemus, de quo ait, Christus immolatus, in figuram agni primogeniti immolatus est. Oportet ergo & nos figuram complere panum fermento carentium, expurgãdo nosipsos à fermento prauitatis, vt perfectè celebretur in nobis intellectuale pascha. *Pro nobis immolatus est Christus*. Rursus beneficiorum meminit: Nam ob magna dona celebrare festa oportet. *Non in fermento ueteri*.
E In metaphora perseuerat, acsi diceret, Non in vitiosa prauáque vita, sed in vita quæ commixtionem non habeat veteris illius fermenti acidi grauísque odoris, hoc est, in pura incorruptáque vita: Nam hoc est quod ait, In azimis synceritatis & veritatis (id est, in panibus fermento carentibus, qui sunt synceritas ac veritas.)

* *Autor noster habet hoc loco* μετὰ τὴν τοῦ πρωτοτόκου θυσίαν, *quanquam lex* Exod. 12. *loquẽs de agno immolãdo nullam faciat mentionẽ quod sit primogenit⁹, sed solũ quod sit agn⁹ anniculus*: Nisi *fortassis ideo dicat primogenitũ, quod ob primogenita offerretur, uel mactaretur*. Pho.

Scripsi vobis in epistola ne commisceamini cum scortatoribus: & non omnino cum scortatoribus mundi huius, aut auaris, aut rapacibus, aut idololatris. Alioqui deberetis sanè de mundo exire. Nunc autem scripsi vobis ne commisceamini.

Vbi scripsit? Quando dixit, Ac non magis luxistis vt tolleretur de medio vestrum huiusmodi, non hic aut ille, sed
F quicũque fuerit huiusmodi. Rursumque, Expurgate vetus fermentum, non hoc aut illud, sed totum vetus fermẽtum. Sumpta enim occasione ab vno qui scortatus fuerat, ad communem transcẽdit sermonem, hoc est, ad omnem scortatorem. Et inde cõmuniorem adhuc ostendens sermonẽ: rursus idem subiũgit præceptũ de his quoq; qui in similibus delinquerent, vtpote auaris, idololatris, aut aliud quippiã simile perpetrantibus. *Scortatoribus mundi huius*. Ne existimarent oportere se non commisceri scortatoribus Grçcis, quod impossibile esset iis qui ciuitatem inhabitarẽt, corrigit illud. Quod autẽ hic ait, Omnino, significat quod in confesso est. *Alioqui deberetis sanè*. Studet ostendere datum præceptum

tum poſsibile eſſe, tum etiam facile. Ne iudicetis, inquit, ſcortatores huius mūdi, nēpe idololatras: alioqui neceſſe vobis eſſet ab illis quoque exire: ſed iudicate ac diiudicate credentem qui ſcortator eſt. A

Si quis frater dictus fuerit ſcortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi ne cibum quidē capiatis. Quid enim ad me attinet etiam eos qui foris ſunt iudicare? nōne eos qui intus ſunt vos iudicatis? Eos verò qui foris ſunt deus iudicat. Etiam auferte eum qui malus eſt ex vobiſipſis. Deut. 13.

Pho. Vocem, Dictus, quidam præcedenti coniungunt dictioni, & per eam ſignificari volunt quòd frater quidem dictus ſit, B & ſolius appellationis habēs conſortiū, re vera autem inimicus ac diſsidēs, mihi verò nō malè quadrare videtur, ſi quis etiam illud ſequētibus iunctū acceperit, vt dictio ὀνομαζόμενος dictus ſiue nominatus, iam non ipſam deſignet beneuolentiam, ſed potius contrarium, nēpe eum qui propter maniſeſtiſsima iam opera, etiam apud omnes à propriis nominatur operibus. Siquidē dictio hæc ſignificatione bifariā diſſecatur, quemadmodum & aliæ multæ dictiones: quandoque videlicet vt eum ſignificet prout diximus, qui ſolo nomine conſortium habet: interdum verò eum qui ad extremū progreſſus eſt operis, vt inde cōmunem quoque appellationem ad ſeipſum deriuauerit, vt ab hac magis quàm à proprio nomine, & cognoſcatur & appelletur. Huiuſmodi itaque ſcor- C tatorem, & auarum, & conuitiatorem, & ebrioſum, hoc eſt, qui adeò publicus ac manifeſtus eſt, vt hinc etiam ab omnibus cognoſcatur ac nominetur, hunc euitare iubet, & cum eo nec cibum capere, nec colloqui aut conuerſari: nō autem eum qui quorundam exponitur ſuſurrio aut detractioni. ideo ſapiēter admodum, ac non ſine magna efficacia inter alios abſurdos operatores adiunxit quoq; conuitiatorem: vt ſciēs eādem pœnam ſe habiturū quam ſcortator aut idololatra, quantū ad hoc attinet vt ab omnibus deuitetur, linguā frenet ac contineat nec eam ſoluat ad rodendum proximorum vitas. Idololatram verò propterea mihi connumeraſſe

D videtur in hoc loco, vt doceret certósque redderet, quòd licèt magnum esset scelus vnúmque ex absurdissimis, de quo nonnulli accusant hominem, si in lucem non prodiit., nec ita oportere ex sola suspitione deuitari. Siquidē hoc modo mutuis inter se suspitionibus ac calūniis irritati homines, conuersationem suam transmutarent ad vitam hostium, imò potius ferarum. Sed illum oportet à seipsis abigere ac separare, qui manifestus effectus est tam operibus quàm appellatione qua apud eos nominatur. *Aut idololatra*. Et quomodo potest qui frater est, hoc est, fidelis, esse simul idololatra? hoc eum significat qui frater solùm dicitur. Etenim quidā crediderant & simulachris adhærebant: ideo quoque dicit, Frater dictus: talis siquidem re vera non est frater. *Quid enim ad me attinet etiam eos qui foris sunt iudicare*. Consequenter

E caussam reddit cur non prohibeat conuersari cum Græcis scortatoribus, aut auaris, ac cæteris. Quia iudicium inquit, de illis deo permittendum est: nos autem fratres corrigimus. *Eos verò qui foris sunt deus iudicat*. Deinde ne delinquētes Græcos existimes immunes futuros à supplicio, terribilius magisque metuendum illis assignauit tribunal, nēpe dei. *Etiam auferte eum qui malus est*. Testimonium adduxit, ostendens quòd supernè illud sancitū est: nec est nouum præceptum, aut nunc recens promulgatum, vt auferretur is qui malus est de medio. Quod autem addit, Ex vobisipsis, ostēdit ipsos quoque iuuari, si mali separentur. Si deus hos iudicaturus est, separamini ab eis.

F

## CAPVT III.

*Quòd non oporteat habere lites ac iudicia.*

Cap.6. AVdet aliquis vestrum negotium habens cum altero, iudicari sub iniustis, & non magis sub sanctis? An nescitis quòd sancti mundum iudicabunt? Et si per vos iudicatur mundus, indigni estis abiectissimis iudiciis. An nescitis quòd angelos iudica bimus, nedum mundana?

Pho. Vide quòd de rebus quæ iam in confesso sunt, faciat accusationem, statímque ab initio iram demōstret, & rem ipsam vocat ausum, ac legis trāsgressionem. His, inquit, ita decēti

modo compositis,vt habeatis potestatem iudicandi aliquos A
è fratribus qui inter vos sunt, non permittamini autem idē
facere erga eos qui foris sunt, audet aliquis extraneos vocare,ac illos vobisipsis præficere iudices, & non confunditur id vel animo concipere, vt fideles sibiipsis iudices constituant infideles? & pro sanctis iniustos cōstituant? Hoc autem vehemēter vndequaque communit,vt seipsos comprimant:nec incredulis in quauis re dēt occasionem, neq; dum iudicantur, neque dum aliud quippiam eorum quæ non satis honesta sunt,aut pacifica perpetrant. Nam hoc modo efficiebat, vt propter ipsos nomen dei conuitiis non incesseretur:& agebat vt illi ad religionis amorem & afflatum incitarentur. *Iudicari sub iniustis*. Quod primùm assequi cupit
is qui iudicatur,nempe iudices iustos,hoc ostendit illū non B
assequi:nam iniusti sunt,inquit. Attamen aduertendum est, quòd de Græcis dictum est iudicibus. *Et non magis sub sanctis?* Audet,inquit,quispiam huiusmodi rem operari,vt quū habeat iudicari cum fratre,nō iudicetur sub sanctis,sed sub Grçcis? Significauit itaque id quod in eis fide dignum erat, quum sanctos vocauit:adhuc autē magis eos extollit dicēs, *Mundum iudicabunt*. Non ipsi quidem sedentes aut iudicantes. Absit. Dominus enim est qui iudicat,sed mundum condēnantes:quomodo? dum ipsi qui homines erāt, & similiter vt nos affectionibus obnoxij,& crediderūt,& probam prçstiterunt conuersationem : an non accusatores nostri erunt, qui tales effecti non sumus? Conuincunt enim nos quòd nō
naturæ imbecillitate,sed socordia peccauerimus:quod ostē C
dens subiungit: Et si per vos iudicatur mundus. Non dicit, A vobis,sed Per vos. Nā ἐν ὑμῖν capitur pro διὰ ὑμῶν: *Quòd sancti*. Ex ipsis nudis nominibus iudicij facit diuersitatem, illos quidem vocans iniustos,hos autem sanctos. *Indigni estis minimis iudiciis*. Pudoris,inquit,vobis est,vt,qui mundū iudicaturi estis, in abiectis ac iniustis incredulorum iudiciis iudicemini. *Quòd angelos iudicabimus?* Angelos vocat
dæmones, quemadmodum & Christus dicebat diabolo & Mat.25.
angelis eius. Quomodo autem ipsos iudicabimus? Quū ipsi qui sunt incorporei, inferiores nobis inuenti fuerint qui carnem circunferimus,amplius condemnantur. Quum autem angelos iudicaturi simus, quantò magis res mundanas?

Pho. ALIVD. Si angelos qui propriæ mentis prauitate ab ordi
D ne suo exciderũt, si hos iudicabimus aut arguemus qui cor
pora habemus: quia illi corporibus carentes suam non ser-
uarunt legem, nos autem secundum datas nobis à domino le
ges (etiam illis nos impetentibus) conuersati sumus: si ergo
illos arguemus, & inexcusabile constituemus illorum pec-
catum, quantò magis idonei sumus qui humanas contẽtio-
nes dissoluamus, mutuásque inter nos causas ac lites? Quòd
si nondum his quæ dicta sunt persuademini, sed adhuc exi-
stimatis infirmum esse credentium iudicium ac inualidum
ad caussas & contentiones quæ inter vos sunt, dissoluendas.
Attamen etiamsi inter vos fuerint infirmi & contempti fi-
E deles, quíque non posint iustum intelligere iudicium, me-
lius tamen est hos sedere iudices, quando vobis necesse fue
rit mundana habere iudicia, quàm vosipsos incredulis tra-
dere in iudicium. Abiectos autem seu contemptos dixi, in-
quit, confundens vos ac pudefaciens: quoniam multi sunt
qui posint caussas & contentiones quæ sunt inter vos dis-
soluere. Id enim maximæ verecundiæ & vituperationis est,
si ne vnus quidem inter eos sapiens sit, qui iustè posit in-
ter dissentientes fratres iudicare. Varias autem ponit pro-
bationes ꝙ non oporteat relictis fidelibus ad tribunal acce-
dere incredulorum. Primùm quidem quia nunc cum fideles
sumus, non iudicamus illos, quum sint increduli. Quid e-
Sup.5. nim, inquit, ad me attinet etiam eos qui foris sunt iudicare?
quàm magnum ergo opprobrium est ab incredulis iudicari
F fideles? Secundò. Si illi quidem iniusti sunt, isti verò sancti:
quanta dementia est relictis sanctis currere ad iniustos, idq;
quum assequi cupiãt quod iustum est? Tertiò. Si sancti mũ-
dum arguent, ac ineuitabilem eorum causam efficient, eo ꝙ
quum eiusdem essent naturæ & virtutes operarentur, non
habuerunt eos imitatores quos arguebant, quãtò magis po
tentes sunt qui inter duos arbitri sint ac iudicent? Quartò.
si potentes sumus qui & angelos, id est, dæmones incorpo-
reos arguamus, quantò magis illos qui eiusdẽ nobiscum na-
turæ sunt, eiusdémque rationis viuendi. Quintò. Etiamsi nõ
possent credentes litem dissoluere, hoc tamen modo melius
esset sub eis iudicari, quàm sub infidelibus. Adhæc, si mun-
dum, inquit, iudicamus, an non indignum est vt ab incredu-

lis iudicemini? Nam hoc significat quũ ait, Et si per vos iudicatur mundus, indigni estis abiectissimis iudiciis. Vbi autem tot rationes addidit probantes non oportere ab incredulis iudicari, ad id quod perfectius est sermonem reducit, & ait, Quid dico non oportere vos ab incredulis iudicari? melius esset ne à credentibus quidem, sed multò melius nullas inter vos habere lites. Nam idipsum mutuò accusare ac quærelas habere, deiectio vestri est. Optimum itaque esset, vt nemo iniuriam irrogaret, aut etiam iniuria afficeretur: ita enim cõmunis esset omniũ virtus ac salus. Si verò necesse est vt alterum accedat, eligibilius est iniuriam pati, quàm illam irrogare. Siquidem hoc è regno eiicit, illud autem ipsum conciliat. Quòd si non modò nõ eligitis iniuriã accipere, sed & illam irrogatis, idq; aduersus fratres, & qui eiusdẽ sunt fidei, quantùm vobis id ad pœnas cedet supplicij? A B

Mundana igitur si habueritis iudicia, qui contempti sunt in ecclesia eos constituite. Ad erubescentiam vestram dico. Adeò non est inter vos, ne vnus quidem sapiens qui posit diiudicare inter fratres suos? sed frater cum fratre iudicio contendit, idque sub infidelibus.

Hoc est, si ipsorum necessitatem habueritis, si necesse sit vt ea sint inter vos, si opus fuerit ea constituere. Et hæc quidem intelligentia ac ordinatio facilis est. Potest autẽ & profundiùs distinctis dictionibus intelligi, sensusque aperiri. *Qui contempti sunt in ecclesia*. Ex abundanti vult nos ab externis discedere iudiciis, & ait, Potest quispiam omnino dicere quod non sit quisquam sapiens in ecclesia siue congregatione, qui posit diiudicare: Etiamsi iuxta vestrum sermonem non sit sapiens, eos potius qui contempti sunt in ecclesia, id est, abiectiores constituite litium direptores siue iudices quàm infideles. Ad *erubescentiam uestrã dico*, vt confundam, inquit, vos, & ex abundanti tollam vestros prætextus, dixi oportere abiectos constituere. Quandoquidem tanta est apud vos sapientium raritas, vt eos qui contempti sunt necesse sit cõstituere iudices. *Inter fratres suos*. Addidit Inter fratres, hoc significans quòd quum erga fratrem sit caussa, non erit ar- Eiusdem. C

D bitro necessaria varia rerum cognitio,affectu fraterno multùm adiuuante ad contentionis diremptionem. *Frater cũ fratre.* Duplex est malum. Nam si etiam hoc malum est,vt frater aduersus fratrem iudicetur,quãtò magis si etiam sub infidelibus iudicemini.

Itaq; hoc iam omnino deiectio vobis est,ꝙ iudicia inter vos habeatis.Cur non potius iniuriam patimini?Cur non potius damnum accipitis?imò vos iniuriam facitis,& damno afficitis,idq; fratres.

Postquam ad iudices retulit quod eos concernebat:deinceps quoque ipsum omnino iudicari vituperat, rem ipsam vocans deiectionem: & meritò. Per iram enim deiicitur ac E vincitur,qui eũ insequitur à quo affectus est iniuria,In eo, inquit,ꝙ iudicia habetis, ab iræ contentionisq; affectu vincimini,siue sub his,siue sub illis iudicia habeatis.*Cur non potius iniuriam patimini?* Multiplex est delictum.Primum ꝙ eũ non feratis qui infert iniuriam.Secũdum ꝙ iniuriam faciatis. Tertium ꝙ etiam fratrem iniuria afficiatis. Acsi dixisset,Bonum quidem esset neque iniuriam facere,neque iniu-
Oecum. ria affici. In electione autem melius est iniuria affici.

An nescitis ꝙ iniuriam inferentes regni dei hæreditatem non accipient?Ne erretis. Neque scortatores,neque idololatræ, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concũbunt cum masculis, neq; fures,
F neq; auari,neq; ebriosi,neq; conuitiatores,neq; rapaces regni dei hæreditatem accipient.Atq; hęc eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritum dei nostri.

Sermonem minis clausit in eo quod dixit,Iniuriam inferentes regni dei hæreditatem non accipient. *Ne erretis.* Innuit hic fuisse quosdam apud eos qui dicerent, Benignus est deus,& omnibus ignoscit, ac in regnum cælorum introducit etiam peccatores ex benignitatis abundantia, ait ergo, Ne hæc dicentes ac sperantes erretis. Siquidem id re vera
Oecum. error est,bona sperare & non assequi.*Neque scortatores.* Illũ

designat scortatorem de quo prius, ideo etiam primò loco posuit. *Neque ebriosi, neque conuitiatores.* Quam ob causam ebriosos ac conuitiatores posuit cum adulteris & idololatris ac concumbentibus cum masculis? Quoniam & Christus eum qui Fatue diceret, obnoxiū gehennæ asseruit: & Iudæi ex comessatione ac ebrietate in idololatriam venerunt. Deinde ait ꝙ hi omnes regno interim cælorum excidunt: cęterùm suppliciorum diuersitatem in futurū cognoscemus. *Atque hæc eratis quidam.* Hæc, inquit, multi habebatis, & eratis quidem hęc habentes. † *Sed abluti estis.* Postmodum Christi beneficia recenset, Eratis, inquit, quæ prædicta sunt: sed puros vos reddidit Christus nec id solùm, verumetiam sanctificauit, neq; hoc tantùm, sed & iustificauit. *Per nomen domini Iesu.* Et hæc, inquit, omnia vobis contigerunt per nomē Christi & per spiritum sanctum, Per Christū, inquam, & per spiritum: non per hunc aut per illū: ipsorum præpositos rursum designans, sapientes ac diuites.

A Mat. 5. Exod. 32. † *Vt videlicet subaudiatur* ἐχοντες, *ne pe Græca phrasi qua dicūt Eratis habentes, pro habebatis.* B

Omnia mihi licent, at non omnia conducūt. Omnia mihi licent, at ego non redigar sub vllius potestatem. Escę aluo, & aluus escis. Deus autem & hāc & illas abolebit. Corpus verò non stupro, sed domino, & dominus corpori. Deus autem & dominū suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam.

Ad alium affectum transfert sermonem, & inuehitur in eos qui gulæ dediti sunt. Licitum mihi est edere ac bibere, verùm hoc non conducit nisi cum mediocritate facere. *At ego non redigar sub ullius potestatem.* Dominus, inquit, sum, vt edam ac bibam: verùm si his non seruata mediocritate meipsum tradidero, horum seruus inueniar, quum domini seruum esse oporteret, & his inseruiam, sicut alibi dicit, Quorum deus venter est. Itaque non redigar sub horum potestatem. *Esca aluo.* Escas hoc loco appellat edacitatem, seu inexplebilem edendi auiditatem: aluum verò siue ventriculum, gastrimargiam siue gulositatem, non ipsum ventrem. ALIVD. Si escas oporteat simpliciter alimentum intelligere, & aluum receptaculum ciborum: melius est vt id quod subiungitur, ad vaticinium futuri seculi accipiatur: acsi di-

C Philip. 3. Pho.

D ceret, Deus autem & hanc & illas abolebit, hoc est, Sed hæc in resurrectione otiosa erunt & inutilia: Deo nos ad incorruptionem transferente, vt neque cibo opus sit, neque ad ciborum receptionem venter præparetur. Potest quoque eius quod dicitur, Escæ aluo & aluus escis, talis esse intellectus (vt κοιλία pro ventre sumatur) hęc, inquit, se mutuò irritant & expetunt. Ipse enim cibi appetitus qui in ventriculo est, alimenta requirit: rursumque ipsa alimenta appetitũ qui in nobis est, irritant & excitant. Deus autem vtraque in resurrectione otiosa ac inutilia efficiet. Non oportet itaq; de his quæ futura sunt inutilia, nimis esse solicitos. Si verò per escas insatiabilitatem ciborum intellexerimus, per aluũ autem ventris inexplebilitatem (nihil enim prohibet, quin

E hæc dictis significentur dictionibus) iam id quod sequitur, per vaticinium non accipitur, sed potius per execrationem & pœnam, Hæc, inquit, deus abolebit, auferet hæc à nobis: propellet edacitatem & gastrimargiam: his malis nos efficiet liberos. Quòd si illis execrationes adferimus, & ab ipsis non liberari precamur, quomodo non abominabimur? *Et aluus escis*. Tanquam dixisset, Edacitas amorem habet ad gastrimargiam, & hæc ad illam: nec possunt hæc ad Christũ nos transmittere: sed ad se inuicem mittunt eos qui ipsis credunt, nempe illa ad hanc & hæc ad illã. Et hanc & illas abolebit. Non vẽtrem dicit, sed immodicitatem: neque cibum, sed delitias. Quid est autem Abolebit? Quidam dicunt vaticinium esse futuri seculi, ꝙ ibi non contingat edere aut bi-

F bere. Si autem id quod modum seruat finem habet, multò magis quod modo caret. Quidam autem dicunt ꝙ admonitionem precatione concludat: acsi diceret, Vtinam & hanc, videlicet immediocritatem, & has, nempe delitias deus aboleat *Corpus uerò non stupro*. Ne existimares ꝙ corpus accusaret quum aluum diceret, ostendit ꝙ corpus in accusatione non fuerit, sed gastrimargia. Nam corpus, inquit, non ob id formatum est, vt delitiis seruiat, & ex hoc in stuprum excidat, sed vt Christum tanquam verum caput suum sequatur: vtq; Christus ipsi immineat, semperque adsit. Consequens autem erat vt diceret, Corpus verò non gastrimargiæ aut delitiis destinatum est, sed hoc relicto, stuprum dixit quod ex his generatur, effectum ostendens gastrimargiæ, qui est

stuprum.

stuprum. *Deus autem & dominum suscitauit.* Quum adhuc in sipientes essent, condescendendum fuit & ad eorum insipientiam ac infantiam loquendum, ne turberis audiens quòd deus Christum excitauerit. Neque enim hoc dicit quòd seipsum excitare non potuerit. Siquidem ipse erat qui dicebat: Soluite tēplum hoc & in tribus diebus erigam ipsum, & rursum: Potestatem habeo ponendi animam meam & resumendi ipsam, & in actis dicit: Quibus exhibuit seipsum viuētē: Sed Apostolus quę filij sunt patri attribuit, & quæ patris sunt filio. Nam quæ pater facit, hæc & filius facit, & nos resuscitat. Si ergo sumus Christi mēbra, sicuti certè sumus, manifestum est quòd excitato capite, reliquum vnà corpus excitabitur. *Per potentiam suam* Eius quod in sermone creditu difficile erat, per dei potentiam fidem facit, quod ad Christi resurrectionem non posuit iam enim facta erat, sed propter nostram resurrectionem: ne increduli simus, & vt contradicentibus obturet ora.

A Oecum.

*Iohā. 2. & 10. Acto. 1. Iohā. 5* B

An nescitis quòd corpora vestra mēbra sint Christi? Num igitur tollens membra Christi faciā scorti membra? Absit. An nescitis quòd qui adglutinatur scorto vnum corpus est? Erunt enim duo, inquit, in carnem vnam. At qui adglutinatur domino, vnus spiritus est. Fugite scortationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.

*Gen. 2. Matt. 19.* C

Ad pręmissam redit adhortationē quæ aduersus scortationem erat. Vide autem quòd non dixerit Membra Christi iūgam meretrici, sed quod horribilius erat, nempe tollere à Christo eadem ipsius membra, & efficere, vt sint scorti. *Erunt enim duo*, inquit, *in carnem unam* Ad testimonium adducit vetus testamentum. Quomodo autem erunt siue redigētur in carnem vnam? Quoniam commixtio non permittit duos esse duos, sed vnum efficit: & quoniam membra Christi sunt homo qui scorto vnitur, illi seipsum vnit, Christiq; mēbra conspurcat. Et quanquam in verò quoq; cōiugio vniantur duo in carnē vnam, pari tamen modo etiam accidit in infami scortatione. *At qui adglutinatur domino.* Vide quo-

D modo apertis nominibus scorti & Christi, producat accusationem, reddens ipsam grauiorem. *Vnus spiritus est.* Talis inquit, etsi corpore circundetur, spiritus tamen efficitur, ex hoc solùm quòd nihil carnale operatur. ALIO modo. Aut quia per medium spiritum sanctũ deo coniungitur, qui per spiritualia opera ipsi adglutinatur. ALIO modo. Vnius est speciei, omnino spiritualis efficitur vnione ad dominũ, non attrahitur carnalibus affectibus, neq; scinditur in duplum quiddã, deo seruiens & Mãmonæ, sed vnitus omnino est, totusq; spiritualis, in spiritus vnitatẽ adductus. *Omne peccatũ quodcunque fecerit homo.* In scortatione, inquit, totum corpus conspurcatur: propter quod etiam moris est, vt qui scortati sunt ad balnea currãt. Homicida verò & raptor manus dũtaxat commaculant, Quod autẽ dicit, Fugite scortationem, studiosam designat euitationem. Aut quia cętera vitia ex animi vniuscuiusq; procedunt affectibus, vtpote iræ in homicida, inanis gloriæ in his qui ditescere cupiunt: scortatio verò ex ipso corpore fontes sui habet ardoris. Rem autẽ augere voluit, quoniam de eodem præmissa est ab ipso exhortatio. Neq; enim omnia omnino excedit in prauitate scortatio. Plures hac de re dedit interpretationes beatus Seuerianus quinquagesimo septimo volumine sermone tertio capite decimo nono hanc ipsam dicens esse Chrysostomi. Et aliã. Quia is, inquit, qui scortatur, in propriã peccat substantiã & in ipsam humani corporis formationẽ, iniuriam exercẽs in corporis nostri officinã. Et tertiã. Quia corpus Christi & membra homo est, qui in proprium peccat corpus, in Christũ caput nostrũ peccat, cuius etiam templum est corpus. Inter omnia verò & hæc accipe si placet. Volens scortationis augere peccatum, talẽ quempiam scopum habet, nempe ꝙ innumeris dignus est scortator suppliciis: qui enim nõ abstinet à fœdando proprio corpore, quomodo ab alio abstinebit? Nam qui sibi nequã est, cui bonus erit. ALIO quoque modo. Scriptum est de viro & muliere: Erunt duo in carnem vnam. Qui ergo non lege diuinísve coniunctus est nuptiis, sed scortatur, vbi opus esset honorandum habere connubium thorúmque immaculatum, ex scortatione & immunditia quæ inde prouenit, iniuria afficit nuptias & vxorem. Qui autem hoc facit, in proprium corpus delinquit,

Oecu. Pho. E Oecu. Eiusdem F *Eccle.14. Heb.13.*

dum in vxorem delinquit, quæ vnum corpus est cum viro: A
imo corpus viri est ea ratione qua ipsius latus est & ab eo Gene.2.
sumpta. Harum interpretationum postremam arbitror esse pulcherrimam: seruat enim verbi sentētiam, sic vt nihil illi desit, nihilque abundet. Nam hoc modo deducitur. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, illud operabitur absque contumelia ac immunditia quæ fit in vxorem: qui autem scortatur, in vxorem peccat, immunditia ac turpitudine ipsam replēs. Præter hæc omnia diui quoq; Athanasij datur interpretatio, qui in libro de venerādis nuptiis vltra ista omnia ita interpretatus est. Ad delicatos ac voluptuarios scribens Paulus, auxilio voluptuariæ eorum vitæ vsus est B
ad scortationis depulsionem, hoc dicēs ꝙ cætera peccata animam iniuria afficiunt, & in solā ipsam nocumentum trāsmittunt: qui verò scortatur, corpus vnā cum anima afficit iniuria, corrumpens illud ac debilitans, & animalē ac vitalē auferens vigorem. Ac si dixisset: Parcite vel corpori vestro
quod excolitis ac fouetis & cuius summā habetis rationē. Eiusdem
Quid ergo, an non & inuidia corpus macerat? Cur ergo solā scortationem dicis hoc facere? Cautè admodū loquutus est Apostolus. Ait enim: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: inuidia verò non fit à nobis, sed in nos efficitur. Patimur enim & non agimus inuidiam, passió que est & non actio: nunc autem de actione sermonem facit Apostolus, & nequaquam de passione. Ait enim: Omne
peccatum quodcūque fecerit homo. ALIO modo. Ipsum Pho.
suum corpus diuidit, & in seipsum nō in alium exercet in- C
iustitiam, quod de nullo aliorū inuenitur peccatorum. Omnes enim aliis nocumentū inferendo peccant: qui verò scor-
tatur sibiipsi nocet, maloq; afficit. ALIO modo. Deductio Eiusdem
præmissi verbi talem ostendit esse intellectum. In propriū corpus peccat, hoc est in ipsum propriū domini corpus. Etenim subiūgit. An nescitis ꝙ corpora vestra templum sunt spiritus sancti. & rursum: Et nō estis vestri iuris. & paulò antè: An nescitis ꝙ corpora vestra membra sunt Christi? rursumque, Num igitur tollens mēbra Christi. Itaq; is qui scortatur in propria Christi membra, & in ipsius corpus delinquit. Quid ergo, inquit, qui in cæteris delinquūt vitiis, an nō & ipsi iuxta eūdē sermonē in Christi corpus delinquūt?

D Et dicimus quòd non eo modo. Quanquam enim is qui furatur,aut qui homicidium cõmittit, per aliquod membrum peccatum faciat,at non in ipsum membrum sed extra & in quępiam alium operatur malũ:qui verò scortatur , per ipsa quoq; membra sicut & illi,& in sua mẽbra totúmq; corpus nocumentum & iniuriam committit. ALIO modo.Non di
1 xit Per corpus peccat,quod multi existimãtes,negotium facessunt interpretibus,sed In proprium corpus peccat,in ipsum labitur,ipsum inquinat,ipsum reddit detestandum,veluti si quis dicat: Quidam seipsum iniuria afficit dum alterum putat iniuria afficere. Nunc enim respicit Apostoli ser-
E mo non supplicium quod postea sequiur peccatum, sed iniuriam quæ in ipso opere fit corpori ex coitu venereo,hoc est fœdationẽ:Siquidem qui homicidium perpetrat,aliũ interimit.qui verò scortatur,seipsum iniuria afficit. Et qui cętera operatur peccata,in alia operatur:scortator autẽ seipsum pudefacit,seipsum inquinat.vnde etiã abluuntur,eo quòd fœditatem intelligant, & absurditatẽ abominẽtur. Etenim cætera delicta in eum etiã respiciunt qui iniuria afficitur, hoc autem in eum qui afficit iniuria. Cætera extra corpus sunt facientis,hoc inquinat ipsum facientem.In cæteris ali
2 os iniuria afficit,in scortatione verò seipsum.Quòd si secũdum aperiri tibi velis ostium,cõsidera quòd quum frequẽ-
F ter homini laboranti defectu aut delicto quodvenia dignũ est adhortantes dicamus : Frater discede ab hoc morbo qui cæteris omnibus peior est,non quòd omnes excedat,sed quòd ab illo quoq; velimus ipsum separari:nũ forte Etiã Apostolus de stupro hoc dixerit, & cupiẽs eũ qui apud Corinthios scortatus fuerat castum esse,in hanc erupit vocẽ.Si verò
3 & tertiũ:intellige quòd sicut is qui triticum aut aliud semen in mare proiicit,in semen peccat,prohibens ipsum ne ad generationem procedat:ita & qui suum semen in scortũ proiicit, in proprium corpus peccat: scortum enim non solùm interimit quod peperit,sed impedimentum etiam ponit ne pariat. Quod si etiam quartum:intelligere oportet quòd ea
4 parte qua agit,etiam patitur.Siquidẽ nisi passus esset, non defluxisset , quòd si defluxit,corruptus est:si autẽ corruptus est,iniuriam accepit.Deniq; in nulla alia operatione quàm in viri cum muliere cõmixtione, dicitur eos esse corruptos

qui virginem aut adoleſcentulum aggreſsi ſunt. Si verò & A
quintum: intellige ꝙ is qui ſcorto congreditur,ſi infantem 5
generet,ad ſcortationem creſcit,& qui poſtea viderit,dicet:
verè ille ſeipſum iniuria affecit. Ecce ergo ſemen, imo po-
tius ſuum ipſius corpus cõſtuprat. Quòd ſi ſextam quoq; 6
interpretationem deſideras : animaduerte ꝙ ſi quis ancillæ
commiſceatur,is quem illa pariet ſeruus erit:an nõ ergo in
ſeipſum peccat qui ſeruum ſtudet generare ? Si verò optas
& ſeptimam , vide ꝙ is etiã qui generatur iniuria afficitur, 7
quum nothus apelletur & vbiq; locorum ſit abiectus:& ſiue
in cõſilium ſiue in iudicium ingredi oporteat,abiicitur:per
quod is etiã qui generauit particeps eſt pudoris:nam recor-
dationem propriæ accipit libidinis. Quòd ſi octauã quo- 8
que cupis,cõſidera quod dicturi ſumus,nẽpe ꝙ is qui ſcor- B
tatur , vnum cum ſcorto efficitur , propria membra faciens
ſcorti membra:& ita verè in ſeipſum peccat. Siquidem nõ-
nulli cæde ſunt bene vſi,vt Moſes ac Phinees. Et ira,vt Pe- Exod.2.
trus & Paulus:ſtupro verò nullus vnquam bene vſus eſt. Si Nume.25
verò & nonam,conſidera ꝙ quia vnum corpus eſt eccleſia, 9
ſinguli autem alij aliorum membra: qui ſcortatur in omnes Acto.5.13
peccat:percurrit enim eius lapſus ad eccleſię plenitudinem, Rom.12.
à qua etiã ſeparare ſe deſtinauit donec reſipiſceret. Quòd
ſi & decimam deſideres,dici poterit ꝙ quum hi qui lege ho 1
norandi cõnubij conueniunt, vnũ fiant corpus (nam erunt,
inquit,duo in carnem vnam. Ideo etiã vxor proprij corpo- C
ris poteſtatem nõ habet,ſed vir:ſimiliter etiam vir) meritò
vir qui ſcortatur,in vxorem, hoc eſt,in propriũ corpus pec
cat.Similiter & vxor.Nam in ſolo hoc peccato legẽ poſuit
Chriſtus, vt à ſe inuicem ſepararentur. *In proprium corpus peccat*, hoc eſt proprium corpus reddit impurum.

An neſcitis quòd corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis ſpiritusſancti , quem habetis à deo,& non eſtis veſtri iuris? Empti enim eſtis precio. Glorificate iam deum in corpore veſtro & in ſpiritu veſtro,que ſunt dei.

Et doni magnitudine & eius qui dedit dignitate deterret. Nam ſpiritus donum eſt:habetis autẽ hunc à deo. Deus enim eſt qui dedit,& qui habitat in tẽplo dei,hoc eſt in cor-

D pore vestro. *Et non estis uestri iuris.* Non tollit ipsam libertatem, sed à malis arcet operibus. Dominum, inquit, habetis tanquam serui, & nihil habetis proprium, ne ipsum quidem corpus. Empti enim estis pretio, nẽpe sanguine filij ipsius, quum redacti essetis sub potestatem Satanæ. *Glorificate iam deum.* Quandoquidem empti estis à deo, glorificate ipsum

Matth.5. per bona opera. Ait enim, Vt videãtes bona opera vestra glorificent patrem vestrum qui in cælis est. *Et in spiritu uestro.* Hoc dicens ostendit quòd nõ solo corpore fugere oporteat

Ibidem. stuprum, sed & spiritu, id est anima; vt neque mente fiat pollutio. Ait enim, Quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendum, iam cum ea adulterium commisit in corde suo. *Quæ sunt dei.* Frequenter ad memoriam reducit quòd non

E simus nostri iuris, sed sub domino simus. Hoc indicat, Quæ sunt dei, & non vobis propria.

## CAPVT IIII.

### *De nuptiis & uiduitate ac cœlibatu.*

Cap.7. CAeterùm de quibus scripsistis mihi. Pulchrum est homini mulierem non attingere. Attamen propter stupra vitanda, suã quisq; vxorem habeat, & suum quæq; virum habeat. Vxori vir debitã reddat beneuolentiã: similiter autẽ & vxor viro. Vxor

F proprii corporis ius nõ habet, sed vir. Similiter autem & vir proprij corporis ius nõ habet, sed vxor.

Scripserãt Paulo vtrum oporteret ab vxore abstinere an non. *Pulchrum est homini,* Pulchrum, inquit, est & eximiũ vt mulierem omnino non attingat: quod autem securum est & in auxilium imbecillitati nostræ datum est, vt vir legitima vtatur vxore, & vxor legitimo vtatur viro. *Attamen propter stupra uitanda.* Hæc ipsã permissionis caussa ad cõtinentiam adhortatur. *Debitã beneuolentiam.* Ostendit beneuolentiam debitum esse, putà fidelitatem ac mutuũ amorem, & nõ gratis exhiberi. *Similiter autem & uir sui corporis ius non habet.* Quandoquidem dixerat, Debitã beneuolentiã, intepretatus est quænam illa sit: hæc, inquit, est ꝙ neq; vir neq; vxor sui corporis ius habent, sed huius ius alter habet. Videtur autẽ

beneuolẽtia esse amicitia, & maximè beneuolus fidelis amicus. Verùm quã ob caussam in aliis plus tribuit viro, vbi de subiectione & potestate ipsi sermo est: nunc autẽ æqualitatẽ dedit? Et dicimus ꝙ ibi de primario ipsi sermo est, nũc verò de continentia, in qua neuter plus aut minus habere debet. A

Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex cõsensu ad tẽpus, vt vacetis ieiunio & orationi: rursumq́; in vnum conueniatis, ne tentet vos Satanas propter intemperãtiam vestram. Hoc autẽ dico ex permissione, non ex pręcepto. Nam cuperẽ omnes homines esse vt ego ipse sum. Sed vnusquisq; proprium donum habet ex deo, vnus quidẽ sic, alius verò sic. B

Vide quòd & hic quoq; debitũ significauerit verbo Fraudare. *Nisi si quid ex cõsensu.* Ne contineat, inquit, alter nolẽte altero, ne quo modo tẽperantia sit alteri parti caussa stupri. *Ad tempus.* Hoc est conuenienti tẽpore: occasio autem abstinendi est ieiunium & oratio. Hoc autẽ dicit, non prohibens eos qui cõmiscentur cum vxore ieiunare aut precari: sed vt ieiunium ac oratio studiosius fiat. Nã abstinete, inquit, vt vacetis ieiunio & orationi: ne videlicet occupationem causset impuritas cõmixtionis cum legitima vxore. *Propter intẽperantiam uestrã.* Vt discas ꝙ non solus diabolus stupri caussa sit, sed etiã nostra intemperantia, subiungit, Propter intẽperantiam vestrã: ostendens hinc magis quàm ex diabolo oriri C
tentationes. *Non ex præcepto.* Neq; enim sicut Nõ occides, Oecu.
Non adulterium cõmittes, ita nunc quoq; ne se fraudẽt inuicem, præceptum aliquod est, vt laude dignus sit qui hoc agit, tanquã legem cõplens. Ex permissione, inquit, hoc dixi demittens me ad imbecillitatem vestram. Non iubeo ne fraudetis, sed beatus est qui continet. Ex hoc autem quod dicit συγγνώμην. i. permissionem aut potius veniam, ostendit eum facere damnandũ opus, qui solùm abstinet quũ ieiunãdum est aut orandum. *Vt ego ipse sum.* Vbi rem imponit difficilem, seipsum in exemplum proponit. *Sed unusquisque proprium habet donum.* Quoniã vehementer eos accusauerat dicens, Ne tentet vos Satanas propter intemperantiam vestrã, studet nunc ipsos consolari. Virgo erat Paulus: & quia Nota.

D dixerat, Cuperem omnes esse vt ego sum: dicit nunc ꝙ manere virginem donũ dei est: non ꝙ res nostro non egeat studio: multũ enim laborat quispiã in hoc vt dignus habeatur dono: sed quia, vt dictũ est, consolatur eos de improperio. *Vnus quidẽ sic, alius verò sic.* Hic quidẽ penitus à cõmixtione abstinet, ille verò sic, vt ad aliã non accedat quàm vxorem.

Dico autem incõiugatis & viduis, bonum eis est si permãserint sicut & ego. Quòd si non continẽt, contrahãt matrimonium: nam melius est matrimonium contrahere quàm vri.

Theod. Rursum seipsum ostendit esse de multitudine eorum qui coniugati non sunt: neque enim meritò quisquam ipsum inter viduas producet, quum adolescens adhuc fuerit quũ vo-

E catione dignus habitus est. Porrò nemo existimet ipsum viris statuere ne contrahãt matrimonium, mulieribus verò vt post cõtractas nuptias effectæ viduæ abstineant, ex eo ꝙ ait, τοῖς ἀγάμοις. i. incõiugatis genere masculino, nempe viris: & ταῖς χήραις. i. viduis fœminino, putà fœminis. In vtroque enim vtrũque instruit genus, & de abstinentia à coniugio, & de continentia in viduitate post contractas nuptias. *Quòd si non continent, contrahãt matrimonium.* Vide prudentiam. Meliorem ostẽdit continẽtiam, nec tamẽ cogit eum qui ad eam non pertingit, veritus ne maior aliquis contingat lapsus. *Quàm uri.* Ostendit quanta sit concupiscentiæ tyrannis. Si multam, inquit, sustines violentiam, magnúmque ardorem, liberare ac matrimonium contrahe, nequando euertaris.

F At coniugatis præcipio, non ego, sed dominus, Vxor à viro non separetur. Quòd si etiam separata fuerit, maneat innupta, aut viro reconcilietur. Et vir vxorem non dimittat.

Matt. 5. Quoniam legem manifestè à domino positam dicturus est, propterea ait, Nõ ego, sed dominus. Quæ est autem lex? Ne fiat diuisio, nisi in caussa stupri. Et quidem ea quæ prædicta sunt, quãquam dominus expressè non dixerit: attamen ipsi domino conuenire videntur, aut per se, aut per os Pauli loquenti. Verùm quoniam verbũ de separatione palàm tradidit dominus, ideo dicit, Non ego, sed dominus. Hãc itaq;

differentiam habent, Ego, & Non ego, vt ei quod dominus dixit, seruiat. Non ego, de alio verò dicit, Ego: & ne quę ipsius sunt, humana esse existimes, subiungit inferius, Opinor autem quòd & ego spiritum dei habeam. *Quòd si etiam separata fuerit.* Melius, inquit, est vt nō separetur: quòd si etiam separata fuerit, maneat habens virum, etsi non commixtione, tamen affectu, sic vt nō adducat siue adiungat sibi virum alium. *Vxorem non dimittat.* Nisi quippiā accesserit in caussa stupri. Nam hæc Christi lex est. A

Reliquis autem ego dico, non dominus, Si quis frater vxorem habeat infidelem, & hæc assentitur vt habitet cum illo, ne dimittat eam. Et vxor quæ habet virum infidelem, & is assentitur vt habitet cum ea, ne dimittat illū. Sanctificatus est enim vir infidelis per vxorem: & sanctificata est vxor infidelis per virum. B

Ne diuellātur coniugia: & ita confusionis ac turbationis, domorúmq; euersionis caussa à vulgo iudicetur dei cultus: propterea prohibet eos qui nacti sunt infideles, ne à cohabitatione diuidantur. Neque enim de his legem statuit qui nondum contraxerūt matrimonium, sed de his qui ad coniugia iam peruenerunt. Siquidem non dixit, Si quis vult accipere infidelem, sed, Si quis habet. Contingebat enim in coniugio vt vnus crederet, alter verò in incredulitate permaneret. *Habet infidelem.* Quid ergo, si in stupro capiatur vxor, permissum est ipsam dimittere, si verò sit infidelis nō licet? atqui peior est infidelitas. Peior quidem est, sed in adultera aperta est malitia, in infideli verò ignorantia potius subest quàm malitia. Erat quoque verisimile eam cessaturā, & quòd infidelitatē relinqueret (nam & hoc dicit ipse Paulus, Quid enim nosti vxor an virum seruabis?) si saltem assentitur ad cohabitandum. *Et hæc assentitur.* Si vult, inquit. Quod enim dispendium est si fide vnius partis syncera manēte, spes bona sit quòd infidelis tempore mutabitur vt credat? *Ne dimittat eam.* Si is qui adglutinatur scorto, vnū corpus efficitur: & qui adglutinatur infideli, itidem vnū corpus efficitur: quomodo illud prohibet, istud verò non? Et C

D dicimus quòd vnum quidem corpus etiam in infideli efficitur, ſed puritas partis fidelis vincit impuritatem infidelis. Quomodo? Etenim in ſtupro vterque immũdus eſt,& ſcortum, & qui accedit vt ſcortetur. In infideli verò vxore, ipſa quidem ea ratione qua infidelis immũda eſt: qui autem accedit iam non talis eſt. Neque enim accedit vt prohibitũ aliquid operetur, ſed vt permiſſa coniugij commixtione vtatur. Et rurſum, Iuxta aliud impurus eſt infidelis, nẽpe ſecũdum impietatem: iuxta aliud verò cõmunicat cum parte fideli, putà ſecũdum corporum commixtionem. In ſcorto autem in hoc ipſo quo immũda eſt, ſit cõmunicatio, nempe ſecũdum corpus. *Sanctificatus eſt enim uir infidelis.* Ne metuat
E pars fidelis cohabitare infideli, quaſi cohabitatione impurus redderetur: vide quomodo repellit timorem. Sanctificatus eſt, inquit, aſſerens vinci impuritatem aduenientе puritate: non quòd infidelis ſanctus fiat: neque enim ita dixit, ſed, Sanctificatus eſt: conſolando partem fidelem, ac inducens infidelem ad fidei amorem & deſideriũ. Etiam hoc ip-
Pho. ſum, nempe quod infidelis toleret, nec reſiliat ab habitatione cum fideli, vicinum quippiã agit vt animum applicet ad pietatem. Sed dicet fortaſſe aliquis: Igitur idipſum cõſiderantes, de fideli poterimus dicere ꝙ tendat ad impietatem. Ad quod dicimus nõ eſſe ſimile, neq; omnino id oportere. Nam fidelis quidem infideli cohabitans, fidei præceptum, legẽmque complet, vt hoc modo & fidei magis concilietur,
F & ab infidelitate magis diſsideat: infidelis autem amore ſaltem erga cohabitantẽ deuinctus, coniũctionem non ſoluit, ſuæ infidelitatis legem non perficiens: ſed amore proſequẽs cohabitantem, per eum manuducetur quandoque ad ipſius fidem. Ipſum nanq; amare, religioſæ legiſlationis eſt, & non impietatis: itaque hoc quoq; amore vicinus eſt, vt religioſus efficiatur, & ſanctificetur per cohabitationem fidelis.

Alioqui filii veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Nõ eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Nam in pace vocauit nos deus.

Nam ſi pars, inquit, infidelis nõ vincitur puritate fidelis, nihil reſtat niſi vt qui naſcuntur immundi fiant, aut dimidia

tantùm parte mundi: quod ita, inquit, non est, nam sancti A
sunt: per dictionem sanctitatis abundanter repellens timorem, hoc enim est quod ait, Alioqui filij vestri immundi essent, nisi videlicet ita esset: at nunc sancti sunt, ex abundantia sanctitatis. *Quòd si infidelis discedit, discedat.* Hoc est, si iubet vt cum eo communices in infidelitate, aut nisi hoc facias quòd separabitur, separetur, inquit: melius est enim cõiugium dissolui, quàm pietatem. *Non est seruituti subiectus frater.* Quòd si etiam indies pugnat aut contendit, volens te ad suam infidelitatem pertrahere: hoc quoque modo separare non enim ad huiuscemodi res subiectus es seruituti, vt etiam pugnantem feras. Et manifestum est quòd de pugna quæ accidit loquitur, quum subiungit, In pace vocauit nos
deus: Hoc est, vt in pace degamus, & non sit inter nos dissidium aut pugna. Quoniam igitur pugnat & rixatur, propterea bonum est liberari. *Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi.* Non habet, inquit, fidelis maritus aut vxor cum infidelibus eam necessitatem quæ imminet ei cũ fidelibus: ibi enim nullo modo absque caussa fornicationis, licèt à se mutuò eos qui coniuncti sunt separari: hic verò si assenserit quidem pars infidelis vt habitet cum fideli, oportet non soluere coniugium. Si verò dissidium nouerit ac solutionem ille fecerit, non est seruituti subiectus fidelis vt non separetur: sed liber est vt illo matrimonium soluente etiam ipse separetur. Attamen quanquam liber sit, vt propter increduli dissidium soluat coniugiũ: multò tamen melius facturus est, si soluta contentione per pacem, bonáque
opera, nõ soluerit matrimoniũ. *Nam in pace uocauit nos deus.* Hoc, inquit, signũ est vocationẽ nostrã esse à deo, si erga omnes quantùm in nobis est pacifici simus. Et huic interpretationi conforme est id quod sequitur, Quid enim nosti vxor an virum saluum facies, propter maximam ad ipsum conformitatem.

B (margin, beside "deus: Hoc est") · Pho. (margin, beside "aut soror in huiusmodi") · C (margin, beside "opera, nõ soluerit")

Quid enim nosti vxor, an virum saluum facies? aut quì nosti vir, an vxorem saluam facies an non? Vnusquisque vt ipsi diuisit deus: vnusquisque vt ipsum vocauit dominus, ita ambulet: & sic in ecclesiis omnibus doceo.

D Ad id rursum accedit vtrum dimittendus sit infidelis qui vult manere, nec dissidium mouet, & ait, Si dissidium non moueat aduersum te, maneto cum ipso. Verisimile enim est quòd temporis progressu ipsum quoque saluum facies, factum eiusdem tecum animi, faciésque fidelem. Vide autem quòd non exigit, vt id necessariò fiat, ne graue onus imponat, sed futuri incertitudine & necessitatem ademit, & id curauit ne hæc necessitas ad desperationem suaderet, aut torpere faceret. *An non*. Vsque ad id verbum An non, perfectā pducito distīctionē, vt sit hic sensus: Aut quì nosti vir vtrū vxorem saluam facies an non? Hoc est, vnde nosti vtrum saluam facies, an non saluam facies? Incertum est enim quid

E futurum sit, quúmque incertum sit, non oportet soluere coniugium. Etenim si saluam non feceris, nullum accipies detrimentum: si verò saluam feceris, & iuuabis, & ipse iuuaberis. *Vnusquisque ut ipsi diuisit deus*. Siquidem solus ipse nouit quid vtile sit, & vtrum magis conferebat, vt ab initio fidelis coniunctus esset infideli an fideli. Eenim in quibusdam conducebat, vt fidelis fideli cohabitaret, ac coniunctus esset, in quibusdam verò vt fidelis infideli: & ita factum est. Et horum caussas nemo idoneus est qui cognoscat: attamen deus ita disposuit ac diuisit, & dominus vocauit. Quòd si deus ac dominus huiusmodi coniūctiones disposuit, ac diuisit iuxta cuiusque vtilitatem, non debet fidelis coniunctus infideli grauiter ferre aut anxiari, & solutionem requirere: sed sicut vnusquisque vocatus est, in hoc

*Hic aliqd deesse uidebatur in exēplari, & aliquid spacij relictum erat.*

F permaneat ac procedat. Seuerianus enim ita distinxit: nam si ita non distinguas, incompositam dixit esse ordinationem, Ita, inquit, te diuisit deus, & ita vocauit cum vxore: aut viro infideli: ama igitur coniugium, nec fidem dissoluas. *Ita in eccesiis omnibus ordino*. Hoc autem subiungit, vt ex hoc quòd alios quoque habeant socios, & alias ecclesias, promptiores fiant ad obedientiam.

Circuncisus quispiam vocatus est, non accersat præputium: in præputio alius vocatus est, non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & prȩputium nihil est, sed obseruatio præceptorum dei. Vnusquisque in ea vocatione maneat in qua vocatus est.

Præterea, inquit, circuncisus vocatus es, ne accersas præputium. Diuus Epiphanius ait, quòd per aliquam medicinalem curam potest quispiam eum qui circuncisus est facere præputiatum: & quòd huius consilij primus inuẽtor fuit Esau: & propterea dixit deus, Esau odio habui. *In præputio alius uocatus est, non circuncidatur.* Verisimile est aliqua cura fieri posse vt reuertatur circuncisio in id quod olim erat, & ad ipsam quis recurrat ac glorietur. In præputio, inquit, vocatus es, mane in eo quod es. Neque enim confert ad salutem circuncisio, neque obest præputium. Siquidem hoc vno opus est, vt compleantur præcepta. Et per obseruationem præceptorum eadem accedit vtilitas, & circuncisioni & præputio. Inter opera nanque humana quædam ex seipsis bona sunt, etiamsi præcepto non aptentur diuino, veluti est iustitia, ac similia: alia verò propter solum præceptum, qualia sunt multa in lege. A Pho. Oecum. Pho. B

Seruus vocatus es, ne sit tibi curæ: quinetiam si potes fieri liber, potius vtere. Nam qui in domino vocatus est seruus, libertus domini est: similiter & qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis, ne efficiamini serui hominum. Vnusquisque in eo in quo vocatus est, fratres, hoc maneat apud deum.

Idem rursus consilium est, nempe vt in iis quisque permaneat, in quibus vocatus est. Si quum seruus esses, vocatus es, ne turberis: non officit ad fidem seruitus, adeóque non officit, vt etiamsi posses fieri liber, magis expediat tibi seruire. Ita nullum tibi proueniet è seruitute impedimentum. ALIVD. Ne seruis existimetur ad pietatem obstaculum esse seruitus, palam, inquit, est, quòd hoc adeò non præstat impedimentum, vt neque huius curam habere oporteat, ait enim, Ne sit tibi curæ: quinetiam si potes aliquo studio ac cura fieri liber: sine hoc, & potius vtere seruitute: & neque ita in vllo eris minor domino: communis enim domini libertus es, sicut & ille. Siquidem cõmunis domini seruus es, sicut & ille, rursumque libertus sicut ille. Quid ergo curam geris de corporali seruitute, Pho. C

D quæ neque te diminuit, neque ei cui seruitur mai us quippiam addit: sed vtrumque ad æqualia consequenda præmia nihil officit. *Nam qui in domino uocatus est seruus.* In iis, inquit, quæ Christum concernunt æquales estis tu tuúsq; dominus. Nam & ille Christi seruus est: quin potius tu fortasse plus habes, Christi enim libertus es. Siquidem ipse te omni spirituali seruitute liberauit. Tamen ex vocum abundantia vult æqualitatem ostendere serui & domini: quoniã omnes liberti sumus Christi, secundum quod nos liberauit à tyrannide Satanæ, & serui Christi: nam quum nos reddidisset inde liberos, sub proprium adduxit regnum. *Pretio empti estis:* nempe sanguine vnigeniti ipsius: emit enim nos

E deus & pater. *Ne efficiamini serui hominum.* Superius dixit, Quinetiam si fieri potes liber, potius vtere: hìc autem dicit, Ne efficiamini serui hominũ. Nam hoc & liberis aptatur & seruis. Qui enim domino impia & absurda iubenti nõ paret, nõ efficitur seruus hominum, etiamsi sub iugo sit seruitutis, talis fuit Ioseph. Qui verò propter munera, aut vẽtris expletionem, hominibus se subiicit ad absurda ministeria, seruus est hominum, quanquam liber esse videatur: hanc prohibet seruitutem, non eam quæ consueta est, & iuxta leges humanas. Nam hac seruitute subiectũ esse, & obtemperare vbique admonet.

*Ephe.6. Coloss.3. 1. Tim.6.*

De virginibus autem præceptum domini non habeo, cõsilium tamen do tanquam misericordiam

F consequutus à domino, vt essem fidelis. Arbitror igitur hoc bonum esse ob præsentem necessitatẽ. Nam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori, ne quæras solutionem: solutus es ab vxore, ne quæras vxorem. Attamen si duxeris vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit: afflictionem tamen in carne habebũt huiusmodi. Ego autem vobis parco.

Quoniam ad maiorem venit doctrinam, timet illam purè nudísque verbis iubere, casum veritus eorum qui aggrederentur, idcirco non tanquam præceptum, sed quasi cõsilium

tradit illud. Hæc autẽ q̃ de virginibus ſunt, diligentiùs interpretatus eſt, vt qui integro volumine exactiùs hac de re diſſeruerit, & ibi animaduerte. Ego verò quæ gratia dei aſſequutus ſum conſcripſi. *Tanquam miſericordiam conſequutus à domino.* Miſericordiam, inquit, conſequutus, vt eſſem fidelis putà præco ſeu concionator, datórque conſilij. *Arbitror igitur hoc bonum eſſe.* Vide ergo quomodo tẽperet præceptum ex neceſsitate exortum, Arbitror, inquit, quidnam? quòd bonum ſit ſine cõiugio eſſe, propter difficultates quæ in eo ſunt, maláque nuptiarum. *Ob præſentem neceſsitatem.* A

Oecum. Loquitur de Chryſoſtomo.

ALIVD. Opinor eum hoc loco perſequutionem dicere, quæ ab incredulis intendebatur fidelibus, cæteráſque perſequutiones & afflictiones quas ſuſtinebant. Nam conſequens erat, vt hoc vocaret præſentem neceſsitatem. Quum enim ſublimem ac magnam voluiſſet tradere admonitionẽ, viſus eſt illam ex temporis circũſtantia deducere. Bona res, inquit, eſt virginitas ob præſentem quoque afflictionum impetum. Nam faciliùs & ſine defatigatione hunc feremus, quàm ſi vxores ac filios in perſequutionibus, innumeríſque miſeriis adiunctos haberemus. Siquidem diuiſa in varios affectus anima, neceſſe eſt vt homo in malo intolerabili demergatur: quum tamen ſi ſolus eſſet, nec aliorum quoq; perturbationibus contũderetur, facile eſſet malorum tolerare procellam. Deinde ne quis dicat, Igitur etiam is qui eò peruenit, vt particeps iam ſit coniugij, melius faciet ſi ſoluat coniugium, ſubiungit, Nequaquam. hoc enim ſignificat, quum dicit, Alligatus es vxori, ne quæras ſolutionem, Sed quemadmodum, inquit, qui alligatus eſt non debet quærere ſolutionem, ita is qui ſolutus eſt, non debet ſibiipſi vinculum adducere aut comminiſci. Quod autem ait, *Solutus es*, dupliciter poteſt intelligi: vel quia nondum ligatus vnquã fuiſti, vel quia ſolutus es à vinculo quo ligatus eras: non debes ergo iterato vxoris vinculo colligari. *Ne quæras ſolutionem.* Quoniam de virginitate loquutus erat, veritus ne illi tanquam non firmi in aliquo turbarentur, ſimul etiam coniugium inducit, & conformiter loquitur his quæ ſupradicta ſunt. Nam ſolutionem hoc loco non vocat ſeparationem à commixtione mutuo conſenſu factam: ſed præter cõſortis voluntatem, & non ſubexiſtente cauſa ſtupri cõiugij

Pho. B C

D dissolutionem, at durante cœlibatu seruare virginitatē honestum est. *Attamen si duxeris uxorem, non peccasti.* Corrigit & explanat quod dictum est, veritus auditorum imbecillitatē, vt qui non capiebant virginitatem. ALIVD. Quod dicitur, Attamen si duxeris vxorem, non peccasti, & cætera, superioribus per hyperbaton coniungenda sunt, putà Bonum est homini sic esse: attamen si duxeris vxorem, non peccasti, & cætera, neque enim coniungi debet cum eo quod dicitur, Solutus es ab vxore, ne quæras vxorem: Attamen si duxeris vxorem, non peccasti. Primùm quidem, non rectè consequitur sumptus hoc modo intellectus. Quid enim conuenit ei qui iam duxerat, & solutus es dicere, Attamen si duxeris vxorem? Nam hoc iis aptatur qui nondum vxorem du-

E xerunt. Deinde verò magnum est peccatum, † si is qui solutus est ab vxore aliam ducat. Itaque non potest eo modo cōiungi particula, sed sicut prius dictum est: Nam & paulò antè ait, Quòd si etiam separata fuerit, maneat innupta. Propter illa igitur quæ dicta sunt, etiam præsens verbum, ne sibi contraria dicere videatur, per hyperbaton coniungendū est. Quód si dictionem Solutus es, non ad eos qui coniūcti fuerūt, & deinde soluti sunt retuleris, sed simpliciter ad eos qui omnino nō cōuenerunt ad participationem cōiugij, sed ab huiusmodi vinculo liberi & soluti sunt, locum habet quę statim sese offert ordinatio. *Et si nupserit uirgo, non peccauit.* Virginem hoc loco appellat non eam quæ deo consecrata est, sed innuptam puellam. Nam quæ deo consecrata est si

F nupserit, Christo reddit adulterum eū cui nubit. *Afflictionem tamen in carne habebunt huiusmodi.* Qui matrimonium, inquit, contrahunt, afflictionem habebunt ob mœrores qui in coniugio sunt. Ego *autem uobis parco*, tanquam filiis, & cupio vos liberos esse ac sine mœrore. Interim nanque in vinculis estis, Ait enim, Alligatus es vxori. Deinde etiam non sunt sui iuris, vt superiùs dixit.

Pho.

*† Loquitur sēper de solutiōe quū uxor à uiro separatur. quod patet tū quod dicat nō esse satis conuenientē sensum, si iungatur sequētib⁹, tum ex dicto præcedēte, quod citat, nēpe Quòd si etiam separata fuerit, maneat īnupta: aut si hoc non placet, me-*

Cæterùm illud dico, fratres, tempus contractum est: superest vt qui habent vxores, sint tāquam non habeant: & qui plorant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam non gaudeant: & qui emūt, tanquam non possideant: & qui vtuntur mundo

hoc,

hoc,tanquam non abutantur.Præterit enim habitus mundi huius.

Quoniam dixit,afflictionem tamen in carne habebunt, ne quis dicat,Atqui etiam voluptatem habebunt:ex cõtracto tẽpore conatur præscindere voluptatem.Propterea ait, Dico quòd afflictionẽ habebũt, quoniam neque voluptatẽ habere possunt ob id quòd tẽpus adeò cõtractũ sit, & ad dissolutionẽ vrgeat.Iã enim appropinquauit regnũ Christi,& deinceps ad eum migrare iubemur. *Sint tanquam nõ habeãt.* Quo pacto fieri potest vt sint tãquam nõ habeãt? In hoc ꝙ ipsis nõ obsequãtur ad stultas mũdi cõcupiscentias.† Aut ꝙ etiam cupit,vt circa commixtionem abstinentes sint. E*t qui plorant tanquam non plorent.* Ob temporis breuitatẽ, inquit, omnia quæ nonnullis in magna sunt cura, debemus ducere tanquam non essent:& ita habere vxorem,& gaudere ac lugere.Quũ enim in propinquo sit mors,quid opus est pręsentibus cum amore immorari? vel existimare esse coniugium, aut omnino mundo vti? E*t qui utuntur hoc mundo tanquam nõ abutantur.* Abusum dicit nimium vti mundana voluptate, puta delitiis,diuitiis,ac potẽtatu,seu imperio:significãs hoc esse non vti eo sicut decet.Neque enim ob id in mundũ adducti sumus,vt hæc faciamus.Nam in bonis operibus creati sumus,qui ergo his in quibus formatus est relictis: etiã alio modo vtitur mundo,abutitur ipso.*Præterit enim habitus mũdi huius.* Transit,& finẽ habet,inquit, mũdus qui nũc videtur.Quid ergo illi adhærere opus est quod dissoluitur? Habitũ autẽ dixit, Ostendens in prospectu tãtùm esse quæ mũdi huius sunt,nec quicquam habere durabile aut firmum.

*A memẽto quòd primis ecclesiæ rudimẽtis secũdæ nuptiæ potius dissimularẽtur quàm probarẽtur adeò ut clericis qui illis ĩterfuissent, B pœnitẽtiã indicerent ipsos autẽ cõiugia repetentes à sacris ministeriis arcerent.*

† Oecum

C

Cupio autem vos absque solicitudine esse. Qui cælebs est,curat ea quæ sunt domini,quomodo placiturus sit domino,Qui autem ducit vxorem,curat ea quæ sunt mundi,quomodo placiturus sit vxori. Diuisa est coniugata à virgine. Quæ cælebs est,curat ea quæ sunt domini, vt sit sancta & corpore & spiritu:quæ verò nupsit viro,curat ea quę sunt mũdi,quomodo placitura sit viro.

D Quomodo autem absque solicitudine esse poterimus, si non simus coniugati? quis enim curas ignorat mundanas? *Qui Cœlebs est, curat ea quæ sunt domini.* Vide quomodo per curæ differentiam ad virginitatē adhortetur. Nā curare ea quæ domini sunt, non est solicitum esse, sed est salus. Vnde superius dicit: Cupio autem vos absque solicitudine esse. *Diuisa est coniugata à uirgine.* Diuisa est, hoc est non eamdem habent curam, sed studiis diuisæ sunt. Siquidem virgo inquit, curat ea quę sunt domini, vt corpore & spiritu sancta sit: corpore quidem propter castitatē, spiritu verò propter familiaritatem ad deum, & spiritus paracleti inhabitationem. *Quæ uerò nupsit uiro, curat ea quæ mūdi sunt.* Nā viro placere cupit. Fortassis enī pulchra aspectu esse vult, & domus curam habens, nec ad ea quæ opus est, benignam porrigit manum. Vocat autem γυναῖκα eam quæ viro nupta est, nempe vxorem siue coniugatam.

Oecum.

E

Hoc autem ad id quod vobis conducibile est dico non vti laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod decorum est, & indiuulsè domino adhærens absq; vlla distractione, Quòd si quis indecorum virgini suæ putat, si prætereat nubendi tempus, & sic oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, elocet.

F

Sermones, inquit, de virginitate moui, sciens hoc vobis vtile esse: non autem vt cogam vos, & volentes, & nolentes in virginitate degere. Necessitatem enim vocat laqueum. Viden' quàm timeat aliquid perfectum pręcipere. *Sed ad id quod decorum est.* Quid enim virgine, & tali vita ac conuersatione magis decorum. *Et indiuulsè domino adhærens.* Nō, inquit, hæc dico, vt laqueum & necessitatem vobis iniiciā, sed volēs adducere vt decorè & indistractè ac indiuulsè domino adhæreatis. Est autem εὐπρόσεδρον, id est, promptè vel continuè permanens sine elatione & cura. *Quòd si quis indecorum.* Ex naturæ humanæ imbecillitate prouenit, vt quis indecorum arbitretur, si filiam suam seruet virginem, ac deo dedicet. Si quis, inquit, arbitratur fieri sibi indedecus, quòd illocatam seruet domi filiam in virginitate degentem, & ita potius fieri debere putat, vt elocet. *Faciat quod uult.* Ne;

Oecum.

Pho.

que enim prohibitæ sunt nuptiæ. Minimè gentium. quãquã sublimior sit virginitas. Itaq; si volunt, elocẽt ipsas, inquit, Si verò quis stat in hac sentẽtia firmus, vt nõ elocet ipsam, non id agens tanquam ex necessitate, & à lege prohibitus (nam qui ita hoc facit vehementer errat.) Si quis ergo tanquam nõ necessitate coactus hoc faciat, sed quasi vtriusque consilij dominus à lege constitutus: ipse verò iudicãs eligibilius esse non elocare: & hic bene facit, suam filiam seruans virginem, & sine cura. Potest autem quod dicitur, Non habens necessitatem, alio quoque modo nec minus propriè accipi. Hoc est qui non cogitur à filia, vt contrarium faciat. Si nanque videt mores, aut opera filiæ cogere ipsum ad elocandum, nõ debet ipsam seruare virginem, cogens eam aduersus id quod est voluntatis, ac sententię ipsius. Virginitas enim voluntaria esse debet, & non coacta. Nam coactioni iuncta posset in peius declinare: sibi quidẽ veniã tribuens, ad eum verò qui ipsam coegisset virginitatem seruare, absurdi sceleris caussam referens. Aut id, Non habens necessitatem, hoc significare poterit, non habens id faciendi necessitatem, aut quòd prius deo consecrauerit ac dedicauerit, aut quòd filia ad hoc cogat. Ei enim qui ab aliquo prædictorum necessitatem habet non elocandi ad nuptias, nec aliud suadere licet, nec aliam sentẽtiam in corde meditari: imò neque peragenti tantùm laus tribuitur, quantum non peragenti condemnatio, eáque multiplex. Qui autem absq; necessitate decreuit in corde hoc facere: si virginem seruat, egregium præstitit facinus: si verò elocet ad nuptias, omnino non peccauit. *Quod vult faciat.* Siue tradat, inquit, cõiugio, siue seruet virginem, bene facit, neutrum enim peccatum est. Placet autem magis si seruet virginẽ, vt in progressu dicit, Cupio vos sine solicitudine esse, siue virgines.

Qui verò stat firmus in corde, non habens necessitatẽ, sed potestatem habẽs circa propriam volũtatem: & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suam virginem, bene facit. Itaque & qui elocat ad nuptias, bene facit, qui verò non elocat, melius facit.

Vides quomodo statim ab initio eum admiratur, qui seruat suam virginẽ? *Qui stat firmus*, inquit, *in corde suo*. Nam

hh ij

D is qui propter indecorum, vt videbatur, omisit ac nuptũ elocauit, non stetit in opere dei firmus. N*on habens necessitatem.* Qui non habet, inquit, necessitatem non elocandi illam. Alioqui enim nequaquam adeò admirandus esset, si non elocaret: necessitati nanque opus eius attribueretur & non ipsi: nunc autem tota res est ad eius gloriam, & piam deique cultricem electionem. Siquidem qui inuitus, & ex necessitate suam seruat virginem, quæ est illi gratia? Qui verò Christi desiderio, non habens necessitatem, sed potens quod vult facere, seruauerit, ille admirandus est. E*t hoc decreuit in corde suo.* Firmũ aliquẽ profert in medium hominẽ, quem non potuit id commouere, quod apud homines existimatur indecorum in his esse qui filias seruant virgines. *Bene facit.* Laudat ipsum ob mentis firmitatem. E*t qui elocat bene facit.* Siquidem & illud bonum est: neque enim peccatum est nuptum elocare, omne autem quod non est peccatum, honestum est. Qui verò non elocat, præclarum quoddam opus facit quod melius est. Considera autem quòd ex horum diiudicatione suadeat non elocare nuptum.

E

Oecu.

Vxor lege ligata est quandiu viuit vir eius, quòd si dormierit vir eius, libera est, vt cui vult nubat, modò in domino: beatior tamen est si sic permãserit, iuxta meam sententiam. Opinor autem quòd & ipse spiritum dei habeam.

F Legem dicit quæ de adulteris lata est, qua retinetur, in hoc ne alteri commisceatur. Propterea dixit Ligata est. Et per hoc quod dixit Ligata est, ostendit quòd qui non elocat nuptum melius facit, vinculis ipsam liberans. *Libera est ut cui uult nubat.* Liberata est primo vinculo ac lege, & soluta est. Dicens autem quòd soluta est, adhortatur ne rursum nubat, ac ligetur. M*odò in domino.* Attamen cũ modestia, inquit, ac decentia legitimis iũgatur nuptiis ob prolis susceptionem & educationem, non ex affectu concupiscentiæ. I*uxta meam sentẽtiam.* Ne rem existimes esse necessitatem, ait: Iuxta meam sententiam. Quantum ego valeo concipere, quantum ego intelligere possum. Iuxta meam admonitionem & consilium, non ex necessitate legislationis. Deinde ne quis dicat: Si ergo nõ est ea de re legislatio, cur oportet

Pho.

quenquam omnino iuxta tuam admonitionē agere, subiunxit: Etiam hæc, inquit, iuxta sanctissimum spiritū admonemus: quanquā ob vestram imbecillitatem consilium ad legis necessitatem non declinemus. *Opinor autem* ꝙ *& ipse spiritū dei habeam.* Ne quis huiusmodi consilia esse Pauli existimet & ita humana, subiungit Spiritū dei habeo, ac si diceret, Legislationes sunt paracleti, non meæ. Multam autem demonstrat modestiam dicens Opinor, hoc est existimo, arbitror. A

## CAPVT V.

*De diuersitate ciborum, & abstinentia à cultu dæmonum.*

CAeterùm de his quæ idolis immolantur, nouimus ꝙ omnes scientiā habeamus. Sciētia inflat, dilectio verò ędificat. Quòd si quis sibi videtur aliquid nosse, nōdum quicquā nouit sicut oportet nosse. At si quis diligit deū, hic cognitus est ab illo. Cap. 8. B

Causa increpationis de his quæ idolis fuerant immolata, erat hæc. Nonnulli in fide perfecti, quum scirent ea quæ ingrediuntur, non communem reddere, aut coinquinare hominē: & simulacrha, quū ligna sint & lapides, nihil esse, siue nullius esse momenti: indifferenter in impuras idolorum domos ingredientes, participes mensarum erant quæ ibi apponebātur, & simulachris immolata gustabāt. Hoc autem ipsis quoque perfectis nocebat, nam mensarum dæmonum participes erant: & imperfectis nocebant, neque enim illi requirebant quo hæc facerēt animo: sed factum tantùm intuētes, occasionem sumebant idolis immolandi, ac si perfecti in honorem idolorum participes fierent mensarum quæ ibi apponebantur: *Nouimus* ꝙ *omnes scientiam habeamus.* Superbiebant tanquam dei scientiam habētes, ideo opinabantur non esse deuitanda, quæ idolis erant immolata: hanc ergo cōmunem dicit esse omniū scientiam. Omnes enim scientiam hāc habemus. Hoc dicens tollit illorū elationem. *Scientia inflat.* Alio quoque modo tollit illorum elationē, ostendens scientiam absque dilectione nō solùm nihil iuuare, verumetiam nocere: nam inflat, inquit, dilectio verò ediuerso ædificat membra, quæ occasione inflationis ex scientia subexistentis

Mat. 15. Mar. 7. C

D abiecta & dissecata erant. *Sicut oportet nosse.* Rursum alio modo ipsos corripit. Non solùm, inquit, cõmunis scientia inflat quum est sine dilectione: sed neq; perfecta est, quẽadmodum esse oportet ac si diceret, Nondum quicquã perfectè nostis, quanquã nosse videamini: quare ergo tantùm extollimini? Non tantùm de his quę proposita sunt, sed neque de vlla re nũc perfecta est notitia. Dicens autẽ, At si quis diligit deum, ostendit à dilectione perfectã oriri scientiam: ait enim, *Si quis diligit deum.* Et vide ꝙ ne ita quidẽ dicat quòd cognoscit deũ, sed cognitus est à deo: per hoc impossibilem ostendens perfectissimam notitiam, & ipsorum tollens supercilium. E Aut quia his qui à deo cognitus est, dignus habetur reuelatione: sicut ipse ait (de seipso loquens) Et audiuit arcana verba quæ fas nõ est homini loqui: hoc significans ꝙ habenti dilectionem perfectior reuelatur scientia. 2. Cor. 12.

De esu igitur eorum quæ idolis immolantur, nouimus ꝙ nihil sit idolum in mundo: & quòd nullus sit deus alius nisi vnus. Nam licèt sint qui dicantur dii, siue in cælo que in terra: quomodo sunt dii multi, & domini multi: Nobis tamen vnus est deus, ipse pater ex quo omnia & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum: sed non in omnibus est scientia.

F Vt quid cristas erigitis? non vestra est huiusmodi cognitio quòd ne sint quidem idola, hoc est nihil sint, nullius sint momenti, quid enim essent ligna & lapides? omnes hoc nouimus & non vos soli. In mundo idolum nihil est: hoc est nihil eorum quæ sunt in mũdo est idolum, sed vani inuenti effictio est & imaginatio: ideo in solis horum mẽtibus idolorum substãtia sedem habet, quũ in nullo alio possint habere existentiam. *Et quòd nullus sit deus alius.* Hoc ad illos dicitur qui existimabãt ligna ipsa & lapides idolorum, aliquã habere potentiam. *Nisi unus.* Ad illos hoc dirigitur qui opinabãtur diuinas aliquas virtutes assequi statuas idolorũ. *Nam licet sint qui dicantur dij.* Quoniã dixit Nullus alius est deus: existimabantur autem apud Græcos alij esse dij, ne manifestè Græcorum opinioni (quę etsi erronea erat, attamen præ- Pho.

ualuerat ) apertè contrarius esse videatur , vide quid dicat: A
*Qui dicuntur*, Et bene Qui dicuntur, neque enim sunt absolutè. Nã aut sunt in cælo, putà sol & luna : aut in terra, quales apud eos sunt Heroes, Quanquã igitur in cælo & in terra Græci multos habeãt deos ac dominos, nobis tamen vnus est deus. *Dei.* Dicit enim angelos secundum gratiam deos vocatos esse. Quemadmodũ nanq; dicti sunt Principatus & Potestates, Dominationes ac Throni, ita & dij. *Quomodo sunt dij multi.* A cõmuni sensu repete Qui dicũtur. Nã sunt, inquit, apud Græcos qui dicuntur dij ac domini, nobis tamen vnus est deus & vnus dominus. *Nobis tamẽ unus est deus ipse pater.* Ex eo quod dixit Vnus deus ipse pater, & vnus dominus Iesus Christus, ne opineris ita appropriata esse nomina, vt pater quidẽ deus dicatur, filius verò dominus. Nã scripturæ frequenter patrem quoque dominum vocant, vt quum dicitur, Dixit dominus domino meo: & filium appellat deũ, vt quum dicitur, Propterea vnxit te deus deus tuus. &, Ex quibus est Christus quod ad Carnẽ attinet, qui est super omnia deus benedictus. Quòd si quis dicat ad solum aptari patrem quod ait deus, quia dicit, Vnus deus, num etiã ad solum aptabitur filium quod ait dominus, eo quòd dicat Vnus dominus Iesus Christus? At non ita est, Nam ad differentiam falsò nominatorum deorum ac dominorum dictum est Vnus. Multi autẽ quærunt quam ob caussam spiritus sancti non meminerit. Et dicimus quòd ad Græcos ipsi sermo erat qui multos dicebant deos ac dominos. Timuit ergo spiritus quoque facere mẽtionem, ne fortè multiplicem etiam apud nos existimarent esse diuinitatem. Ideo quoque adeo cautè patris ac filij meminit : patrem quidem vnum dicens deum, ne duos esse deos existimarent, filium verò vnum dominum, ne duos dominos opinarentur. Si enim dixisset deum & deum, variam certè existimassent Græci diuinitatem ob suam imperitiam, aut si dominum & dominum dixisset, variam dominationem opinati fuissent. Hæc itaque caussa erat cur nũc deum patrem diceret & dominum filium, erat enim professus vnũ apud nos esse deum. Si ergo dixisset & patrem & filium deum esse vel dominum, rursum inuenire-tur ex sua quidem professione Græcis contrarius, & tamen variam diuinitatem ac dominationem apparẽter inducere.

Coryl.

B

*Psal.* 109 *&* 44.
*Rom.* 9.

C

D Iccirco quum deum dixisset patrem dominũ dixit filium, ad infantiam sese demittens Græcorũ. Siquidem demõstratum est scripturã huiusmodi nominibus indifferenter vsam esse. Ex *quo omnia*. Omnibus enim quæ sunt, ipse causa est. Nam ex quo omnia, creationẽ designat, & deductionem à non esse ad esse. Et *nos in illum*. Fidei nostræ ac familiaritatis modum dicit: hoc est, nos ad ipsum pendemus, & ei addicti sumus. Et *unus dominus*. Alius est ipse pater, propterea etiã additur, Vnus. *Et nos per illum*. Duplici ratione, tum procedẽdo ex non esse ad esse, tum ab errore ad veritatem conuersi per ipsum. *Sed nõ in omnibus est scientia*. Non omnes, inquit, norunt quòd vnus est deus & vnus dominus & non multi:

E neque omnes norunt quòd idola nihil sint.

Nonnulli verò cum conscientia idoli vsq; ad hoc tempus, tanquam idolis immolatum edunt: & conscientia illorum quum sit infirma polluitur. Atqui esca nos non cõmendat deo: neque si comedamus, aliquid nobis magni accedit: neque si nõ comedamus, quicquam nobis deest.

Dicens, Nõnulli, non manifestat ipsos, ne amplius eos pudefaciat. *Vsque ad hoc tempus*. Vides non omnes nosse quòd nihil sint idola? denique quidam ad hoc vsq; tempus, id est, etiam postquã crediderũt, idolis immolata edunt, tanquam

F idolis immolata: hoc est, ea mente qua & Græci, tanquã existimantes idola aliquid esse. Quia ergo infirmam ac debilem habẽt consciẽtiam, polluũtur edentes, quanquã alioqui non polluerentur. Quare autem ij qui infirmam nõ habent conscientiam, non polluũtur? Quia omnino non sunt quicquam idola: nihil sunt, nullo digna sunt, inutilia sunt. *Atqui esca nos non cõmendat deo*. Ne quod verisimile est, dicãt, Ego pura edo cõscientia, & quid mihi curę est si quis ex imbecillitate patiatur offendiculum? ostendit quòd ipsum quoque edere tanquam in contẽptum idolorũ nihil pręstat egregiũ. Nam etsi iniuriam non accipiat, inquit, frater qui infirmus est, ne ita quidem aliquid eorum quæ laude digna sunt, efficeris: aut quæ in regnum cælorum inducere vel cõmendare possint. Quid enim est edere, aut nõ edere? Siquidem neq;

ſi comedamus, aliquid nobis magni accedit: hoc eſt, grati ſumus apud deum tanquam magni aliquid præſtiterimus, & creſcimus in laude. Illi enim ex hoc extollebantur: & oſtendit eos nihil ex ea re facere. Neque ſi non comedamus, quicquam nobis deeſt: hoc eſt, non inferiores in laude ſumus. A

Sed videte ne quo modo poteſtas hæc veſtra offendiculo fiat iis qui infirmi ſunt. Etenim ſi quis conſpexerit te qui habes ſcientiam, in epulo idolorum accũbentem, nonne conſcientia eius quũ infirmus ſit, ædificatur ad edẽdum quæ idolis immolata ſunt? & peribit qui infirmus eſt frater, ob tuam ſcientiam, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccãtes in fratres, & percutientes conſcientiam illorum infirmam, in Chriſtum peccatis. B

Timentis ſermo eſt. *Ne quomodo poteſtas hæc.* Non dixit, Sciẽtia aut Perfectio, ſed, Poteſtas, quod immodeſtiæ eſt, & arrogãtiæ. Offendiculo fiat, hoc eſt, offenſioni & euerſioni: Dicens autem, *Iis qui infirmi ſunt,* carpit ipſos quòd ne infirmis quidem parcerent fratribus, quibus oportebat etiã manum porrigere. *Te qui habes ſcientiam.* Te qui vt dicis perfectus es. *Nonne conſcientia eius.* An non occaſionem ſumet vt edat quæ idolis ſunt immolata, quũ tamen putet idola aliquid eſſe: Dicens autem, *Aedificabitur*, oſtendit quòd imbecillitas illi⁹ magis augebitur. *Et peribit qui infirmus eſt frater.* Fiẽtq; tua perfectio, alteri occaſio perditionis. *Propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Chriſtus inquit, neq; mori pro ipſo recuſauit: tu verò neque ad ciborũ quorundam abſtinentiam tete demittis, ne offendiculum patiatur. *Et percutientes conſcientiam illorum.* Non dixit, Offendiculum ponẽtes: ſed quod crudelius eſt, Percutientes. Quid enim eo crudelius eſt, qui infirmum verberat? *In Chriſtum peccãtis.* Quomodo in Chriſtum labimur, quum in fratres peccamus? Quomodo? quia tanquam dominus ſua ducit quæ ſeruorum ſunt, ſibique vendicat, & quia ad corpus eius cẽſentur qui percutiuntur: & quod ille ſua morte prouexit, hoc tu per eſcam diſſoluis: quid autem fieri poteſt hac re abſurdius? C

D Quapropter si esca offendiculo est fratri meo, nequaquã vescar carnibus inæternũ, ne fratri meo
Cap.9. sim offendiculo. An non sum apostolus? an non sum liber? an non Iesum Christũ dominum nostrũ vidi? an non opus meũ uos estis in domino? Si cæteris nõ sum apostolus, at sanè vobis sum: siquidem sigillum apostolatus mei vos estis per dominum.

Id longè optimi præceptoris est à propriis operibus instruere. Vos, inquit, ne ab his quidem temperatis quæ idolis immolata sunt, ne fratri sitis offendiculo, quę etiam alioqui vetita sunt: ego verò, quid dico idolis immolata? neque
E aliam vllo modo carnẽ attingam, si quispiã ex hoc sumit offendiculum, & hæc mea obseruatio erit sempiterna. *Nequaquam*, inquit, *uescar carnibus inæternũ*. Et quoniam dixerat, Si esca offendiculo est fratri meo, nequaquam vescar carnibus inæternum: ne quis existimaret hanc gloriam tantũ esse verborum, & quòd hæc nullo modo opere cõpleret: ad hoc consequẽter adigitur, vt ostẽdat quomodo ab his quoq; abstineret quæ permissa erant, ne aliquibus esset offendiculo. Quid dico, inquit, de his quæ idolis sunt immolata? Quum Christus iusserit vt qui prædicaret, de euangelio ederet; hoc est, ab his qui docẽtur alimẽtum acciperet: elegi, si opus esset, fame perire, & nihil à vobis accipere: nõ quòd vos mihi præbentes offendamini, inquit, sed vt amplius ædificemini,
F conspiciẽtes ꝙ sine sumptu vobis prædicem. Itaque quũ lex quoque diuina mihi permittat accipere, propter vestri ædificationem decreui nihil à vobis accipere, sed laborabã manibus meis operãs & me alens. Ecce interim ostẽdit se vera dicere, & præstare quæ dicebat. Deinceps verò etiam aliud parat. Quũ ego, inquit, ita egerim, vos neq; ab his quæ idolis sunt immolata abstinetis, ne infirmis fratribus sitis offendiculo, imò verius perditis. Multos autem versus comprehẽdit intelligẽtia huius sentẽtiæ, & ad eum vsq; locum protenditur quo ait, Quũ liber essem ex omnibus. *An non sum apostolus*? Deinde ne dicant, Etiam si velles accipere non tibi liceret, propter hoc non accepisti: vt quid, inquit, non mihi liceret? nõne alij apostoli aluntur ex euangelio? vtique: quid

ergo,an non ſum ego apoſtolus ſicut illi? an non ſum liber? A
hoc eſt,nũ alicui ſubiicior qui me prohibeat accipere? Poſtmodum ne dicant ꝙ cæteri apoſtoli ſublimius aliquid habeant,nempe ꝙ Chriſtum viderint & cũ eo conuerſati ſint, ſubiungit, *An non Ieſum Chriſtum dominum noſtrum uidi?* ita ne in hoc quidem inferior ſum cæteris apoſtolis : ait enim, Poſtremo omniũ velut abortiuo viſus eſt & mihi. *An non o-* Infrà 15.
*pus meum uos eſtis in domino?* Deinde ne dicant, Etiam ſi ſis apoſtolus, nullum tamen opus demonſtraſti: quomodo, inquit,an non opus meum vos eſtis?hoc eſt,an non operationem apoſtolo dignam exhibui dum vos conuerterem? quod in domino per Chriſtum operatus ſum. *Si cæteris non ſum*
*apoſtolus.*Atqui poſſem,inquit,dicere ꝙ ab Ieruſalem & cir Rom. 5.
cumadiacentibus locis vſque ad Illyricum impleuerim euãgelium Chriſti,ſed hoc interim non dico. Nonne veſter factus ſum apoſtolus?nam ſi aliorum non ſum, at veſter interim ſum, ſed tamen nihil à vobis accepi . Ad hoc enim vide rem ab eo geſtam:vnde ait,*Sigillũ apoſtolatus mei uos eſtis.* Hoc eſt , ſi vult quiſpiam cognoſcere ſim ne apoſtolus, vos ad euidentem probationem propono : Nam quæcunque ad apoſtolatum ſpectant, in nobis exhibui,& ſigna faciens , & fidem docens,& pericula ſuſtinens, & vitã demonſtrans inculpatam. Hæc enim aliáque huiuſmodi inſigniunt, effigiãt ac demonſtrant apoſtolum. B

Mea reſponſio apud eos qui me interrogant hæc eſt,An non habemus poteſtatem edendi ac bibendi?An non habemus poteſtatẽ ſororẽ mulierẽ circunducẽdi, quẽadmodum & cæteri apoſtoli & fratres domini & Cephas? Aut ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem non operandi? C

Apud eos videlicet qui quærunt ſcire in quo oſtenderim ſigna apoſtoli, aut ꝙ ſine ſumptu euangeliũ prædicauerim, vos in teſtimonium & oſtẽſionem propono:nã hoc eſt quod ait, *Mea reſponſio apud eos qui me interrogant hæc eſt*, nempe apoſtolatus ad vos,ſiue legatio erga vos,An non habebam, inquit ,poteſtatem edendi ac bibẽdi ab his qui docebantur? nam hoc Chriſtus iuſsit , ſed tamen ea re abſtinui , ne vobis

D vllum præberetur offendiculum. *An non habemus potestatem sororem mulierem.* Diuites mulieres quæ crediderant quosdam sequebantur apostolorum, in necessarios eorum vsus suppeditantes: vt illi deinceps abiecta de hoc solicitudine, soli vacarent prędicationi. Vide autem ꝙ apostolorum Coryphæum nouissimum posuit, hoc designans. Et quid cæteros dico, an non ipse Petrus hoc faciebat? *Et fratres domini:* Fratres domini dicit eos qui fratres eius existimabantur: nam quoniam ita appellabãtur, etam ipse iuxta communem opinionem loquutus est, qui filij erant Ioseph, eo ꝙ hic desponsauerat sibi dei matrem: nempe Iacobus Ierosolymorũ episcopus, Ioseph eodem cum patre appellatus nomine, & Simon ac Iudas. *Ego & Barnabas.* Sciẽs Barnabam sibi so-
E cium esse in hoc studio ac diligenti obseruantia, putà ꝙ sine sumptu prædicaret, quum potestatem haberet ita faciendi, non occultauit. *Non habemus potestatem non operandi?* Hoc est, vt à prædicatione suppeditarẽtur nobis quæ ad victum sufficerent? sed tamen quum talem haberemus potestatem, non sumus vsi potestate vt magis vos iuuaremus, euangelium sine sumptu prædicantes. Quòd si hoc ita est, manifestum est ꝙ si vos intelligerem sumere offendiculum ob esum carnium, qui tamen non est prohibitus, nequaquam eis vescerer inęternum, ne fratri causa fierem offendiculi: quãtò magis abstinere vos oportet ab his quæ sunt idolis immolata, per quæ non solùm fratres offendiculum patiuntur, sed & conscientias polluunt? Quod tamen ait, Aut solus e-
F go & Barnabas non habemus potestatem non operãdi, proprius ad verbum ita accipiatur. Itaque, inquit, cæteri apostoli potestatem habent non operandi neque laborandi manibus, sed vt alantur ex his quæ sibi ministrantur. Ego verò & Barnabas, vt apparet, non habemus potestatem non operandi, sed necessarium est vt manibus laborantes, ita nobis suppeditemus quæ ad vsum sunt necessaria?

Quis militat suis obsoniis vnquam? Quis plãtat vineam & de fructu eius non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

Quis, inquit, miles à domo sua alitur, & non ex militia? Et hoc est quod ait Suis obsoniis. Bene autem militis exẽ-

plam prius posuit: nam id aptum est apostolatui propter ea quæ in ipso sunt pericula & bellum intellectualium inimicorum. *Quis plantat uineam.* Hæc omnia exempla ostendunt oportere præceptorem ali ab his qui docentur, quemadmodum militem ex militia, & illum qui plantauit vineam ex illius fructu, pastorémque è lacte gregis. Et tamen quanquã & æquitas, inquit, hoc requirat, & dominus ita iusserit, ego sine sumptu vobis prædicaui, ne essem vobis offendiculo. Ego igitur etiam ab his abstinui quę concessa erant, propter vestram ædificationem: vos autem neque ab his quæ idolis immolata sunt abstinetis, ne fratribus nocumentum inferatis. Nam tota hac parte hic eius scopus est. *Quis plantat uineam?* Per vineam significat laborem qui est in apostolatu. *Aut quis pascit gregem?* Per gregem significat doctrinam & prouidam gubernationem quæ est in apostolatu. A B

Num secundum hominem hæc loquor? an non & lex eadem dicit? Etenim in Mosi lege scriptum est, Non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ sunt deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim scriptum est quòd debeat is qui arat, sub spe arare: & qui triturat, spei suæ particeps esse sub spe.

Quoniam alendos esse ostẽdit ab his qui docẽtur, quódque hoc ita sit, suadet cæterorum apostolorum cõmunis cõsuetudo, cõsequenter etiam hoc à scripturę testimonio vult confirmare, & ait, *Num secundum hominem hæc loquor?* Num solùm videtur hoc hominibus? Aut humanorũ tantùm exẽplorum possum confirmare ratione? *An non & lex eadem dicit? Num boues curæ sunt deo?* Ne quis dicat, Et quorsum adductum est quod de bobus dictum est, ait, Num boues curę sunt deo? Curam vtiq; gerit ipse etiam de brutis, at non ita vt propter ipsa legem quoq; posuisset: sed per hoc vult nos instruere, ꝙ laborantes non frustrà laboremus, sed ex laboribus alendi sumus. Itaque & ego qui laboraui, dignus sum qui à vobis alar. *An hoc propter nos omnino dicit?* Omnino, id est, vt in confesso est, omnibus modis. *Quia sub spe debet.* Insistit tropo qui de bobus est. Quia præceptor, inquit, debet C

D vllum præberetur offendiculum. *An non habemus potestatem sororem mulierem.* Diuites mulieres quæ crediderant quosdam sequebantur apostolorum, in necessarios eorum vsus suppeditantes: vt illi deinceps abiecta de hoc solicitudine, soli vacarent prędicationi. Vide autem ꝙ apostolorum Coryphæum nouissimum posuit, hoc designans. Et quid cæteros dico, an non ipse Petrus hoc faciebat? *Et fratres domini:* Fratres domini dicit eos qui fratres eius existimabantur: nam quoniam ita appellabātur, etam ipse iuxta communem opinionem loquutus est, qui filij erant Ioseph, eo ꝙ hic desponsauerat sibi dei matrem: nempe Iacobus Ierosolymorū episcopus, Ioseph eodem cum patre appellatus nomine, & Simon ac Iudas. *Ego & Barnabas.* Sciēs Barnabam sibi so-
E cium esse in hoc studio ac diligenti obseruantia, putā ꝙ sine sumptu prædicaret, quum potestatem haberet ita faciendi, non occultauit. *Non habemus potestatem non operandi?* Hoc est, vt à prædicatione suppeditarētur nobis quæ ad victum sufficerent? sed tamen quum talem haberemus potestatem, non sumus vsi potestate vt magis vos iuuaremus, euangelium sine sumptu prædicantes. Quòd si hoc ita est, manifestum est ꝙ si vos intelligerem sumere offendiculum ob esum carnium, qui tamen non est prohibitus, nequaquam eis vescerer inęternum, ne fratri causa fierem offendiculi: quātò magis abstinere vos oportet ab his quæ sunt idolis immolata, per quæ non solùm fratres offendiculum patiuntur, sed & conscientias polluunt? Quod tamen ait, Aut solus e-
F go & Barnabas non habemus potestatem non operādi, proprius ad verbum ita accipiatur. Itaque, inquit, cæteri apostoli potestatem habent non operandi neque laborandi manibus, sed vt alantur ex his quæ sibi ministrantur. Ego verò & Barnabas, vt apparet, non habemus potestatem non operandi, sed necessarium est vt manibus laborantes, ita nobis suppeditemus quæ ad vsum sunt necessaria?

Quis militat suis obsoniis vnquam? Quis plātat vineam & de fructu eius non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

Quis, inquit, miles à domo sua alitur, & non ex militia? Et hoc est quod ait Suis obsoniis. Bene autem militis exē-

plam prius posuit: nam id aptum est apostolatui propter ea A quæ in ipso sunt pericula & bellum intellectualium inimicorum. *Quis plantat uineam.* Hæc omnia exempla ostendunt oportere præceptorem ali ab his qui docentur, quemadmodum militem ex militia, & illum qui plantauit vineam ex illius fructu, pastorémque è lacte gregis. Et tamen quanquã & æquitas, inquit, hoc requirat, & dominus ita iusserit, ego sine sumptu vobis prædicaui, ne essem vobis offendiculo. Ego igitur etiam ab his abstinui quę concessa erant, propter vestram ædificationem: vos autem neque ab his quæ idolis immolata sunt abstinetis, ne fratribus nocumentum inferatis. Nam tota hac parte hic eius scopus est. *Quis plantat uineam?* Per vineam significat laborem qui est in apostolatu. *Aut quis pascit gregem?* Per gregem significat doctrinam & B prouidam gubernationem quæ est in apostolatu.

Num secundum hominem hæc loquor? an non & lex eadem dicit? Etenim in Mosi lege scriptum est, Non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ sunt deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim scriptum est quòd debeat is qui arat, sub spe arare: & qui triturat, spei suæ particeps esse sub spe.

Quoniam alendos esse ostẽdit ab his qui docẽtur, quódque hoc ita sit, suadet cæterorum apostolorum cõmunis cõsuetudo, cõsequenter etiam hoc à scripturę testimonio vult confirmare, & ait, *Num secundum hominem hæc loquor?* Num C solùm videtur hoc hominibus? Aut humanorũ tantùm exẽplorum possum confirmare ratione? *An non & lex eadem dicit? Num boues curæ sunt deo?* Ne quis dicat, Et quorsum adductum est quod de bobus dictum est, ait, Num boues curę sunt deo? Curam vtiq; gerit ipse etiam de brutis, at non ita vt propter ipsa legem quoq; posuisset: sed per hoc vult nos instruere, ꝙ laborantes non frustrà laboremus, sed ex laboribus alendi sumus. Itaque & ego qui laboraui, dignus sum qui à vobis alar. *An hoc propter nos omnino dicit?* Omnino, id est, vt in confesso est, omnibus modis. *Quia sub spe debet.* Insistit tropo qui de bobus est. Quia præceptor, inquit, debet

D repensionem habere laborum, non ꝙ nulla vlteriori fruiturus sit retributione, sed ꝙ spem habeat post hanc temporalem paruámque repensionem etiam æterna ac supernaturalia nancisci bona. Nam & hoc significat quod subiungit, *Et qui triturat, spei suæ particeps esse sub spe.* Siquidem apostoli spem habebant ꝙ ab his qui docebantur consequerẽtur obsequium quo alimentum subministraretur, & consequebantur: Atqui non id erat ipsis spes finalis: sed hac spe fruentes, maiorem adhuc expectabant ac sperabant. Hoc autem ait, ꝙ nihil impediebat futurorum spem ac retributionem bonorum, acceptio ministerij quo ab his qui docebantur alimẽta subministrabãtur: hinc significãs ꝙ licèt nihil impediat futuram retributionem, à discipulis hic accipere alimenta, non

E tamen accepi, inquit. Plurimis autem modis nititur astruere ꝙ vetitum non fuerit, tum propter id quod dictum est, tum ne ipse hac re abstinens, calumniari eos videretur qui vtebantur. *Et qui triturat spei suæ.* Idem rursum tropus est. Et qui triturat, inquit, spei suæ, particeps est sub spe. Quoniam enim is qui arat, in spe arat, hac etiã spe frui debet qui postmodum triturat, qua sperabat dum araret. Quæ est autem spes? nempe ꝙ particeps erit fructuum. Deinde addit, *Sub spe.* Ne quis enim dicat, Tantorum ergo laborum quos sustinẽt apostoli, hæc est retributio, putà edere? addidit Sub spe, hoc est, spe quidem futurorum bonorum laborant apostoli, attamen oportet quoque hinc in refrigerium habere sumptum, ab his qui docentur. Hoc autẽ ostendit ꝙ sub fu-

F tura spe participem esse oporteat alterius quoque spei, hoc est, alimenti ac cæterorum.

Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnũ est si nos carnalia vestra messuerimus? Si alii potestatis erga vos participes sunt, cur non potius nos? Atqui non vsi sumus potestate ista: sed omnia sufferimus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi.

Deinde aliud quoque dicit, vt ostendat oportere præceptorem ali, Non vt similia, inquit, præbeatis his quæ accepistis. Nam si nos spiritualia in vos seminauimus, hoc est, præbuimus, an magnum est si carnalia accipiamus? spiritualia dicens fidem, carnalia verò alimẽtum. *Si alij potestatis.* In-

dicat quosdam impostores qui ipsos veluti possidebant: nec solùm apud eos edebant, sed & potestatem erga ipsos habebãt. Si igitur illi, inquit, potestatis erga vos participes sunt, ita vt vobis dominentur: an ne sumus nos idonei, qui magis hoc faciamus? *Atqui non usi sumus potestate ista.* Vides vbi reddat sui intenti conclusionem? Etenim quãquam concessum, inquit, mihi erat vt à vobis acciperem, veluti demõstratum est, tũ ex eo ꝙ ita faciant cæteri apostoli, tum ex exẽplis quę proposui, tũ ex lege Mosi: nihil tamen accepi, timens ne hoc aliquos offenderet circa fidem: Si ergo ego (nam hoc ipsius intentum est) etiã his quæ permissa sunt abstineo, ne aliquos offendam: quomodo vos ne ab idolothytis quidem abstinetis quæ omnino vetita sunt, ne imbecillioribus fratribus offendiculo sitis? *Potestate ista.* Hoc est, nihil à quoquam accepi. *Sed omnia sufferimus.* Ne enim quis dicat, Non egebas, propterea non accepisti, subiungit, Sed omnia sufferimus, putà famem, sitim, nuditatẽ: solùm ne qua fiat offensio, hoc est, ne quid remoretur euangelium ac prædicationem. A B

An nescitis quòd ii qui sacra operantur, ex templo edunt? Qui altari assistunt vnà cum altari partem accipiunt? Ita & dominus ordinauit, vt qui euangelium annuntiant, ex euangelio viuant. Ego tamen nullo horum vsus sum.

Prioribus non contẽtus, alia quoque subiungit: ostendens ꝙ sibi licitum erat à discipulis accipere, & ait, *Qui sacra operantur*: Hoc est, qui in templo permanent, & munera quæ in eo fiunt exequuntur, nempe sacerdotes & Leuitæ. *Ex templo edunt.* Non dixit de his qui offerunt, ne vel accipientes deprimeret, vel offerentibus cristas erigeret, sed Ex templo ait. *Qui altari assistunt.* Sacra quidẽ operantes dicit Leuitas, qui decimas accipiebant: altari verò assistentes sacerdotes, qui ea habebant quę tollebantur à sacrificiis. Vnà cum altari partem accipiunt, Rursum & hìc eodem tropo loquutus est. Siquidem non dixit, Ex his qui immolant accipiunt, sed ꝙ ex altari. Postquam enim facta erat oblatio, iam non eius erat qui obtulerat, sed templi & altaris. Et bene dixit, Vnà partem accipiũt. Siquidem holocaustomata fiebant & ea solius erant altaris: porrò ex victimis sanguis quidem altari C Oecum. *Leuit.* 17. *aliisque locis innumeris.*

D cedebat, & adeps immolabatur: quandam verò carnium ablationem accipiebat sacerdos, vtpote dextrum brachium, pectusculum siue medium pectoris & armum dextrum. *Ita & dominus*. Ita, nihil, inquit, nouum, sed vetera sequutus, nihil noui molitus sum. Considera verò quòd postremò posuerit quod maximum erat: Ex *euangelio uiuant*. Sicut ibi nõ dixerat, Ex his qui obtulerant, sed Ex tẽplo & ex altari: ita & hic non dixit Ex discipulis, sed Ex euangelio. Et bene ait viuere, ostẽdens ꝙ nihil aliud liceat accipere præter alimẽtum & vestitum. *Nullo horum usus sum*. Horum, quorũ exẽplorum quę dixi, legis & ordinationum Christi: quod oporteat accipere præceptores, & viuere ex his qui docentur.

E Quanquam non hæc scripsi vt ita fiat in me. Melius enim est mihi mori, quàm vt gloriationem meam aliquis inanem reddat. Etenim si euangeliũ prædicem, non est quòd glorier: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, nisi euangelium prædicem. Nam si vltroneus hoc faciam, præmium habeo: si autem non vltroneus, dispensatio mihi cõmissa est. Quod igitur mihi præmium est? Vt cùm euangelizem, sine sumptu ponam Christi euangelium, non abutendo potestate mea in euangelium.

Non opinentur hæc eum propterea scripsisse, quasi iam F vellet in posterum accipere, corrigit hoc. Non scripsi, inquit, hæc, vt ita fiat in me, putà sicut exempla requirunt, sicut domini iussa disponunt, nempe vt accipiam. *Melius enim est mihi mori*. Vide cum quanta vehementia refugiat accipere. Melius, inquit, est mihi mori, nẽpe fame, quàm vt inanis & vana fiat gloriatio quæ de hac re est. Ne quis enim dicat ꝙ quum non accipiat, tristatur sanè & grauiter fert ꝙ nõ accipiat, rem ipsam vocat gloriationem, ostẽdens gaudium, & animi alacritatem super eo quod fiebat. Quis enim inanẽ redditurus esset Pauli gloriationem? Qui aliquid ipsi contribueret ad euangelium. *Etenim si euangelium prædicem*, inquit, *non est ꝙ glorier*. Quid est ergo in quo glorieris? posset quispiam ipsi dicere, subiũgit, Vt id efficiã quo euangelium

sine

sine sumptu sit. Quid ergo? an hoc maius est quàm euange- A
lium prædicare? nequaquam: sed definitum est vt ex euange
lij prædicatione alerer: quòd autem sine sumptu hoc faciam, o- Oecum.
pus est meæ liberalitatis. *Non est quòd glorier.* Gloriationem
enim dicit vt ipse ex propria liberalitate id præstet: nam quòd
domini præceptum tanquam fidelis seruus exequatur, non
existimat ad suum præclarum facinus pertinere. Audiuit
enim dominum dicetem, Quum feceritis omnia quæ præce
pta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus
facere fecimus. Quæ ergo gloriatio si factum est quod fieri Luc. 17.
oportuit? *Necessitas enim mihi incumbit.* Quoniam Christus
præcepit. *Væ autem mihi est nisi euangelium prædicem.* Trãs-
gredior enim domini præcepta. *Nam si ultroneus hoc faciam.* B
quidnã? vt gratis ponam siue prædicem euangeliũ, *Præmiũ
habeo.* Quia quum etiam permiserit dominus sumptũ ac-
cipere, non accepi. Aut hoc modo, Nam si euangelium præ-
dicare mei esset omnino liberalis animi, & nulla mihi incũ-
beret dominici præcepti ad hoc necessitas, meritò propter
hoc magnum sperarem præmium, & liceret mihi tanquã in
proprio opere egregio gloriari. Si verò veluti concredito
mihi ministerio, & necessitate ministrandi subexistente hoc
faciã, iam non simile sequitur præmium, neque licet in hoc
gloriari. In quo ergo est præclara merces & gloriatio? in eo
quòd quum euangelium vt iussus sum prædicauerim, nihil
tamen ex prędicatione acceperim, ne tantùm quidem vt in- C
de viuere possem: sed sine sumptu & gratis meum exhibue
rim ministerium. *Si autem non ultroneus.* Non vltroneus di-
cit: quia non suum opus est oblata exhibitio prædicationis,
sed Christi præceptum. Non dixit. Non habeo pręmium, si-
cut superius: sed dispensatio mihi commissa est: ostendens
quòd etiam hoc pręmium habeat: sed non quale ibi, nempe
in prædicando sine sumptu. Aut hoc modo. Siquidem vl-
troneus hoc faciam, vt sine sumptu ponam euangelium, præ Oecum
miũ habeo: si verò nõ vltroneus, neque ita delinquo. quã-
obrem? dispensatio enim mihi commissa est. His autem qui-
bus huiusmodi dispẽsatio commissa est licet accipere. Nam
dominus iussit vt qui euangelium prædicarẽt ex eo ederẽt.
Inter vltroneum autem & non vltroneum hæc est differen-
tia: quòd vltroneus quidem vbi mentis assentit cõsideratio,

D nõ fert grauiter, sed gaudet in eo quod agitur: nõ vltroneus verò dicitur, vbi cum violentia & necessitate rationis hoc facit. *Quod igitur mihi præmiũ?* Quoniã obscurè dixerat, seipsum interpretatur quænam sibi gloriatio sit. *Non abutendo mea potestate.* Potestatem vbique dicit, ostendens quòd neque hi delinquunt qui accipiunt, nam accipiendi potestatẽ habent. Cõsidera verò ipsius exactam diligẽtiam. Nam abusum vocat qualemcunque vsum, nempe vtcunque accipere, & quod reuera aliis peccatum non inducit, existimat sibi nociuũ esse: non quod nociuũ sit, sed seipsum diligẽter explorans. Addidit autẽ in euãgelio, ostẽdẽs eum qui docet debere accipere, nẽpe qui laborat, nõ eum qui otiosus est.

Nã quum ab omnibus liber essem, omnibus me-
E ipsum seruum feci, vt plureis lacrifacerẽ: & factus sum Iudæis quasi Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: iis qui sub lege erant, quasi sub lege, vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, quasi sine lege: quum deo nõ essem sine lege, sed sub lege Christi, vt eos qui sine lege erant, lucrifacerem. Factus sum infirmis quasi infirmus vt infirmos lucrifacerem. Omnib9 omnia factus sum, vt omnino a-
F liquos saluos facerem. Hoc autem facio propter euangelium, vt simul particeps illius fiam.

Plus est quod dicit: Non solùm, inquit, nõ accepi quũ potestatem haberem, verùm etiam quum liber essem, nulliq; subiectus, volẽs ac vltroneus meipsum seruum feci, vt multos saluos facerem. Nam hoc significat Plureis, quum ait, *Vt plureis lucrifacerem.* Vides dilectionem? proprium ducit lucrum aliorum salutem. *Et factus sum Iudæis quasi Iudæus.* Consequenter modos dicit seruitutis. Non dicit Iudæus factus sum, sed quasi Iudæus, vt ostendat quòd dispensationis
Acto.16 & 21. opus erat. Quando autem factus est quasi Iudæus? Quando Timotheum circuncidit: quando purificatus templum ingressus est cum his qui habebãt votum. Vt enim eos qui verè Iudæi erant ad fidem trãsferret, factus est quasi Iudæus. Quomodo? nisi enim circuncidisset & purificatus fuisset, ac

Iudęis persuasisset legi se adhęrere, nequaquam ad eum accessissent: imo cum eo tanquam cum apostata qui suam legem reliquisset, ne sermonibus quidē communicassent: quo autem modo saluos facere ipsos potuisset, qui neque accessissent neque eius doctrinam audissent, sed tāquam rem abominandā eum duxissent? ALIO modo. Factus est Iudæis quasi Iudæus, quando in templo purificatus est, & hostias obtulit, ac Timotheum circuncisum Iudæis in pręceptorē misit, circuncisione tollens circuncisionem. Iccirco non dixit Iudæus, sed Quasi Iudæus. *Iis qui sine lege erant quasi sine lege.* Quando apud Athenienses concionem habens, non ex lege neque ex prophetis disputauit, sed ab ara exhortationē cōtexuit: ā propriis dogmatis eos manuducēs: quando etiam in ara inuenit quisnā esset ignotus deus. Ideo non dixit simpliciter sine lege, sed Quasi sine lege. Quum autē ait, *Quum deo non essem sine lege, sed sub lege Christi:* Aut quasi de re indifferēti dixit, nam qoum vna sit essentia, nulla est differentia. Aut si id coactum existimas, hoc opinor eū indicare, quòd non solùm conuersetur iuxta legem, quæ ā quibusdam patri adscribitur, & secundum eorum qui discebant habitudinem, non secundum eius qui tradidit dignitatem, infantibus magis aptabatur: verumetiam iuxta cęlestē ac perfectam Christi legem. Nō sine lege, quo ad veterem legem: sed & sub lege, quo ad euāgelium. Nō extra legem, sed etiam in gratia. Nō cōmisi stuprum propter legem: sed neque lasciuè intuitus sum, propter euāgelium. Nō occidi, propter timorē, sed & iram expugnaui, propter amorē. Siquidem is qui veterem seruauit, non erat sine lege, qui autē nouam, erat etiam sub lege Christi. Hæc autē dicit, non attribuens patri legem, filio verò euangeliū: sed ad vulgi suspitionem & opinionem respiciēs. Omnia enim quæ patris sunt etiam filij sunt: Et quæ filij sunt etiam patris sunt. Alio modo. Iudæos vt arbitror eos appellat qui nondum crediderant: Sub lege autem illos dicit qui euāgeliū quidē susceperant, adhuc tamen legis obseruationi alligati erāt. Nā & propter hos & propter illos, legalem purificationē Ierosolymis sustinuit, & in Lycaonia Timotheum circuncidit, sed & alia innumera, dispensatione quadam operatus est. Alio modo. *Is qui sub lege erant.* Sub lege dicit eos qui ex

[Margin: A; Isidori.; Acto.17; B; Matth.5.; C; Iohan. 17; Theod.; Act.21. & 16.]

D Iudæis crediderant,adhuc tamen legi adhærebant.Quando
Acto.21. autem factus est quasi sub lege?quando dixit ei Iacobus,Vides frater quot millia sint qui crediderũt,& omnes sunt studiosi sectatores legis:tũc enim propter ipsos purificat⁹ est. Vide autem quòd vbique adiunctum sit Quasi, vt ostendat quòd hæc dispensatoriè facta sint. Alio modo. *Iis qui sine lege erant quasi sine lege.* Sine lege dicit eos qui non erant sub lege Mosi,nempe qui è gentibus erãt:ad quos etiam quũ accederet, demisit se ad eorum imbecillitatem multáque magna dogmata reticuit,sciens eos ferre non posse. Ita ergo factus sum,inquit, apud illos,tanquam sub Christi legibus nõ essem.
Acto.17. Quum enim apud Athenienses concionaretur, non
E palã ea quæ Christi erant disseruit quasi de deo loquens,sed quasi de nudo homine:neq; enim capaces erãt vt tale quippiam audirent. Suspicabantur nanque eum quasi vnum eorum qui apud ipsos inter deos relati erant,quales erant Hercules Asclepius ac cæteri. *Quum deo non essem sine lege.* Deinde ne sententiæ mutationẽ factam esse existimes, subiungit,Quum deo nõ essem sine lege,hoc est, sine dei legibus, sed sub lege Christi. Adnotandum est autẽ hoc dictum, Nõ sum sine lege sed sub lege. Nam quum esset consequens vt subiungeret,dei,dixit Christi. Itaque Christus deus est. *In-*
F *firmis quasi infirmus.* Et neq; in his,inquit, terminum posui, verùm infirmis quoq; in fide factus sum similiter infirmus. An non ita se habebat quãdo concionẽ habẽs, filij ac spiritus mẽtionẽ faciebat,nõ apertè tanquã de deo loquẽs? Et in
Pho. Rom.14 epistola ad Romanos quibusdã diiudicãtibus edere carnes, propter obseruationem quarundam carnium,ad horũ infirmitatẽ sese demittens,neque hos obiurgauit,sed & alios ipsi esse molestos prohibuit. *Omnibus omnia factus sum.* Vt breuiter dicam,Omnibus factus sum id quod eram, nec tamen omnes saluos facere sperãs (re vera enim sic nõ adeò admirãdũ esset) sed vt vel paucos saluos faciã. Quod autem ait Omnino,etiã ad exhortationẽ prædicãtiũ ponitur. Quẽadmodum enim omnes,inquit,saluos facere esset difficile,ita quoq; fieri nõ facile potest vt nulli salui fiãt. *Hoc autẽ facio propter euangeliũ.* Euãgeliũ dicit eos qui per euangeliũ salui fiũt.sicut etiã antea dixit,Ex euãgelio viuere, hoc est ex his qui ipsi crediderunt. Hoc autem facio propter eos qui

ex euangelio crediderũt. Vt possim, inquit, cum ipsis parti- A
ceps fieri repositorũ ipsis bonorũ, omnia feci & facio. Vide modestię magnitudinẽ. Hæc autem dicebat, nõ quòd ob aliquod præmium hęc faceret: sed vt illos attraheret, quò omnia facerent pro fratrum ædificatione, sicut & ipse faciebat.

An nescitis ꝙ qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit prę̨mium? Sic currite vt cõprehendatis. Quisquis autem certat, omnino temperans est. Illi siquidem vt corruptibilem coronam accipiãt, nos verò incorruptibilem. Ego itaq; sic curro, vt non in incertum: sic pugilem ago, non velut aerem feriẽs, sed subiicio corpus meum & in seruitutem redigo: ne quo modo fiat, vt quum aliis B
prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Postquam ostendit oportere demittere se ad infirmos, dicendo Factus sum quasi Iudæus, quasi sine lege, quasi infirmus, vt eos qui verè tales erãt saluos facerẽ: deinceps acrius cum eis disserit. Hoc autẽ exemplum posuit, nõ volens ostẽdere se solũ ex omnibus futurũ saluum: Absit, sed ostendens ꝙ satis nõ sit credere tãtùm, sicut nec illis satis est currere, sed oportet diligentem ac sedulum esse, vsq; ad præmij siue coronæ perceptionem. Quanquã enim fidei, inquit, notitiã habetis, nisi eam fratrum dilectioni iunxeritis, nihil proderit vobis. Nam in superioribus quoq; hunc sermonẽ explicuit. *Sic currite ut cõprehendatis.* Itaq; nondum cõprehenderant. *Quisquis autem certat.* Docet etiam modum quo possit C
quispiam cõprehendere. *Omnino temperans est.* Hoc est, non aliquousq; tẽperat & aliquousque non. Nam hoc verè certare est, cunctarum virtutum & præceptorum obseruantem esse, & ab omnibus malis & cõtrariis abstinere: hic enim verus est pugil. *Vt corruptibilem coronam accipiant.* Ex cõparatione ad id quod minus est rẽ auget. Si hi, inquit, qui in stadio certant, omnino temperantes sunt ne fortitudinem corrumpãt, corruptibilem optantes coronã, quomodo nos qui incorruptibilem expectamus, non multomagis ab omnibus nociuis abstinebimus. *Ego itaq;.* Seipsum postea in exẽplum profert: & optimus hic docendi modus est à seipso exempla

D inuenire. Ego itaq; prudentia duce curro, non in incertum, hoc est non frustrà & in vanum, & ad nullum scopum, sicut vos qui in vanum curritis, Quæ enim vobis vtilitas ex eo ꝙ tanquam perfectionem ostentantes idolothyta edatis, quum hæc vestra, inquit, perfectio fratri noceat? At nõ ego ita, sed exigenti opportunitate etiã mei demissione vsus sum, vt omnino aliquos saluos faciam. N*on uelut aerem feriens*. Ita pugilem ago & certo, non vt aerem feriam: habeo enim quem feriam diabolum: vos autẽ fide currentes, & verberibus pugiles agentes, ad nihil eorum quæ oporteret, vtimini. *Sed subiicio corpus meum*. Non permitto, inquit, ventri aut corpori meo habenas, sed coerceo illud & subiicio: nam hoc sibi vult, Subiicio & in seruitutẽ redigo, hoc est domo, ac in mo

E dum serui rego. Neq; enim prodesset solùm prædicare, nisi etiam quæ à me fieri possunt pręstarem. Hæc autem dicens, innuit eos ventri deditos, quódque non satis eis sit credidisse tãtùm, sicut nec ipsi prædicasse: nisi & ego, inquit, & vos, corpus eiúsque concupiscentias in seruitutem redigamus.

Cap. 10. Nolim autem vos ignorare fratres ꝙ patres no-

C stri omnes sub nube fuerũt: & omnes per mare trã-

Nume. 9. ierũt: & omnes sub Mosen baptizati sunt in nube

Exod. 13. & in mari: & omnes eundem cibũ spiritalem com-

14. 16. 17. ed erunt, & omnes eundem potum spiritalem bi-

F berunt. Biberunt enim de spiritali quæ eos comi-

tabatur petra: petra autem erat Christus.

Enumerat deinceps quot donis Iudæi adeò affecti sint: & ostendit multos eorum etiam post hæc dona non placuisse deo. Hæc autem dicit sciens ꝙ sicut illis nõ profuit tot illos fuisse gauisos donis, quoniã ea quæ in se erant non præstabant, ita neq; vobis proderit fides, aut spiritalibus dotatos esse mysteriis, nisi vos diuina gratia dignos præbueritis.

Genn. *Quòd patres nostri omnes*. Per hæc à veterum comparatione vult eos instruere in his quæ cõueniũt, ostendẽs illos quoque tanquam in typo quodã æqualia accepisse. Ita enim cõuenienti exemplo proposito, inueniebat quo pacto meritò ipsos adhortaretur, ne in similibus delinquerent, vt non similia quoq; paterentur. Eos itaq; sub nube fuisse, manife-

stitio erat gratiæ ſpiritus, Siquidem nubes illos obumbrās ab Aegyptiorum nocumento liberabat, & nos ſpiritus ſancti gratia à dæmoniaca liberat malitia. Per mare verò ipſos tranſiiſſe, noſtris rebus in hoc congruit: nam quod illis præbuit per mare trāſitus, ab inimicis omnino liberans, & firmā deinceps tradens libertatem: Hoc nobis erga noſtros inimicos nempe dæmones, factum eſt baptiſma. Quòd autem ſub Moſen baptizati ſunt in nube & in mari, ſignificat ꝙ ſicut illi hæc aſſequuti, polliciti ſunt ſe Moſaicis legib⁹ parituros: ita & nos in baptiſmate, ſpiritus adoptionē accipiētes, pacta & aſſenſum præbemus iuxta Chriſti præcepta nos victuros: ſicut & Iudæi poſt tranſitū maris rubri dixerunt ad Moſen, Si quid dixerit nobis deus, faciemus. *Sub nube.* Ait enim Dauid, Expandit nubem in protectionem eis, & ignē vt illuminaret eos nocte. *Sub Moſen baptizati ſunt.* εἰς τὸν μωϋσῆν: hoc eſt quòd Moſi communicauerunt in baptiſmo. Quoniā enim baptiſma participare nos facit in morte Chriſti, baptiſma dicit, quòd Iudæi horum quæ diximus miraculorū participes facti ſint. Vult nanq; typum veritati proximum reddere: iccirco etiam eodē verbo vſus eſt tranſitū per mare appellans baptiſma. Baptizauit & ante hoc Moſes in nube & mari: typus enim erat, ſicut Paulo quoque videtur: mare, aquę: nubes, ſpiritus manna, panis vitæ: potus, diuini poculi. A B Exod. 24 Pſal. 104 Grego. Theol.

In illum, inquit, intuentes & confidentes permiſerunt ſeipſos marinis fluctibus baptizari, Deinde ſub nube quoque ſimiliter illum ſubſequentes, tanquam vmbra tegebantur. Quanquam enim aqua non ſint operti, attamen eo aquæ ſpatio gradiebantur: in quo neceſſe eſt eos qui pertranſeant totis aquis baptizari ſiue demergi, aqua ſuam ſeruante naturam. *Sub Moſen baptizati ſunt*, inquit. Siquidem intuiti illum in maris diuiſiones ingreſſum, imitati ſunt: huius itaq; rei tanquam primarius eis dux factus eſt Moſes. *In nube & in mari.* Simul enim cum Moſe tanquam vmbra ſub nube tegebantur, & ſimul cum Moſe diuiſo mari gradiebantur. Pho. C Oecu.

*Eundem cibum ſpiritalem.* Spiritalem vocat & cibum & potum, eo quòd vtrumq; ſpiritus arcana ſua potentia per Moſen dederit: dicit autem de Manna, & carnibus, & de aqua. *Comederunt.* nempe manna, ſicut nos corpus Chriſti. *Potum ſpiritalem.* Hoc eſt aquam è rupe, ſiue petra ſcaturientē, Theol.

D quemadmodum nos sanguinem Christi. Quanquã enim sensibilia quoq; erant quæ illis præbebãtur, tamen spiritualiter tradebãtur: neq; enim naturę cõformis erat traditio, sed gra-
Pho. tiæ spiritali. *De spiritali quæ illos comitabatur petra.* Sensibilis quidem erat, nẽpe petra quæ Israelitis aquã scaturiuit: hanc tamen non ꝓpria natura scaturiebat, sed petrę spiritalis virtute, quæ ei per efficaciam ederat, & ad vsum sitientiũ comitabatur: hoc est, ad illorũ salutem & vtilitatẽ omnia cõmutabat, ac trãsformabat, & ad ipsorũ voluntatem sequebatur: & nunc quidẽ aquam eis ad trãsitum in petrarũ modum firmabat: nunc verò cælum ad cibũ & edulium abũdè eis excolebat, alio autem tẽpore petram ad aquarũ scaturigines aperiebat. Iccirco meritò dici poterãt de spiritali petra bibere: haec enim erat quæ sensibilem illã in aquarum fontes solre-
E rat. Quænam autem erat spiritalis illa petra quæ ipsos o[m]nes subsequebatur, & ad cuiusque tẽporis necessitatem naturas rerum in ordinem trãsfundebat, simúlque transmutatabat? Quæ? Iam subsequenter dicit, nẽpe Christus, qui nũc erga nos quoque similia ac maiora demõstrat. Licet quoque id quod dicitur, Comitatur, aliter intelligere. Intellectualis nanque petra, nempe Christus, nõ solùm his quæ dicta sunt beneficiis mirabiliter eos donauit: verũetiam in sequẽtibus comitabatur, ac sequebatur: proximè ad hæc imò etiam maioribus Israeliten afficiẽs beneficiis. Sed & nos modò fideles comitatur, ita vt consequẽs sit & quæ in veteri & quæ in nouo testamẽto admirãda præstita sunt opera vel beneficia, eiusdem esse prouidẽtiæ, eiusdẽ dei ac domini. *De spiritali.*
F Quoniam dixerat, Potum spiritalem, qui tamen nihil diuersum habuit sicut mãna habebat, sed erat cõmunis aqua: ideo nunc ex modo scaturiẽdi confirmat fuisse spiritalem: neque enim illum petra ex propria natura producebat. Nam si ita fuisset, oportuisset eam & ante illud tempus producere: sed alia quædam petra spiritualis rem omnem efficiebat, quæ erat, inquit, Christus. *Quæ illos comitabatur.* Quod autem ait Comitabatur, innuit quòd semper vnà præsens erat Christi spiritus, omniáque signa operabatur.

*Nume.11.* Sed plures ipsorũ non placuerũt deo, Nam prostrati sunt in deserto. Hęc autẽ figurę nostri fuerũt,

ne nos ſimus concupiſcentes rerũ malarum, quẽad modum & illi concupierunt. Neq; idololatræ ſitis, ſicuti quidam illorũ, quemadmodum ſcriptum eſt, Sedit populus vt comederet ac biberet, & ſurrexe runt vt luderent. Neq; ſcortemur, ſicut quidã ipſorum ſcortati ſunt: & conciderũt vno die viginti tria millia. Neq; tentemus Chriſtum, ſicut & quidã illorum tentauerunt: & à ſerpentibus extincti ſunt. Neque murmuretis, ſicut & quidam illorũ murmu rauerunt: & interempti ſunt ab exterminatore. Exod. 32. Num. 25. 21.14.

B

Omnes, quæcunque admiranda dixi, acceperũt: at non in omnibus beneplacitũ habuit deus, aut de illis proſpera ſtatuit: Nam hoc eſt εὐδόκησε, id eſt, oblectationẽ habuit. Atqui magnis affecti fuerunt donis: videte igitur ne quo modo deus de vobis quoque ſtatuat non proſpera, licèt magnis donis affecti ſitis, niſi dignã vitam prẹſtiteritis. Vniuerſi Iudæi perierunt: quomodo ergo dicit, Plures non placuerunt deo? Ne videatur illis internecionẽ vaticinari. Aut propter Ieſum & Chaleb, recénſque genitos Iudæorũ filios: & quia in vituli adoratione factus eſt Moſes mediator, vt perirẽt ſo la viginti tria millia. *Proſtrati ſunt.* Verbum, Proſtrati ſunt, repẽtinam & maximã ipſorum ſtragem ſignificat. *Figuræ noſtri fuerunt.* Quemadmodum enim baptiſmus & cibus ac potus figuræ noſtri erant, ita & perditio figura noſtri erat, ne æqualia perpetrãtes, ſimilia patiamur. *Quemadmodum & illi concupierunt.* Dauid quoque dicit, Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto. Sedẽtes nanque Iudẹi fleuerunt, atq; dixerũt, Quis indulgẽdo paſcet nos carnibus? Meminimus piſciũ quos edebamus in Aegipto gratis, & cucumerum ac peponum, ceparum & alliorum: nunc verò anima noſtra arida eſt: nihil præter manna intuentur oculi noſtri. *Neque idolatræ ſitis.* Hoc occulto quodam modo edentes idolothyta taxat, oſtendens illos quoque à gulæ vitio deueniſſe ad idololatriam: Et vos, inquit, à gulẹ vitio potius quàm à perfectione adducimini vt illa edatis: quemadmodum illi, con ſtitutis coram vitulo choris, ludebant, choreas coram eo

Exod. 32.

C

Pſal. 105. Numc. 11.

D ducentes, ac dicebant, Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt
Exod.32. te de terra Aegypti. Quidam autem intellexerunt hìc, Ludere, pro eo quod est idolis cultum exhibere. *Neque scortemur*. Aliud rursum dixit peccatum, quòd à gastrimargia
Num.25. gignitur. Scriptum est in libro Numerorum, Et habitauit Israel in Sattim, & confirmatus est populus, vt scortaretur cum filiabus Moab: & vocauerunt eos ad sacrificia idolorum suorũ, & comedit populus de victimis ipsarum, & adorauerunt idola ipsarum. Et initiatus est Israel Beelphegor: & iratus est furore dominus aduersus Israel, & ait dominus
Psal.105. ad Mosen, Accipe omnes principes populi, & in exemplum pone eos domino cõtra Solem: & auertetur ira furoris
E domini ab Israel. Et dixit Moses ad tribus Israel, Occidat vnusquisq; proximum suũ, qui initiatus est Beelphegor. Tunc Phinees filius Eleasar simul transfixit Zambren, & mulierem Chasben. Fuerúntq; interfecti in plaga viginti tria millia. Quidam autem veterum scriptorum posuerunt viginti quatuor millia. *Neque tentemus Christum*. Indicat quod ipsi signa petebant tentantes Christum, sicut & Iudæi
Num.21. in monte Hor, quum circuissent terram Edom, obloquuti sunt contra dominum, & contra Mosen: dicentes, Vt quid eduxisti nos ex Aegypto, vt occideres in deserto: vbi nõ est panis, neque aqua? anima nostra nauseat in pane inani. Et emisit dominus in populum serpentes mortiferos, mordebántque populum: & mortuus est populus multus filiorum
F Israel. *Neque murmuretis*. Innuit quòd in tentationibus non se viriliter haberent, sed cum murmure. Non enim magnũ est pati solùm pro Christo, sed pati etiam cum gratiarum a-
Exod.15.17. ctione, sicut Iob. Murmurauerunt etiam Iudæi ad Merrhan propter aquam: amara enim erat. Rursum murmurauerunt
Num.20. quum non esset aqua, quando Moses & Aharon iussi sunt educere aquã de petra: & illa percussa dixit Moses, Num ex petra hac educemus aquas? Rursum murmurauerũt quan-
Num.14.15.11.16. do missi sunt quidam de populo, vt explorarent terrã Chanaan. Iterum murmurauerunt quando iussit Moses populo vt facerent tubas argenteas, vt per eas signũ darent. Adhæc quũ eleuaretur Arca, murmurauit populus: & statim exusta est pars Castrorũ: & vocatus est locus, tentatio siue incẽsio: orauítq; Moses, & cessauit supplicium. Vocat enim magnus

Paulus exterminationem potentiam quandam punitiuam. A

Hæc autem omnia in figuris contigerunt illis. Scripta sunt autem ad nostri admonitionem, ad quos fines seculorum occurrerũt. Proinde qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendit, nisi humana. Fidelis est autem deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet simul cum tentatione etiam euentum, vt possitis sufferre.

Figuras vocat illa, ostẽdẽs hos magis esse puniẽdos. Quẽadmodum enim in donis veritas maior est figura, ita omnino & in suppliciis. *Ad quos fines seculorum.* Et ex imminente ipsis fine, & ex futuris suppliciis æternis, magis eos terret. B Nam ait, Iam fines seculorũ occurrerunt, & dies certè supplicij. Non solùm enim illi simul ac semel supplicio afficiebantur, sed ecce vobis quoque appropinquauit dies finalis. Occurrerunt autem, hoc est, appropinquarunt: *Proinde qui sibi uidetur stare.* Illos rursum clàm obiurgat, qui de scientia gloriabantur. Quanquam enim te stare existimas, inquit, time ne cadas. Nã ipsum confidere ꝙ firmus stas, ne stare quidem est: ꝙ si etiam stas, facilis est ex arrogantia lapsus. *Tẽtatio uos non apprehendit.* Quoniam terruit eos dicens, Videat ne cadat: iam autem multas passi fuerant tentationes: ne dicant, Quid nos terres? Quum iam multæ superuenerint tẽtationes ac pericula, non cecidimus, & nunc casuri sumus? dicit, Non apprehendit vos magna tentatio, sed tãtùm C parua: vocat enim humanum quod paruum est. *Fidelis autem est deus.* Hoc est, verax. Siquidem promisit dicẽs, Venite qui laboratis & refocillabo vos, nempe eos qui tentãtur. Mat.11. *Supra id quod potestis.* Pariformiter, inquit, ad vestram potentiam permittit fieri tentationem. Aut potius: quæuis tentatio vos euerteret, nisi Christus auxiliaretur. *Sed faciet simul cum tentatione.* Dupliciter hoc potest intelligi. Aut quòd tẽ- Pho. tationem permittens aduenire, statim quoque ipsam dissipat ac cohibet, vt etiam vos possitis ipsam ferre, eo quòd paruo tempore molesta sit vobis. Aut quòd simul cum tentatione faciet etiam euentum post longanimitatem & tole-

D rantiam,hoc eſt,faciet vos protinus tolerãtes ac idoneos ad ſuſtinẽdum,vt ex tentatione nihil vobis accedat nocumẽti, ſed magis lucri plurimùm accreſcat. E*tiam euentum*.Euẽtum dicit cõpletionem ac ceſſationem ſeu cohibitionem, vt vos potentes ſitis ad ſufferendum,acſi diceret,Qui faciet tentationes accipere breui terminum,vt poſsitis ſuſtinere.

Quapropter,dilecti mei,fugite cultum idolorũ. Vt prudentibus loquor:iudicate vos quod dico.Poculum benedictionis quod benedicimus nonne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Chriſti eſt?
E Quoniam vnus panis vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex vno pane participamus. Videte Iſrael iuxta carnem.Num qui edunt victimas, participes ſunt altaris.

Ipſos poſtmodum honorat,poſtquam in multis eos obiurgauit , Vide autem iam non propter ſolum damnum fratrũ imbecilliorum prohibet eos edere idolothyta,verumetiam ipſum in ſe edere vituperat, rem ipſam vocans idololatriã. V*t prudẽtibus loquor*. Quoniam idolothytorum eſum abſtulit,idololatriam appellans rem ipſam,& propterea ipſos obiurgauit : nititur deinceps curare ſermonis aſperitatem , & ait,Vos prudentes eſtis:iudicate rem ipſam,& inuenire poteritis ipſam eſſe idololatriam.Hoc autem faciens,eos etiã
F qui rei ſunt,iudices conſtituit:oſtendens ꝙ vehementer de ſuis ſermonibus confidat tanquam veris : & poſtmodũ probat idololatras eſſe ac idolorum participes,eos qui edunt idolothyta. P*oculum benedictionis*. Poculũ vocat benedictionis,poculũ ſanguinis Chriſti. Q*uod benedicimus*. Quod prę manibus habentes,benedicimus eum qui gratioſè ſanguinẽ ſuũ nobis largitus eſt,hoc eſt,gratias agimus.Vel quod be-
Oecum. nedicentes præparamus.Scis quid dicam. N*onne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Nos enim Chriſto coniungit ſanguis ipſius,vt membra capiti per participationem. P*anis quẽ fran-*
Exod. 12. *gimus*. Quod in cruce non eſt paſſus dominus . (Siquidem
Num. 9. os eius, inquit, non confringetur) hoc propter nos ſuſtinet
Pho. fractus, vt nos ſibi coniungat. ALIO MODO. Eius quod

præcesit demonstratio est id quod subiungitur, Vnde enim A
manifestum est, inquit, quòd panis quem frangimus, cōmunicatio corporis Christi est: hoc est, quod nos ad communicationem corporis Christi adducit? Vnde manifestum est? Quia vnum corpus sumus ac vocamur omnes, qui Christo coniuncti sumus tanquā vnius corporis capiti. Quòd si non per corpus & sanguinem ipsius in communicationem congregaremur, per quid aliud essemus ac vocaremur vnū corpus? *Quoniam unus panis*. Quia dixit, Communicatio corporis domini est: videtur autem id quod communicat aliud esse ab eo cui communicat: vult nunc ostendere quod non communicamus, sed ipsum Christi corpus omnes sumus: Quēadmodum sanè in corpore, reliquum à capite dicitur corpus. Sicut enim in pane, inquit, ex multis granis fit vnus pa- B
nis, ita & nos quum multi simus, vnum Christi corpus efficimur. Nā *omnes ex uno pane participamus*. Deinde rationem quoque addit quomodo corpus Christi efficiamur, Quid enim est, inquit, panis? Corpus nempe Christi. Quid autem efficiuntur hi qui participant? Corpus sanè Christi, Nam participātes corpus Christi, nos quoq; illud efficimur, quoniam vnus panis est Christus. Ex multis nanque granis (vt exempli gratia loquamur) vnus panis factus est. Et nos multi ex ipso vno participantes efficimur vnum corpus Christi. Quoniam enim vetus nostra caro corrupta est sub peccato, opus fuit nobis noua carne. *Videte Israel iuxta carnem.*
Vos enim, inquit, estis Israel iuxta spiritum. *Num qui edunt* C
*uictimas*? per interrogationem legito οὐχὶ, id est, num. Quoniam autem pars quædam victimæ, nempe adeps cremaba- Exod. 29.
tur in altari: eos qui è victima edebant, participes appellauit Leuit. 3.
non victimæ, sed altaris.

Quid ergo dico? quod idolum sit aliquid? Aut quòd idolothytum sit aliquid? non, sed quod ea quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non deò.

Num hoc, inquit, dico quasi idola aut quæ eis immolantur, aliquam habeant potentiam, & ita possint aut prodesse aut nocere? nō, inquit, nullo digna sunt, nihil sunt. Nā quia sedulò de idolis tractauerat, veritus est ne existimarent illa vim aliquam habere. *Quòd idolum sit aliquid*. Non quod aliquid Pho.

D sint idola, propterea idolothyta gustare prohibeo. Dictum est enim ꝙ quum non sint, nec habeant esse secũdum substãtiam: neque vim habẽt vt alicui damnum aut vtilitatem adferant: sed idcirco prohibeo, quia per idola dæmonibus offeruntur sacrificia. Quomodo ergo ex eo abominãdum non erit ac fugiendum participare mensa dæmoniaca, & per eam ad illos ipsos venire in communionem? Deinde per comparationem & appositionem dominicæ mẽsæ & poculi dominici, magis arguit absurdum eorum factum qui idolothyta degustant. Et considera eius sapientiam. Circa initia quidem sensim quodammodo argumenta attigit: in progressu verò, nempe hoc loco, acriter inuehitur. *Ea quæ immolant Gentes.* Non dico vim habere aliquam idola, sed quòd ea
E quæ immolantur, non deo, sed dæmoniis immolantur. Ne ergo ad ea curras quæ deo abominanda sunt. Etenim nunquid benefaceres, si postquam regiæ mensæ particeps effectus fuisses, hac relicta ad inimicorum mensas curreres: non quòd hæ nocerent aut iuuarent, sed quòd iniuria afficeres mensam regiam.

Nolim autẽ vos consortes fieri dæmonum. Non potestis poculum domini bibere & poculum dæmoniorum. Non potestis mẽsæ domini participes esse & mensę dęmoniorum. An dominum ad æmulationem prouocamus? num fortiores illo sumus?

Si enim qui mysticæ mensæ participes sunt, Christo com
F municant, etiam qui dæmonum mensæ participes sunt, dæmonibus certè communicant. *Non potestis poculum domini bibere.* Quoniam per modum adhortationis dixerat, Nolim vos consortes fieri dæmonum: ne despiciatur adhortatio, nunc idem per modum sententiæ posuit dicens: Non potestis poculum domini bibere & poculum dęmoniorum. Non potestis mensæ domini participes esse & mensæ dæmoniorum. Ex solis nominibus domini & dæmonum confirmauit prohibitionem. *An dominum ad æmulationem prouocamus?* Terrteis more hoc posuit. An tentamus aut irritamus deũ, vtrum posit nos punire? Deinde transeundo ostendit quòd hoc ad id quod absurdum est inducat, Num fortiores illo sumus, vt tentemus & irritemus?

Omnia mihi licent, at non omnia conducunt. A
Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod eſt alterius. Omne quod in macello venditur edite, nihil diſcutientes propter conſcientiam. Domini ſiquidem eſt terra, & plenitudo eius.

Ne quis ipſi dicat, Quia cum pura edo conſcientia, licitũ eſt mihi vt hoc faciam, ſubiungit. Vtique omnia quidem tibi licent, quoniam à deo creatus es liberum habẽs arbitriũ: at non temere faciendum eſt, quaſi tibi conduceret edere: Nam hac via progrediens, affectum habere poſſes ad idola, communicando menſis ipſorum. *Sed non omnia ædificant.* B
Hoc propter illos fratres dicit quibus nocumentum adfertur. Nam etſi licitum tibi eſt, inquit, at nõ ædificas fratrem tuũ hoc faciens, quin potius perdis: *Nemo quod ſuum eſt quærat.* Neq; enim hoc ſolùm quærit deus, vtrum tu pura edas conſcientia, ſed etiam vt in vtilitatem ſit fratris tui quod agitur. *Omne quod in macello.* Quia longum de idolothytis protendit ſermonem, adeò vt deinceps etiam illa quæ in foro venalia erant, vt veriſimile eſt, futurũ erat vt territi deuitarent, tanquam idolis fortaſſe immolata, abducit eos ab huiuſmodi timore. ALIO modo. Id ſoluit quod obſiſtere videtur. Quia enim de idolothytis cũ vehementia fecit mentionem, & edentes redarguit, ne quis dicat, Quid ergo? an abſtinere quoque nos oportet à carnibus quæ in foro venales exponũtur? aut neceſſe nobis erit circuire fora, & interrogare ac diſcutere ne quando idolothytum ſit? an in huiuſmodi vitam noſtrã cõcludemus ac propellemus? Ne qui ergo talia poſsint obiicere, præueniens ipſe diſſoluit ea, & ait, nec eſſe neceſſe quæ in foro ſunt reiicere, nec diſcutere aut interrogare vtrum idolothytum ſit an non, ſed ab illis ſolũ oportet abſtinere, de quibus aliquis prius ſuggeſsit eſſe idolothyta. Omne, inquit, quod ĩ macello vẽditur edite, nihil vacillantes ex conſciẽtia, neq; vacillantes aut interrogantes propter ipſam, vt hanc, quum dubia ſit curetis: neque enim moroſam volebat eis reddere cibi participationẽ: ne ex hoc effecti negligentiores, tanquam impoſsibile ſit præceptum

Pho. C Eiuſdem.

D ad exactam diligentiam obseruare, penitus sese eximant ab obseruatione. *Nihil discutientes*. Non diiudicantes eos qui vendunt, num fortaſsis idolothytum sit, tanquam conscientia stimulati, & purificare ipsam volentes: sed absq; discussione, inquit, quæ in foro sunt edite. *Nihil discutiētes propter*

Pho. *conscientiam*. Hoc est, nihil ipsius causa interrogātes aut scrutantes. Oportet enim eos qui edunt habere illam puram & non vacillantem, nec opus habere alia mentis certitudine, quę à discuſsione proueniat. *Domini siquidem est terra*. Nam si terra domini est, planum est ꝙ & ea quæ in ipsa sunt, putà carnes ac fructus: si ergo domini sunt, quid diiudicas?

Quòd si quis infidelium vos inuitat, & vultis ire:

E omne quod apponitur vobis edite, nihil discutientes propter conscientiam. Si quis autem vobis dixerit, Hoc idolothytum est, ne edatis, propter illū qui suggeſsit, & propter consciētiam: domini siquidem est terra & plenitudo eius.

Bene dicit, *Et uultis ire*. Neque enim præcipere voluit, neque prohibere. *Nihil discutientes*. Quare? Ne anxia scrutatione existimemini formidare idola. *Propter consciētiam*. Tāquam volentes puram seruare vestrā conscientiam. *Si quis autem uobis dixerit*. Quare iam non edemus? & ait, Verè quidem omnia domini sunt, sicut & ipsa terra ex qua hæc prodeunt, verùm si ederitis, conscientiæ eius qui suggeſsit no-

F cumento estis: offendiculum enim patietur, cogitans, quām tandem ob causam, quum hoc audieritis, non abstineatis.

Theod. Hoc autem dicit, veritus ne quomodo existimarēt, idcirco fieri prohibitionē, quasi idola vim aliquam haberent. *Domini siquidem est terra*. Etenim tu nosti ꝙ domini sit terra, & plenitudo eius, & idolorum contemnis imbecillitatem, at ille errore deceptus, nocumentum inde colligit, putans te fieri participem carnium idolis immolatarū. Nam hoc docent ea quæ sequuntur, Quare enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? libertatem vocans fidei gratiam. Si ego cum gratia participo, vt quid calumniam sustineo de eo pro quo gratias ago? Non est, inquit, sanctum, alium deprauare

Pho. propter meam perfectionem. ALIO modo. Quoniam superiùs-

periùs quum ea quæ in macello venderentur edere permittebat, ſubiunxit, Domini eſt terra & plenitudo eius, hoc eſt vniuerſa quæ in ea ſunt: nam hæc ſunt quæ ipſam implent, fructus nẽpe & animalia ac ſimilia, Deinde in progreſſu dicit: Si quis autem vobis dixerit idolothytum eſſe, ne edatis: vt non dicat aliquis, Quid ergo? nunc domini non eſt terra & quæ in ea ſunt? at quando permittebas edere, Domini erat, nunc autem non eſt? ne id ergo liceat cuiquam dicere, idem rurſum ponit, & ait: Domini quidem eſt terra & quæ in ea ſunt, quod antea dixi: ſed propter illum qui ſuggeſsit & ipſius conſcientiam, non oportet illorum guſtare idolothyta. Nam ſi domini eſt terra & plenitudo eius, ipſe faciet vos nullo egere, etiã ſi propter ipſum, hoc idolothytorum cibo abſtineatis. Aut ſi domini eſt terra & quæ in ea ſunt, multò magis homo qui in ea eſt: propter hunc ergo qui ſuggeſsit qui domini eſt, alióſq; fortaſsis qui audierũt ſuggerẽtẽ, ne damnum recipiant. nõ edatis: Domini ſiquidẽ eſt terra, & quæ in ea ſunt, & conſeruorum curam habere oportet qui in ea ſunt. Neque enim quum edere oportuit, conueniebat ſolùm hoc intelligere, & quãdo non eſt edendum tum negligere, ſed ſemper eodẽ modo ſe habere: & tũc edentes gratias agere quòd dominus hæc vobis in alimẽtũ præbuerit, & nunc meritò non edere, tanquam obſeruantes ne offendiculo ſitis ſeruis domini, veſtriſque conſeruis. B

Porrò conſcientiã dico non tuã ſed alterius. Cur enĩ libertas mea iuducatur ab alia cõſciẽtia? Quòd ſi ego gratia participo, cur ob id mihi maledicitur pro quo ego gratias ago? Siue igitur editis ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in gloriam dei facite. C

*Conſcientiam*, Græci videlicet ſiue Gentilis qui ſuggeſsit, ne damnum patiatur. *Cur enim libertas mea iudicatur?* Ne quis dicat, Bene quidem edere prohibemur propter fratrum conſcientiam qui damnum paterentur, at de Græcis, eorúmque conſcientia curare non oportet, ait: Quid enim neceſſe eſt vt libertas mea qua nihil obſeruo, ſed liber ſum à ciborum obſeruatione iudicetur ab alia conſcientia? hoc eſt condemnetur à Græci conſcientia? dicet enim vt veriſi-

D mile est: fabulæ sunt res Christianorum: idola videtur abominari,& sacrificia quæ inter ea sunt,prompto animo comedunt. *Quòd si ego gratia participo*. Propter gratiam dei quæ adeò sublimem mihi præstitit animum,qui posset persuaderi nullo talium se coinquinari confidens ergo dei gratiæ edo. Si tu,inquit, dei gratia factus es perfectus, vt scias

Pho. nihil esse idola,& perfectum vt ais,habes animum,qui nihil nocumenti suscipiat,etiam si participare velis in idolothytis:cur ergo teipsum reddis maledictis obnoxium,& per te fidem ipsam ac deum?idque tunc & in eo pro quo magis debebas gratias agere, quum mente perfectus sis. Ipse verò de seipso sermonem effigurauit, quo modestiorem redderet accusationem.Deinde subiungit, *Siue editis & cætera*.

E Vbi enim arguendo cohibuisset, iam soluta transfiguratione quam aduersus seipsum assumpserat,ex directo ipsos admonet dicens, Siue editis & cætera. *Pro quo ego gratias ago*. Ego, inquit, edens gratias ago pro dei gratia quæ mihi animum tribuit sublimẽ & impollutum.propterea dicit,Participãs gratias ago.Cur ergo ob id pro quo ego gratias ago,hoc est pro gratia dei, à Græcis mihi maledicitur. Dicent enim quosdam impostores nos esse & mendaces,qui idola quidẽ auersemur,at mensis quæ ibi exponũtur cõmunicemus. *Siue ergo editis*. Ita,inquit,omnia facite, vt occasionẽ glorificãdi deũ præbeatis, vt ea quæ nũc fiunt vnà cũ

F ignominia & infidelitate per fidẽ conterãtur sicut dictũ est.

Sitis nullum præbentes offendiculum,neque Iudæis neque Græcis neque ecclesiæ dei, quemadmodum ego per omnia omnibus placeo,non quærens meam ipsius vtilitatem,sed multorum,vt salui fiãt.

Cap.11 Imitatores mei estote sicut & ego Christi.

*Nullum præbens offendiculum*. Hoc est nullam cuiquam præbentes vituperandi occasionem.Fiet autem hoc si neque Iudæo,neque Græco simus offendiculo,neque omnino fratribus,nam hi sunt ecclesia dei.Considera verò quòd postremo loco posuerit id quod maius est. Siquidem alios etiam conuenit ad fidem attrahere,& non eos qui iam fratres sunt impellere. His autem verbis omnes designat qui ex eo offendebantur quòd idolothyta ederent. *Quemadmodum ego*.

Deinde quia rem præceperat difficilem, reos enim fecerat damni Iudæorum ac Græcorum, seipsum posuit in exemplum efficiens per hoc vt sermo facile suscipiatur. *Per omnia omnibus placeo.* Ac si dixisset, Omnibus ad omnia placeo, quod etiam dixit in superioribus, Omnibus omnia factus sum vt omnino aliquos saluos faciam. *Non quærens meam ipsius utilitatem.* Veluti quum dicebat, Optarim anathema esse à Christo pro fratribus meis & Cognatis meis. Hoc autem Christi imitatio est, non quærere meum commodũ, sed pluribus prouidere. *Sed multorum.* Multorum, inquit, commodum magis quæro quàm meum. Quandoquidem nonnulli multorum quærunt commodum: alii sanè vt illorum lucrifaciant beneuolẽtiã in hoc vt sibi prosint: quidam verò vt ab eis laudentur, Alij vt aliud quippiam simile ab eis assequantur: ostẽdit ipse ad quid illis placere studuerit, & ait quod ob commodum ipsorum: nec qualecunque commodum, sed manifestius adhuc, vt salui fiant, inquit. A Supra. 9. Rom. 9. Pho. B

CAPVT VI.

*De habitu uirorum ac mulierum in precationibus & prophetiis.*

COllaudo autem vos fratres quòd omniũ quæ mea sunt memores sitis, &, quemadmodum tradidi vobis, instituta seruetis. Sed volo vos scire quòd omnis viri caput, Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi, deus. Omnis vir orans aut prophetans habens quippiam in capite, probro afficit caput suum. Omnis verò mulier orans aut prophetans non operto capite, pudore afficit caput suum: nam vnum est & idem ac si rasa esset. C

Accusat eos quòd mulieres quidem capite non operto orabant ac prophetabant: viri autem comati erant, & capite erant operto in precatione ac prophetia, quæ sanè Græcorum mores erant. Insinuat etiam quòd præsens apud ipsos de his rebus disseruerat. Eorum verò quidam persuasi fuerant, quos etiam collaudat: alij verò nõ, quibus in progressu loquitur quũ ait: Cęterũ si quis videtur cõtentiosus esse,

D nos huiusmodi consuetudinem non habemus. *Quòd omnium quæ mea sunt memores sitis.* Atqui de hoc ne comati essent, & de non operiendo capite in precatione & prophetia sermo ipsi erat, quomodo ergo ait, omnium quæ mea sunt memores sitis? Accepta rationabili causa laudibus eos effert. Nam ad illos sermo ipsi dirigitur qui obtemperauerant, non de his est qui non obedierant. *Sed uolo uos scire.* Cum iis disserendo qui huic sermoni obtemperauerãt, eos corrigit qui non crediderant non oportere orare recto capite. Adfert autem & causam *Omnis uiri*, fidelis videlicet. Ipsi enim sunt membra Christi, & eorum caput Christus
E est, non autem infidelium. Caput quidem nostrum qui fideles sumus, Christus est, tanquam eorum qui eiusdem facti sunt corporis, eiusdémque consortes naturæ, per communicationem corporis & sanguinis ipsius. Per hæc enim omnes vnum corpus appellati, ipsum habemus caput. Christi verò caput deus ac pater est tãquam parens & productor ac eiusdem cum ipso substantiæ. *Caput autem mulieris vir.* Quia & ipsi mulieri parens est & productor ac eiusdem substantiæ cum ipsa. Consequens ergo aptáq; proportio est. Quòd si dictum illud Omnis viri, de infidelibus quoque intelligas rectus erit intellectus de modo creationis loquendo. Qui enim hominem in cætera dominari permisit, ipsum solum
F sub sua potentia ac dominatu manere concessit, non proponens ipsi alium dominum, aut habentem super eum potestatem. *Caput autem mulieris uir.* Eo quòd prior dignitate sit & potestatẽ in illam habeat. *Caput uerò Christi deus.* Hoc ideo solũ ꝙ eius sit principiũ: neq; enim oportet quæ de capite dicta sunt: similiter quoq; de Christo intelligere: sed hominum quidem caput Christus est secundũ creationẽ, Christi verò caput pater est propter principiationẽ. Nisi ita quoq; caput Christi dicatur deus, sicut & nostrũ dicitur Christus, quatenus est & cõsideratur homo, iuxta illud: Pater meus maior me est: &, Ascẽdo ad patrẽ meũ & patrem vestrum, deum meum ac deum vestrũ. *Omnis uir orans.* Non prohibet semper virum tecto esse capite, sed tantùm orationis ac prophetiæ tẽpore. *Habens quippiam in capite,* Nõ dixit apertè, Qui capite est operto, sed habens quippiã in capite, tollens hoc modo non pilei tãtùm tegumentum, sed & comę:

Etenim qui comam nutrit, aliquid etiã in capite habet, nẽ pe comã. *Probro afficit caput suum.* Nos enim viros deus fecit liberos, hoc est nulli eorum qui sunt in terra subditos, sed omnibus dominantes. Non ergo oportet eos habere potestatem super caput qui nullius subduntur potestati eorum qui in terra sunt. Caput enim tectum esse potestatem quandã est capiti superponere. Nam pro potestate est capitis tegumentum, quod solet mulieri superponi, significãs viri potestatem, vtpote cui ipsa subiecta est. Qui igitur libero capiti potestatem superponit, meritò caput suum Christum probro afficit. *Pudore afficit caput suum.* Quomodo? Tum quia idem est ac si rara esset: tũ quia capite fugitiuam quãdam sese exhibet, & profugam à data sibi à deo potestate, nempe viro. Quomodo vnum est & idẽ ac si rasa esset, quũ ea quæ rasa est ne naturale quidem tegmẽ habeat, nempe capillos, hæc autem habeat. Et dicemus quòd illa quæ non est operto capite, quantum in se est naturale quoque excussit tegumentum putà capillos. A B

Etenim si nõ velatur mulier etiã tõdeatur. Quòd si fœdum est mulieri tonderi aut radi, veletur. Vir siquidem non debet contecto esse capite, quum sit imago & gloria dei, mulier autem gloria viri est.

Hoc adiungens significauit quòd non in precatione tantùm & prophetia oporteat ipsam esse velatam, sed semper. Quemadmodum enim rasam esse non in precatione tantùm & prophetia indecorum esset, sed & semper: ita quoque intectam esse. *Vir siquidem non debet contecto esse capite.* Instructè producit sermonem. Deinde caussam reddit cur non oporteat virum contecto esse capite: non primam, nempe quòd caput habeat Christum, sed aliam: *Quum sit imago & gloria dei.* Imago dei est homo, non secundum corpus, nec secundum animam, sed tantùm secundum dominium. Imago igitur dei appellatur vt cui cõcreditum sit dominium omnium quæ super terram sunt. Mulier verò vt quæ sub viri potestatem redacta sit, viri imago est, & tanquam imaginis imago. Dominatur siquidem & ipsa in alia. at iussum ei est viro subditam esse. *Quum gloriari dei sit.* Hoc est quum dei principatus sit & sub solius dei principatu. Oportet ergo eũ qui sub nullo est eorum quę in terra sunt, ipse verò prin- C Theod.

D ceps est omnium quę sunt in terra, & ipsius quoq; mulieris,
Pho. cũ insignis libertatis, putà detecto capite, ad deũ accedere. Ad dei enim gloriam debet vir subditus esse deo, & ad viri gloriam mulier viro. Quid est autem Ad gloriam? Hoc est prompta obedientia & voluntariè cũ gaudio facere quę deo placent. Similiter & mulier facere debet quæ viro placent: ita vt qui coactus & inuitus facit & grauiter ferens, nõ subditur ad gloriã dei, & similiter, nec mulier, ad viri gloriam. Oportet ergo prompto animo virum sine operimento ad deum accedere, & mulierem similiter velatam esse. *Gloria*
Eiusdem *dei*, Putà ꝙ in ipsius principatu ac potẽtia honorabilissimũ est. Propter eum enim magis quàm propter aliud quippiam
E in mundo glorificatur: & sublimitas mansuetudinis ac benignitatis manifestatur. Simili modo gloria viri est mulier. nã hæc honorabilissimum est in illius principatu ac potestate, per quàm magis quàm per aliud eorum quibus dominatur, licet ipsi vt sibi placeat ac glorietur. *Mulier autem gloria viri est*. Hoc est principatus viri & sub dominio viri.

Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Neque enim est vir creatus propter mulierem, sed mulier propter virum. Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite propter angelos, Alioqui neq; vir absq; muliere, neq; mulier absq;
F viro in domino. Nam quemadmodum mulier ex viro est, ita & vir per mulierẽ: omnia verò ex deo. Inter vosipsos iudicate; num decorũ est mulierem non velatam orare?

Viri prærogatiuas ostendit, propter quas ipsi datum est dominari. *Propter hoc debet*. Propter dictas, inquit, caussas debet potestatem habere, id est operimẽtum: vt manifestum fiat ꝙ sub alterius potestate sit. Operimentũ enim deorsum respicere ac inclinare facit, quod signum est & ostensiuum ꝙ sub dominio sit. *Debet mulier potestatem habere*: hoc est viri potestatem ac dominium cui subiacet debet habere & in ipso capite ostendere, hoc autem quomodo cõtinget? per hoc quòd tegatur. Ideo ipsum quoq; tegumẽtum meritò potestas vocari potest, ꝙ potestatis ac dominij viri demonstra-

tiuum sit & repræsentatiuum. Quod autem addit, *Propter angelos*, id mihi indicare videtur. Quoniam enim caussam cur mulier subiecta esse debeat, assignat: quia non est vir creatus propter mulierem: rursumque dicit ob id oportere eam tegumentum habere, quod viri potestatem super ipsam attestetur, subiungens Propter angelos: significat ꝙ licèt id facere nolit, eo quòd homines vereatur, at vel propter angelos pudefiat, qui testes ac conspectores facti sunt subiectionis ipsius. Nam etsi non homines, tamen ipsi conspexerunt quòd nō vir à muliere, sed mulier à viro generationis principium acceperit. *Propter angelos*. Clemens tertio ὑποτυπώσεων, id est informationū libro, angelos dicit iustos ac probos viros. Operiatur ergo ne ad stuprū sit eis offendiculo: nam & qui verè in cælis sunt angeli ipsam licèt tectam intuentur. Si viri, inquit, potestatem despicis, vel angelos verere, ne eis veluti rasa appareas, & tanquam renitens potestati quæ à deo tibi superimposita est. *Alioqui neque vir absq; muliere*. Quoniam multum depressit mulierem dicens quòd de viro est, & propter ipsum facta, & sub illius potestatē redacta: nunc moderatur illud: Ne mihi, inquit, ea quæ in prima creatione facta sunt referas, sed ad ea quę nunc fiunt accede. Nam si pręsentia requiras, quisq; altero eget vt in esse permaneat. Deinde subiungit. *In domino*: hoc est propter dominum, quia ipse eos creauit vt sibi mutuò caussæ essent, primum nanque principium fuit ipse dominus. *Et vir per mulierem*. Considera Pauli sapientiam. Non dixit Ex muliere, sed per mulierem, nempe quòd etiam eius rei vt vir sit per mulierem, caussa sit ipse vir, tanquam originale principium. Primùm enim mulier ex viro facta est, non vir ex muliere: quantum verò ad ea quæ nunc sunt, quanquam vir ex muliere sit, rursum tamen per mulierem vir principium est. Iccirco non dixit, Ex muliere, sed Per mulierem, vt rursus faciat virum principium. Postquam ergo dixit ipsos esse sui effectores, consolatus paululum mulierem subiungit. *Omnia verò ex deo*. Nam deus archetypum primùmque principium est.

An ne natura quidem hoc docet vos ꝙ si vir comatus sit, ꝓbro ipsi est? si verò mulier cometur, glo

D ria sibi est? eo q coma ei pro velamine data sit. Cæterùm si quis videtur contẽtiosus esse, nos huiusmodi consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ dei.

Itaque ipsi quoque naturæ, inquit, repugnat qui non obtemperat. *Eo quòd coma pro uelamine.* Quoniã ergo ex natura habet velamen capillorum, debet & ipsa velari, ne naturalia peruertat iura. *Data sit.* Hoc est, à natura habeatur. Vide, quum virũ dixisset caput habere intectum, & ita non debere comam gestare, sed liberum illud habere, quomodo mulierem intectã permittat comam gestare in signũ subiectionis. *Cæterùm si quis uidetur contentiosus esse.* Quoniam ad eos scribebat qui volebant videri sapientes, qui rationibus om
E nia adstruebant ac labefactabant, ideo ait, non esse nunc tempus contendendi. Si quis, inquit, ad ea quæ dicta sunt nõ pudefiat, nos & ecclesia nõ habemus huiusmodi morem. Qualem? nempe contendẽdi, sed magistrorum præceptis obtemperandi non renitẽdo. Vel, non est moris apud nos vt vir comatus sit & tecto capite, mulier verò ediuerso incedat.

## CAPVT VII.

De *communicatione quæ dei cultores deceat, & non sit ad ingurgitationem.*

HOc autem præcipiẽs non laudo q non in melius, sed in deterius conuenitis. Nam primùm
F quidem quũ in ecclesiam conuenitis, audio dissidia in vobis esse: & aliqua ex parte credo. Oportet enim & sectas in vobis esse, vt qui ꝓbati sunt, manifesti fiãt inter vos. Quum igitur in eũdem locũ conuenitis, non contingit dominicam edere cœnam.

Præcipiens, inquit, non laudo vos, quòd me omnino in huiusmodi pręcepti necessitatem duxeritis. Oportuit enim vobis in hoc ne admonitione quidem opus esse. Nõ laudo, in-
Pho. quit, quòd conuenitis. Atqui laude dignum erat, sed ipsi illud vituperij & accusationis caussam reddiderant. Simul etiam eos confundens quòd in his ob quæ eos laudari conueniebat, sibiipsis præcepta pro laudibus aduexerant. Quare

autem non laudat quòd conueniant? quia non propter me- A
lius, inquit, sicut oportuit, sed ad id quod deterius est, conuenitis: siue ad despiciendum & pudefaciendum fratres, & ad demonstrandum vestrum fastum & gastrimargiam. *Quia non in melius?* Quam ob caussam non laudas? quia nō in melius, sed in deterius conuenitis. Quum enim oporteret vos addere ad virtutem, ipsi etiam illam quam habebatis, perdidistis. *Nam primùm quidem quum in ecclesiam conuenitis*. Caussa præsentis capitis hæc erat, Apud ipsos dominicæ cœnæ fiebant: & hoc modo fiebant, Præcipuis diebus siue festis post sacrorum mysteriorum participationem agebantur communes cœnæ, præparantibus illas diuitibus ac pauperes iuuantibus. Id autem erat occasio charitatis & modestię animi. Quum igitur horū caussam bonorum corrupissent, necesse fuit Apostolo scribere, *Audio dißidia in uobis esse*, B
Non rectà ad sermonem de cœna dominica accessit, sed superne malum amputat. Etenim ipsum quoque cum pauperibus non cōuenire, aut vnà non cœnare dissidium erat. *Et aliquà ex parte credo*. Hoc dicit, Aliquo modo credo: vel, Paululum credo: ne nimium eos pudefaciat. Nec dixit, Non credo, ne frustrà increpare videatur, sed ait, Paululum aliquid credo. *Nam oportet & sectas esse*. αἱρέσεις dicit hoc loco non eas sectas quæ noua circa fidem dogmata introducunt, sed circa mensas. Diuites enim, præferentes diuites, relinquebant pauperes. *Vt qui probati sunt*. Dictio ἵνα, id est, vt, non est caussæ redditiua, sed euentus rerū declaratiua. Nam per hoc quod ait, Oportet & sectas esse, vt qui probati sunt, ma- C
nifesti fiant inter vos: hoc significat, Quoniam vos diuites diuidimini contemnentes pauperes, accidit vt pauperes per tolerantiam inueniantur probati. *Manifesti fiant inter uos*. Qui enim solidi ac firmi erant, in huiusmodi occasionibus magis clari reddebantur. Significat autem pauperes fastum diuitum ingenuè ferre, & morem adhuc obseruare. *Quum igitur in eundem locum conuenitis*. Conuentio, inquit, ac cœtus dilectionem ostendit, & tamen ad opus non pertingit. *Non contingit dominicam edere cœnam*. Dominicam vocat ipsam iuxta imitationem illius pauendæ ac mstticæ, quando dominus vnà cum discipulis edebat: acsi diceret, Quæ à domino disposita est & ordinata. Conuenitis quidem ad eden-

D dum dominicam cœnam, ſed non facitis: & hoc ſignificat, dicens, Non contingit. Dominicam autem cœnam vocat dominicum myſteriũ: nam illius omnes ſimiliter ſunt participes: & qui in paupertate degunt, & qui diuitiis extolluntur, & famuli ac domini, & qui dominantur & qui dominiũ ſuſtinent. Oportuit ergo & menſas cõmunes, eſſe communes: ac dominicã imitari, quæ omnibus ex æquo proponitur. Nunc autem non ita facitis. Quiſque enim propriam præoccupat cœnam in edendo. Cœnam verò iuxta illius temporis conſuetudinem vocat prandium ipſum.

Theod.

Quiſque enim propriam præoccupat cœnam: & hic quidem eſurit, ille autem ebrius eſt. Num ſanè domos non habetis ad edendum ac bibendum? E An ecclesiam dei contemnitis: & pudefacitis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudabo vos in hoc? non laudabo.

Quod dominicum eſt, inquit, reddidiſtis proprium: auferentes ab eo pulcherrimum & ſalutare nomen. Deinde etiam helluones ipſos appellat. Præoccupat, inquit, in edendo: nec pauperes inuitat, veritus ne nõ ſaturetur. *Et hic quidem eſurit, ille autem ebrius eſt.* Duo ipſorum vitia enumerat, & quòd pauperes deſpicerent, & quòd ipſi inebriarentur. Omnino enim ſi edentes, inquit, menſas non habeatis communes, cur non in propriis veſtris domibus editis? *An eccleſiam dei contemnitis?* Nam qui propriam cœnam in eccle- F ſia facit, & ſanctum locum iniuria afficit, & dominicam cœnam non facit: quinetiam pauperes pudefacit. *Et pudefacitis eos qui nõ habent.* Neque enim adeò eis curæ eſt quòd eſuriant, quantũ quòd deſpecti contemnũtur nec inuitantur. Vel quia pudefiunt conuicti quòd non habeant. *Quid dicam vobis?* Deinde poſt lapſus oſtenſionem, manſuetius cum eis diſſerit. Quum enim conſequens fuiſſet vt diceret, An non hæc mille mortibus digna ſunt? ait, *Laudabo uos in hoc? non laudabo.* Quid vobis videtur? an præter rationem dixi vobis etiam in initio huius argumenti quòd non laudarem? an non ex ipſa quoque rerum conſequentia didiciſtis, quòd in re laudanda, nẽpe dominica cœna, vos vituperio & non lau-

Pho.

dedigna peregiſtis. Iuſtè itaquæ ego, inquit, non laudabo, etiamſi opus in ſe ſit maximè laudabile. A

Ego enim accepi à domino quod & tradidi vobis, ꝙ dominus Ieſus ea nocte qua tradebatur, accepit panem, quúmque gratias egiſſet, fregit ac dixit, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta cœna, dicens, Hoc poculum eſt nouum teſtamentum per meum ſanguinem. Hoc facite quotieſcunque biberitis in mei commemorationem. B

Atqui Paulus tunc non aderat: quomodo ergo dicit, Ego accepi à domino? Sed nunc adeſt: etenim nunc illi ſimilem apponit nobis dominus menſam, aut, edoctus ſum, inquit, in his à domino, vt Accepi ſumatur pro Edoctus ſum. *Quòd dominus Ieſus ea nocte qua tradebatur.* Hæc præcepit quæ ego, inquit, vobis tradidi, acſi dicat, Dominus noſter communi menſa non ſanctos modò diſcipulos, ſed & ipſum proditorem ea dignatus eſt, inimicum ſceleratiſsimum: & vos dedignamini vnà cum pauperibus cœnare. Quúmq; crucifigendus eſſet, hãc nobis ſacram traditionem reliquit nouiſsimam, at vos ipſam corrupiſtis. ALIO modo. Si dominus, inquit, te non dedignatus eſt, quin proprio ipſius corpori, ac menſæ myſticæ communicares, quomodo tu conſeruum tuum dedignaris, ne tuis rebus communicet? AVT hoc etiã modo. Si dominus ex ęquo tibi ac pauperi menſam proprij corporis & ſanguinis, ac poculum tradit, tu hunc audes à tua menſa diuidere ac deſpicere? Si ille gratias agit qui ꝓprium diuidit, traditq; corpus, tu non multò magis gratias agendo, & maximo cum gaudio in his quæ à deo tibi donata ſunt, ſocios ac cõuiuas accipies pauperes? *Quúmq; gratias egiſſet,* Dominus quum gratias egiſſet, fregit, ac dedit diſcipulis: ſi ergo & tu cũ gratiarum actione venis, an nihil gratiarum actione facis indignum, qui cum inebrieris, pauperẽ fame ac iniuria perdis? *Accipite, edite.* Ipſe quidem omnibus dedit, tu verò teipſum ſeparas à pauperibus, & ab ipſius eccleſiæ corpore. *Ad eundem modum & poculum.* Erant enim

Pho.

C

D in veteri quoque teſtamento pocula in quibus libabant, vbi etiam poſtquam victimas immolaſſent ſanguinem irrationalium excipientes poculis, libabant. Pro ſanguine igitur irrationalium, dominus proprium dat ſanguinem. Et bene in poculo, vt oſtendat vetus teſtamentum antea hoc deliniaſſe. Propterea dixit. *Nouũ teſtamẽtũ eſt per meũ ſanguinẽ.* non irrationalium animalium. Per meũ, inquam, ſanguinẽ, non per irrationalium ſanguinem vt in veteri teſtamento.

Quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & ex poculo hoc biberitis, mortem domini annũtiatis interim dum veniat. Itaq; quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo domini indignè
E domino, reus erit corporis & ſanguinis domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane edat, & de poculo bibat.

Qui mortem domini annuntiat, omne donum, omnẽ benignitatem, ac humanitatem, & omnem ſalutem noſtram vnã annuntiat. *Interim dum ueniat*: nempe in ſecundo aduẽtu. Quod dicitur, Interim dum veniat, per hyperbatõ accipiẽdum eſt, vt ſit iſte ſenſus, Quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & ex poculo hoc biberitis, interim dum ipſe veniat in ſecundo ſuo aduentu, eouſque mortem ipſius annuntiatis: poſt id enim tempus, neq; ſacra hæc myſteria participabimus, ad perfectiorem ac reconditiorem politiam ac fruitionem introducti. *Itaque quiſquis ederit indignè.* Ipſos ta-
F xat, oſtendens indignos eſſe, vt qui pauperes deſpicerent. Quoniam indignè, inquit, ad dominici corporis participationem acceditis, propterea multis obueniunt morbi, afflictiones, clades, ac interitus. Vnde autem prouenit vt indignè accedatis? Ex aliis peccatis quæ patratis, & quia ad dominicam cœnam accedentes contemnitis pauperes, propter quos ordinatum erat vt cõueniretis. Etenim ob hoc ipſum, & eam quæ dominica eſt facientes propriam, iniuria afficitis: & eccleſiam in quam conuenitis ad faciendã cœnam dominicam, dehoneſtatis gaſtrimargiæ menſam in ea vobis apponentes, & non dominicam cœnam: & pauperes pudefacitis. Propter hæc ergo voſipſos corpore & ſanguine domini

Pho.

indignos redditis. *Reus erit.* Quod ait Reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat ꝙ quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudęi verò in ipsum debacchati sunt: ita ipsum ignominia afficiunt, qui sanctissimum ipsius corpus manibus impuris suscipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt: & execrando admouent ori. Per hoc autem quòd frequēter ait corporis & sanguinis domini, manifestat ꝙ non sit nudus homo qui immolatur, sed ipse dominus & factor omnium: vt videlicet per hæc ipsos exterreat. *Et sanguinis domini.* Acsi ipse illud effudisset. Siquidem ipsi eum occiderunt, hic verò per indignitatem nunc eum videtur interimere. *Probet autē.* De dominica quidē cœna erat ipsi sermo: sed quoniam in aliquem mysteriorum sermonem incidit, quadā verborum consequentia, quæ proposita sunt recto ordine disponit. Nam is mos erat Paulo, quæcunque interim inciderent aut intersererentur disponere. *Seipsum homo.* Non alius alium, nam hoc est iudicare, sed ipse seipsum. A B

Nam qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi edit ac bibit, non diiudicās corpus domini. Propter hoc multi inter vos infirmi sunt ac ībecilles, & dormiūt multi. Etenim si nosipsos diiudicaremus, nequaquam iudicaremur. Quum autem iudicamur, à domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Itaque, fratres mei, quum ad edendum conuenitis, inuicem vos expectate. Quòd si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Cætera verò quum venero disponam. C

Non propter mysteriorum naturam hæc dicit, sed propter accedētium infirmitatem. *Non diiudicans corpus domini.* Hoc est, non examinans aut considerans eorū quæ proposita sunt magnitudinē. Si enim cognosceremus quisnam sit qui proponitur, nullo alio nobis opus esset stimulo, sed hoc ipsum vigilantes nos redderet ac modestos. *Propter hoc multi sunt infirmi, & dormiūt multi.* Propter hoc, quidnam? quia indignè accedunt. Quid ergo? (dicet aliquis) an qui senescunt non peccant, quum non moriantur ante diem? Vtique, inquit, sed

D non hæc sola fit repensio his qui indignè accedunt, vt ante tempus moriantur, sed in futuro quoque sunt miserrima supplicia. Quod ergo dixit ἱκανοί, quidã intellexerunt Multi: aut, Sufficientes ad huius criminis correctionem interierũt. *Etenim si nosipsos diiudicaremus*. Non dicit, Si nosipsos puniremus, sed tantùm Diiudicaremus, hoc est, si dũtaxat nosipsos vt peccatores condemnaremus, vtique & à præsentibus & futuris liberaremur suppliciis. Nam qui seipsum cõdemnat vt oportet, nequaquam in idem peccatum frequenter incidere poterit. *Quum autem iudicamur à domino*. Quoniam ergo rem adeò leuẽ non facimus vt nosipsos condemnemus: ne ita quidẽ temerè deus interimit, sed castigat hic, vt ibi misereatur. *Corripimur*. Hoc est, admonemur. Non e-
E nim dixit Punimur, sed Corripimur: tanquam facta sit admonitio ac correctio. *Ne cum mundo condemnemur*. Mundum dixit homines qui in incredulitate & peccato degunt. Dicit autem ꝙ fideles ac dei cultores ob peccata hìc puniũtur, ne in futuro cũ cæteris pœnas luant. *Itaque quum ad edendum cõuenitis*. Ad priorem rediit sermonem. Considera verò ꝙ non dixerit, Pauperibus tradite, sed honestiùs, Inuicem alius alium expectate, tanquam communia fuerint, quæ ibi inferebantur cibaria: vt qui hoc, inquit, non facit, mystica indignus sit participatione. *Itaque, fratres mei, inuicem vos expe-*
Pho. *ctate*. Quamobrem? Ne indignè dominicum corpus & sanguinem participare probemini: ne indignè participãdo, rei effecti cædis corporis ipsius, ac effusionis sanguinis ineuitabile iudicium excipiatis: ne in tale iudicium incidentes,
F morbis, afflictionibus, cladibus, ac morte consummamini: ne, si tali pœna non fueritis puniti, in æternum supplicium cum infidelibus tradamini. *Quòd si quis esurit*. Gastrimargiã ipsorum condemnat: & habet se tanquam cum puerulis qui indignantur, nec moram ferunt ab ecclesia remittens eos ad proprias domos. *Ne ad condemnationem conueniatis*. Id est, ne ad supplicium conueniatis vestram propriam ecclesiam iniuria afficientes, & pauperes despicientes. Nam propter charitatem ad cœnas conuenitis: ꝙ si hæc adsit, præstat vos domi refici. Hoc autem ipsos attrahens dicit. *Cætera uerò quum uenero*. Aut de hac re dicit hoc, tanquam dominica cœna in aliis quoque capitibus correctione egeat: aut de alia re in-

qua non opus sit verbis, sed ipsius præsentia. A

CAPVT VIII.

*De varietate donorum, eorúmque dispensatione.*

PORrò de spiritualibus, fratres, nolo vos ignorare. Scitis quòd quum Gentes essetis, ad idola muta vtcunque abducti, ducebamini. Quapropter notum vobis facio quòd nullus per spiritũ dei loquẽs dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum. Cap. 12.

Hoc est, de diuinis donis. Id autem argumentum est huius particulæ apud Corinthios, qui crediderant, donis spiritualibus dotabantur: & hi quidem linguis loquebantur, alij verò prophetabant, quidam autem alia assequebãtur. quæ dona ipsis facta sunt duplicis occasio dissensionis, eo quòd insipiẽtes essent. Nam qui maius donũ acceperat, efferebatur aduersus eos qui minora habebant: qui verò minus acceperat, inuidia accendebatur aduersus eum qui maiori donatus erat. Deinde etiam vates apud ipsos erant, ac pseudoprophetæ: nec manifestum eis erat quis per spiritum sanctum prophetaret, quis verò per dæmonem vaticinaretur. Quoniam igitur hoc quoque illos turbabat, signa ponit vatis seu diuini ac prophetæ: & quæcũq; apud ipsos fiebant disponit. B *Scitis quòd quũ Gentes essetis.* De spiritus sancti donis loquitur, ostendere volens quænam eorum qui spiritu aguntur, sit diuersitas à vatibus, & vnde dinoscãtur, & ait, Scitis, nec vobis opus est, vt à me discatis. *Quum Gẽtes essetis.* Hoc est, incredulis, & Gentibus annumeraremini. Quum ergo Gentes essetis, siue Gentibus connumerati, ad idola ducebamini vaticinantes. Bene autem dicit, Vtcunque ducebamini, hoc est, quomodocunque contingeret, neque prudenti intus ratione, hoc modo permoti: neque vltrò abeuntes, sed cum violentia inuiti furore perciti, ac insanientes. Abducebantur autem à dæmone qui in ipsis erat: modestiæ nihil habentes, sed omnia insaniæ plena. Quòd nullus per spiritum dei loquens. Vna quidem differentia prophetarum ac pseudoprophetarum est, quòd illi suæ mentis compotes, & maximè prudentes futura prædicunt: pseudoprophetæ autem C

D mente alienati ac dementes, tanquam à mouentibus dæmonibus violentia ducti. Altera verò ꝙ illi quidem nihil execrabile, aut blasphemum loquuntur, quin potius de deo optimè disserunt, & omnia cum grauitate efferunt : hi autem blasphemas & absurdas eructant voces. *Et nemo potest dicere dominum* Iesum, *nisi per spiritum sanctum.* Signum dixit vatis seu diuini, ꝙ mente alienati ad idola vi trahantur ac futura prædicant scilicet. Nunc prophetæ quoque signum ponit. Quodnam illud est? ꝙ nullus spiritum dei habens execratur aut iniuria afficit dominum. Rursumq; nullus potest ipsum dicere dominum qui non habeat spiritum sanctum.

Diuisiones autem donorum sunt, sed idem spiritus:& E diuisiones ministeriorum sunt, idémq; dominus:& diuisiones operationũ sunt, sed idem est deus qui operatur omnia in omnibus.

Consequenter ad sermonem de Donis peruenit, & ait, D*iuisiones autem* & tanquam partes D*onorum sunt.* Dicendo autem Donorum, instituit eum qui minus donum habere videbatur ne doleret, Si, inquit, donũ accepisti, habe gratiam ꝙ omnino acceperis, & non doleas ꝙ minus acceperis. Rursum autem per hoc quod addit, Sed idem spiritus, plus adfert consolationis. Quanquam enim minus sit tuum donum, attamen vnius spiritus dona & parua & magna sunt.

Pho. ALIO modo. Dona quidem ipsa vocat, magnificẽtiam ostendens largitionis: ministeria verò, docẽs his non debere F extolli eos qui acceperunt, sed cum moderatione animique modestia esse, vt qui ad obsequium ac ministerium proximorum vocati assequantur bona præsentia. Rursum autem operationes dicit, ipsam significans actionem. Et considera diligenter quomodo sanctissimum spiritum apertè deum ac dominum prædicauerit. Dicens enim, Diuisiones autem donorum sunt, sed idem spiritus : Et rursum de opere subiungens, Et diuisiones ministeriorum sunt, idémque dominus, Deinde in eadem adhuc manens sententia, vbi dixit, Et diuisiones operationum sunt, sed idem est deus, simul in vnum coniungit dicens, Vnicuique verò datur manifestatio spiritus ad id quod expedit: ostẽdens ꝙ & deus & dominus spiritui sancto aptauerit. Quęcunque enim prædixit, in spiritus

ritus personam clausit:nō ex eo solùm quod dixit,Vnicui- A
que datur manifestatio spiritus , verumetiam persequētem donorum enumerationem.nam omnia per spiritū dari asseuerat,rursúmque in summam redigens ait, Hæc autē omnia operatur vnus idémque spiritus . Manifestum itaq; est ꝙ sanctissimum spiritum,deum, ac dominum esse , clarè & apertè hoc loco diuus Paulus, diuinitus asseruerit . Quòd si quis Spiritum quidē ad spiritū sanctum referat,dominū verò ac deum,illud sanè ad filium,hoc autem ad patrem : hoc quoq; modo nihilominus dominatio,ac deitas ex horum ipsorum testimonio spiritui sancto attribuētur . Qui autē & quomodo id fiet? Primùm quidē quia diuidendo dona, vbi dixit sanctissimum spiritum,ait idipsum operari dominum B
ac deū.Itaq; ea quę operatur spiritus,hęc & dominus dominatione,& deus deitate operantur.Meritò ergo eadem operanti spiritui, & dominatio adest filij & deitas patris:spiritus igitur & deus est & dominus.Et videtur mihi diuus Paulus,propterea de spiritu quidē personali vsus esse nomine, de filio autem & patre, communibus:vt perspicientibus liceret ab identitate operationis identitatem colligere substātię:& ipsa nomina dominus ac deus propter identitatē substantiæ de spiritu intelligere. Non solùm autem ex his quæ dicta sunt,demōstratur dominatio,ac deitas spiritus, verūetiam ex ea quæ colligitur summaria collectione. Rursum enim ibi dicit apertius,ꝙ hæc omnia operetur vnus idémq; spiritus,diuidēs peculiariter vnicuiq;:quomodo?propria po C
testate ac dominio:ait enim, Sicut vult.Itaq; si quęcūq; pater ac filius operātur,hęc& spiritus facit, idq; sicut deus ac dominus facit:nam sicut vult ita facit,vult autē videlicet vt tanquam deus ac dominus: Absit enim vt contraria sit in eis voluntas:manifestum quòd spiritus & deus sit & dominus: propria enim autoritate & patris & filij opera facit, & tanquam dominus ac deus facit,& omnia facit. Animaduertendum est autem,& hoc tanquam vice corollarij declaratum, quod ostendens eundem spiritum omnia operari,alibi quidem vsus sit præpositione κατὰ,id est secundum, alibi verò διὰ,id est,per, interdum quoque ἐν,id est, in,ostendēs quòd apud ipsum præpositionū vsus sit sine discrimine. Ait enim Secundum ipsum,& per ipsum, & in ipso , de eodem disse-

D rens spiritu sancto. Et his vtitur ad confutationẽ eorũ qui
Rom.12. calumnias struunt de eo quod dicitur Per ipsum, & ex ipso, & in ipso: & ob dictiuncularu diuersitatem in blasphemas cogitatones efferuntur. *Sed idem spiritus.* Nequaquam possibile est eum, qui à diuino spiritu motus operatur, Christũ à diuina natura alienum definire: sed neque rursum ediuerso perfectè ac syncerè potest ipsum confiteri potentem esse deum, nisi ab illius gratia illuminetur. *Et diuisiones ministeriorum sunt.* Ne auditis tantùm donis, is qui minus accepisset donum angeretur tanquam in dono inferior, subiungit, Ministeriorũ, ostendẽs etiam laboriosum quoddam eis da-
E tum esse ministerium. Si ergo amplius habet, in re laboriosa aliquid amplius habet. *Et diuisiones operationũ sunt.* Operationũ hoc est donorum. nam eandem vim habẽt Donum, Ministerium, & Operatio: quia æqualia quoq; sunt, quę à patre & filio, ac spiritu sancto tribuuntur. *Sed idem est deus.* Pulchrè hanc particulam ad docendũ aptauit. Vbi enim sanctæ triadis personas diuisim enumerasset, absque vlla confusione coniungit: Hæc enim & personis distinguitur, & essentia coniungitur, sicut ait Gregorius Theologus, nempe tres in personis, vnũ verò in diuinitate, ita vt exacta sit inductio. *Sed idem deus qui operatur omnia.* Nam quæ operantur pater & filius ac spiritus sanctus, hæc & deus opera-
F tur. In his enim personis est deitas, siue ipsæ sunt deitas.

Vnicuique verò datur manifestatio spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii verò sermo cognitionis, secundũ eundẽ spiritum: alii autem fides per eundem spiritum: alii verò dona sanationum in eodem spiritu: alii autem operationes virtutum, alii verò prophetia, alii autẽ discretiones spirituum, alii verò genera linguarum: alii autem interpretatio linguarũ.

Manifestationem spiritus vocat signa, per signa enim, paracleti assistentia demonstrabatur. *Ad id quod expedit.* Ne auditis statim donis, is qui minus habebat donum grauiter ferret, ac diceret, Quid ad me attinet etiam si vnus & idem sit deus, attamẽ ego minus habeo, subiungit: Ad id quod ex-

peditur ostendens quòd hoc etiam expediebat vt minus acci- A
peret. *Nam huic quidem per spiritum.* Enumerat dona ostendens omnia ab eodem procedere fonte spiritus: vt neque cótristetur qui minus accepit, neq; is extollatur qui maius: quandoquidē & hæc & illa ab eodem sunt spiritu. *Sermo sapientiæ.* Sermo, inquit, sapiētiæ qualē habuit Paulus, Petrus & Iohannes, quiq; illorum tēpore erant: ideo etiam hoc primo loco posuit. Sermo verò cognitionis est quē habent idiotæ, fideles, qui sanè norunt, at cæteros docere nequeūt. *Alii autem fides.* Fidē verò dicit, nō quę circa dogmata versatur, sed quæ circa signa quā petebant apostoli dicentes, Appone nobis fidem: neq; enim apostoli fide carebant: sed quoniā audierant, Si haberetis fidem sicut granum sinapis, dicere- Luc. 17.
tis monti huic, &c. petiuerunt hanc fidem ad operandum miracula. ALIO MODO. Fidem nominauit non eam quæ B
est communis, sed eam quæ proprium est donū (Siquidem etiam quoddam donum est, quod fidei donum appellatur) †fidem verò etiam quæ dogmatū est. *Alii verò dona sanationum.* Vocat sanationem quidem dona, claudorum cursum, infirmorum sanitatem, mortuorum resuscitationem, & quęcunque sunt huiusmodi, operationes autem virtutum Elymæ excæcationē, Ananiæ & Sapphiræ mortem, & eos qui Satanæ traditi sunt, vt discerent nō blasphemare. *Operationes uirtutum.* Qui donum habebat sanationū, infirmos sanabat: qui verò operationes virtutum, & sanare infirmos, & punire incredulos quiq; cæteros deprauarent, poterat. *Discretiones spirituū.* Hoc est cognoscere quis sit propheta, & quisnam falsus propheta, quis spiritualis & quis talis nō sit: quādoquidē eo tempore vates quoq; erant, seu diuinatores qui hominibus imponebant. *Genera linguarum.* Hoc opinabantur Corinthij cæteris esse præstantius, eò quòd illud ante omnia accepissent apostoli. *Interpretatio linguarum.* Vel quòd dum alij linguis loquerentur isti interpretabātur, vel quòd vnà quoque loquerentur & interpretarentur, quod facere non poterant qui linguis tantùm loquebantur.

†πίστιν δὲ καὶ τὴν τῶν δογμάτων. Theod. Act. 13. 5. 1. Tim. 1.

C

Omnia autē hæc operatur vnus idémq; spiritus diuidens peculiariter vnicuique sicut vult. Quemadmodum enim corpus vnum est & mēbra habet

D multa, omnia autem vnius corporis membra, quũ multa ſint, vnum ſunt corpus: ſic & Chriſtus.

Propter eos qui ſpiritus diuinitatem impugnant, animaduerte. Nam illi impiè aſſerunt ſpiritum ſanctum à patre factum eſſe. At hinc perſpicito ſpiritum ſanctum non eſſe aliquid eorum quæ fiunt, ſed quæ faciunt: ídq; tanquam deus ac dominus, & propria potentia. Simile quoq; eſt, quod alio loco dicit: Spiritus vbi vult ſpirat. *Quemadmodũ enim corpus unum eſt.* Ab eo quod circa corpus accidit, per exemplũ vult oſtendere, quòd omnes vnũ ſimus, quãquam varia habeamus dona. Si ergo vnum ſumus, quomodo iam rationi conforme erit, vt quiſpiam de donorum diuerſitate erret, aut verba faciat? *Quum multa ſint, unum ſunt corpus.* Cuncta enim membra aliquid conferunt ad hoc, vt vnum ac integrum ſit corpus. *Sic & Chriſtus.* Ita, inquit, & Chriſtus multa quidẽ habet membra, nempe ſingulos fideles, vnum verò corpus, putà eccleſiæ communionem. Ex multis enim compoſita vnum eſt corpus habens caput Chriſtum, vt ſint eccleſia, & Chriſtus vnum, & idem perfectum corpus.

Iohan. 3.

E

Etenim per vnum ſpiritum nos omnes in vnũ corpus baptizati ſumus: ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes vno poculo rigati ſumus in vnum ſpiritũ. Siquidẽ corpus nõ eſt vnum mẽbrũ ſed multa. Si dicat pes, Quum non ſim manus, non ſum de corpore: num iccirco non eſt de corpore? Et ſi dicat auris, Quum nõ ſim oculus, non ſum de corpore: num iccirco non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi olfactus? Nunc autẽ poſuit deus mẽbra, vnumquodque eorum in corpore quemadmodũ voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum mẽbrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum verò corpus.

F

ἐν ἑν: id eſt δι' ἑνὸς, hoc eſt, per vnum. *Omnes in unum corpus.* Deinde ſubiungit etiã quid effecerit omnes eſſe vnũ corpus, nempe eſſe vnum ſpiritum, & omnes ab vno bap-

tizatos ſpiritu eſſe in vnum corpus: Hoc eſt, ad hoc: vt omnes efficerent vnum corpus. Interim autem per hæc duo cõſolatur eum, qui minus habebat donum: tum dicendo quòd omnes vnũ corpus ſumus: tum dicendo, quòd per vnũ ſpiritum idémque lauacrum vnum effecti ſumus. *Vno poculo rigati ſumus in unum ſpiritum.* Per vnum, inquit, ſpiritum accepimus gratiam donorum. Dicit autem rigati ſumus ab arborum metaphora, quæ ex eodem fonte irrigantur. *Siquidem corpus non eſt unum membrum, ſed multa.* Nec mireris, inquit, ſi tam multi vnum ſimus corpus, quando etiã in humano corpore ex multis membris vnum inueniatur cõſtitui corpus. Poſuit autem ex perſona membrorũ verba quæ Corinthiis eſſent accommoda, oſtendere volens quòd licèt quiſpiam minus habeat donum, non ob hoc reiectus eſt, ne ſit corporis membrum. Siquidem in humano quoq; coagmento, & quod abiectius eſt, & quod honorabilius, ad vnius corporis conſummationem conferunt. *Si dicat pes.* Si hoc dicat, Non ſum de corpore, non propter illud dicere Non ſum, iam abeſt à corpore: ſic neque tu eo quòd hoc habeas donum & non illud, iam deſinis cum cęteris vnũ efficere corpus. *Si totum corpus oculus.* Quandoquidem oculi ac pedis meminit, & ex hoc mœrore eos affecit, innuens ipſos quodãmodo inferiores eſſe, quemadmodum & in membris: oſtendit nunc ita expedire, vt varia ſint dona. Sicut enim corpus ideo eſt corpus, quia ex variis conſtituitur membris: ita & corpus Chriſti, id eſt eccleſiam, hoc facit eſſe corpus, nempe diuerſitas donorũ ac miniſteriorum. *Nũc autem poſuit deus.* Conſidera & hìc quomodo apertè & ſine vlla ambiguitate ſpiritũ prædicauerit eſſe deum. Quũ enim paulò antè dixiſſet quòd omnia hæc ſpiritus operetur, nũc rurſum de eiſdem loquens, ait: Poſuit deus membra, vnumquodque eorum ſicut voluit: membra nanque appellauit eos, qui in varia dona à ſpiritu acceperant. Et ibi quidẽ dicebat, Operatur diuidẽs vnicuiq; ſicut vult: hic autẽ, Poſuit vnumquodq; eorum in corpore, quemadmodũ voluit: Si ergo ita deus voluit, abſurdũ eſt grauiter anxiari, ob ea quę deus ita fieri voluit. Quod autẽ ait, Quemadmodũ voluit, ſuperius de ſpiritu dixit, Per vnum ſpiritum nos omnes &, Omnes vno poculo rigati ſumus in vnũ ſpiritũ. Et quoniam

D in vnum ſpiritum omnes, & ipſius ſpiritus eſt volũtas, vtiq; ſpiritus eſt deus. Aut etiam de tota ſancta triade intellige. Neq; enim eſt diuerſitas in ſemper laudanda eiuſdem eſſentiæ triade. Quòd ſi eſſent omnia vnũ membrũ, vbi corpus? Hoc ipſum quod illis occaſio erat puſillanimitatis, nẽpe varia eſſe dona, ipſe ad occaſionem aſſumit vnitatis. Nam ſi nõ haberetis, inquit, varia dona, ne corpus quidem eſſetis: quod ſi corpus non eſſetis, neque honore æquales eſſetis. Nam honoris æqualitas ac vnio ex vnitate corporis procedunt.

Non poteſt autem oculus dicere manui, Nõ eſt mihi opus te: aut rurſum caput pedibus, Nõ eſt mihi opus vobis. Imo multò potius quę videntur mẽ-
E bra corporis imbecilliora eſſe, neceſſaria ſunt: & quæ opinamur minus honeſta eſſe corporis, his honorem vberiorẽ apponimus: & indecora noſtri copioſiorem decorem habent. Quæ autem decora ſunt noſtri, non indigent.

Quòd ſi etiam velit dicere, Non eſt mihi opus te, non ita ſe habet rei natura. Vbi autem ſuperius ſuaſiſſet, ne grauiter ferrent qui minora haberent dona, ad modeſtiam nunc reuocat faſtum eorum qui maiora habebant. Quemadmodum enim oculus dicere non poteſt cæteris membris, Non eſt mi-
F hi opus vobis: nam ſi vnum deſit, totum claudicat corpus: ita neque qui maiora acceperunt dona, poſſunt extolli aduerſus eos qui minora habent, quaſi eis non vtantur. Vnius enim abiectio claudicare facit corpus eccleſiæ, quum non ſoli illi ſufficiant ad eam ædificandã qui maiora habent dona. *Imo multò potius.* Nunc oſtendere vult quòd fortaſsis magis neceſſarij ſint qui ea acceperunt dona quæ minora videntur. Bene autem dixit, Quæ videntur, oſtendens in ſola opinione eſſe inferioritatem, & nequaquam in veritate. *Quæ videntur membra corporis imbecilliora eſſe.* Quidam aiunt hoc dixiſſe eum de oculis, qui imbecilles quidẽ ſunt ſi ad cætera conferas membra, magnum tamen aliquid conferunt corpori, etſi imbecilles eſſe videantur. Itaque ſi imbecilles vos iudicatis, ne ægrè feratis, neceſſarij eſtis. Quod autem neq; vos imbecilles ſitis, ſed illi potius qui magnam

habent sui existimationẽ, hinc manifestum est, inquit. Quæ A arbitramur minus honesta esse corporis, maiori dignamur prouidentia & auxilio, &c. *Et quæ opinamur minus honesta esse.* Vbique adiungit Opinamur, ostendens humanam hanc esse opinionem. Quod autem ait ἀτιμώτερα, id est minus honesta siue indigniora, quidã ipsum de pedibus dixisse aiunt, qui locum quidem inferiorem sumpserũt, fouentur tamen, illisq; plus interdum à nobis prouidetur quàm cæteris mẽbris. In his enim firmatur totũ corpus. Aut hoc de genitalibus membris accipito, quæ videntur quidem indecora esse & inhonesta: attamen malit quis totum corpus nudum habere quàm hæc. Ideo subiungit: His honorem vberiorem apponimus, & copiosiorem decorem habent. Licebit autem B id proprius hoc etiam modo intelligere. Non contingit vobis, inquit, ex hoc inferiores esse quòd minus donum sortiti sitis: neque enim omnino si quis maius sortitus sit donum, iam etiam maior est, quoniam multi quoque eorum qui acceperunt, inferiores iis sunt qui nihil omnino acceperunt. Et quid dico inferiores? Imo etiam penitus miseri: sicut illi qui dicebant, Domine nonne per nomen tuum hæc & illa fecimus? quibus respondit dominus quòd ne nouisset quidem *Matth. 7.* illos vnquam: neque enim bene vsi fuerãt dono: ideo etiam eodem capite discedere ipsos à se iussit. Qualis & ille erat qui Christum non sequebatur & signa edebat, qualis erat & *Mar. 9.* ipse Iudas. Ipse tamen hæc interim non recenset, sed ab his quæ corporalium more ab ipso dicta sunt, hoc etiam confirmat, quòd non oporteat illos ducere maiores qui maius ac- C cepisse donum existimantur: nec similiter e diuerso, minores. Ait enim, His quę indecora sunt nostri copiosiorem addimus decorem, & his quæ minus honesta sunt, vberiorem honorẽ. Nunquid ob id honestiora sunt magisq; decora, his quæ à natura sunt honestiora & magis decora? Ita, inquit, & deus interdum ei qui egens est maius tribuit donũ, ei verò qui sibi sufficiens est, & abundè habet quò seipsum dirigat, minus. Non ergo vobis ægrè ferendum est si minus donum habere videmini: quoniã non ipsi quoq; ea quæ magis decora nostri membra videntur, tanquam nõ multo decore egentia, in ornatu & decore quem habent manere sinentes, minus honestis minúsque decoris addimus honorem ac

D decorem. Ex eo itaque quòd minus accepit quiſpiam, magis forti poteſt eſſe animo, ac gratias agere, quòd hoc modo deus noſter ab initio eũ creauerit (qui cũcta ſapiẽter & abſque vllo defectu facit) quò paucioribus egeret ad ſui ſufficientiam & perfectionem. Hæc autẽ dicit, & eos qui minus habere videbãtur, à mœrore conſolãdo: & eos qui amplius accepiſſe videbãtur, à faſtu retrahẽdo. Vt quid teipſum inflas qui amplius accepiſſe videris? imbecillitatis tuę teſtimonium eſt, nempe quòd pluribus egebas. Vt quid animo deiiceris qui minus habere videris? atqui fortitudinis tuæ hoc argumẽtum eſt, nempe quòd paucioribus te egere oſtendit deus. Et conſidera quomodo ſenſim cœpit eos ob neceſsita-
E tem æquales oſtendere, quanquam inæqualia videbãtur aſſequuti bona. Deinde verò illos adhuc amplius extulit qui videbantur inferiores eſſe: afflictis enim ac mœrentibus magis opus eſt conſolatione, quàm arrogantibus tenui ac moderata increpatione. Deinde his dictis rurſum eos cõfirmat ad honoris paritatem & concordiam; ne ſit, inquit, diſsidiũ in corpore, ſed eandem ſolicitudinem pro ſeinuicem gerãt membra, & cætera. *Quæ autem decora ſunt noſtri.* Ne quis dicat, Et quiſnam hic ſermo eſt, vt quis curam gerat eorũ quæ indecora ſunt minúſque honeſta, ea verò contemnat quæ decora ſunt? Non contemnimus, inquit, ſed illa non egent vlla re noſtra, vtpote naturalem habentia decorem: per hoc rurſum eos conſolando qui minora habebant dona.

F Sed deus ſimul temperauit corpus: ei cui deerat, copioſiorem dans honorem: ne ſit diſsidiũ in corpore, ſed eandem ſolicitudinem pro ſeinuicem gerant membra: & ſiue patitur vnum membrum, ſimul patiũtur omnia mẽbra: ſiue glorificatur vnum membrum, ſimul gaudent omnia membra.

Si ſimul temperauit, ergo & vnum fecit: quod enim temperatur ac commiſcetur, vnum efficitur. *Ei cui deerat.* Vide quòd iam non dixerit, Minus honeſto, aut indecoro, ſed, Ei cui deerat, oſtendens quòd non natura ſint decora aut indecora, ſiue honeſta aut inhoneſta. *Copioſiorem dans honorem.* De corpore poterit quis hoc intelligere: at de hominibus

quomodo hoc inueniri poterit, vt de minus honestis ac imbecillibus maior habeatur cura ac prouidentia? Et dicimus quòd imbecilliorum curam magis suscipere videtur deus. Idq; videas in latrone qui ante apostolos paradisum ingressus est: & oue ex numero centenario perdita, quæ etiam inuēta super humeros reportata est: & operarios qui hora vndecima venerāt, primique mercedem referūt: eo quòd deus imbecilles magis ferat eisque condescendat. Ideo etiam dicit, Copiosiorem dans honorem: vt per hoc illos cōsoletur qui minus habent donum. *Ne sit dissidium in corpore.* Siquidem non dissidere aut diuidi, est omnino corpus esse: quòd si diuidatur, iam totum periit. Hoc autem dicit, terrens eos qui magna habebant dona: & ad modestiam reuocans, quòd discessio ac separatio ab his qui inferiores erant in donis, illos quoq; perdat, sitque periculum ne deinceps desinant esse corpus Christi. Itaque prouidēdum est, inquit, habendáque solicitudo vni de alio: Per vnionem enim habemus esse. *Et siue patitur unum membrum.* Si enim membra exactè vnita esse oportet, mutuámque suscipere curam, perspicuū est quòd ea quæ contingunt, etiam cōmunia esse debent, siue afflictiones sint siue laudes. Abruptio enim siue detractio minorum, tibi etiā qui maior es perditionem adfert: quemadmodum & oculis amputatus pes, aut inferior pars corporis quæ præstātior videtur. *Siue glorificatur unum mēbrum.* Coronatur caput, & vniuersis mēbris gloria & gaudiū accrescit.

Luc. 23. 15

Matt. 20.

B

C

Vos autem estis corpus Christi, & mēbra ex parte. Et hos quidem posuit deus in ecclesia: primùm apostolos, secūdò prophetas, tertiò doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum. Num omnes apostoli? num omnes prophetæ? num omnes doctores? num omnes potestates? num omnes dona habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?

Deinde ne dicant, Et quid ad nos pertinet exemplum de corpore, ostendit etiam ipsos corpus Christi. Quòd si humanum corpus non oportet fouere dissidium: nam dissi-

D dium solutionis caussa est, multominus Christi corpus. *Et membra ex parte.* Omnes quidem vbicunque locorum sint fideles, sunt corpus Christi: vos autem Corinthij membra ex parte: neque enim soli estis totum corpus, sed membra estis: & neque omnia, sed ex parte. Per hoc autem ostendit iam dispersum esse in maiori parte vniuersi euangelium ac fidem. *Et hos quidem posuit deus.* Et hos quidem apostolos, inquit, posuit, & fecit deus in ecclesia. Bene autem addidit, Primùm de apostolis. Nam hi primi ac duces sunt fidei. Prophetas verò, secundo loco posuit: non veteres illos dicens, sed eos qui in vnaquaque ecclesia illo tempore pro-

Act. 11.21 phetabant: qualis erat Agabus aliique multi. Verùm si erant

E prophetæ, quomodo ait dominus, Lex & prophetæ vsque

Luc. 16. ad Iohannem. Et dicimus quòd de veteribus illis loquitur dominus, qui de ipsius aduentu prophetauerant. *Secundò*

Theodore. & Iohannes. *prophetas.* Prophetas dicit magnus Apostolus, non qui ante tempus gratiæ, sed qui post gratiam fuerunt: inter quos erat Agabus, & qui Antiochiæ prophetauerant, ipséque diuinus Apostolus. *Tertiò doctores.* Nam & hi plurimùm prosunt, ac meritò statim post prophetas ponuntur. *Deinde potestates.* Effectus videlicet ac efficaciæ potestatum. Pote-

Genn. states quidem & infirmos sanabant, & contradicentes puniebant, sicut Paulus Elymam, & Petrus Ananiã: qui verò dona sanationum habebant, solùm sanabant: propterea etiam po-

Acto. 13.5 testates in honore præponit. *Subsidia.* Opem ferre ægro-

F tis, illísque præesse: quod ipsum etiam donũ dicit, licèt nostris quoque opus sit laboribus. Quod autem sequitur, Gubernationes, idem est quod subsidia aut quippiam simile.

Infrà 14. *Genera linguarum.* Hoc donum acceperant Corinthij, & ob hoc plurimùm efferebãtur: ideóque ad modestiam reuocans fastum ipsorum, postremo loco posuit. *Num omnes apostoli?* Deinde ne hoc ordine & ex eo quòd maiora ac minora dona manifestauerit omnibus mœrorẽ iniiciat qui minora habent, audi quid dicat, Num omnes apostoli aut prophetæ? Nam si omnes vnum essent, nequaquam diuersa essent membra. Si omnes, inquit, essent prophetæ, vbi apostoli? si omnes apostoli, vbi doctores? Hic itaque ordo plurimùm confert, ostendens quòd quisque proximo opus habeat.

Aemulamini autem dona potiora: & iam excel-

lenter viam vobis oſtendo. Si linguis hominum lo quar & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus ſum æs reſonans,aut cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiam & nouerim myſteria omnia omnémque ſcientiam:& ſi habeam omnem fidem, adeò vt montes tranſmutem , charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi pauperes alendo inſumam omnes facultates meas: & ſi tradam corpus meum vt comburar,charitatem autem non habeam,nihil mihi prodeſt. Cap. 13. A

Leniter ipſos etiam deſignat, Vos,inquit,in cauſſa eſtis, ꝙ magna non accipiatis dona , propter veſtram ſocordiam: nã hoc indicat quod ait Aemulamini. Non tamen dixit Magna,ſed potiora:hoc eſt,vtiliora, & quæ magis eccleſiam iuuare poſsint. ALIO modo. *Aemulamini autem dona*. Apparet mihi non id eũ dixiſſe exhortando & enuntiando, Quomodo enim hoc feciſſet,qui toties dixit vnumquenque donum accepiſſe ad id quod expediebat,totiéſque demonſtrauit eum qui maius donum habere videbatur in nullo præcellere ſuper eum qui minus? ſed dictum eſſe à diuino Paulo mihi videtur per interrogationem . Aemulamini,inquit, dona potiora? necdum vobis perſuaſimus ne grauiter feratis ꝙ acceperitis minora? ſed adhuc amatores ac æmulatores maiorum eſtis? ego quoque iam ad ea quæ dicta ſunt compendium vobis ac viam demonſtro , per quam nullo horum maximorum donorum vobis opus ſit, ſed cæteris excellenter ac verè maiores ac perfectiores appareatis. Quænam igitur eſt illa res? Simplex eſt & labore carens quæq; facillimè paretur. Quid igitur illud eſt? Quid,inquit,aliud niſi charitas ſeu dilectio? qui enim hanc purus accepit,omnes præcellit,omnes excedit:qui verò hanc non habet, omnibus excidit,omnibus deſtituitur. Quòd ſi charitatem habeamus,neque de mutuis donis contẽdentes anxiè verba faciemus,neq; aliud quicquã eorum quæ non conueniunt nos attinget. *Et iam excellenter*. Si omnino,inquit,æmulatores eſtis potiorum donorum , oſtendo vobis excellenter melius donum, B Pho. C

D nempe ostensurus charitatem. Et vide ꝙ non dixerit, Excellenter vobis donum ostendo, sed Viam, significans charitatem esse viam quæ ad omnia dona deducat, & hanc assequutus, per ipsam ad cætera gradietur. ALIO MODO. Quidam * hoc per interrogationem legerunt: hoc est, omnino maiora desideratis dona? si omnino id cupitis, ego vos promptè ad hæc deducam: nam id subiungit, Et iam excellenter viam vobis ostendo: hoc est, ad ea quæ excellenter maiora sunt dona viam ostẽdo. *Si linguis hominum loquar & angelorum!* Linguas dicẽs angelorum, non addit angelis corpora, sed à vocis organo nobis cognito, loquutionem angelorum inter se significat: habent enim & illi quandam significationem qua vicissim colloquuntur siue conceptus significant: quemadmodum etiam alibi dicit ꝙ coram Christo se flectet omne genu cælestiũ & terrestrium. *Charitatem autem non habeam.* Quæ est ergo hæc via? Charitas, inquit, sine qua nullum donum quicquam adfert vtilitatis. Et primùm à linguarum dono quod apud ipsos in pretio habebatur, incipit, & ait, Si linguis hominum, imò etiam angelorum loquar, sine charitate, temerè & vanè nulláque vtilitate loquar, veluti sonum reddunt inanima æs ac cymbalum. *Et si habeã prophetiam.* Volens ostendere magnũ quiddam esse charitatẽ, dona primùm exaggerat, & tunc ait illa nihil esse absq; charitate. Nam quum superiùs dixisset, Si linguis hominum & angelorum loquar quod apud ipsos erat maximum: rursum nunc idem in prophetia facit. Nam si habuero prophetiam, F inquit, non qualẽmcunque, sed maximè sublimem, quæ & mysteria & sciẽtiam habeat absque charitate nihil sum: hoc enim inferiùs explicat. *Omnem fidẽ.* Non eam dicit nunc credentium fidem quæ communis est & generalis, sed donum fidei. Nam erat quoddam donorum genus quod eadem voce cum fide dicebatur, quod ad manifestationem præsentiæ spiritus multis eo tempore tribuebatur. De hoc etiam dono ait dominus in euangeliis, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Auferaris & proiiciaris im mare, & fiet vobis. Neque enim hæc de communi fide loquebatur dominus ad eos tanquam ad incredulos, sed ad suos discipulos sermo erat: hoc est, si habueritis fidei donum. Quod autem dominus in euangeliis maximum esse dixit,

Theod. & Iohannes & Gẽnadius.

Philip.2.

Gẽnadij.

Mat.17. Luc.17.

nempe montes transmutare hoc ait sine charitate nihil esse. A
*Nihil sum*. Non dixit Minimus sum & vilis, sed Nihil sum. *Et si alendo insumam*. Bene dixit Alendo insumam, significans vnà cum dono proprium quoque ministeriũ. Considera verò ꝙ etiam dicit Omnes facultates meas, non partem ipsarum. *Vt comburar*. Miserrimum dicit mortis genus, quæ videlicet pro deo toleratur.

Charitas longanimis est, benigna est, charitas non æmulatur, charitas non est procax, non inflatur, non pudesit, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed cõgaudet veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, Charitas nunquã B excidit.

Deinde consequenter enarrat charitatis insignia, quibus dinosci valeat, ostendens ꝙ non solùm eas quæ germinarũt affectiones extirpat, sed neque produci permittit. Vide autem ꝙ statim patientiam siue longanimitatem posuerit, nẽpe totius philosophiæ Christianæ radicẽ. *Benigna est*. Quoniam nonnulli longanimitate non ad philosophiam sanam vtuntur, sed ad confringendum eos qui molesti sunt, & amplius tentandum, moraliùs cũ eis disserens ait, Benigna est, hoc est, non ad eorum accendendam iram qui molesti sunt, sed ad placandum vtitur patientia, & vtitur benignitate. Nõ *æmulatur*. Papæ, quidnam est non æmulari? nẽpe his non inuidere qui bene operantur. Non est procax, id est, arrogans. C
*Non inflatur*. Non insolescit ob propria bona opera. Aut nihil temerè seu petulanter facit. Nam πέρπερος, est temerarius aut proteruus. *Non pudesit*. Non solùm, inquit, non insolescit: verumetiam licèt indignissima patiatur, non opinatur eam rem dedecus etiam esse propter eum quem diligit, Aut hoc modo οὐκ ἀσχημονεῖ, id est, non acerbè reum agit illũ qui sibi iniurius est. Aut ꝙ nihil quantúmuis abiectarum aut humilium rerum causa vtilitatis fratrũ facere detractat, quasi indecoram sibi actionem fortasse suspicaretur. *Non quærit quæ sua sunt*. Modum dicit quomodo non pudesiat: quia non quærit propriam vtilitatem, sed proximi: & hoc ducit esse

D dedecus, si proximum qui pudefit non liberauerit. *Non irritatur*. Quum omnia patiatur, non exasperatur ad irã. Nec solùm non operatur malũ, sed ne cogitat quidem. *Non gaudet de iniustitia*. Non insultat siue non gaudet de his qui afflictiones patiuntur, sed his potius congaudet qui celebrantur & in pretio sunt. *Omnia suffert*. Hoc enim ei donat longanimitas, nempe vt sufferat: de qua longanimitate prius dixit. *Omnia credit*. Quæcunq; dixerit is qui amatur, & nihil dolosum aut ipse loquitur aut alterum loqui opinatur. *Omnia sperat*. Non desperat, inquit, de illo quem amat, sed sperat, quòd illũ ad id quod melius est prouehet. Quòd si vbi sperauit etiam spe frustretur, illo in vitio permanẽte, forti animo fert illius defectus. Nam omnia, inquit, sustinet. *Nunquam excidit*. Non dissoluitur, neq; interrumpitur. Siue nũquam excidit, neque celebritate frustratur, sed semper bonas ac honestas inenit sibi occasiones, per quas illos qui ipsa vtũtur retineat in amore ac cõnexione ad proximos, vt permaneat & nõ interrumpatur: etiãsi illi dissideant ac resiliẽdi caussas præbeant. Facit enim ferre & sperare ac sustinere eum qui in ipsum peccauit.

E (margin) — Pho.

Siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia abolebitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: quando autem venerit quod perfectum est, tunc abolebitur id quod ex parte est.

F Vbi charitatis germina recensuit, rursum alio quoq; modo ipsam extollit, dicẽs & prophetiam & linguas & scientiã finem habituras, charitatem verò esse permanentem, stabilẽ ac perpetuam. Si enim & prophetiæ & linguæ sunt propter fidei cognitionem, explicata vbiq; fide tanquam superflua cessabunt: hoc autem & hoc tempore erit, & multò magis in futuro. *Siue scientia*. Scientiam dicit fortasis eam quæ accommoda est ad docendum. Dilatato enim diuino cultu ac pietate otiosa erit doctrina. *Abolebitur*. Quid ergo tunc erit? Nam de futuro dicit tempore abolendam esse scientiam. An igitur tunc in ignorantia degemus? Absit, sed de præsenti cognitione quæ ex parte est, dixit ꝙ abolebitur. Quum enim præsens cognitio ex parte sit, vbi perfecta scientia ad-

Pho.

uenerit, hæc quæ ex parte est finem habebit, per cognitionẽ perfectam abolita. Idem autem & de prophetia mihi intelli ge. Ex parte autem cognoſcimus. δὲ pro ὰ ſumitur, vt ſit ſen ſus: Cauſſa enim cur abolendæ ſint & ceſſaturæ, eſt quia im- perfectæ ſunt. A Pho.

Quum infans eſſem, vt infans loquebar, vt in- fans ſentiebam, vt infans cogitabam: at vbi factus ſum vir, aboleui infantilia. Cernimus enim nũc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

Quoniam dixit ſuperueniente perfecta cognitione finem habituram eam quæ eſt ex parte, exẽplo quoque ſermonem confirmat. Quum eſſem, inquit, infans aut puer ætate, om- nia habebam infantilia, & loquelam & ſenſum & cogitatio- nẽ: at vbi factus ſum vir, abieci infantilia. Ita & in ſpiritua- libus, inquit: nunc infantilis eſt nobis cognitio, quoniam & nos infantes ſumus. At vbi perfecti fuerimus, quod erit in futuro ſeculo, omnia infantilia abiiciemus. Nã infantiæ ſi- milis eſt præſens cognitio & prophetia & conuerſatio, ſi cõ feratur ad futurã. *Vt infans loquebar.* Vt ad linguas referatur Loquebar, ad prophetias Sentiebam, ad ſcientiam Cogitabã ſiue Conſiderabam. *Cernimus enim nunc per ſpeculum.* Expla- nat quod de infante dictum eſt, vultque oſtendere ꝙ nunc obſcura quædam nobis eſt cognitio, tunc autem magis per- ſpicua erit. Cernimus enim nunc, ait, per ſpeculum. Deinde quia ſpeculum bene effigiatam oſtendit rei quæ apparet imi tationem, addit *In ænigmate*, inſinuans magis tenuem ac ob- ſcuriorem eſſe eam, quæ nunc perfectiſsima videtur cogni- tionẽ, etiam illa re q̃ apparet in ſpeculo. *Facie ad faciem*, Non quòd deus corporalem aliquam aut ſenſibilem habeat fa- ciem, ſed clariorem ac manifeſtiorem cognitionem per di- ctionem Facies figuratiuè demonſtrat. Aut hoc mihi intel- lige de filio domino noſtro Ieſu Chriſto ipſum loqui. *Tunc autem cognoſcam.* Nunc, inquit, ex parte ipſum cogno- ſco, tunc verò ita eum cognoſcam ac concupiſcam, quemad- modum ipſe nunc me cognoſcit. Nunc enim nos eum non B C

D cognoſcebamus, at ipſe cognouit nos & ad ſe attraxit: tunc verò nos eum cognoſcemus, & accurremus ad eum, ſumentes clariorem dulcedinis ipſius experientiam. Hoc autem dicens tollit faſtum eorum quem de ſcientia habebant, oſtendens & ex parte eſſe ſcientiam quam nūc habemus, & quòd hanc ipſam non ex nobis habeamus, ſed à deo gratis cōtingat nobis, ac ſine noſtris laboribus. Nā ipſe & cognouit nos & ad ſe attraxit. *Sicut & cognitus ſum.* Hoc eſt, exactè ac perfectè. Ad hoc enim ego ab initio cognitus ſum, vt & ipſe cognoſcerem perfectè & exactè dominum qui me cognouit, ſicuti homini poſsibile eſt.

Pho.

Cap.14. Nunc autem manet fides, ſpes, charitas, tria hæc, ſed maxima in his eſt charitas. Sectemini charitatem, æmulamini autem ſpiritualia, magis tamen vt prophetetis. Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed deo: nullus enim audit, ſpiritu verò loquitur myſteria. Qui autem prophetat hominibus loquitur ad ædificationē & exhortationē ac cōſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ędificat, qui verò prophetat, eccleſiam ædificat.

E

Sunt quidē nunc & linguæ & prophetiæ & ſcientiæ, quāquam tenues & obſcuræ: at quod dictum eſt, Nunc autē manet, intelliges ꝙ cæteris permanentiores ſint tres hæ virtutes ſiue dona, nempe fides, ſpes, charitas: & rurſum inter has ipſas charitas eſt maior, quoniam ad futurum quoque tempus extenditur. *Fides, ſpes, charitas.* Fides & charitas non ſolùm in præſenti ſeculo aliis donis ceſſantibus permanēt, verumetiam multò magis in futuro. Tunc enim ſanctis verè pacificis & ſe mutuò amantibus omnia pura erunt & à ſeditione aliena. Similiter autem erit & fides. Nam tūc clariùs ac perfectiùs delectari licebit in contemplatione eius quem deſiderabant. Spem verò fortaſsis diceret quiſpiam tunc adhuc adeſſe, vtpote præſentibus tunc rebus quæ ſperabantur, nec fraudatis his qui ſperauerant: ſempiterna eſt enim poſſeſsio veritatis. ALIO modo. *Nunc autem manet fides.* Sed non ita, inquit, nā dictio Nunc, non eſt hoc loco tēporis ſignificatiua. Non ergo, ait, ita videre eſt de fide & ſpe

F

Pho.

Eiuſdem.

ac cha-

ac charitate quemadmodum de aliis donis: siquidē alia quæ A
etiam enumerata sunt & in futuro abolebuntur, nobis tunc succedentibus his quæ perfectiora sunt, & etiam in præsenti deficient ac cessabūt, diuino cultu ad omnes explanato ac dilatato. Cognoscent enim me, inquit, à pusillo vsq; ad magnū. Plurima nanq; aliorū donorum data sunt, vt ad fidem manuducerentur & adducerentur homines, vbi verò adducti fuerint ac crediderint, certè cessabunt. At non eo modo fides, spes & charitas. Nam hæc per totam humanam vitam extēdentur ac permanebunt: & tunc magis fulgebūt, quum cætera cessabunt. Tūc enim magis dominabuntur, magísq; erit eorum vsus quum omnes pietatē coluerint ac crediderint: nam tūc & spei maior erit vsus ac sperabūt, & dilectionis ac diligēt. Cessantibus itaq; cęteris donis hæc magis fulgebunt. *Tria hæc.* Propterea hæc tria cæteris permanētiora sunt, vtpote quàm linguę & prophetia ac scientia, quoniā diffusa fide vbique otiosæ sunt prophetiæ & linguæ. Quin & scientia quę apud Corinthyos erat, finem acceptura erat, facta obscurior quàm cognitio quę per Christi gratiam iam in mundo est. *Sectemini charitatem.* Quum ergo adeò pretiosa possessio ostensa sit esse charitas, sectemini eā. Vide autem ꝙ non simpliciter dixerit. Sequamini aut acquirite ipsam, sed διώκετε, id est sectemini, aut magno studio sequamini, ostendens ipsam fugisse nos, & adhuc fugere, multóq; opus esse cursu vt apprehendamus eam quæ adeò distat. *Aemulemini autem spiritalia.* Ne existimēt eum propterea de charitate fecisse sermonem, vt dona foras proiiceret, subiūgit: Aemulemini autem spiritualia, hoc est dona cū ipsa charitate. Hoc est neque illa negligite. Siquidem maior est charitas, & hanc oportet omnino sectari, non tamen vel alia dona negligere oportet, & maximē prophetiæ donum. *Magis tamen ut prophetetis* Collationem deinceps facit prophetiæ & linguarum, & ostendit vtiliorem esse prophetiam, deprimens linguas, nam propter illas vehementer elati erant, eo quòd primum illud donum accepissent apostoli. *Nam qui loquitur lingua.* Per hoc ostendit ꝙ non sit magna linguarum vtilitas: siquidem nullum audiētium ædificat: Deo enim loquitur non hominibus: quoniam nullus intelligit quæ dicūtur, & hoc est quod subdit, Nullus enim audit. Deinde ne o-
mm

Ière.31 (margin, beside "dilatato. Cognoscent enim me")
B (margin, beside "gebunt. Tria hæc")
C Pho. (margin, beside "charitate fecisse sermonem")

D mnino inutiles eos ostendat, subiungit. *Spiritu verò loquitur mysteria*: hoc est vel suo spiritu tanquam apud proprium animũ sermocinatur, vel spiritu sancto, hoc est per spiritũ sanctum loquitur. Sed quãquam per spiritũ loquatur, tãtò minus donũ est quàm prophetia, quãtò minor est vtilitas. *Qui autem prophetat*. A cõmuni vtilitate ostendit meliorẽ esse prophetiam. nam homines, inquit, ædificat, & ad fidem adhortatur, & propter futuras afflictiones consolatur. *Qui loquitur lingua seipsum ædificat*. De his loquitur qui nouerũt quidẽ ea quæ loquuntur, sed aliis interpretari non norunt. *Qui verò prophetat, ecclesiam ædificat*. Quantum ergo discrimen est eius quod est vni adferre vtilitatem, ab eo quod est ecclesiæ illam adferre, tãtum discrimẽ est linguarũ à prophetia.

E Volo autem omnes vos loqui linguis, magis tamen vt prophetetis. Nam maior est qui prophetat quàm qui loquitur linguis, nisi interpretetur, vt ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? nisi vobis loquar aut per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Quin & inanima sonum reddẽtia, siue tibia, F siue cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara?

Deinde quia multi apud ipsos linguis loquebãtur, ne existimetur inuidia paruifacere linguas, ait: Volo autẽ omnes loqui linguis, nõ vnum aut duos: sed magis vos prophetare volo, quoniã maior est is qui prophetat, eo quòd plus adferat vtilitatis. *Nisi interpretetur*. Quoniam ostendit maiorem esse prophetam, subiungit, Nisi interpretetur: hoc est, maior est propheta, nisi ille & linguis loquatur & interpretetur quæ dicit: nã talis æqualis est prophetæ. Similiter enim cõmunẽ adfert ecclesiæ vtilitatem. *Nunc autem fratres si venero ad vos*. Nũc autem volo, inquit, in mea persona ne vobis graue sit hæc effigurare, & ostendere quantum desit ad perfectionem si quis tantùm linguis loquatur. Nam si venero, inquit, ad vos linguis loquens & cætera. Quúmq; prius

Pho.

in se effigurauerit, deinceps procedendo, etiam hæc in illis ipsis ostēdit. Sed & ibi quum asperius aliquid dicturus est, in seipsum hoc recipit: vt dū ait, Ero ei qui loquitur barbarus, & si quid est simile. *Si ueniam ad uos linguis loquens.* Volens in propria persona ostendere indigentiam & abiectionē linguarū, ait: Etiā si detur me loqui linguis, nihil tamē ex hoc vobis prodero. Nisi enim loquar vobis per reuelationē siue manifestationē, hoc est aliqua manifesta, clara & intellecta: Aut per sciētiā siue cognitionē, hoc est, vt cognoscatis quæ dico: *Aut per prophetiam*: Nam hanc intelligebāt, quum modo communi loquēdi exprimeretur: Aut per doctrinā. Qui enim docet, studiū adhibet vt qui discūt intelligant quæ dicuntur: non ero, inquit aliter vobis vtilis. *Aut per reuelationem.* Genera ponit donorū quę in sermone sunt: Hęc autem sunt linguas interpretari, & quę ab illis dicūtur reuelare siue manifestare: aut simul vtrunq; & linguis loqui & explanare, quod etiā vocat sciētiam quia loquitur, & tāquā sciens interpretatur quod dicit: Aut prophetare: hoc autem manifestū est quid significet: Aut docere. Aliud est hoc donū ab his quæ dicta sunt. Ait ergo: Si venero habēs quidem donum loquendi linguis, non habēs tamē aliquod prędictorum quatuor donorum, quæ vobis erit vtilitas? *Quin & inanima sonum reddentia.* Et quid, inquit, dico in vobis, puta vtile esse illud quod intelligitur, inutile verò quod nō intelligitur? Etenim in inanimis quoq; instrumētis hoc licebit inuenire. Siquidem nec in cithara aut tibiis confusè efferre oportet quæ dicūtur: alioqui nullo modo quenquam delectarēt. Si ergo in his pusillis magnum est ipsa claritas & manifestatio, quantò magis in spiritualibus? Oportet enim ordinatim & articulatim pulsare organa, quod significat διαστολήν, id est, distinctionem siue differentiam & cantus immutationem. A B Pho. C

Etenim si incertū sonū tuba dederit, quis apparabitur ad bellū? Sic & vos nisi per linguā manifestū sermonē dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aera loquētes. Tā multa, si res ferat, genera sonorum sunt in mundo. & nullū ho-

D rum aphonum. Si igitur nesciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus:& qui loquitur, apud me barbarus, ita & vos.

Ab exemplis ostendit quæ potentia sit & vtilitas manifestationis, & ait: Non solùm tibiæ & cithara, sed & tuba si incertum dent sonum, nemo erit qui ad bellum preparetur (nã ponitur Quis pro Nullus) quũ videlicet ignoretur quid tuba canatur. Deinde ne dicant, Et quid ad nos hæc exempla? subiungit: Sic & vos nisi manifestum & intellectum loquamini sermonem, eritis, inquit, in æra loquentes, hoc est frustrà & vanè ac sine vtilitate. Atqui si nulla erat linguarum vtilitas, quare has in forma doni accipiebant? Vt is qui haberet & loqueretur solus iuuaretur. Quòd si & aliis futurus erat vtilis, opus erat interpretatione quam accipiebant qui magis purificati erãt. Nam iuxta fidei ac purificationis proportionem, dabantur & dona. Tam multa, si res ferat, genera sonorum. τοσαῦτα. i. plurima sicut accidit, sunt genera sonorum, animatorum & inanimatorum: putà hominum, belluarum, volucrum: & inanimorum instrumentorum, nempe lyræ musicalis, naulæ ac cæterorum. Sed à nullo, inquit, horum referet quispiam vtilitatẽ, nisi vim soni cognoscat. Itaque neque ex linguis vestris vlla transibit ad alios vtilitas, nisi vim cognoscat eius quod dicitur. Erit autem hoc si interpreteris: interpretaberis autem si amplius nanciscaris vitam inculpatam, fidémque feruentem & ignitam. Quod ait: Tam multa genera vocum siue sonorum &c. dupliciter accipi potest. aut quòd multa sunt genera vocum, & nullum horum generum est aphonum aut sine voce: vel quòd multa sunt genera vocum, & nulla harũ obscura est aut ignota his qui eiusdem inter se sunt generis. Nam ἄφωνον duo hæc significare inuenitur, & quod omnino sine voce est, & quod obscurum tantùm est & incognitum. Itaque si vt prius dictũ est intellexerimus, talis esse poterit sensus Apostoli: multa sunt genera vocum, & nullum horum generum aphonũ est: sed quod nobis lucrum à vocibus illis proueniet, si nihil horum intelligamus? Nam si non cognouero quid vox significet, ero & ego illi, & ille mihi barbarus. Si verò vt posterius dictum est acceperimus, talis etiam erit intellectus, Multa

Obiectionis solutio.

E

F

Pho.

genera vocum sunt in mundo,& nullum horum obscurum est aut incognitũ his qui eiusdẽ inter se sunt generis,quomodo ergo vos in aera loquentes , & ignota his qui vestri sunt generis sonãtes,cristas erigitis,ac si magnũ aliquid ꝑ-egissetis ? & nõ magis studetis aut curatis , vt accepta linguarũ interpretatione,ad communẽ vtilitatem dono vtamini?Nam qui tantùm linguis loquitur , si obscura & incognita sit vox auditori, quum prodesse deberet , erit ei barbarus,& auditor similiter ei qui loquitur reputabitur barbarus:& quod inde lucrum erit? *Si igitur nesciero uim uocis*. Sũt ergo innumeræ voces in mundo.Itaque si non sciã vim vocis,hoc est,si nesciam quid loquitur , erimus nobis mutuò barbari:non ob vocis vitiũ,sed ob ignorãtiam nostram. *Ita & uos*. Ita.quonam modo? Sicut qui loquuntur nec intelligũtur,& ideo sibi mutuò sunt barbari:ita & vos,id est,propterea & vos:propter quid? ne sitis vobis inuicem barbari. Propterea igitur & vos:quoniam dona cõcupiscitis, illa assequi contendite per quæ ecclesiæ vtilitas& ædificatio à vobis attingatur.Ipse verò ait, *Vt excellatis*. Hoc est vt plus quàm nunc habeatis:linguis tantùm nunc loquẽtes & non interpretantes.Vel:Vt excellatis magis quàm linguis loquendo.Nam alia dona linguis excellentiora sunt , vtpote vberiorem adferentia vtilitatem. A B

Quandoquidem æmulatores estis spirituum , ad ædificationem ecclesiæ quærite vt excellatis.Quapropter qui loquitur lingua,oret vt interpretetur. Nam si orem lingua,spiritus meus orat,at mẽs mea sine fructu est. C

Vbi cessauit ab adducẽdis exemplis, apertius eos adhortatur.Quandoquidẽ omnino æmulamini & exoptatis dona( illa enim dicuntur hic spiritus) cõcupiscite & quærite ea quę possint ecclesiã ædificare & ei prodesse. *Quærite ut excellatis*. Non dixit Vt acquiratis dona,sed vt excellatis, hoc est vt cum magna exuberantia habeatis. *Quapropter qui loquitur lingua*. Deinde & modũ ponit,quo pacto possint habere dona quæ ecclesię prosint: Ait enim, Qui loquitur linguis,oret vt & posse interpretari accipiat.Itaq; ipsi in caussa sunt, ꝙ maius nõ accipiãt, vt qui nõ petũt quod maius est.

D *Nam si orem lingua.* Nam si loquar, inquit, lingua, & non etiã interpreter: Spiritus quidẽ meus, hoc est, animus ipse quoad seipsum vtilitatẽ percipit, at mens mea sine fructu inuenietur, ex hoc ꝙ aliis nõ adferat vtilitatẽ: mentis enim fructus est per varias, ac omnigenas cogitationes vtilitatẽ proximis excogitare. *Spiritus meus orat*, hoc est donũ spirituale, nẽpe ipsum loqui linguis. Verba Orem & Orat accepit pro eo quod est linguis loqui aliquid quod honestũ sit & studiosum. Nam & precatio genus quoddam est sermonis. Ait ergo, Si quid loquar eorum quæ necessaria sunt & honesta, sed id non interpreter etiam auditoribus, meipsum quidem iuuo: nam hoc est quod ait, Spiritus meus orat, id est ego solus fruor re illa necessaria & honesta. Sed alius non accipit vtilitatem, vt mens mea etiã inde lucrifaciat fructũ vtilitatis istorum. Itaq; tali fructu mentem priuari, rursumq; frui supponit, eo ꝙ illa inter nostras potẽtias maximẽ amet proximi vtilitatẽ, quomodo neq; vis irascibilis mouetur neque cõcupiscibilis: quæ facilè affectus excitat, aut à propria naturaliq; virtute facilè trãsmutat. Et hęc magis fructu vocat, quando vnà cõsentit, rursumq; vbi fructum nacta fuerit, abundè lætatur. Deinde ait, *Quid ergo est?* hoc est, quid oportet fieri? quomodo nobis cõtinget ne sine fructu simus? quo modo? si per virtutẽ nobis curæ sit vt qui linguis loquitur, & spiritu loquatur & mente: hoc est, & caussa propriæ vtilitatis loquatur, & vt mens mutuo fructu fruatur: hic autem proximorũ est vtilitas. Id autẽ erit si linguis loquentes, donum accipiamus vt etiã interpretemur. Quoniam autem loquendo de re quapiã honesta & studiosa, sumpto orationis nomine permansit vtens illo: ne in progressu existimes sermonem esse de oratione, & nõ de omni necessario & conuenieñti sermone qui linguis exprimitur, trãsiuit ad ipsum psallere, ac si diceret, Siue in precatione, siue in psalmodia, siue in alio quouis necessario sermone vel decẽti: in omnibus oportet pari modo & seipsum iuuare & proximũ. Deinde adfert & exẽplum, ostendens ꝙ multis egeat ac priuetur, qui solùm linguis loquitur absq; interpretatione. Quoniã si benedixeris, inquit, spiritu, hoc est tu solus intelligens, & tibi ipsi verbis quibus benedicis vtilitatẽ adferens: auditor autẽ nõ intelligens quę dicis, quomodo tibi respõdebit? quomo-

Pho.

E

F

do dicet Amen, si fortaſsis hoc eũ reſpondere oporteat, quũ nihil omnino intelligat quæ tu dicis? Siquidẽ tu bene & ad tuiipſius cõmodum, ſi res ferat, benedicis & gratias agis, aut aliud quippiam eorũ quæ fieri oportet agis, (vbique enim hoc verbum vult ſubaudiri, & nõ in aliquo genere definito inſiſtere: ideo nunc quidẽ dicit Pſallere, alibi verò Benedicere, & poſt ipſum etiã pro eodem ponit Gratias agere: oſtẽdens ꝙ vbique ſit eius adhortatio, ac ſtudiũ de omni re neceſſaria, ac conuenienti quæ linguis exprimitur.) Itaque vt dixi tu quidẽ linguis loquẽs, ad tuiipſius commodũ benedicis vel gratias agis, aut aliud quippiam loqueris, auditor verò nullum reportat lucrum, nihil à te iuuatur. At mens mea ſine fructu eſt, hoc eſt non accepit fructum ab auditoribus collectum, vel tanquam ex vindemia congregatum, hunc non ſibi lucrifecit mens eius qui loquitur, non fruita eſt tali fructu, deſolata apparuit fructu, ſine fructu eſt. A B

Quid ergo? Orabo ſpiritu, ſed orabo & mente: pſallam ſpiritu, ſed pſallam & mente. Alioqui ſi benedixeris ſpiritu, is qui complet locum idiotę, quomodo dicturus eſt Amen, ad tuam benedictionem? quandoquidem quid dicas neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis. Verùm alius non ædificatur. Gratias ago deo meo quòd magis quàm omnes vos linguis loquor. Sed in eccleſia malo quinq; verba mẽte mea loqui, vt & alios inſtituam, quàm decẽ millia verborum lingua. C

Quid igitur eſt, inquit, quòd à deo petere oportet? quid? orare ſpiritu ſiue anima, quod ad ipſius tãtùm vtilitatẽ protenditur: ſed orare & mente, quod etiam ad proximorũ pertingit vtilitatem iuxta ſuperiorẽ præſcriptionem. Similiter autem & pſallere. *Pſallam ſpiritu.* Spiritum vocat ſpirituale donum, mentem verò manifeſtationem ac interpretationem eorum quæ dicuntur. Dicit autem quòd expediat eum qui alia lingua loquitur, ſiue in pſalmodia, ſiue in oratione, ſiue in doctrina, aut ipſum interpretari & intelligere quid dicat ad vtilitatẽ auditorum, aut alium hoc facere cõuenit, Theod.

D qui posſit cooperationem doctrinę suſcipere. *Alioqui ſi benedixeris ſpiritu.* Nam ſi tu ſolus, inquit, ſcis quid benedicis, aut quid precaris, & anima tua hoc dicit ſpiritu, reliqui verò ignorant, eo quòd tu nõ noueris interpretari, ſiue non noueris vim eorum quæ dicuntur: qui agit idiotam non poterit dicere, Amen, ad tuam orationem: nõ enim nouit quid dicas: neque ſcit quando oporteat te audire, Amen. *Locum idiotæ.* Idiotam dicit eum qui in ordine laico ſiue plæbeio conſtitutus eſt: nam eos quoque ita vocare ſolent, qui ſunt extra malitiã. Hoc autem eſt quod dicit, Tu qui pſallis aut oras, interpretare ea quæ dicuntur, & tibiipſi & ſimiliter his qui te audiunt, vt dicant, Fiat: quoniam alioqui quid dicas, neſciunt. Hoc dicit, Pſallam ſpiritu, pſallam & mente, hoc

E eſt, intelligam, & interpretabor etiam audientibus. *Nam tu quidem bene gratias agis.* Deinde etiam dignam laudem ſeruans dono linguarum, ait, Nam tu quidẽ bene gratias agis, ſed proximus nullam refert vtilitatem. *Magis quàm omnes vos linguis loquor.* Poſtmodũ ne ob id videatur vilipendere ac deiicere, ſiue minus habere donum linguarum, quòd ipſe illud non poſsideat, ait, Magis quàm omnes vos linguis loquor: hoc tamen dicturus primùm gratias agit deo, ſignificans quod ab ipſo donum habeat. *Quinque uerba mẽte mea loqui.* hoc eſt, intelligere vt ipſe interpreter, & auditoribus explanem, vt capiant vtilitatem. *Quàm decem millia uerborum linguæ.* Non potens illa interpretari. Nam hoc modo in me ſolo permanebit vtilitas. διὰ τοῦ νοός μου, id eſt mente mea, vel

Pho. F propter mentem meam, hoc eſt cauſſa mentis meæ, ne ſit ipſis ſine fructu eorum, ſed fruatur fructu vtilitatis ipſorum.

Fratres ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri eſtote: ſenſibus verò perfecti ſitis. In lege ſcriptũ eſt, Variis linguis & labiis variis loquar populo huic, &

Ieſa.28. ne ſic quidem audient me, dicit dominus. Itaq; linguæ in ſignum ſunt non credẽtibus, ſed incredulis: contrà prophetia non incredulis, ſed credentibus.

Poſtquam oſtendit maiorem eſſe prophetiam: deinceps pungitiuo vtitur ſermone. *Ne pueri* (inquit) *ſitis.* Puerorum enim eſt parua admirari, veluti ſunt linguę: magna ve-

rò despicere qualis est prophetia. *Sed malitia pueri estote.* V- A
bi iniustitia aliqua proponitur aut peccatum, tunc pueri si-
tis. Est autē puerū esse, nescire malefacere vel peccare. Sē-
suū verò perfectio, & vitiū fugit, & virtutē prosequitur: &
maiora ac vtiliora dona diiudicare nouit. *In lege scriptū est.*
Atqui Iesaias hoc dicit: sed diuus Paulus omne vetus testa-
mētum vocat legem. Testimonium verò adducit latēter o-
stēdens non esse admodū vtile donum linguarū, eo ꝙ etiam
incredulis cōtingat. *Et ne sic quidē audient me.* Quare ergo lo
quebatur, si sciebat ꝙ non esset audiendus? Vt faceret deus
quod in se erat: & per omnia ostenderet, quā de nobis habe
bat prouidentiā: vtq; vinceret dum iudicatur, omnémq; tol
leret excusationem. Aut etiā quod ait, Ne siquidem audiēt *Psal. 50.*
me, ad id quod cōmune est, dictū sit, & ꝙ non omnes audie- Oecum.
rint, † quandoquidem contingit vt ne vnus quidem audiat. B
Itaq; *linguæ in signū sunt.* Vides ꝙ linguas inferiores prophe- † ἐπεὶ ἔνι μηδὲ ἕνα ἐπακοῦσαι.
tia dicat? nam in signū sunt, inquit: signum autē non semper
docet, aut vtile est: imò interdū & frequēter etiam nocet, vt
in progressu dicit: vbi ait, Nōne dicent vos insanire? *Nō cre
dētibus.* Credētes enim nō egent signis, quū iam fideles sint.
*Contrà prophetia nō incredulis.* Prophetia verò fidelibus, in-
quit, vtilis est: nam instruit ipsos: nō autem etiā incredulos,
vtpote immedicabiliter ægrotātes: nisi ꝙ in progressu dicit
quòd etiā ipsos iuuet. Coargut⁹, inquit, & diiudicatus ab o-
mnib⁹ dicet quòd verè deus in vobis sit. Vide quāta sit pro-
phetiæ excellentia. Siquidem linguæ incredulos faciunt ir-
ridere: nam dicēt, inquit, vos insanire: prophetia verò fide- C
les quidem omnibus modis iuuat. Cōtingit autem quādoq;
vt & incredulis sit vtilis, coarguēdo illos, & efficiendo vt in
faciem cadant, deinq; adorent: hoc enim in sequentibus di
cit: sed credentibus ad vtilitatem est, nempe doctrinam.

Si ergo conuenerit vniuersa simul ecclesia: & om
nes linguis loquantur, ingrediantur autē idiotę, aut
increduli, nonne dicent vos insanire? Quod si om-
nes prophetent, ingrediatur autem incredulus, aut
idiota, coarguitur ab omnibus, diiudicatur ab om-
nibus: & sic occulta cordis eius manifesta fiūt: atq;

D ita procidens in faciem suam, adorabit deum, renuntians quòd re vera deus in nobis sit.

Sensim vult ostendere quòd damni occasio sit loqui linguis. Deinde ne donum reprehendere videatur, subiũgit, Si conueniatis omnes linguis loquẽtes, ingrediantur autẽ idiotæ ac increduli, quãquam reprehẽsio sit ignorantiæ ac incredulitatis illorum & non gratiæ, tamen hoc etiam modo occasio damni est idiotis & incredulis, quod in prophetia non inuenies. *Nonne dicent uos insanire?* Quoniam arrogãtes erant in eo quòd linguis loquerẽtur, ostẽdit ipsos ex linguis incidere in dãnum suspitionis. Incidītis, inquit, in suspitionem insaniæ: quod studio vestro & actioni contrariũ est. In prophetia verò ediuerso accidit. Siquidem ipsos quoq; impudentes incredulos attrahit, coarguendo eos ac diiudicãdo, & occulta cordis ipsorũ manifestando. *Et sic occulta.* Hoc est, quæ in animo habet, quæque ex his sequuntur, proferentur in medium, & propalabũtur: ac ita, per hoc videlicet quòd diiudicatur, occulta ipsius manifestantur, & procidẽs adorat deum. *Procidens in faciem.* Res enim quę accidit, eos etiam qui vehementer impudentes sunt, pudefaciet.

Quid igitur est fratres? Quum cõueneritis, quisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, reuelationẽ habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, fiat per binos, aut ad summum ternos: ídque vicissim, & vnus interpretetur: quòd si non sit interpres, taceat in ecclesia: cæterùm sibiipsi loquatur & deo.

Quid igitur, inquit, faciẽdum est vobis? Ecce enim audistis donorũ differentias. Et consequenter dicit, Quisque vestrum siue psalmum habeat (nam ex dono quodã etiam psalmos seu cantica conficiebant, siue doctrinam habeat, hoc est siue posit docere, & vtilitatẽ adferre; siue prophetiã (nam hoc significat ἀποκάλυψις, id est, reuelatio) siue linguam habeat (bene autem linguarũ quoque meminit: Nam quia in præcedentibus illas vehementer depresit, nunc etiam ea-

rum meminit: quoniam visus est sentire, neque doni genus esse gratiam linguarum) siue interpretationē habeat, & possit linguas interpretari: eundem finem omnia respiciant, nēpe vt edificet ecclesiam, tanquam diceret. Quæcunque dixi dona, putà psalmus, doctrina, reuelatio siue prophetia, lingua, interpretatio, ad vtilitatem sint populi & ædificationē. *Fiat per binos aut ad summum ternos.* Non multi loquamini lingua, neque cōfuse, ne seditio fiat: sed duo, aut vt plurimùm tres. Idque ἀνὰ μέρος, id est, per partes siue vicissim, hoc est, vnus post alium loquatur, & alius interpretetur. *Cæterùm sibiipsi loquatur & deo.* Quod ait Sibiipsi loquatur, neque permittentis est, neque prohibentis, acsi diceret, Si non habet interpretationem, taceat: ꝙ si non potis est tacere (hoc autē vitij est) sibiipsi loquatur, hoc est, apud se leniter & sine strepitu, vt solus deus audiat, & non homines. Considera verò quomodo dum permittere videtur, prohibeat. A B

Prophetæ verò duo aut tres loquantur, & cæteri diiudicent. Quòd si alteri reuelatum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis enim singulatim omnes prophetare: vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant: & spiritus prophetarum prophetis subiiciūtur. Non enim turbationis autor est deus, sed pacis, vt in omnibus ecclesiis sanctorum.

Erant inter prophetas etiam vates seu diuini qui latebāt, ideo ait, *Duo aut tres loquantur, & cæteri diiudicent.* Hoc est, diiudicent, ne quomodo vates quispiam esse propheta existimetur. Ideo ergo duo aut tres ne propter multitudinem lateant falsi vates. *Quòd si reuelatum fuerit aßidenti.* Si te, inquit, prophetante alterum mouerit spiritus sanctus, tu tace, ne duobus simul prophetantibus fiat cōfusio, nam ob id, inquit, te prophetante alteri inspiratum est, ꝙ per illū quoque velit spiritus aliquid exprimi. *Potestis enim singulatim omnes prophetare.* Quoniam autem priorem tacere iussit, cōsolatur eum, Ne, inquit, ægrè feras ꝙ iubearis tacere: potes enim & tu ꝓphetare, & alius, imò omnes, si singulatim quisque prophetet: hoc est, non deerit tempus vt omnes qui ecclesiam implent & discant & ad fidem aduocentur ac dedu- C

D cantur. *Et spiritus prophetarum prophetis subiiciuntur.* Spiritū prophetarum dicit ipsum spirituale donum. Deinde ne quis dicat, Et quomodo tacere possum? Ipse enim spiritus sanctus qui inspirat, & volentem & nolentem loqui cogit, Non est, inquit, ita. Nam donum subiectum est prophetæ, hoc est, in

Oecum. eius potestate est & loqui & tacere. Manifestè ita est: aut contra vates seu diuinos loquitur. Nam illi post furorē sibi immissum, etiam nolentes, tanquam dæmonio agitati loquūtur quę nolunt. Si ergo donū prophetis subiectum est, quāta erit absurditas ꝙ vos communi vtilitati non subiiciamini, vt cum silentij tempus fuerit, sileatis? *Non enim turbationis autor est deus.* Deinde ostendit ꝙ hoc etiam deo videatur vt prior taceat, quia non est deus autor turbationis, sed pa-

E cis, nam alioqui turbatio & confusio fieret. Hæc autem lex pacis in omnibus est sanctorum ecclesiis. Bene autem dicit, Sanctorum, quoniam & Græcorum & reliquorum infidelium erant ecclesiæ siue congregationes.

Mulieres vestræ in ecclesiis sileāt, nec enim permissum est illis vt loquantur, sed vt subditæ sint, quemadmodum & lex dicit. Quòd si quid discere volunt, domi viros suos interrogēt. Nam turpe est mulieribus in ecclesia loqui. Nū à vobis sermo dei profectus est? aut in vos solos incidit?

Statuto ex omni parte silentio, ex eo ꝙ non plures quàm

F tres linguis loquerentur, idque ἀνὰ μέρος, id est, per partes, hoc est, vnus post alium siue vicissim, ex eo ꝙ primò prophetans cederet secundo: venit consequenter & ad importunas mulierū nugas. *Mulieres taceant: nec enim permissum est,* siue datum illis vt loquantur. Nec solùm dixit vt tacerent, sed & subiectæ essent, quod plus est quàm silentium seruare. Subiectio enim designat silentium cum timore, tāquam ab ancillis quibusdam pręstitum. *Quemadmodum & lex dicit.*

Gen.3. Quid autem dicit lex? Nam legem appellat vetus instrumētum: Ad virum, inquit, tuum auersio tua, & ipse dominabitur tibi. Si ergo viro subiicitur, multò magis spiritualibus præceptoribus, & cōmuni ecclesiæ plenitudini ac perfectioni. *Quòd si quid dicere volunt.* Si igitur non loquantur, dixe-

rit quispiam,quomodo discent ea quæ ignorant? Domi,ait, A
à viris discant. Animaduerte autem quòd de his etiam quæ ipsis expediunt,non permisit eas loqui in ecclesia. Hoc autem & viros reddit attentiores,quum sciant quòd ab vxoribus interrogabuntur de scripturis & dogmatis quę tractantur in ecclesia. *Nam turpe est mulieribus in ecclesia loqui*.Deinde quoniam,vt verisimile est,arrogantes erant,sibique placebant mulieres ob spiritualia quasi colloquia,per assertionem hoc tollit dicens,Nam turpe est. *An à uobis sermo dei*. Tanquam ad quosdam sibi contradicētes sermo ipsi formatus est.Cur,inquit,contradicitis?nec bonum esse ducitis, vt mulieres taceant in congregatione? An soli estis credentes in mundo? Neque soli estis credentes neque primi.Hoc ergo dicit,Aut,quia à vobis sermo dei processit,igitur quę toB
tus habet orbis oportet etiam apud vos seruari.

Si quis videtur propheta esse,aut spiritualis cognoscat quòd ea quę scribo vobis domini sint pręcepta,cæterùm si quis ignorat,ignoret.Proinde,fratres,enitamini ad hoc vt prophetetis, & loqui linguis ne prohibueritis. Omnia decenter & secundum ordinem fiant.

Vbi frequenter docuit oportere mulieres tacere, hoc etiam nunc addit, ꝙ id quoque & deo videatur:ait enim, Si quis aut propheta est,aut alio modo habet spirituale donū,
vt intelligat quę à me scribuntur,sciat dei esse pręcepta quę C
scribo,nec à meipso ad hæc scribēda me moueri. Si quis autē ignorat esse dei præcepta,ignoret,hoc est, ego dixi quod expedit.Qui ergo vult,obtemperet: qui autem non vult,agat quod libet. Hæc autem dicere,viri est qui sua non omnibus modis cupiat firma haberi, sed ad commune commodum spectat. Huiusmodi autem sermonis formā habere solet, vbi non grande delictum est quod accidit. Quid enim magnum est si ignorent dei esse pręcepta vt mulieres taceāt? *Enitamini ad hoc ut prophetetis*.Rursum vnde digressus est,rediit,& maiorem ostendit prophetiam ex eo quod ait,Enitamini ad hoc vt prophetetis,minorem autem linguarum gratiam:ait enim, *Loqui linguis ne prohibueritis*. Deinde prima

D in summam colligit, Omnia, inquit, *decenter & secundum ordinem stant*. Erit autem hoc, si ij qui linguis loquuntur, bini aut terni loquantur & vicissim: & prophetæ sibi mutuò cedant, ac mulieres in ecclesiis taceant.

## CAPVT IX.

### *De universali corporum resurrectione.*

Cap.15. NOtum autem vobis facio, fratres, euangelium quod annuntiaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo sermone annuntiarim vobis, si tenetis, nisi frustrà credidistis.

E Ad sermonem de resurrectione accedit: ait autem, Nihil nouum vobis dicam, sed quod iam notum vobis factum est, verùm in obliuionem venit. Nam Notum facio, hoc est, ad memoriam reduco, Vocans autem fratres, simul quidem ipsos mitigat, simul etiam Christi donorũ meminit. Nam per ipsius aduentum in incarnatione omnes facti sumus fratres. *Quod & accepistis*, tanquam depositum quoddam. Neque enim verbo tantùm acceperant, sed etiam per signa variáque miracula. Et vide Pauli sapientiam. Agitabantur hi, & tamē stare ipsos dicit: ignorare se simulans ne magis eos pudefaciat. Deinde standi lucrum ponens, per quod, inquit, euangelium stantes salutem consequimini. *Quo sermone annũtiarim uobis si tenetis*. Hoc dicit, tanquam manifestationem tan-

F tùm quæreret, nequaquam circa resurrectionem hæsitarét. *Quo sermone annuntiarim uobis*. Hoc est, quomodo dicta sit fieri resurrectio, acsi diceret, De dogmate quidē nequaquā dicere possum vos ambigere, sed tãtùm huius modum quęrere. Ait ergo, Resurrectionis modum ad memoriam vobis reduco, quonam modo fieri dicta est. Deinde ne segnes eos reddat, attestans ipsis ꝙ starent, ait, *Si tenetis*. Nam si dogma de resurrectione non tenetis, frustrà credidistis siue temerè. ITEM ALIO modo. Ad memoriam vobis reduco quonam modo manifestatus sit vobis sermo de resurrectione, si tenetis hunc sermonem resurrectionis. Nisi enim hoc dogma teneatis, frustrà credidistis, si autem extra hoc estis, vanus est labor vester, quum in hoc sit fidei summa.

Tradidi enim vobis in primis quod & accepe- A
ram, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis no
stris secundum scripturas: & ꝙ sepultus sit: quódq;
resurrexerit tertio die secũdum scripturas: & quòd
visus sit Cephæ: deinde illis duodecim, postea visus
est plusquam quingentis fratribus simul, quorum
plures manent ad hunc vsque diem, quidam verò
etiam dormierunt, Deinde visus est Iacobo, pòst,
apostolis omnibus.

Nam quum magnum sit resurrectionis dogma, illud, inquit, in primis vobis tradidi. Siquidem ego quoque ipsum à Christo accepi. Quum igitur illud acceperitis, nũc ob tẽporis diuturnitatem ambigere non debetis. B *Quòd Christus mortuus fuerit.* Non statim ad sermonẽ de resurrectione venit, sed ipsum ex superioribus confirmat. Christus, inquit, Rom. 4. mortuus est propter peccata nostra, vt nos peccatis mortuos viuificaret. *Secundum scripturas.* Nihil noui actum est: prius hoc prædictum erat, & præfiguratum. *Et quòd sepultus sit.* A communi sensu repetendum est Secundũ scripturas. Veram autem volens ostendere mortem, & non phantasticam, vt quibusdam videtur hæreticis, addidit Sepultus sit: nam sepultura mortis confirmatio est. Manichæi quoque cõfunduntur, dicentes liberationem ac solutionem peccatorũ nostrorum mortem esse Christi: Nequaquam, aiunt, verè mortuus est. *Tertio die secũdum scripturas.* Rursum addidit Secũ- C dũ scripturas, propter multos sine deo homines, qui de domini resurrectione hæsitant. *Et quòd visus sit Cephæ.* Atqui euangelium dicit quòd Mariæ primùm apparuerit Christus, Mar. 16. sed inter viros primùm apparuit Petro, tanquam primario duci venerandi discipulorum chori. *Deinde illis duodecim.* Atqui Mathias post assumptionem domini, pro Iuda introductus est, quomodo ergo dicit, Deinde illis duodecim? Dicimus vel scriptoris fuisse lapsum. Vel ꝙ præscientiæ oculo sciens dominus quòd Mathias connumerandus esset cum vndecim, apparuit & ipsi, vt neque in hoc cæteris apostolis esset inferior. Tale quippiã subindicat & Iohãnes nusquam dicens quòd apparuit vndecim, sed & de Thoma loquens,

Iohan. 20 ait, Thomas autem vnus ex duodecim: Magis enim dicere
D possumus ꝙ gratia Mathiam cæteris connumerauerit secũdum præscientiam. Aut Iudam adhuc post proditionem ac suspendium connumerauit. *Plus quàm quingentis fratribus.* Aduerbium ἐπάνω (quod cũ cæteris interpretibus per Plus quàm reddidimus) quidã aiunt dictum esse pro Cælitus, vt illis assumptionem quoque ipsius ostenderet. Alij verò pro Pluribus interpretati sunt, hoc est, pluribus quàm quingentis. *Quorum plures manent ad hunc usque diem.* Habeo, inquit, viuos adhuc testes. *Quidam uerò etiam dormierũt.* Per dictionem Dormierunt, primum resurrectionis fundamẽtum iecit. Nam qui dormit, etiam resurgit. *Visus est Iacobo*, episcopo Ierosolymitano, qui cognominabatur frater domini.
E *Pòst, apostolis omnibus.* Erant enim & alij ex discipulis apostoli, ad imitationem illorum duodecim, qualis erat Paulus & Barnabas ac Thaddæus.

Postremò verò omnium velut abortiuo visus est & mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum idoneus, vt dicar apostolus, propterea ꝙ persequutus sim ecclesiam dei: sed gratia dei sum id quod sum, & gratia eius quæ ad me venit, nõ fuit inanis, sed copiosiùs illis omnibus laboraui: non autem ego, sed gratia dei quæ mecum est. Siue igitur ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.

F Modesti animi verbum. Nec tamen ob id aliquo inferior est Paulus, ꝙ ipsi postremò visus sit. Neque enim Iacobus quingentis illis inferior erat, ꝙ post illos ipsi visus fuerit. Quadam tamen etiam dispensatione seipsum deiicit, vt quũ dixerit Magnum illud verbum Copiosiùs illis omnibus laboraui, fides ipsi habeatur. Abortiuus autem dicitur siue ἐξάμβλωμα ac ἐμβρυθρίδιον, siue imperfectus embrio ac fœtus in vtero nondum formatus. Hic etiam perfectus in omnibus Paulus, quum tantus ac talis esset, eo ꝙ ab initio non fuerit in Christi fide formatus, seipsum dicit abortiuũ, propter excellentem animi modestiam. *Ego enim sum minimus apostolorum.* Consequenter enim sua manifestat: & vide quòd non dixerit duodecim tãtùm, sed & omnium apostolorum.

Deinde

Deinde dicit & causam: Propterea, inquit, quòd persequutus sim ecclesiam dei. *Sed gratia dei sum id quod sum.* Cõsidera animi gratitudinem: peccata quidem inter sua connumerat, egregia verò facinora gratiæ dei attribuit, *Et gratia eius quæ ad me uenit non fuit inanis.* Et hoc cum submisione dixit. Nõ enim ait, Quæ gratia dei digna sunt feci, sed Gratia dei non vana in me inuenta est. Quomodo? Quia omnibus apostolis copiosius laboraui. Vide autem quomodo hoc etiã loco parcè id posuerit. Neq; enim ait Certaui, aut Prædicaui, seu Periclitatus sum: sed Laboraui: hac dictione proprium succidens encomium: Ad hęc tamẽ verba, ex necessitate venit. Nam oportet præceptorem fide dignum esse. *Non autem ego, sed gratia dei quæ mecum est.* Deinde veritus ne rectum opus sibi attribueretur, gratiæ dei ipsum fert acceptum. *Siue igitur ego siue illi.* Consentimus, inquit, omnes circa prædicationem. Nec dixit, Si mihi non creditis, vel illis credite: nam seipsum vilem reddidisset, nec fide dignum veritatis testem sese ostendisset. Sed quid ait? Consoni sumus omnes. Et ex eo quòd ait Prædicamus, dictorũ veritatem confirmat. Non enim in occulto aut in angulo de his rebus loquimur, sed manifestè ad hoc vsque tempus. Nam hoc est quod prædicatur, & ita, inquit, vos cũ aliis credidistis: & hanc illorum fidem vocat in testem veritatis. Nequaquã enim temerè credidissetis sermonibus falsis ac deceptoriis, nisi persuasi fuissetis vera esse quæ prædicabãtur.

Quòd si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter vos non esse resurrectionem mortuorũ? Nam si resurrectio mortuorum nõ est, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, inanis sanè est prædicatio nostra, inanis autem est & fides nostra. Reperimur autem & falsi testes dei: quoniam testificati sumus de deo, quòd excitauerit Christum, quem non excitauit, si certè mortui non resurgunt.

Optimè aduersus illos ratiocinatur. Primùm enim ostendẽs quòd Christus resurrexerit, ex eius resurrectione communem etiam resurrectionem confirmat, tãquam vbique &

nn

D in omnibus totum sequatur partem, & reliquum corpus sequatur caput. *Quomodo dicunt quidam inter vos.* Considera quòd non aduersus omnes formet accusationem, ne nimium eos pudefaciat. *Nam si resurrectio mortuorum non est.* Ne dicant, Christus quidem resurrexit, atqui nō erit vniuersalis omnium resurrectio: ex opposito illud confirmat. Si resurrectio, inquit, non est, neque Christus resurrexit: nam vtrumuis alterius confirmatiuum est ac demonstratiuum. *Quod si Christus non resurrexit.* Non dixit, non est incarnatus, sed non resurrexit: ostendens etiam incarnationem resurrectioni coniunctam esse, & ob id ipsum incarnatum esse vt resurrectionē confirmaret. *Inanis autem est & fides nostra.* Ac si dixisset, Omnia perierunt & vana facta sunt, tam
E prædicatio nostra quàm fides nostra. *Falsi testes dei* Nec solùm vanum, sed præterea etiam impium est, inquit, nos deū calumniari dicendo aliquid eum fecisse quod non fecit.

Etenim si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: Quòd si Christus nō resurrexit superuacanea est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Igitur & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac tantū vita spem in Christo fixam habemus,
F maximè miserabiles omnium hominum sumus.

Eidem innititur rationi. Propterea, inquit, resurrexit, vt vniuersalem statueret resurrectionem: quòd si resurrectio non est, certè neque ipse resurrexit. *Adhuc estis in peccatis vestris.* Nam si ipse quoque detentus est à morte, quomodo cæteros omnes liberauit à morte, quæ propter peccatum facta est? Consequenter ergo neque peccatum Christi morte deletum est: nam si deletum esset, vtiq; mors etiam quæ per ipsum erat extincta esset: quòd si hoc factū esset, oportuisset omnino eū qui alios à morte liberaret, primū resurrexisse, & aliis ducem fieri ad resurrectionem. *Igitur & qui dormierunt in Christo perierunt.* Per nomen dormitionis resurrectionem insinuat. Qui propter Christū, inquit, mortui sunt, qui multos exantlauerunt labores, & innumera sustinuerūt pericula, perierunt: quod absurdum esset, nempe periisse illos qui propter ipsum mortui sunt. Vbique enim rationē ad

Id quod absurdum est deducit. *Si in hac tantùm vitâ.* Si hæc, A
inquit, vita duntaxat durant nostra, & in hanc solam conclu sa sunt nobis quæ speramus, miseri sumus. Siquidem totũ perdidimus dũ futura perdidimus. Et quid dico, inquit, quod in hac vita sperare miserandos facit? Nam si etiam in Christũ speramus in hac tantũ vita, hoc quoq; modo miseri sumus. Si enim post tãtos labores & pericula, huius tãtũ vitæ habebimus bona, etiam hæc erũt laborum retributiones.

Nunc autem Christus surrexit ex mortuis: primitiæ eorum qui dormierunt factus est. Quoniam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes B
viuificabuntur: vnusquisque autem in proprio ordine: primitiæ Christus, deinde ii qui Christi fuerunt in aduentu ipsius: mox finis, quum tradiderit regnum deo & patri: quum aboleuerit omnẽ principatum & omnem potestatem ac virtutem.

Postquam multis modis resurrectionem asseruit, consequenter enunciatiuè loquitur. *Primitiæ eorum qui dormierunt factus est.* Quod si primitiæ resurrectionis fuit Christus, manifestum est quòd cum eo etiam cæteri resurgent. Primitiæ enim dicuntur, quum vnum quoddã è multis facit hoc aut illud, quod & reliqui facturi sunt. *Quoniam enim per hominem* C
*mors.* Ei quod dictum est etiam causam addit. Nam oportebat, inquit, humanam naturam quæ victa erat hanc vincere: ac deiectum hominẽ rursum pugnare ac vincere, brauiúmque accipere. *Quemadmodum enim per Adam.* Interpretatur quod dictum est, Quemadmodũ per hominẽ, inquit, mors ingressa est, ita oportebat & resurrectionẽ per hominẽ introduci. *Vnusquisq; autem proprio ordine.* Quia dixit Viuificabuntur, ne quis etiam peccatores saluandos existimet, subiũgit: Sanè, inquit, quantũ ad resurrectionem omnes viuificabuntur, sed vnusquisque in proprio erit ordine, & inter eos cũ quib' esse meretur. *Primitiæ Christus.* Primitię ait & via ad resurrectionem Christus factus est, Post illũ verò

D qui ipsius fuerint, primi resurgent. Ipsius autem nēpe Christi dicit iustos, secundum proprietatis sermonem. Oportebat enim vt in ipsa quoq; resurrectione priuilegiū haberent iusti. Quoniam enim rapiēdi sunt in aerem in occursum domini, prius suscitantur vt anteuertant ad occurrendū. Quid enim necesse est, vt prius suscitentur peccatores, quū deorsum expectaturi sint iudicem? Mox finis omniū rerum & ipsius quoque resurrectionis, quum etiam cæteri fuerint excitati. Neq; enim quemadmodum nūc Christo resurgēte, suo permanserunt loco res humanæ, ita & tūc erit, sed omnia finem accipient, *Primitiæ Christus*. Ad immortalitatem primus ex mortuis Christus resurrexit. Quotquot enim na-
E cti sunt resurrectionē, siue per ipsum Christum siue per prophetas aut apostolos, rursum mortui sunt. *Deinde ii qui Christi fuerint in aduentu ipsius*. Hoc est quando è cælo apparuerit in gloria: primū fideles & iusti, quiq; prius in eum sperarunt, & aduentum in carne susceperunt, resurgent. *Mox finis*. Post iustorum resurrectionē, raptúmq; in nubibus in occursum domini, tunc finis erit, hoc est resurrectio erit omniū qui à mundi cōstitutione formati sunt & iudicio tradētur. *Quum tradiderit regnum deo & patri*. Tradit autem, nō sic vt ipse priuetur. Nimiæ enim dementiæ est vel suspicari id: quasi haberet quidem illud dum ipsum seditionibus ple-
F num esset: propriis autem defunctus laboribus, eo priuaretur. Sed tradit, hoc est veluti socium facit patrem proprij operis: cōmunia sunt enim omnia trinitatis opera. Nam licèt filius incarnatus sit, id tamen volūtate patris ac cooperatione spiritus sancti. Itaq; cōmunia etiā sunt quę incarnatus filius & crucifixus & resurgēs peregit opera. Bene ergo ait, Tradit regnum, hoc est cōmunicat, & illū oblectat Pręclaro suo facinore. Queadmodum enim filius acceptū regnū, dum illud seditionibus plenū esset, non abstulit à patre: ita neque tunc tradens, ipso priuabitur. Tradit autem, posset quispiam dicere, nec aberrans à scopo, non ꝙ non habeat, sed quòd iam circa illud non defatigetur : quódque neque cōtra illud pugnet neque ipsum vincat, aut quiduis aliorū faciat, quorum hæc quidem ante passionem erant, alia verò post resurrectionem: veluti filius dei homo factus circa nos demonstrauit. Tradit ergo non quòd non habeat, sed quòd

iam nihil eorũ quæ dicta sunt circa illud amplius perficiat: A
*quia* etiam accepit, non ꝙ non haberet: habebat nanq; sicut & pater: sed ꝙ propriis laboribus, seditione ac tyrannide ipsum liberaturus esset. *Quum tradiderit regnum.* Quando hæc ô Paule? Quum tradiderit, inquit, regnũ, *Deo & patri.* Tradiderit, hoc est, strenuè confectũ in medium protulerit. Id autem erit quum deuicti fuerint dæmones ac desierint sua opera facere. Tunc enim Christus perfectè in nos regnabit, non iam diuisos deo & rectori mũdi: vt in his quidem deo, in illis autem affectibus pereamus. Quid ergo? regnum deo & patri tradet? vtiq;. Vult enim ostendere vnam sacrosanctę trinitatis esse mentem. Siquidẽ Christus, inquit, qui bellum B
transegit, nõ solus ipse, vt quispiã tyrannus regnum retinebit, sed & patri & spiritui, id quod efficitur operatur. *Deo & patri.* Eo ꝙ eius sit principiũ ita dixit, Diuus Cyrillus quar Oecum.
to aduersus Iulianum libro circa ipsum finẽ ita ait, Quum tradiderit regnũ, hoc est liberũ tãquam â tyranno discerptũ eripuerit, & adduxerit proprio genitori. *Quum aboleuerit omnem principatum.* Aboleuerit, hoc est deuicerit, cohibuerit. Grego. 2. li. de filio.
Etenim nunc operantur ac vim habent prauæ ac apostaticæ potestatis, tunc verò nequaquã vim exerent, in vltionem traditæ. Simile est quod ait Dauid, In vmbra alarũ tuarum spe rabo quousq; trãseat iniquitas: Tunc enim transibit, quãdo *Psal. 56.*
principatus ac potestates abolitę fuerint, & sine efficacia mãserint. Pater semper regnũ habuit hominum, imo etiã ange Oecu.
lorum, sed angelorũ quidem sine seditione, hominum verò plenum seditionibus, & ab affectionibus captiuũ, ac dæmo- C
num tẽtationibus tyrãnicè oppressum. At filius propria passione quã carni vnitus suscepit, omnẽ eneruauit tyrãnidem, ac maximè reddidit imbecillem, & captiuitatẽ humiliauit ac captiuum cepit. Attamen hominibus in vita torpẽtibus, tanquam scintillæ quædã vitiorum nostra negligẽtia redaccendũtur ac inflãmantur. Post finem verò sedatis quidem affectionibus, dæmonibus verò supplicio traditis, & iustis in paradiso absque vlla turbatione degentibus, tradit filius patri regnũ, vt quod tyrãnide omníque seditione purũ reddidit.

Nam oportet eum regnare donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Postremus hostis ab-

D olebitur mors. Nam omnia subiecit sub pedes illius. Atqui quum dicat quòd omnia subiecta sint, palàm est excipiendum eum qui subiecit ipsi omnia. Quum autem subiecta fuerint ipsi omnia, tunc & ipse filius subiicietur ei qui subiecit ipsi omnia, vt sit deus omnia in omnibus.

Regnare hoc loco nõ vulgari modo capitur, sed vt sit regnantis opera exercere, putà inimicos debellare, suis auxiliari, illos quidem euertere, hos verò liberare. *Donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos.* Post hæc enim nullo eorum quæ dicta sunt opus erit. Nam seditionibus regnũ deinceps
E carebit. Donec posuerit, non finem regni dicit, sed vt credibile faciat quod dictum est, & bonum addat animum, ac si dixisset, Quanquã audisti ô tu quisquis es ꝙ abolebit omnem principatum & omnem potestatem ac mortem ipsam, ne timeas quasi futurum esset vt ipse labore deficeret. Donec enim omnia fecerit, regnabit: non hoc dicens ꝙ postquam fecerit non regnabit. sed illud ostẽdens ꝙ licèt modò hęc non fiant, omnino tamen erũt. Vincit enim regnum eius, nec deficiet quousque omnia perficiat: vincens autem quousque omnia perficiat, multò magis vincet postquam perfecta fuerint. Et regni eius (inquit) non erit finis. Dictiones igitur
Luc.1. ἄχρι & ἕως donec & quousque, non tẽporis designant termi-
F num, sed idem significant quod Semper: veluti quum dicit.
Mat.28. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem: &, Sede à dextris meis donec posuero inimicos tuos:
Psal..109 &, Accepit vxorẽ suam, & nõ cognouit eam donec peperit.
Matth.1. Oportet enim eum semper regnare, & priusquam subiiciat inimicos sub pedes, & postquam subiecerit. Omnes autem inimicos dicit: hoc est dæmones, diabolũ, mortem ac incredulos. Conflictus autẽ quo mors deuincitur est ablatio mortuorum ab ipsa per resurrectionem. Oportet enim ipsum semper regnare: & hoc significat donec. Nam ponet inimicos sub pedes suos. Si ergo priusquã poneret regnabat, multò magis postquam posuerit. *Nam omnia subiecit sub pedes illius.* Quoniam dixit omnia fieri à filio, & regnum dirigi ac potestates aboleri, & omnia sub pedes poni, timuit ne fi-

lius patre maior reputaretur: & ita deinceps omnia ad patrē A
reducit dicens: Omnia ſubiecit ſub pedes illius : oſtendens
inde potentiam adeſſe filio, nempe à ſempiterno principio.
*Atqui quum dicat*, puta Dauid . Nam dicit ille quòd omnia
ſubiecit pater ſub pedes ipſius , oues & boues vniuerſas : à
quo etiā ſumit teſtimonium. Conſidera verò quomodo manifeſtum
ſit ipſum id habuiſſe timoris, ne filius patre maior
putaretur, quoniam rurſum idem ſtabiliuit. Et iuſtus ſanè
timor erat. Siquidem viris ſcribebat qui ex Græcis crediderant:
qui Iouem opinantur in proprium patrem inſurrexiſſe,
eúmq; regno expuliſſe. Neceſſe ergo fuit ne quid huiuſmodi
factum apud nos ſuſpicarentur. *Tunc & ipſe filius* Pho.
*ſubiicietur ei qui ſubiecit ipſi omnia.* Hoc eſt tunc verè ac diui- B
no modo ſubiectus oſtenditur, quia paternam cōpleuit voluntatem,
exhibens regnum ab omni ſeditione ac tyrannide
liberatum. ALIO modo. Deinde ne quis dicat, quòd licèt
ſubiectus non ſit pater, nihil vetat filium eſſe maiorem, addit
hæc, vnanimitatem ac concordiam oſtendens, & ꝙ pater
origo & principium ſit bonorum, qui filium tam potentem
genuerit. Audiēs autem ſubiectionem, diuino modo accipe
quod dictum eſt, non ſeruitutem aliquam aut ſubiectionem
inuoluntariam, ſed ſicut decet filium deum patri deo ſubiectum
eſſe, tanquam honorantem principium : deinde vt acceſſu
dictionis Subiectio , intelligantur impia eſſe dogmata
quæ filium maiorem eſſe proponunt. *Vt ſit deus omnia in o-* C
*mnibus.* Malorum extinctionem per hæc deſignat. Nam vbi
peccatum deletum fuerit , planum eſt ꝙ tunc erit deus omnia
in omnibus, quum non amplius diuidemur, partem deo
tribuētes, partem affectibus. Alij verò ita interpretati ſunt.
Futurum eſt, inquit, vt omnia ad patrē reducantur tanquam
ad principiū, ne duos principatus inter ſe diſsidentes ſuſpiceris.
Nam quando inimici ſub pedibus filij ſubſtrati iacēt,
filius verò nō diſsidet aduerſus patrem, ſed ſicut decens eſt
filio deo, ſubiectus eſt proprio patri, vtique pater eſt omnia
in omnibus. Propria enim ducit quæ filij ſunt tanquam pater:
& quicquid poteſt filius, ad patrem refert. Nam hic ipſi Oecum.
principiū eſt vt poſsit qui eū ſine tēpore generauit. Si diui- Baſilij.
no modo filius patri ſubiicietur, ab initio ſubiectus eſt, ex
eo tēpore quo & deus erat: ꝙ ſi non ſubiectus eſt ſed ſubii-

D cietur, humano modo id fiet pro nobis, & non pro seipso.

Alioqui quid facient hi qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Cur etiam baptizantur pro mortuis? Quid & nos periclitamur omni hora? Indies morior, per vestrã gloriationem quã habeo in Christo Iesu domino nostro. Si secundum hominem cum feris depugnaui Ephesi, quæ mihi vtilitas, si mortui nõ resurgũt? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne seducamini: Corrumpunt mores bonos consortia mala.

E Ad sermonem de resurrectione redit: & ait, Si resurrectio non est, qui baptizantur pro mortuis quid facient? hoc est, tanquam pro his qui non resurgũt. Manifestum enim est quod in resurrectionem mortuorũ credentes baptizamur. acsi diceret, Quid facient qui pro mortuis quidem tãquam resurgentibus & crediderunt, & baptizati sunt, falsi autem spe aliud quippiã inuenerũt præter ea quæ expectant? quantum, inquit, dolebunt ac deplorabunt, fidémq; in Christum tanquam mendacem conuitiis lacessent? hoc significat, Quid facient: nempe hęc faciẽt quę dixi. Vides quò rem deduxerit, Alioqui quid facient qui baptizãtur, ne semper mortui sint, & apud inferos detineantur? hoc est, si non sit resurrectio, quid facient ij qui ob huiusmodi spem baptizãtur, quò post mortem resuscitentur? *Si omnino mortui non resurgunt.* Si mortui omnino non excitantur, quare etiam baptizantur vt resuscitentur. Ipse tamen maiori cum increpatione dicit, Pro mortuis: hoc est, quos vos propria opinione perpetuò mortuos asseritis: mortuos verò & alios & vosipsos enuntiantes, perpetuò esse mortuos: Cur pro vobis baptizamini quũ iuxta vestram sentẽtiam nunquam sitis resurrecturi, sed mortui semper futuri? Sub aliis autem personis deducit sermonem, & non sub illis ipsis, ne nimis acriter eos obiurgans, prouocet eos ad desperationem. *Quid & nos periclitamur omni hora?* Si resurrectio omnino non erit, inquit, cur nos apostoli semper in periculis versamur. Nam ☨ καθ' ἡμέραν significat ἀεὶ, hoc est, semper. Maxima verò resurrectionis erat assertio, conspicere apostolos ad mortẽ vsq; in periculis versan-

Pho. [margin, beside "nempe hęc faciẽt"]

F [margin, beside "tem resuscitentur"]

☨ *Opinor legendum* πᾶσαν ὥραν. *i. omni hora.*

tes. *Indies morior.* promptitudine & parato ad mortem animo: Vel quantũ ad illatas afflictiones & tẽtationes, ac quotidiana mortis expectatione. *Per uestram gloriationem.* Aut iurat, quasi diceret μὰ. i. per vestram gloriationem: aut propter vestri gloriationẽ, siue quam de vobis habeo, morior. Dicit autem ipsorum fœlicitatem ac promotionem: gloriatio enim est præceptori discipulorũ incremẽtum. *Quam habeo in Christo Iesu.* Quoniam rem magnã dixit, ipsi Christo eam attribuit: propter vestri, inquit, promotionem quam habeo per Iesum Christũ. *Si secundum hominem cum feris depugnaui.* Quod ad homines, inquit, attinet, ego cum feris depugnaui, id est, quantũ mihi erat possibile: sed quę mihi inde vtilitas, si non sit resurrectio? Aut hoc modo, Si nõ propter futurã spem & retributionẽ cum feris depugnaui, sed ob humanã gloriam, quid mihi profuit? Vocat autẽ cum feris pugnare, cõtrouersiam quam habuit cum Iudæis & cum Demetrio fabro argentario: quantũ enim hi à feris differebant. *Si mortui non resurgũt.* Si mortui non resuscitãtur, nec erit retributio bonorũ & malorum: oportet edere & bibere prius quàm mors prœoccupet, quãdo hęc sola lucrifacimus. Hoc verbum est insipientiam obiurgantis eorum qui dicũt non esse resurrectionem. *Ne seducamini.* Absolutis rationibus quæ ad absurdum deducebant, venit ad admonitionẽ: clàm etiam tanquam insipientes redarguens: nam hoc indicat, Ne seducamini. *Corrumpunt mores bonos consortia mala.* Laconicum vetúsq; prouerbium est. Huius meminit & Iesaias: Ait enim & ipse quòd bonos mores continua prauorũ consortia corrũpunt: Siquidem continua gutta cauat lapidem. Et propterea adhortatur ipsos vt deuitent prauorum consortia: nec sibi fidãt ꝙ quum boni sint, nihil sibi possunt accersere damni, continuè apud illos cõuersando, quum inde sensim ac paulatim pernitie impleantur. Aut χρηςὰ ἤθη, id est, placidos mores collaudando appellat, qui facilè seduci possunt, significans quòd alij ipsos ad hæc retrahunt.

A (margin, line 1) · Pho. (margin, line 4) · B (margin) · Acto. 19. (margin) · Pho. (margin) · C (margin)

Sobrii estote, & ne peccetis: nam ignorationẽ dei nonnulli habent: ad pudorẽ vobis loquor. At dicet aliquis, Quomodo suscitãtur mortui? quali autem corpore veniũt? Stulte tu, quod seminas nõ viuifi-

D catur, nisi mortuũ fuerit. Et hoc quod ſeminas, non corpus quod naſcetur ſeminas, ſed nudũ granũ, putà tritici, aut alicuius è cæteris: ſed deus dat illi corpus vt voluit, & vnicuique ſeminum ſuum corpus.

*Sobrij estote.* Tanquam ad ebrios dicitur. *Iuſtè* verò, id eſt, vtiliter: contingit enim & iniuſtè ſobrium eſſe, putà ad malum. *Et ne peccetis.* Nam hinc etiam prouenit vt reſurrectionem non credatis. Siquidem qui malorum ſibi cõſcii ſunt, non credũt eſſe reſurrectionem, quòd tales illos ſequi oporteat retributiones: qualia ſunt ea in quibus deliquerũt. Propterea inquit, ne peccetis, vt reſurrectionem credatis.
E Ignorationem, ait, dei habẽt ij qui non credũt reſurrectionem: non enim cognoſcunt dei potentiam, Non dixit autem Habetis, ſed Nonnulli habent: hac dictione tollens accuſationem. *Ad pudorem uobis loquor.* Quoniam in multis eos obiurgauerat, conſolatur ipſos. Ad pudorem, inquit, vobis loquor: non quòd vos deſpiciam, ſed quo pudefacti incredulitatem de reſurrectione abiiciatis. *At dicet aliquis.* Non ait, Vos dicitis, vt ſermo inuidia careat, tanquam alij eſſent qui non crederent. Deinde duo quæ eis dubia videbantur, quaſi facta obiectione ſoluit. Dubitabãt enim quonam modo ſuſcitaretur corpus quod ſemel diſſolutum erat: & quali corpore reſuſcitarẽtur, vtrum hoc eodem, an alio quodam. Hæc itaque duo eis diſſoluit per exẽplum grani. *Stulte.* A
F manifeſto exẽplo format ſolutionem: ideo quoque ſtultos vocat, vt qui adeò manifeſta ignorent. Tu, inquit, quod ſeminas, qui corruptibilis es, non viuificatur, niſi mortuũ fuerit: quid ergo de deo hæſitas? Non viuificatur, ait. Vide autem quòd dictionibus ſit vſus, non quæ ſeminibus, ſed quæ corporibus aptæ ſint. *Niſi mortuum fuerit.* Conſidera verò quo modo ſermonem in contrariũ conuertit. Illis enim dubiũ videbatur quo pacto poſt mortẽ excitaremur. ipſe verò e diuerſo: Ob id, inquit, excitamur quoniam morimur: tanquam non detur alioqui viuificari niſi mors præceſſerit. Nã hoc manifeſtat exemplum de tritico cetæríſque ſeminibus.
Pho. Et conſidera, vna interim ſolutio eſt quòd mortui excitantur. *Tu quod ſeminas non uiuificatur, niſi mortuum fuerit.* Si ergo id quod tu ſeminas, & ſepulchro quodãmodo occultas ac

mortificas, deus resuscitat, & dat suum corpus, quũ iam putrefactum esset ac dissolutum, dátque sicut voluit, nẽpe decentiùs ac pulchriùs: nóne ergo illud quod ipsemet propria sententia in terram, ac sepulchrum iussit reponi & mori, facilius ipsi erit rursum viuificare ac resuscitare, quum voluerit ac decreuerit? *Et hoc quod seminas, nõ corpus*. Diximus antea in enarratione illius particulæ, At dicet aliquis, Quomodo suscitantur mortui, quali autem corpore veniunt, ꝙ illi in duobus hæsitabant circa resurrectionem: nempe vtrum iam omnino dissoluti suscitentur, & quali corpore suscitẽtur. In superioribus itaq; demonstrationem posuit ꝙ suscitentur, quum diceret, Tu quod seminas non viuificatur, nisi mortuum fuerit. Ecce nunc & altera demonstratio. Ostendit enim quòd idem quidem corpus, hoc est, quod eiusdem est substantiæ, suscitatur (nam hoc significat, Deus autẽ dat illi suum corpus) verùm splendidiùs ac ornatiùs: quemadmodum sanè magis decora est spica nudo grano: neq; enim seminat ipsam spicam, sed nudum granum. Deus autem dat illi corpus. Si ergo deus det corp⁹, quid adhuc curiosẽ scrutaris quali corpore suscitemur, ac de resurrectione diffidis? Nam deus corpus quidem quod dissolutum est suscitat, sed decentiùs, sed spiritualiùs. Siquidem in seminibus quoque idem est inuenire, quod decentiùs surgit, quàm proiectum erat. *Et unicuique seminum suum corpus*. Hoc hęreticorum obturat ora, dicentium non suscitari idem corpus in resurrectione, sed aliud.

Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem caro hominum, alia autem pecorum, alia verò piscium, alia autem volucrum. Et sunt corpora cælestia, & sunt corpora terrestria. Verùm alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium: alia gloria Solis, alia gloria Lunę, & alia gloria stellarum. Stella siquidem à stella differt in gloria.

Deinde ne audito de frumento exemplo, opineris ꝙ sicut in eo omnes spicæ in eodem ascendunt honore, ita & in resurrectione omnes in eodem futuri sint honore, vult ostendere futuram inter eos qui resurgent diuersitatem. *Non o-*

D *mnis caro eadem*, ſed eſt diuerſitas: & interim de peccatoribus loquitur. Nam inter ipſos quoque eſt diuerſitas ſupplicij. Vnde ait, Alia quidem hominum caro, alia verò pecorũ & piſcium, hoc modo differentiam quę ibi eſt ſignificans, & tanquam exemplo vſus eſt hoc ſermone, acſi dixiſſet: Quẽadmodum hic differentia eſt hominum, & pecorum, ac piſcium, ita erit & ibi differentia inter ipſos quoque peccatores in ſuppliciis. *Sed alia quidẽ hominum gloria.* Vniuerſa hæc differẽtia, de peccatoribus ab eo dicta eſt: Nam de iuſtis ibi facit differentiam, vbi cæleſtia recenſet corpora. *Et ſunt corpora cæleſtia.* Denique num ad differentiam peccatorum dũtaxat reſurrectio? nequaquam. Sunt enim & corpora cæleſtia, id eſt, iuſtorum, abũdantia luce paracleti: ſunt autem &
E terreſtria ſanè, hoc eſt, peccatorum, inſignita ſenſibus terrenis, nempe pecorum aut volucrum. Sed alia eſt, inquit, gloria cæleſtium, alia verò terreſtrium, non gloria: Peccatorum enim non erit gloria: Nam in eo quod dicitur alia eſſe gloria iuſtorum, & alia peccatorum, non ſubaudies Gloria, ſed Vita, aut Conuerſatio. Deinde dicit & iuſtorum differentiã, ſicut videlicet paulò antè dixit peccatorum. Quemadmodum enim vniuerſa corpora cæleſtia, omnia quidem ſplendida ſunt ac perſpicua: eſt tamen in ipſis etiam differẽtia inter Solem, Lunã, ac ſtellas: ita & iuſti habebunt inter ſe mutuò differentiam. Vide autem quàm ſcitè per modum exempli tota ſententiæ intelligentia vſus ſit. De gloria verò iuſtorum ac peccatorum non per comparationem fecit, ſed o-
F ſtendens peccatorum non eſſe gloriam.

Ita & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſuſcitatur in incorruptibilitate: ſeminatur in ignominia, ſuſcitatur in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſuſcitatur in potẽtia: ſeminatur corp⁹ animale, ſuſcitatur corp⁹ ſpirituale. Eſt corp⁹ animale, eſt
*Gen.2.* & corpus ſpirituale. Ita quoq; ſcriptũ eſt, Factus eſt primus homo Adã in animã viuẽtem, extremus Adam in ſpiritum viuificantẽ. At non primùm quod ſpirituale, ſed quod animale, deĩde quod ſpirituale.

*Ita & reſurrectio.* Ita, quomodo? in magna varietate, quẽ-

admodum etiam manifestarunt adducta exempla. *Seminatur in corruptione.* In superioribus loqués de seminibus vsus est dictionibus quæ corporibus aptantur: vt quum diceret, Nõ viuificatur nisi mortuũ fuerit: nunc autem de corporibus loquens, vtitur dictionibus quæ aptantur seminibus dicens, Seminatur in corruptione. Hoc autem vbique facit, exemplis adaptans sermonem de resurrectione. Semen autem dicit nunc, non quod in vtero est, sed depositionem corporum mortuorum in terra, acsi diceret, Abiicitur in terra corpus mortuum in corruptionem, hoc est, vt corrumpatur. Bene autem dicit, Suscitatur, & non Producitur, ne terræ operationẽ esse existimes. *Seminatur in ignominia.* Quid enim dif- A
fluente cadauere deformius? sed suscitatur in gloria incorruptionis. *Seminatur in infirmitate.* Siquidem non potest caro, vel ad quinque dies resistere corruptioni: sed suscitatur in potentia incorruptionis & immortalitatis, quæ deinceps à nulla corruptione posit superari. *Seminatur corpus animale.* Corpus dicit animale, in quo anima dominium habet ac præsidentiam: spirituale verò, quod spiritus sancti operatione locupletatur. Quid igitur? diceret aliquis, an non etiã nunc in quibusdam operatur spiritus? Vtique, sed nunc quidem ob vitæ mutationem sæpius quoque auolat, tunc verò semper adest. Aut animale dicit terrenum ac graue, spirituale verò subtile ac leue. B

Pho. Corpus animale si quis consequenter ad ea quæ prædicta sunt hæc accipere velit, illud nunc simpliciter dictum esse opinor mortale hominis corpus: nã hoc & in corruptione, & in ignominia & in infirmitate seminatur, ac sepelitur in terra, hoc ergo mortale corpus animale est, quia animalibus subseruit affectionibus. Nemo enim à sorde purus est, ne si vnus quidem dies sit vita eius. Siquidem quotquot etiam sunt actiones corporales, fontẽ ac originẽ habent ab anima, vt meritò corpus hominis mortale, dicatur animale. Seminatur ergo mortale, suscitatur autem immortale, quod est spirituale: spirituale autem, quia iã non subseruiẽt animalibus affectibus, neque iustorum, imò neque peccatorum corpora. Magis itaque tunc magna, etsi insensata pœnitudine ducẽtur ob ea quibus obsequuti sunt. Quoniam verò dixit sæpius Seminatur, & similiter Suscitatur: non dixit autem quid sit quod seminatur aut suscita- C Iob 25.

D tur:idcirco post hoc etiam id subiunxit dicens, Seminatur corpus animale, quod dixi in corruptione & ignominia, & infirmitate seminari: sed suscitatur corpus spirituale, quod in incorruptione & gloria, ac potẽtia suscitabitur. Ex ꝓpria enim ratione quod immortale est, & gloriosum & honoratum, ac incorruptibile est: quanquam peccatoribus propter suam nequitiam occasio sit turpitudinis & ignominiæ. *Est corpus animale.* Ne dicat aliquis, Vnde nobis varia inducis corpora, & dicis animale ac spirituale? ait, Est corpus animale, & est corpus spirituale. Itaque non ego, inquit, propria autoritate & imaginatione hæc dico, sed iam ante nos quoque dicta sunt. Et vnde hoc manifestum est? ait, Ita scriptum

Gen.2. est: Primus homo Adam factus est in animam viuẽtem: itaq;

E est corpus animale. Deinde extremus homo in spiritum viuificantem: itaque est & corpus spirituale, quod quadret ac respondeat viuificanti spiritui. Sed vnde hoc manifestũ est? quia secundus homo in spiritum viuificantem. Vnde id constat? ex ipsa rerum operatione. Præterea autem & hoc quoq;

Iohan.6. scriptum est. Verba enim quæ ego loquor vobis, inquit, spiritus & vita sunt. In spiritum igitur viuificant audientes sibique obtemperantes: ꝙ si hoc est, manifestum ꝙ etiam hi spirituale corpus habebunt in resurrectione, quod amplius verti non possit in animale, sicut cõtingit interdum his qui in vita sunt. *Factus est primus homo Adam in animam uiuentem.* Nec diffidas, inquit, quin nostra corpora nunc animalia futura sint spiritualia: iam enim huius nunc demonstrationes

F habemus. Nam Adam animale habebat corpus, Christus verò spirituale habuit corpus, quod totam spiritus sancti suscepit præsentiam: idque manifestat manens super ipsum co-

Iohan.1. lũba. Quatenus enim dominus, & est, & intelligitur esse homo, habuit paracleti operationem: atqui suus ac proprius erat spiritus, quatenus est ac intelligitur esse deus. Animaduerte autem & spiritum esse viuificantem: qúmque expeteret sermonis consequutio, vt diceret In spiritum viuentem, sicut de animali dixerat, In animam viuentem, ipse dixit Viuificantem. Corpus dicitur spirituale, non subtile aut aereum, veluti dicunt quidam, nempe ꝙ animæ tale corpus accipient in resurrectione, quorum vnus Origenes: sed spirituale dicitur, quod omnem percipit spiritus sancti

operationem ac participationem: quemadmodum vas appellatur vinarium, aut olearium, quod illa in se recipit. Pariformiter ergo & animale vocauit, quod per animam & non per spiritũ inhabitatur. ALIO MODO. Corpus vocatur spirituale, quia deinceps corruptionis ponderibus subiectum non erit, sed incorruptione & gloria ornatum. Eadem ergo caro cum eadem figura resurgit, sensum gerẽs non amplius subiectũ affectionibus, sed spiritus operationibus, vt quæ ad gloriosiorem ac sublimiorem transierit constitutionem, vt dictum est: cõsumpta vili corruptione à splendore incorruptionis. *Extremus Adam in spiritum uiuificantem.* Hoc scriptum non est, sed quod consequitur: dicit tanquam scriptũ esset. *At non primùm quod spirituale.* Sed non prius factum est spirituale, sed animale. Nam casus ac transgresio animalis occasio fuit incarnationis, vtque corpori vniretur deus verbum, quod etiam dicit spirituale.

A

B

Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse dominus de cælo. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem cælestis. Hoc autẽ dico, fratres, quòd caro & sanguis regni dei hæreditatem consequi nõ possunt, neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit.

Expleto de resurrectione sermone, ad exhortationem venit, vt studiosè conuersentur, & ait, Adam ex terra erat, ideo & terrenus erat, hoc est, grauis. Secundus verò Adam ipse dominus de cælo: nam cælestis erat deus verbum. Quãquam enim corpus ipsius eiusdem erat nobiscum substantiæ, à præstantiori tamen, nempe diuinitate dicit ipsum cæleste. ALIO modo. Primus homo terrenus erat, nõ quòd è terra productus sit (ita enim omnes terreni sunt, & præterea nullus accusari posset, quòd è terra productus esset) sed de terra dicit, hoc est, terrenus ac carnalis, & terrena sapiens. Secundus verò sublimis totus ac cælestis, nullaq; terrenorũ nota grauatus. Qualis igitur erat is qui seipsum per ea quæ agebat ac sentiebat, terrenum reddidit: tales erunt C

D & qui ad ipſius imitationem viuunt, hoc eſt, terreni, & omnibus his obnoxij affectionibus, quibus veriſimile eſt affectos eſſe illos, qui terræ ſeipſos affixerunt. Et qualis erat is qui ſuam in terra conuerſationem ſublimem & cæleſtem puramque inſtituit, tales erunt & qui ad imitationem cæleſtis illius inſtituti, quantùm hominibus poſsibile eſt, conuerſati fuerint, hoc eſt, cæleſtes erunt, & fruētur dignis ſe præmiis. *Qualis terrenus, tales & terreni.* Qualis, inquit, terrenus Adam, tales erunt omnes terreni, hoc eſt, qui toti ſunt ipſius terræ & ei adhærentes, morte intellectuali quæ propter peccatum eſt, moriuntur. Christi autem imitatores iuxta Paulũ erũt vt cæleſtis ille, quatenus hominibus conceſſum eſt. Scimus enim, aiunt catholicæ epiſtolæ, ꝙ ſi apparuerit, ſimiles
1.Ioh.3. ei erimus. *Et quemadmodum geſtauimus*. hoc eſt, ſicut praua o-
E perati ſumus, nã illa ſunt imago terreni: geſtabimus & imaginem cæleſtis Chriſti: hoc eſt, bona operantes, eiúſque facti imitatores quantum conceditur: quemadmodum & ipſe
Sup.11. alibi dicit, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. *Ima-*
Gen.3. *ginem terreni.* Imago terreni Adã eſt illud, Terra es, & in terrã reuerteris. Imago cæleſtis Chriſti eſt reſurrectio ex mortuis & incorruptio. Ita habet diuus Methodius libro de reſurrectione, *Geſtabimus & imaginem cæleſtis.* Si legatur φορέσομεν, id eſt, geſtabimus, vt per ο breue ſcribendum ſit, vaticinium eſt ſumptum ex conſequentia eius quod futurum eſt, ſimúlque vim explet & aſſertionis: hoc eſt, Geſtabimus omnino imaginem cæleſtis, ſicut geſtauimus imaginem ter-
F reni. Et eſſe poterit, imago quidem terreni, mors: imago verò cæleſtis, reſurrectio ac incorruptio. Effigiatur enim Adã per mortem. Siquidem ipſe quoque primus fuit aliis moriendi principium. Rurſúmque dominus Chriſtus per reſurrectionem & incorruptionẽ effigiatur. Nam & ipſe primus in carne ſurrexit deuicta morte, & vniuerſo hominum generi reſurrectionem ſtabiliuit. Si verò φορέσωμεν, id eſt, geſtemus, per ω magnum ſcribendum ſit, adhortatio eſt & conſilium ad virtutem ac diuinam conuerſationem. Geſtemus, inquit, ſiue induamus imaginem cæleſtis, vt cæleſtis regni hęreditatem accipiamus. Et nũc eſſe poterit, imago quidem terreni quæ ſumitur, prauæ actiones deprimentes ad terrenas & carnales affectiones: Hæc enim figurant ac deſignant pecca-

peccatorem, qui terrenus est: imago verò cælestis, excelsum ac sublime quòd in conuersatione est, & acquisitio cælestiũ virtutum. Dicit ergo simul etiam adhortans, Gestemus imaginem illius cælestis, acquiramus conuersationem, quæ nos ad cælum subleuet: Vtrum enim non erubescitis, neque occultamini, quòd terreni quidem illius imaginẽ prompto animo gestauerimus, quanquam nos deorsum traheret atque regno dei indignos exhiberet: ad imaginẽ autem illius cęlestis adhuc cũctemur, ac differamus? Studeamus ac festinemus hãc induere, hãc æmulari cęlestẽ conuersationẽ: neque enim alio modo contingit nancisci regnum cæleste. *Hoc autem dico fratres.* Propterea, inquit, hæc dixi, vt discatis quòd caro & sanguis, hoc est, prauæ actiones, nõ possunt regni dei cõsequi hæreditatem. Id etiam quod ait, Hoc autem dico fratres, ad variam accipietur interpretationẽ eius quod præcessit, Quemadmodum gestauimus imaginem terreni, gestabimus siue gestemus imaginem cælestis. Aut enim exhortationis siue consilij caussa erit, vt sit sensus: Propterea vos admoneo ac suadeo ad hęc facienda, vt regni cęlestis hæreditatẽ accipiatis: quoniam carnales & qui suos affectus sequuntur, regni dei hæreditatẽ non accipient. Neq; enim naturale aut consentaneum est, vt qui seipsum corrupit, aut contaminauit immunditiis, eorum præmia hæreditate possideat, qui affectionibus carent, aut ab eis corrupti non sunt. Si verò hoc acceperimus, vt rationem interpretationis datæ per modum docendi, nempe quòd omnino erit resurrectio, etiam hoc modo magnam habebit consequentiam. Rationabilius enim est, vt, Hoc autẽ dico, resurrectionem adstruat: Illud verò Hæreditatem cõsequi nõ possunt, in latiorem sermonem sumatur. Id quod moritur, hæreditario iure possidetur: quod autẽ viuit, possidet: corpus itaq; quod moritur, non possidet incorruptionem, ac regnũ cęlorum: sed ipsum ab his possidetur, vt fiat incorruptibile regnique susceptiuum. *Neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipiet.* Corruptionem dicit vitium, tãquam corrumpens animæ generositatem. Nequaquam ergo corruptio hęreditatem incorruptibiliũ accipiet, ac bonorum regni quæ semper eodem modo conseruantur.

A B Pho. C

Ecce mysterium vobis dico, Non omnes qui-

D dem dormiemus, omnes tamen immutabimur: in puncto temporis, in momento oculi, in extrema tuba. Canet enim, & mortui suscitabũtur incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Quod arcanum est dicit. Ostendit autem quem erga ipsos gerat amorem, reuelando eis quæ occulta sunt. Non omnes quidem dormiemus. Ne ob hoc, inquit, de resurrectione diffidas, quòd moriendum sit, corpúsque dissoluendum:
E nonnulli enim tunc reperientur, qui ne moriantur quidem, attamen hoc nõ satis erit illis ad resurrectionem, nisi immutentur, & ad immutabilitatem transeant. Et quemadmodum nihil illis confert ad resurrectionem non mori, ita neque nobis nocebit mori. Alij verò aiunt illum dixisse non dormiemus, de longa morte, quasi corruptione ac dissolutione opus esset. Siquidem indiuisibili siue puncto temporis, & in momento oculi siue nictu & motu subitóque impetu, & mori, & resurgere, ne dormitionem quidem esse dicunt. *In puncto temporis in momento oculi.* An ne etiam hoc modo intelligere licebit? sed pauca ante intellectũ narranda sunt. Euangelista Iohannes ait in Apocalypsi finem hominibus non simul omnibus induci, sed dei misericordia paulatim ac pedetentim: vt prioribus pereũtibus, qui relinquuntur, timore prius consumptorũ ad resipiscentiã veniant. Loquitur autẽ hoc dogma de solutione septimi sigilli libri. Quę quũ ita se habeant, intelliges quod dicitur, in puncto temporis & in momẽto oculi, cõmuni modo dictũ esse & ad duo aptari siue referri, vt sit hic sensus: Nõ omnes quidẽ dormiemus siue moriemur in puncto tẽporis, in momẽto oculi, eo ꝙ sensim inducatur mors iuxta verbũ Apocalypsis: omnes tamen immutabimur in pũcto tẽporis, in momẽto oculi, in extrema tuba. Primę siquidem tubę quũ septẽ essent iuxta Apocalypsim, nõ suscitãt mortuos, sed cõficiũt ac interimũt homines: extrema verò tuba suscitabit, ac immutabit eos qui iã resurrexerint in puncto temporis, & in momento oculi vnà cum creatura. Nam & creatura immutabitur à corruptione in

Apo.6.8.9.10.11.

F

libertatem gloriæ filiorũ dei, ficut in epiſtola ad Romanos dixit. *In puncto temporis.* Rem etiam admirandam dixit, ꝙ tãta miracula in imperceptibili erunt tempore ſimul cũ ſono tubæ. Interrogatio. † Quoniã iuxta quędã exẽplaria, habentur hęc Apoſtoli verba. Omnes quidem dormiemus, at nõ omnes immutabimur: ſecundũ nõnulla verò: Nõ omnes quidẽ dormiemus, omnes tamen immutabimur: precor doceri vtrã editionũ eligere oporteat, & quid per hæc ſignificetur. Reſponſio. Opinor ꝙ iuxta vtrãq; editionem, quãdoquidem vetera quoq; exemplaria vtrãq; continẽt, ſi quis piè accipiat non excidet ab intentione Apoſtoli. Itaq; iuxta illud quidem. Omnes dormiemus, at non omnes immutabimur, ita intelligere oportet, quòd omnes ſanè per mortem dormitionem, ac ſomnum tolerabimus: at nõ omnes ad gloriam ac libertatem immutabimur: quod ipſe Apoſtolus alibi ponit, dicens apertius: Si tamẽ veſtiti nõ nudi inueniemur. Iuxta hoc verò Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, hoc modo oportet accipere, quòd non dormiemus ſanè diuturna dormitione, vt opus ſit ſepulchro ac ſolutione ad corruptionẽ, ſed breuẽ mortẽ ſuſtinebunt qui tũc reperientur: quibus nõ erit opus diuturna dormitione propter factã ſubitò reſurrectionem, omnes tamen immutabuntur, hoc eſt, induent incorruptionẽ. *Canet enim.* Deinde fide dignum oſtendens id quod de his quæ fient dictum eſt, ait: Canet enim tuba illa tremenda, & mortui reſurgent, immutati videlicet & incorrupti & nos, hoc eſt qui ad id tempus relinquimur viuentes: nam de illis & non de ſeipſo dicit: & nos igitur immutabimur. In his enim non erit ſuſcitatio: quum non dormierint, ſed tantùm immutatio. Mortui quidem qui antea mortui fuerant, ſuſcitabuntur incorrupti, at ij qui tunc viuent quomodo ſuſcitabuntur? ſolum veIut in momento immutabuntur ad immortalitatem. *Oportet enim corruptibile hoc.* Interpretatus eſt quid ſibi velit immutatio. Immutari, inquit, à corruptibili ad incorruptibilitatem, & à mortali ad immortalitatem.

A
Roma. 8.
† Vide de hoc Hieronymũ epiſtola ad Mineriũ. & ad Alexandrum de reſurrectione carnis.
B
2. Cor. 5
C

Quum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, tũc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors

D ad victoriam, vbi tuus ô mors aculeus? vbi tua ô inferne victoria? Aculeus autẽ mortis peccatũ, potẽ-
Osee. 13. tia verò peccati lex. Deo autẽ sit gratia qui dedit nobis victoriã per dominum nostrum Iesum Christũ.

Quũ igitur hæc facta fuerint, inquit, tunc scriptura Osee cõplebitur. Quoniam enim admirãda vereq; mysteria dixit, cõsequenter etiam scripturæ testimonio sermonem confirmat. Apsorpta est mors ad victoriã, id est, finẽ, hoc est periit, disparuit, neq; spes reuersiõis ipsi relicta est. Quoniã mortẽ absorberi cõtingit ad mortem eorum qui deuorant, sicut & venenũ deuorari contingit ad perniciẽ similiter eorũ qui
E vtuntur: ideo subiunxit, Ad victoriã, hoc est nõ vt perimat deuorãtem, sed vt ipsa aboleatur, ac fortissimè deuincatur, vt deinceps ne vestigiũ quidẽ pugnæ, aut vmbra turbationis relinquatur. Præterea, Absorberi per cõpositionem prępositionis dictũ, vehementem significat ipsius perditionẽ: tota, inquit, absorpta est ad victoriam, vt nihil eius amplius derelinquatur. *Vbi tuus ô mors aculeus.* Tanquam videns ea quæ fiunt & tanquam adiacentem humi mortem accedit, ac aduersus eã gloriatur dicẽs, vbi tuus aculeus? vbi ô mors & inferne vestra quæ aduersus omnes erat victoria? periit, disparuit, finem habet. *Aculeus autem mortis peccatum.* Nam
F per hoc fortis est mors, tãquam hac potentia & aculeo vtẽs. Quẽadmodũ enim scorpius, ipse quidẽ vile animalculũ est, attamẽ vim habet in aculeo: ita & mors absq; peccato nullã haberet energiam, nec posset subsistere. *Potentia verò peccati lex.* Quomodo peccati robur est lex? Quia sine lege imbecille esset peccatũ, quod ex ignorantia fieret: lex verò ipsum manifestando, magis nos cõdemnauit, & efficaciã ac robur aduersum nos addidit, non ex sua natura, sed ex nostra prauitate. Ne igitur dubites ô homo de resurrectione, quũ videas mortis aculeum nempe peccatũ esse sublatũ, ac peccati robur, putà legem, esse solutũ. Peccato enim sublato, videlicet mortis aculeo per crucẽ Christi, manifestum est ꝙ & mors simul sublata fit. *Deo autem sit gratia qui dedit nobis victoriam.* Christus, inquit, tropheũ erexit, nos verò coronarum socij sumus. Gratia verò sit patri, ꝙ filium generauerit, qui tanta nobis præstitit. ALIO modo. Quoniã legem dixit

peccati potentiam, ne putarent aliqui legē tanquam prauam cessasse, & legislatorem calumniarētur, subiungit: Deo autē sit gratia : hoc est legislatori autē deo & patri domini nostri Iesu Christi sit gratia. Ipse enim & legem temporibus suis vtilem dedit : & quum nos hac ad peccati robur abusi essemus, ac peccatum cōfirmassemus, rursum ipse per filium suū dominum nostrum Iesum Christū dedit nobis aduersus ipsum peccatum certum robur, ac indubitatam victoriam. A

Itaque fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere domini semper, scientes ꝙ labor vester non sit inanis in domino.

Quoniam ergo hæc, inquit, ita se habere nostis, & esse resurrectionem, ac bonorum & malorū retributionem, state: nam fluctuabāt circa resurrectionis mysterium, vitámque negligebāt, tanquam nō esset resurrectio. Deinde ait etiam, Abundantes in opere domini : non solùm in eo operantes, verumetiā abundantes bonis actionibus. *Labor uester non sit inanis in domino*, quo nūc, inquit, laboratis, sed eius erit retributio à deo. Quod autē dicit In domino, intellige, vel labor qui est in domino: vel, à domino nō habebitur labor inanis. B

Cæterùm de collectione in sanctos, quemadmodum præcepi ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. In vno sabbathorum vnusquisque apud se seponat, recondens quicquid commodum fuerit: ne quum venero, tunc collectiones fiant. Vbi autem venero, quoscunque probaueritis per epistolas hos mittam, vt perferant gratiam vestram Ierosolyma. Quòd si dignum fuerit, vt etiam ipse proficiscar, mecum proficiscentur. Cap. 16. C

Expleto de dogmatibus sermone, ad virtutum summā venit, nempe eleemosynā, λογίας autem dicit Collectionē, rem in exordiis leuem faciens: quod enim ab vniuersis in vnum conferebatur, singulis leue erat. Deinde ad æmulationē eos ducit, narratione eorum quæ ab aliis rectè acta erant: ait enim: Quemadmodum Galatæ fecerunt. Vide autem quomodo ostendat rei necessitatem. *Quemadmodum*, inquit, *præcepi.*

D Neq; enim dicit Admonui, aut Suasi, per iussum cum autoritate significans ineuitabilem rei necessitatem. *In uno sabbathorum.* Vnum sabbathorum significat diem dominicũ: ex ipso quoq; die ad eleemosynam adhortãs, facta mysteriorũ quæ in eo peracta sunt mentione. *Apud se seponat.* Prouidè admodum. Siquidẽ non dixit, Statim adferat, ne is qui valde parum habet pudefiat, sed prius apud teipsum congrega, quúmq; ratione dignum fuerit, tunc adfer. *Recondens quicquid commodum fuerit.* Hoc est quodcunq; deus miserit, aut ei facile fuerit. *Ne quum uenero.* Ne quum tẽpus, inquit, efferendi fuerit, tunc cõgregare quisq; incipiat. Ex eo autem quod ait Quum venero, ad collectionem eos reddit prom-
E ptiores, tanquã ad aspectus suos véturum sit quod in vnum colligitur. *Quoscunque probaueritis.* Bene ait, Quoscunque probaueritis, vbiq; deuitans ne qui offendantur, tanquã ipse quoq; nonnihil capere vellet ex his quæ cõgregarentur. *Vt perferant gratiam uestram.* Gratiam dixit, nam miserũ erat eleemosynæ vocabulum, & indignum sanctis qui illud accepturi erant. Significat etiam ꝙ ipsi vicissim gratiã recepturi essent, nempe precationes illorum. *Quòd si dignum fuerit,* Per hæc ad liberalem collectionem eos exhortatur. Si tãta, inquit, fuerint vt res meo quoque egeat ministerio. Vbique autem illos etiam vult habere testes quòd nihil ex his accepturus sit, ideo ait, Mecum proficiscentur.

F Veniam autem ad vos quum Macedoniam trãsiero: nam Macedoniam transiturus sum. Apud vos autem fortassis permanebo, aut etiam hybernabo: vt vos me deducatis quocunque proficiscar. Nolo enim vos nunc in transcursu videre, sed spero me aliquantum tempus permãsurum, si dominus permiserit. Commoror autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarii multi.

*Quum Macedoniam transiero.* Non dixit, Quum Macedoniam profectus fuero, sed Transiero, cõsolans eos quasi recta sit aduenturus. Considera etiam ꝙ cæteris præponãtur. De illis dixit, Transiturus sum: de his autem, Permanebo,

Siquidem plures erãt Corinthi fideles, ideo etiã ab eo prę- A
ponuntur. *Apud uos autem.* δὲ id eſt autem, hoc loco abundat, id verò diuinæ ſcripturæ familiare eſt: quin & apud externos ſcriptores frequens eſt huiuſmodi vſus, & maximè apud Atticos. *Fortaßis permanebo.* Bene addidit τυχὸν, id eſt fortaſsis, vel forſitan. Neq; enim omnino nouerat vtrũ hoc à ſpiritu concederetur an non. Dilectionis autem indicium eſt, & apud ipſos permanere & ab ipſis deduci. *Vt uos me deducatis, &c.* Ad exhortationem & conſolationem ipſorum dixit hęc, nẽpe, Vt vos me deducatis ſiue præmittatis. &, Nolo vos modò in tranſitu videre: &, Spero me aliquãtum tempus apud vos permanſurum. Quod autem addit, *Si dominus permiſerit*, interpretatio eſt eius quod ſupradictum eſt, cur videlicet in ea particula, Apud vos autem fortaſsis permanebo, addiderit Fortaſsis: quia neſcio, inquit, vtrum dominus permittet. Itaque mea voluntas eſt vt apud vos permaneam. *Commoror autem Epheſi.* Vehementer amantis erat tum dicere, vbi degeret, tum etiam quandiu ibi commoraretur. Vſque ad Pentecoſten, inquit. Et quare? *Nam oſtium mihi apertum eſt*: hoc eſt multi ſunt præparati ad ſuſcipiendam fidem: ingreſſus ergo mihi ad illos eſt. Id autem confidentis eſt ꝙ vbique terrarum deinceps fidem protenderet. *Nam oſtium mihi apertum eſt & magnum & efficax.* Viget, inquit, mens illorum qui ad fidem acceſſuri ſunt, nihil laxum habens aut fraudulentum: propterea etiam aduerſarij multi. Quantò enim magis videt diabolus ſe ſpoliari, tantò amplius turbatur, & aduerſarios excitat.

Quòd ſi venerit Timòtheus, videte vt abſq; metu ſit apud vos. Opus enim domini operatur ſicut & ego. Ne quis ergo ipſum ſpernat: ſed deducite eũ in pace, vt ad me veniat. Expecto enim illum cum fratribus. Porrò de Apollô fratre: multũ hortatus ſum illum, vt iret ad vos cum fratribus, & omnino non erat voluntas vt nũc iret. Proficiſcetur autem, quum nactus fuerit opportunitatem.

Non propterea dicit. Sine timore, ne quis ipſi inſidietur diuitum aut ſapientia confidentium, de quibus circa initia

D dixit quòd abstraherent discipulos: nam Timotheus omnia sustinere paratus erat; sed ne insidiatores noceant. Bene autem dicit Apud vos. Ne enim mihi Græcos dicas, interim quæ à vobis præstari possunt, requiro. O*pus enim domini operatur*. Deinde ab opere docendi & prædicandi: ac sibiipsi æquando virum extollit. N*e quis ergo ipsum spernat*. Nam iuuenis erat & solus, tantique populi curam susceperat: quę omnia præbent occasiones despiciendi. D*educite eum in pace*. Ne pugnas ipsi aut contẽtiones suscitetis, neque permittatis vt ab aliquo patiatur insidias. Quod autem subdit, *Expecto eum*. terrentis est, vt scientes quòd omnia ipsi renuntiaturus sit, in nullo eum affligãt. Simul etiam per hoc fide dignum reddens Timotheum, quòd Paulus licèt habens
E quod ageret, propter ipsum expectare se dicat. P*orrò de Apollô fratre*. Apollos & senior erat Timotheo, & doctus ac prudens vir. Ne ergo dicant, Quamobrem illum non misisti: & ne existimarent præpositum esse Timotheum: Vtrũque curat, & ait quòd exhortatus sit illum vt proficisceretur, non autẽ persuaserit. Quoniam non erat, inquit, voluntas dei. *Proficiscetur autem*. Ne existimarent hæc fictionem ac prætextum esse, dicit quòd proficiscetur.

Vigilate: state in fide: viriliter agite: fortes estote. Omnia vestra per charitatem fiant. Obsecro autem vos fratres, nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ, & quòd in ministerium sanctis ordi
F narunt seipsos: vt & vos subditi sitis talibus, omníque adiuuanti ac laboranti.

Tanquam de dormientibus ac fluctuantibus, mollescentibus ac segnibus sermo est, quum dicitur, Vigilate & State & Viriliter agite ac Fortes estote. O*mnia vestra per charitatem fiant*. Siue quis doceat, siue quis principatum gerat, siquid aliud faciat, charitas, inquit, & dilectio præcedat. O*bsecro autem uos*. Hyperbaton est. Obsecro vos fratres, vt & vos subditi sitis talibus: Qualibus? Qui seipsos in ministerium sanctorum segregarunt: nec solùm ipsis, verumetiam omni adiuuanti ac laboranti ad ministerium sanctorum. N*ostis familiam Stephanæ*. Et vos, inquit, scitis quomodo

laborent, nec vobis opus est vt à me discatis. Primitias autem dicit familiam, eo quòd illi primi crediderint, aut quòd primas tulerint in pietate ac religione ἀπαρχὴ enim, id est, primitiæ significat id quod præcipuum est & excellens. *Primitias Achaiæ*, siue Græciæ: vnde & Achæi dicuntur Græci Et *quòd in ministerium sanctis*. Ad suscipiendum sanctos, eisque ministrandum. Ordinarunt autem, hoc est, diffinierunt, segregarunt, vitam hanc elegerunt. *Subditi sitis talibus*. Adiuuetis & ad sumptum pecuniarum, & ad ministerium corporale, & per omnia eis pareatis: Id enim est subiectio. Et ne Stephanæ gratificari videatur, subiungit, Omníque adiuuanti ac laboranti. A

Gaudeo autem de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam id quod mihi deerat, vestri ipsi suppleuerũt: refocillauerunt enim spiritum meum ac vestrum. Agnoscite itaque huiusmodi. B

Hi sunt qui renũtiarunt ipsi diuisionem ac dissidiũ quod erat apud Corinthios: & per hos significati sunt qui erãt ex familia Chloes. Quoniam ergo verisimile erat Corinthios commotos esse aduersus illos, adducit eos in medium: & ait, Quod mihi deerat, vestri suppleuerunt: hoc est, pro omnibus vobis venerunt, & propter vos tantam peregrinationem instituerunt. *Refocillauerunt enim meum spiritum ac vestrum*. Docuit quod ad illorum spectat vtilitatem, vt spiritus Pauli refocillaretur: Nam qui meum, inquit, refocillarunt spiritum, vestrũ quoque refocillarunt: hoc est, qui me præceptorem recrearũt, etiam vos discipulos meos recrearunt. *Agnoscite itaque huiusmodi*. Ipsos in honore habete, quia propter vos laborarunt. C

Salutant vos ecclesiæ Asiæ: Salutant vos in domino multùm Aquila & Priscilla cum ea quæ in ipsorum domo est ecclesia. Salutãt vos fratres omnes. Salutate inuicem osculo sancto. Salutatio manu mea Pauli. Si quis non diligit dominum Iesum Christum sit anathema maran atha. Gratia domini Iesu Christi sit vobiscum. Dilectio mea cum o-

D mnibus vobis in Christo Iesu, Amen.

Per salutationem membra in vnum colligat. *Aquila & Priscilla.* Apud hos manens, eo quòd eiusdem essent artifi-

Acto. 18. cij, operabatur in arte texendi tabernacula. Et considera ipsorum virtutem, quia propriam domum ecclesiam fecerant. *Osculo sancto.* Mentio sancti osculi hìc solùm additur, eo quòd multùm inter se dissidebāt: dicentes, Ego quidē sum Pauli, ego verò Apollô, ego autem Cephæ. Sanctum verò dicit non fictum, sed quod ex dilectione procedit. *Salutatio manu mea Pauli.* Propria manu salutationem in epistola scripsit. *Si quis non amat dominum.* Vno verbo omnes terruit, qui vel ab hominibus cognominabantur, vel scortatores, vel offendicula fratribus ponentes edendo idolothyta,

E vel resurrectionem non credentes. Nam qui talia agūt, non amant dominum. *Maran atha.* id est, dominus venit. Hoc autem dixit dispensationem ac resurrectionem confirmās, & admonens quòd dominus pro nobis mortuus est: vos autem, inquit, eum irritatis, indigna perpetrantes. Hebraica verò vsus est dictione, ostendens quòd non solùm non auersetur inscitiam, sed & glorietur de ea. Nam Hebraicè loqui, ignorantia ipsis videbatur quum sapientes essent. Hoc autem facit, tollens fastum sapientum. ALIO MODO. Hoc

Oecum. quidam non Hebræorum sed Syrorum esse vocem suspicati sunt. Sonat autem, si quis interpretetur, Dominus venit.

F † Hanc autem dictionem posuit, superciliū comprimēs Corinthiorum qui sese de eloquentia iactabāt: & docens quòd non eruditione, sed fide ipsis opus erat. *Gratia domini Iesu Christi sit uobiscum.* Hoc præceptoris est nō adhortari solū sed & precari. Deniq; postquam in multis ipsos obiurgauit, nunc obsequitur illis ac orat: dicens, Sit dilectio mea vobiscum. Id autem quo pacto fiet. Si rectè incedatis. Tādem ne id adulationis esse existiment, subiungit, *In Christo Iesu.* Nihil, inquit, humanū aut carnale apud me est: nam per Christum erit dilectio mea vobiscum.

*Hoc iter Latinos quoq; pter Ambrosiū & Augusti. habet etiam Hierony. in epist. quadā ad Marcellā. & Hebræi recētiores iuxta quos

Missa est à Philippis per Stephanam & Fortunatum & Achaicum ac Timotheum.

# ARGVMENTVM POSTERIORIS Pauli ad Corinthios epistolæ. A

HAnc à Macedonia mittit. Hæc autem occasio fuit epi-
stolæ. Quum priorem epistolam accepissent Corin-
thij, compũcti sunt ob illius peccatum qui nouercam
acceperat: mœstique fuerunt vt qui huiusmodi peccatũ dis-
simulassent. Deinde à nonnullis surripiebãtur qui etiam da-
tis dissidiorum occasionibus id agebant, vt legis literæ ad-
hærerent, & superfluam ducerent datam à Christo gratiam:
hisque magis intenderent qui in personæ grauitate gloria-
bantur. Bene etiam de collectione in sanctos curam habe-
bant. Ad hæc itaq; rescribit Apostolus. Et primùm quidem
ipsos commẽdat ꝙ transgressorem eiecissent. Deinde ipsos B
ita censentes orat, ac resipiscentem iubet recipi. In eadem
autem docet de lege, literam eleuans, ac ostendit non opor-
tere tantùm legis sumere literas, sed sensum qui est in litera
scrutari. Neq; enim lex solùm verbum est, sed in verbis est
& intellectus spiritus. Deinde quòd veniente Christo noua
sit facta creatura: nec oportet iuxta vetustatem viuere, sed
in omnibus tanquam in nouam renouari creaturam: ac dein
ceps otiosam esse circuncisionem. Commendat etiam ipsos
de ministerio, ac exhortatur vt illud magis abundè fiat. Ac-
cusans autem eos qui in personæ grauitate gloriabãtur, cũ
cta recenset quę propter dominum passus fuerat, ac visiones
narrat quas viderat, tum in paradisum, tum in tertium ra-
ptus cælum. Demum vbi præcepit ne peccent, sed peccato- C
res potius resipiscant, in gratiarum actione concludit epi-
stolam. Totus itaque sermo epistolæ de seipso est, & de
Corinthiis, & de pseudapostolis, & ex hoc argumento pro
cedit & ad ea quæ diuinæ sunt gratiæ, & de bona conuersa-
tione circa bonam conscientiam ac certamen contemptũq;
diuitiarum, & de tradita virtute, & de pseudapostolorum ia-
ctantia ac prauitate.

## THEODORETI.

DIgnum est vt quæramus quam ob causam addat secũ-
dam epistolam. Quia quum in priore fuisset pollici-
tus se ad ipsos profecturum nec fuisset profectus, spi-
ritu ipsum in aliis occupante, & quia in afflictiones incide-

*מרא siue מרא idem sonat quod dominus & אתא ætha item Chaldaicè, idẽ qđ uenit, qđ Hebræi אתה dicunt. Fit autẽ uox Chaldaica מרנא אתא marana atha & significat dominus noster uenit, Credimus utrunque, nempe & Anathema & Marana atha, tã quã interiectiones execrãtis, frequenti in usu fuisse apud Iudæos.*

D rat: per hanc ſecundam epiſtolam nunc ſe purgat ꝙ non venerit, & vt venire etiam per epiſtolam videatur. Præterea quoque ex priore epiſtola meliores effecti erant: æquum ergo fuit vt ſecūdam accipere mererentur, quò magis ad virtutem proficerent.

# POSTERIOR PAVLI AD CORINTHIOS EPISTOLA.

## CAPVT I.

*Gratiarum actio de diuino auxilio in quo ait ſe fuiſſe confiſum.*

Cap.1.

E  Aulus apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem dei, & Timotheus frater, eccleſiæ dei quæ eſt Corinthi, vnà cum omnibus ſanctis qui ſunt in tota Achaia, gratia vobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto.

Quum vnà cum priore epiſtola miſiſſet eò Timotheum, & nunc ipſum recepiſſet, ſibiipſi coniungit. Conſidera verò
Philip.2. ꝙ ipſum quidem interdum filium vocat. Nam vt patri, inquit, filius mihi miniſtrauit: interdum autem cooperatorē. Opus enim domini operatur, inquit, ſicut & ego, nunc verò
1.Cor.16. fratrem per omnia fide dignū eum efficit. Animaduerte au-
F tem præpoſitionem διὰ.i. per, etiam de patre dici. Vnà cum omnibus ſanctis ἁγίους.i. ſanctos vocat ipſos (quaſi ſine terra) oſtendens ꝙ ſi quis terrenus ſit, alienus eſt ab hac ſalutatione. Videtur autem hi ſimul fluctuaſſe: propterea etiam cōmunem facit & ſanationem: Hoc quoque facit ad Galatas ſcribens & ad Hebræos. *Gratia uobis & pax.* Familiarem ac ſibi conſuetam ſalutationem etiam his exoptat.

Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & deus omnis conſolationis, qui conſolatur nos in omni afflictione noſtra, in hoc vt poſſimus eos conſolari qui ſunt

in quauis afflictione,per conſolationem qua noſip A
ſos conſolatur deus.

Benedictus deus.Hoc loco ponendum eſt hypoſtigma ſiue ſubdiſtinctio: *Et pater domini noſtri* Ieſu *Chriſti*. Siquidem deus noſter eſt, ſed domini noſtri Ieſu Chriſti pater. Mat.11.
Hãc autem diuiſionem etiam dominus nos docuit: ait enim in ſacris euãgeliis,Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ:manifeſtè docens ꝙ ſuus quidem ſit pater, creaturæ verò factor ac dominus.Priore quidem epiſtola promiſerat ſe ad ipſos venturum,ſed prohibitus eſt magnis afflictionibus ipſum corripientibus.Scitè igitur incipit purgationis ſemina iacere. Gratias ago,inquit,deo,ꝙ nos conſolatus ſit in omni afflictione noſtra.*Pater miſericordiarum*. Sancti id habẽt B
pro more,deũ ex acceptis beneficiis appellare: In belli quidem victoria,diligam te domine fortitudo mea:quando autem à mentis caligine ac obtenebratione liberatus eſt, dominus illuminatio mea: nũc verò deum miſericordiarum & conſolationis nominat. Conſidera verò quàm ſeſe diuinus hic Paulus demittat. Liberatus ab afflictionibus quæ propter prædicationem ſuperuenerant, non dicit ſe liberatum quòd dignus fuerit,ſed per miſericordias ac miſerationem. *Qui conſolatur nos*. Non dixit Qui non permittit nos affligi (nouit enim vtiles eſſe afflictiones) ſed Qui conſolatur nos. Dicens autem In omni afflictione, ſignificat & continuas afflictiones & continuas conſolationes. *In hoc ut poſſimus eos conſolari*. Vide excellentem animi modeſtiam. Non C
accepi, inquit, conſolationem ꝙ cõſolatione dignus eſſem: ſed vt exẽplo conſolationis quæ erga me facta eſſet,poſſem & alios conſolari qui ſunt in afflictionibus. Itaque propter aliorum vtilitatem,non propter me fuit conſolatio. Aut,cõſolatio,inquit,quæ in me facta eſt,ad conſolandum ſimul & alios fuit,eos nempe qui ob meas dolebant afflictiones.

Psal.17. & 26.

Quoniam ſicut abundant afflictiones Chriſti in nos,ita per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra. Siue autem affligimur, id fit pro veſtri exhortatione ac ſalute, quæ efficitur in tolerantia earundem afflictionum quas & nos patimur, & ſpes no-

D ſtra firma eſt pro vobis. Siue conſolationem accipimus, id fit pro veſtri conſolatione ac ſalute: quum ſciamus ꝙ ſicut participes eſtis afflictionum, ſic futuri ſitis & conſolationis.

Ne qui exiſtiment deo non eſſe curæ apoſtolos, eo quòd continuas ſuſtineant afflictiones, vide quomodo rem extollat. Chriſti, inquit, ſunt afflictiones ac calamitates quas nos ſuſtinemus: hæ ſanè etiã abũdant in nobis, acſi diceret, Non ſolùm quæ paſſus eſt Chriſtus patimur, ſed & plura. Hoc etiam dicit alibi, Et ſuppleo quæ deerant afflictionum Christi. Idipſum quoque per ſe abſque diuina alia conſolatione, ſatis eſt ad cõſolationem, ſcire Chriſti eſſe afflictiones quas ipſi patiuntur, etiamſi non addatur quod conſolatio Chriſti exuberet erga ipſos, quæ occaſiones lætitiæ ipſis immittat, acſi dicat, Abundantes ſunt afflictiones, ſed multò magis conſolatio. *Ita per Chriſtum abundat & conſolatio noſtra.* Abundant quidem in nobis, ait, tentationes & afflictiones, ſed & plus quàm hæ, abundant conſolationes. Quo pacto? Quia non ſolùm diſsipant afflictiones, ſed & gaudium adducunt, & coronas ac brauia conciliant. Non ad proportionem, inquit, afflictionum eſt conſolatio, ſed multò maior eſt: Nam abundat, inquit, conſolatio. *Siue affligimur*, ait, *pro veſtri exhortatione & ſalute affligimur.* Quomodo? Quia liceret nobis à prædicatione ceſſantibus, in ſecuritate & abſque timore degere: ſed potius eligimus affligi ac periclitari, vt vos per prædicationem ſaluos faciamus, & ad fidẽ exhortemur. Afflictiones itaque ſuſtinemus pro veſtra ſalute, id eſt, quę in vobis efficitur, hoc eſt, ex virtute ſpiritus ſancti qui ſigna efficit. *Quæ efficitur.* nempe in vobis. *In tolerantia.* Efficitur, inquit, ſalus in vobis, qui in æqualibus nobiſcum eſtis afflictionibus, Quẽadmodum enim affligimur nos qui prędicamus, ita & vos qui diſcitis. Atteſtatur autem eis quòd magnæ ſint virtutis, quia inter afflictiones ſuſcipiebant prædicationem. *Et ſpes noſtra.* Quænam ſpes? nẽpe ꝙ perficienda ſit in vobis ſalus, quanquam eædem nobis ac vobis cõtingant afflictiones. Quomodo? Conſolationem accipientes, pro veſtra ſalute conſolamur, probationem, inquit, notitiámque indubitatam accipientes, quòd & vos cõ-

Coloſ.1.

E

F

Pho.

ſolationem indubitatam accipietis: vt non minus cõſolationem accipiamus in afflictionibus à quibus ipſi liberamur, ſed ſimiliter: in quibus etiam planè ſcimus ac confidimus ꝙ & vos conſolationem accipietis. Vnde hoc manifeſtum eſt? ex eodem, inquit: nam ſicut participes eſtis tentationum & afflictionum, ſic futuri eſtis & conſolationis. *Firma pro uobis*, hoc eſt, quantacunque patiamini, confidimus ꝙ nõ peruertemini neque deſperabitis, nec ob ea quæ patimini, nec ob illa quæ nos pati conſpicitis. Pro veſtri conſolatione & ſalute. Quum ſuperiùs dixiſſet Pro veſtri ſalute affligimur: ne grauis quodammodo ſermo eſſe videatur, nunc ſubdit, Pro veſtra quoque ſalute conſolationem accipimus: ne deficientes, veſtram negligamus ſalutem: vel, vt cõſolemini videntes nos à deo conſolationem accipere. Nam ſicut eſtis, inquit, participes afflictionum, ita ex conſequenti oportuit quoque eſſe & cõſolationis. *Quum ſciamus ꝙ ſicut participes eſtis afflictionum.* Hoc enim nouimus, ꝙ ſicut participes eſtis tentationum, ita quoq; neceſſe fuit vt vos participes eſſetis & conſolationis, Videntes enim nos conſolationẽ accipere, bono eritis & vos animo, ꝙ quãdoquidem in afflictionem incideritis, conſolationem vos quoque accipietis, ſicut & nos. Sicut enim participes eſtis afflictionum, ita quoque & in conſolatione participabitis. Conſolatio autem dici poteſt, vel ꝙ auferrẽtur afflictiones, vel ꝙ ex inſperato à præſentibus liberarentur periculis: aut ꝙ in mediis cõſtituti periculis, viriliter magnóque animo ferrent quæ inciderent, futurorum ſpe roborati quod fieri non poſſet, niſi Chriſtus verus deus noſter manum porrigeret.

A B Pho. C

Non enim volumus vos ignorare, fratres, de afflictione noſtra quæ nobis accidit in Aſia, quoniã ſupra modum grauati fuimus vltra vires: adeò vt de vita quoque deſperaremus. Quin ipſi in nobiſipſis reſponſum mortis habueramus, ne confideremus in nobiſipſis, ſed ĩ deo qui ſuſcitat mortuos, qui ex tãta morte eripuit nos & eripit: in quo ſpem fixam habemus, quòd etiam poſthac erepturus ſit, ſimul adiuuãtibus & vobis per deprecationem pro

D nobis: vt ex multis personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro vobis.

Deinde postquam indefinitè meminit afflictionis, dicit nunc cuius afflictionis. Vt nihil eorũ quæ circa me, inquit, geruntur ignoretis: quod signum est dilectionis: aut ne ignorantes quæ mihi acciderunt, indignemini eo ꝙ iuxta promissa ad vos non venerim. *De afflictione nostra.* Hoc in priore quoque prædixerat epistola: quoniam ostium, inquit, mi

1.Cor.16 hi apertum est & aduersarij multi: *Quoniam supra modum grauati fuimus.* Magna, inquit, erat afflictio & meas excedens vires: nam contingit magnam quoque viriliter ab ali-

Chrys. quo ferri. *Adeò ut de uita quoque desperaremus.* Desperaui-

E mus, inquit, nec victuros nos esse sperabamus, sed apud nos ipsos existimauimus ꝙ omnino moreremur: nam hoc significat, Ipsi in nobisipsis respõsum mortis acceperamus: id nobis pericula respondebant, ꝙ omnino moreremur. Et quam ob causam permisit nos deus ad tanta peruenire pericula? *Ne confideremus in nobisipsis.* Quod autem dicit, tantundem est acsi diceret: Ne cristas erigamus, ne ob egregia facinora

Infra 12. extollamur: quod etiam in processu manifestiùs dicit, Et ne excellentia reuelationum extollerer, datus fuit mihi angelus Satanæ, intelligens affligentes se ac vexantes & vnumquenque horum hominum Satanam appellans. Permissus sum, inquit, tentationes & afflictiones sustinere, vt mei desperatio in officio me cõtineret, ac modestus esse discerem.

F Ideo quoque quum deum obsecrassem, non sum assequutus quod postulabam, sed permansi quotidie tolerans modestiæ pharmacum, nẽpe afflictionem. Adeò magna erat afflictio, inquit, vt nos è vita expelleret. Huiusmodi afflictionem vo

Psal.17. cat Dauid portas ĩferni ac mortis, & dolores partꝰ ac vmbrã

22. 43. mortis. *Quin ipsi in nobisipsis responsum mortis habueramus.*

47. 48. Responsum, id est, decretum ac sententiam. Est autem tan-

106. tundem acsi diceret, Quantùm ad nos, nostrámque cogitationem, adfuit mortis expectatio, sed deus non permisit ipsam in opus progredi, docens nos ne in propria confideremus virtute aut consilio, sed in ipso solo. Nam de quibus apud nos nulla habetur spes, sed impossibilia videnť, ea sunt ipsi possibilia, imò & facilia. Hoc autem deum fecisse dicit,

non

non quòd ipſi Paulo opus eſſet hoc diſcere (Quis enim ma A
gis quàm ipſe nouerat in ſolo deo ſperandũ eſſe?) ſed vt per
ipſum alij hoc diſcerent. Aut hoc modo. De nobiſipſis omni Oecum.
no deſperauimus vt ſpem in ſolo deo haberemus. Nam qui
prius de ſeipſo deſperat, quomodo proprio conſilio aut vir-
tute ſeu defenſione ſaluum ſe fore ſperabit? vt conſequens
ſit quicquid habet, id deum dediſſe. Alio modo Reſpõſum,
id eſt, decretum, expectationem ac iudicium ſiue ſenten- Iohan.
tiã: huiuſmodi vocem pericula emittebant, huiuſmodi con
demnationem ac exitum dabãt ea quæ contingebant, quòd
omnino moreremur. Nequaquam hoc in experientiam de-
ductum eſt, ſed in noſtra deſperatione ſubſtitit. Siquidem
hoc periculorum natura demonſtrabat, dei verò potentia
non permiſit id quod oſtendebatur in opus peruenire, ſed
in noſtra duntaxat mente hoc fieri conceſsit. Ideo quoque B
in noſtra, inquit, mẽte reſpõſum mortis habueramus. Quẽ-
admodum dicimus, Morbus reſpondit in ſanitatem aut re-
ſpondit in mortem, hoc eſt, euaſit, finitus eſt, deſiit: ita quo-
que & nunc Reſponſum mortis, finem ac euẽtum intellige-
re oportet. Deſperauimus, inquit, de vita: & nos cum mor- Pho.
tuis reputabamur: nõ ab aliis, ſed in nobiſipſis extremũ ac fi
nem mortis intuentes ac cogitantes. Quod autem non dicit
Cogitaueramus, ſed Habueramus, certitudinẽ ac præſentiã
mortis oſtendit. Adeò fuit ſupra modum afflictio vltra vi-
res, vt Paulus iam eſſet mortuus, quod ad ſuas vires ſpecta-
bat. Hoc autem factum eſt, inquit, & præter ſpem viximus,
vt in nullo ſpẽ poneremus nobiſipſis, ſed in deo qui ſuſcitat C
mortuos. Qui ſuſcitat, inquit, qui nos quoq; mortuos nunc
excitauit, Etenim reſponſum mortis in nobiſipſis habuera-
mus: nec id aliis de nobis reſpõdẽtibus, ſed nobis, inquit, in
nobiſipſis. Nec dicit exiſtimaueramus ſed Habueram⁹ quod
certum ac firmũ oſtendit iudicium ac decretũ. Itaq; manife
ſtum eſt ꝙ niſi deus nos ſuſcitaſſet, vtique mortui eſſemus.
Quòd ſi hęc dicit Paulus qui in afflictionibus exultat, & qui
in aduerſitatibus inenarrabilibus tãquam in coronis ac bra-
uiis gloriatur, omnẽq; ſalutis anchorã in deũ reponit: quid
nos aliud facere debemus? aut quomodo ad hoc adducti vt
in nobiſipſis cõfidamus, nõ meritò à ſaluatore ac protectore
deo derelinquemur? *Qui ſuſcitat mortuos.* Simul quidẽ oſten-

D dit periculi magnitudinem, propemodum dicens: Nos iam mortuos suscitauit: simul quoque sermonē de resurrectione illis suggerit, quem in priore epistola multum fecerat. *Qui ex tanta morte.* Nō dixit periculo, sed Morte: quod etiā periculorum magnitudinē significat, rursumq; proponit resurrectionem: acsi diceret: Quare nōnulli resurrectionē nō credunt? huius iam indicia ac signa tribuit deus: nos enim omni parte mortuos, suscitauit. Quòd etiā posthac ercepturus sit. Hoc ostendit ipsius vitā in cōtinua esse expectatione afflictionū. Dicere nāque Eripiet, eius sermo est, qui nouerat se tentationes & afflictiones semper habiturum. Vide autem modestiam. Paulus Corinthiorum auxilium quod est
E ab oratione postulat, hoc autem est docentis etiam precandi necessitatem. *Simul adiuuantibus & uobis* Eripiet autem nos deus, vobis etiā precatione adiuuantibus: vt cōmunem, inquit, mihi gratiam ac vobis tribuat. Vt in multis personis, hoc est per multas personas, nempe vestras gratię deo agantur pro dono mihi collato. Alio quoque modo. *Vt ex multis personis.* hoc est, vestrum omnium deprecationem suscipiēs. Posthac etiā nos eripiat simúlque gratiæ agantur pro dono in nos collato. Nō dixit autem, Vt gratiæ agantur pro gratia aut auxilio mihi collato, sed Pro dono: nam χάρισμα dicere solemus de sublimibus & admirandis, quæque humanam
F excedunt naturam. Dixit autem, pro dono in nos collato, per multos, siue multa, gratiæ agantur, præmittens Ex multis personis. Quāobrem? an nō manifestū est ꝙ per id quod dicit Ex multis personis, significat eos debere gratias agere, per hoc autem quod addit διὰ πολλῶν. i. per multa, modos indicat quibus oporteat gratias agere? neque enim satis est ipsos vno modo gratias agere, sed pluribus: adeò gratus est adeóque nouit grande factum esse in se beneficium imo potius χάρισμα vt ipse, inquit, hoc est donū eximium: quia neque seipsum sufficere existimat ad gratias agendum, sed neque multos secum, nisi multis quoque modis gratiæ agantur. Deinde subiungit, *Pro uobis*. Alio quoque modo. Hoc
Pho. est quare deprecatione teipsum adiuuabimus? quare gratias agemus? Quia ꝙ liberatus sim, inquit, & posthac etiam liberandus sim non meum solius auxilium est aut cōsolatio, sed æqualiter etiam & vestrum. Adiuuate igitur deprecatione,

gratias agite tanquam id pro vobis facientes. Mea enim cõ- A
ſolatio ac ſalus etiam veſtra eſt. Neque hoc nunc admonens
dico, verumetiam ſemper in hoc glorior, ꝙ ita affecti ſitis
erga me, vt meam ſalutem ac conſolationem veſtrã ducatis.
Nã gloriatio mea, inquit, hæc eſt, ꝙ vos ita affecti ſitis erga
me, & ita me pro vobis exiſtimetis. Quiſnam tibi rem ita ſe
habere perſuaſit, vt ita gloriareris ô Paule. Teſtimoniũ, inquit conſciẽtię meę, ex his quæ in vos operatus ſum, ex maximis beneficiis quæ ſcio me in vos cõtuliſſe ex eo ꝙ abundantius in vobis q̃ in cęteris certamina ſuſtinuerim: hęc mihi perſuadẽt ꝙ vos quoq; meã ſalutẽ ac conſolationẽ, veſtrã ducatis propriã, & propterea illud etiã duco gloriationẽ, veſtrũ circa me amorẽ ardentẽq; dilectionẽ: ex hac enim ori- B
tur vt mea quoq; ſal⁹ ac cõſolatio, veſtra ꝓpria eſſe ducatur. Siquidẽ gloriatio mea hęc eſt iuxta teſtimonium conſciẽtię meæ: quãdo autẽ cõſciẽtia teſtificatur, indubitata eſt veritas.

Nam gloriatio noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientię noſtræ, ꝙ cum ſimplicitate & ſynceritate dei, non per ſapientiam carnalem ſed per gratiam dei cõuerſati ſimus in mundo, abundantius autem erga vos. Non enim alia ſcribo vobis quàm quæ legitis aut etiam cognoſcitis. Spero autem quòd vſq; ad finem quoq; cognoſcetis quemadmodum & cognouiſtis nos ex parte: quòd gloriatio veſtra ſimus, C
quemadmodum & vos noſtra in die domini Ieſu.

Quia ſuperius dixerat per dei miſericordias ſe adeptũ fuiſſe miſericordiam, ne hoc dicto auditorẽ reddat ſegniorẽ, ait à ſeipſo oportere habere ſalutis occaſiones ex conſcientia Chriſti: ac ſi diceret: Conſciẽtia noſtra quæ nobis bona teſtificatur, & ꝙ in ſimplicitate conuerſati ſimus in mundo, maximã cõſolationis occaſionẽ dedit nobis: magis autẽ nõ conſolationis ſolũ, ſed & gloriationis. *Quòd cum ſimplicitate.* Sine dolo, ſine fictione aut operimento aliquo. *Non per ſapiẽtiam carnalem.* Nõ per calliditatẽ ac verſutiam verborũ, quæ obumbrat veritatẽ, cõuerſati ſumus. Cõſidera verò ꝙ ea reiiciat ac fugiat, in quibus gloriabantur Pſeudapoſtoli, *Sed per gratiam dei.* hoc eſt ſigna ac prodigia quæ dei do-

D na erant. Abundãtius autem erga vos. Quomodo? quia quũ signis: præterea etiã sine sumptu euangeliũ apud ipsos prædicauerat. Et vide: bonũ opus quod ipsius erat, attribuit gratiæ dei, *Non enim alia scribimus uobis.* Quoniam multùm de seipso loquutus erat quòd sine sumptu euangelium prædicasset, ne quis hæc fastum verborum esse ducat, quum destitutus sit operibus, ipsos in testes adducit quòd vera dicat. Nõ enim alia scripsimus vobis, hoc est, peregrina & aliena à nobis (Scripserat enim prius ꝙ sine sumptu prędicasset ipsis euangeliũ) sed illa vobis scripsimus quæ legitis, hoc est de quibus suggeritur vobis ꝙ sint in nobis: lectio enim est suggestio, & tracta ex præcedentibus notitia. Et quid dico, E inquit, de quibus suggeritur vobis? Siquidem quę cognoscitis nobis esse propria, ne opus quidem habetis vt suggerantur vobis, quum manifesta sint, sed etiam ante suggestionem exactè scitis. *Spero autem.* Vides quòd nihil arrogantius loquatur, sed rem omnem deo attribuat? Nam spero, inquit, in deum quòd vsque ad finem quoq; cognoscetis nos tales esse quales significant epistolæ. & ab hoc etiam præterita ostenditur vita. Quemadmodũ, inquit, ex parte: hoc est, ex parte

Pho. cognouistis. hoc autem dicendo prę se fert modestiam. Spero ait ꝙ vsque ad finẽ cognoscetis: quid? ꝓ gloriatio vestra simus. Non solùm autem nos, sed & vos quoq; mea gloria-F tio estis. Sicut enim hoc ipsum nũc ex parte cognouistis, ita spero ꝙ etiam hoc perfectè cognoscetis in illo die, quando vnusquisq; eorum quę fecit retributionem inueniet. Ex his enim quæ nanciscemini, dum mihi ac prædicationi obtẽperatis, tunc perfectè cognoscetis & nõ ex parte, ꝙ gloriatio vestra simus: & ego sanè vestram salutẽ & accessum gloriationẽ efficiam. *Quòd gloriatio uestra simus.* Deinde ne grauis esse videatur de seipso loquẽs, bona sua opera reddit cõmunia. Nã si talis, inquit, demõstratus fuero qualẽ dixi, in die domini, hoc est in iudicio (Neq; enim præsentia intueri oportet, nẽpe opprobria & cõtumelias quas audimus nos apostoli) si tales ergo demõstrati fuerimus, gloriatio vestra sumus. Quomodo? quia huiusmodi maximè vsi estis pręceptoribus qui nihil humanũ docuerũt. Et nos sanè in vobis gloriabimur quòd tales nobis cõtingerint discipuli, nõ vacillãtes aut offensi licèt malis afficerentur ipsorum præceptores.

CAPVT II. A

*De dilectione quam erga ipsos habebat, & quòd pepercerit ne eos contristaret, quanquam mœrore afficiens, utilitatem adferret: ueluti in eo qui ob stuprum obiurgatus fuerat, cui etiam ignoscit.*

ET hac fiducia statueram ad vos venire prius, vt alteram haberetis gratiam, & per vos transire in Macedoniam: rursumq; à Macedonia venire ad vos, ac à vobis deduci in Iudæam. Hoc igitur cum statuissem, nuncubi leuitate vsus sum? aut num ea quę statuo, secundum carnem statuo? vt sint apud me Etiam Etiam, & Non Non. B

*Et hac fiducia.* Quanam? quòd gloriarer in vobis, quòd gloriatio vestra esset nostri dilectio, quòd nullius mali nobis cōscij essemus. Ob hanc, inquit, fiduciam, ob hāc spem, quòd mea gloriatio etiam vos essetis promissa in illo die, & ego vestra essem. Quòd si ob hanc fiduciam statuerā ad vos venire, manifestū ęst quòd maturum ac magnum erat consilium: neq; enim humanum erat: sed propter cōmune lucrum ac salutē animarum. Inuitus itaq; auulsus sum à consilio: etenim huiusmodi lucrum non neglexissem. Hoc autem posuit, firmam ac verissimam parans defensionem: adeò illi curæ erat nulli præbere ansam offendiculi. *Vt alteram haberetis gratiā.* Et per priorem videlicet epistolā & per meam præsentiam: Vt duplam haberetis gratiam, nempe & epistolarum & præsentiæ. Gratiam autem dicit gaudium. *Et per uos trāsire in Macedoniam.* Atqui in priore epistola dixerat, Veniam autē ad vos quum Macedoniam transiero: hìc autem ait, Decreueram prius venire ad vos. Quid ergo num sibiipsi cōtrarius est? Minimè: sed hoc dicit: Tantum abfuit vt pigritarer venire ad vos, vt quantum ad meum attinet animum, etiam priusquam Macedoniam viderem, ad vos venire vellem, at non successerunt mihi res iuxta voluntatē. *Ac à uobis deduci in Iudæā.* In priore epistola dixerat, Vt vos me deducatis quocunq; proficiscar, nunc verò dicit quò profecturus erat, nēpe in Iudęam. Siquidem tunc ignorabat quò ipsum iuberet spiritus proficisci: nūc autem iam postea audierat. Vides itaq; ipsum vbique spiritu duci? *Hoc igitur quū statuissem.* Quum igitur hoc

Pho.

C

1. Cor. 16

D statuissem, nempe venire ad vos quã ob rem non veni? An id omisi tanquã leuis & instabilis, quiq; propriis cõtrarius sim sermonibus? Nequaquam. Quid igitur in causa fuit? Quia quæ statuo, inquit, nõ secundum carnem statuo, vt sint apud me Etiam Etiam, & Non Non: ꝙ ipse interrogatiuè posuit. Et vide quid velit. Carnalis, inquit, homo, & secundum carnem statuens, vt qui ad ea quæ agenda sunt, nõ ducitur operatione spiritus, is sui dominus est, eiq; liberum est ire quò voluerit: qui verò spiritu ducitur, huic liberum non est ire quò velit. Siquidem domino paracleto subiectus est, eiúsq; nutui obedire cogitur. Itaque non tãquam instabilis, leuis, aut mendax venire distuli: sed spiritus quo ducor in caussa
E fuit, qui aliò quàm statueram me duxit. Considera verò sapientiam. Quod calumniatores caussam faciebant conuitij, nẽpe quòd quum promisisset, nõ venisset, hoc ipse occasionem reddit encomij: putà ꝙ suiipsius potestatẽ non habeat, sed à spiritu ducatur quocunque illi visum fuerit. *Aut num*
Pho. *quæ statuo, secundũ carnem statuo?* Hæsitant quidam dicentes, Vtrum quæ statuit Paulus, aut promittit de fidei dogmatis, secũdum carnem statuit ac promittit, an secundum spiritũ?
Nota. nam si secundũ spiritum, nõ erit ipsius Etiam Etiam, & Non Non. Si verò secundum carnem, quomodo spiritualia sunt? Quid ergo, inquit, dicendum? Quòd de fidei dogmatis neq; ipse quicquam promittit, neque quicquã statuit, sunt enim
1. Cor. 4. dominica promissa, & magni illius consilij decreta. Præco
F tantùm est Paulus ac minister, sicut ipse ait, mysteriorũ Christi. Ipse itaq; meritò ex seipso de his rebus, neq; statuit neq; promittit. Sed si de fidei dogmatis, inquiũt, nõ licet ipsi statuere aut promittere, secundũ carnem verò rursum nõ oportet eum statuere (Siquidẽ ipse quoque hoc reiicit, dum ait, Aut num quæ statuo, secundum carnem statuo?) Si ergo in neutris statuit aut promittit, in quib⁹ ergo omnino statuet, aut promissiones faciet? Dicimus ergo ꝙ sunt diuina, sunt & humana: aut si mauis, spiritualia & carnalia: spiritualium quoque magna est varietas? sed interim ad propositum. Hìc quidem considerantur virtutes, ibi verò ipse prædicationis sermo: alibi autẽ non quidem idẽ ipse, sed tamen quatenus opportuna adaptat iis qui prædicationis sermonem susceperant in quibus Paulo licet & statuere & præcipere. Etenim

præceptum, inquit, domini non habeo, consilium tamen do tanquã misericordiã cõsequutus à domino ad hoc, vt essem fidelis. Carnaliũ quoq; quædam sanè cõtraria sunt spiritui, quędã verò nõ sunt spiritui contraria: alia autẽ propemodũ sunt eadẽ cum spiritualibus. Cõtraria quidẽ, veluti sunt impietas, infidelitas, furtũ, adulterium, ac similia. Rursum alia tantum nõ sunt contraria: cuiusmodi sunt cibus, somnus, vigiliæ, ac similia. Exhibitis itaq; differẽtiis tam spiritualium quàm carnaliũ, quantum proposito deseruiũt: hoc etiã considerare oportet, ꝙ quemadmodũ certè ab his qui promittũt ac statuunt multa existit differẽtia, ita quoque & ab his quę promittũtur ac statuuntur, cõsurgunt differẽtiæ. Nam hi de vnoquoq; dictorum promittẽtes ac statuentes, aut secũdum carnem: aut secundũ spiritum, consiliũ ac promissionem faciẽt. Verùm de prædicatione quidẽ Paulus neq; statuet neq; promissionẽ faciet, sed tantùm prædicabit ac ministrabit eo modo quo & segregatus & missus est: Pseudapostoli verò & statuẽt, & promissiones dabunt. Siquidẽ cauponantur, & dolosè tractant verbũ dei. Porrò de his quæ opportuna sunt fidelibus, sed à Christo sancita nõ sunt, quæ & ipsa sunt spiritualia, & statuet & discernet, sicut etiã prędiximus. Et manifestum est, ꝙ ex hoc solo dubiũ solutum est. Nam inuenta sunt de quibus & statuet & discernet & legẽ feret. Præterea quoq; adhuc dicẽdum est. Siquidẽ de carnalibus etiam quæ aduersantur spiritui decernet, at, spiritualiter, nẽpe ad deletionem ac fugam illorum: Pseudapostoli verò decernent, at secũdum carnẽ, siue opposito modo ad spiritum. Adhæc de carnalibus quæ non sunt contraria spiritui, etiam Paulus de his statuet, sed seipsum deiiciẽs, sed cũ fame ac siti pugnãs: & planum est ꝙ spiritualiter: contrariũ autem agẽt Pseudapostoli. Breuiter autẽ: Secundum carnem quidẽ vt sit modo spiritui cõtrario, nequaquã & in nullis Paulus statuet, at secundum carnem, vt sit alio modo quàm habeat decretũ spiritus, frequẽter statuit ac voluit, at nõ in prædicatione: Absit, nec in aliis spiritualibus, sed in carnalibus quæ non sunt spiritui cõtraria. Noluit verberari, & verberatus est: voluit ad Corinthios proficisci, & prohibitus est: noluit Timotheum ægrotare, & ægrotauit, aliáque sunt innumera. Nunc autem κατὰ σάρκα, id est secundum carnem, accepit pro eo quod

A
1. Cor. 7.
B
Infr. 2. 4.
C

D est libero arbitrio, propria autoritate, proprio iussu. Verùm illud etiam considera. Quid ergo? Paulus dum promitteret, non ex operatione spiritus promittebat, sed ignorans num completurus esset ea quę promittebat? Dicimus quòd nō omnia preuidebat Apostolus: ideo etiā pro his precatur quæ
Infrà 12. non expediunt, sicut de stimulo carnis suæ: & rursum, Hoc
Rom. 8. enim quid oraturus sim sicut oportet non noui: Itémque in
Acto. 16. Actis ostēditur statuisse aliquò proficisci, & prohibitus fuisse à spiritu. Id autem vtiliter contingebat, ne qui supra humanam naturam ipsos esse suspicarentur. Siquidem hoc e-
Acto. 14. tiam modo frequenter illis accidit vt ipsis tanquam diis sacrificare vellent, quemadmodum in Lycaonia.

Fidelis autem deus quòd sermo noster erga vos,
E non fuit Etiam & Non: Nam dei filius Iesus Christus, qui inter vos per nos prædicatus est, nēpe per me & Siluanum, ac Timotheum, nō fuit Etiam & Non: sed Etiam per ipsum fuit. Quotquot enim sunt promissiones dei, per ipsum sunt Etiam, & per ipsum Amen, deo ad gloriam per nos.

Emergentem soluit obiectionem. Si ignoras, diceret aliquis, an erunt quæ promissa sunt, & frequenter in re aliqua dicis Etiam, & reperitur Non, veremur ne quo modo sermo etiam tuus, hoc est, qui de fide nobis prædicatus est, sit Etiam, & Non: ideo ait, Sanè quòd me vēturum fuerim pollicitus, meum erat: ideo quoque irritum fuit: prędicatio ve-
F rò dei est, nec irrita erit. Nam fidelis, inquit, deus, id est verax. *Quòd sermo noster.* Siquidē sermo ait, & prædicatio nostra non fuit Etiam & Non: sed Etiam erit & Etiam. Nam propterea verax, quia nō fuit Etiam & Non. Deinde quoq; dicit quis sermo non fuerit Etiā & Non, sed incōcussus permanserit. *Nam dei filius* (inquit) *qui inter uos prædicatus est, non fuit Etiam & Non*: hoc est, non nūc quidem taliter, alio verò tempore taliter prædicatus est. *Sed etiā per ipsum.* Hoc est, fixa sunt & inconcussa quæ prædicata fuerūt, ducentia ad ipsum Christū. Propterea autem eorū multitudinem recenset qui prędicarūt: dicēs per me & Siluanū, ac Timotheum: Rursumque collectim. *Per nos.* hoc modo & fide dignam

reddens prædicationem,& animi modeſtiā exhibens:quum A
ſuos diſcipulos Siluanū ac Timotheum ſocios dicit prædicationis. *Sed etiā per ipſum.* Non ſubuerti,inquit,quæ prius Iohann.
in prædicatione dixeram,neque nunc quidē hoc,nunc verò illud vobis diſſerui:hoc enim non fidei eſt,ſed mentis erroneæ:ſed Etiam per ipſum fuit:hoc eſt,quod dixi,inconcuſſum & firmū manet. *Quotquot enim ſunt promißiones dei.* In prædicatione multa ſunt ꝑmiſſa, reſurrectio mortuorū,adoptio,ſpes futuri ſeculi. Ait ergo,Nō ſolùm prędicatio ſemper eodē modo ſe habet, ac prædicata eſt,ſed etiam promiſſiones quæ in ipſa ſunt:dei enim ſunt. Aut promiſsiones dicit ipſam prędicationē: Nam hoc ſignificat coniūctio Enim. Siquidem multo antè tēpore fides in Chriſtum ꝑmiſſa eſt. *Per ipſum Etiam.* Quæcūque promiſsiones dei, Etiam & Amen habēt per ipſum deum. Nam ἐν αὐτῷ capitur pro δι' αὐτοῦ, id eſt, In ipſo, pro Per ipſum. Quum enim cōplentur, habent Etiam & Amen in hoc, vt per nos dei gloria augeatur. B
Aut hoc modo. Quotquot enim promiſsiones dei ſunt, per ipſum habēt Etiam,& Amen per nos: acſi diceret, Ipſe quidem ſuis promiſsionibus dat Etiam: per nos autem hoc facit, vt glorificetur deus,quòd per homines tanta faciat.

Porrò qui confirmat nos vnà vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos, deus, qui etiam obſignauit nos, deditq; arram ſpiritus in cordib⁹ noſtris. Ego verò teſtem inuoco deum in animam meam,quòd parcens vobis nondum venerim Corinthum : non quòd dominemur fidei veſtrę, ſed adiutores ſumus C
gaudii veſtri. Nam fide ſtatis.

Quoniam dixit,Per nos complētur promiſsiones,interpretatur illud, & ait,Tāquam per nos quidem qui miniſtri ſumus,facit:ipſe tamē pater qui confirmat, & qui dedit,cōplet ſuas promiſsiones. Quòd ait, Qui cōfirmat nos,&c. aut per defectū dictum eſt, vt deſit integra ſentētia:aut per defectum ſolius dictionis Eſt: Putà, Qui confirmat nos,aliáq; Pho.
facit, Deus eſt. Quòd ſi ſic per defectum ſit dictionis,oportet diſtinctionē ponere ad dictiones, Qui vnxit nos, vt cōſequenter perfecta diſtinctione ſubiūgatur deus: vt ſit ſenſus,

D Deus est qui cõfirmat nos, & qui vnxit nos, & qui obsignauit nos, & qui dedit arrã spiritus in cordibus nostris. Et manifestũ est, ꝙ etiam hæc mẽbra quæ sequũtur ad dictionem Deus, perfecta distinctione legẽtur. Si verò per defectũ integrę orationis intelligatur, & eadẽ prima periodus vsq; ad dictionẽ Deus, quæ in medio ponitur, legetur, & itẽ quod ordine sequitur. Propterea autẽ erit difficultas, quia id quod deficit subaudiẽdum est ad sensus perfectionem, aut tanquã deficiens ad hypostigma, id est distinctionem terminabitur. *Qui unxit nos deus.* Qui in veteri testamento vngebantur, aut sacerdotes erant, aut prophetæ, aut reges: & nũc, inquit, vngimur, vt reges quidem efficiamur, principatũ super affe-
E ctiones habentes: sacerdotes autẽ, propria sacrificantes cor-
Rom. 12. pora: iuxta illud, Vt exhibeatis mẽbra vestra hostiam viuẽtem: prophetę verò, tanquam magna edocti mysteria. Vngit autem & obsignat pater per spiritũ sanctum: nã hæc, inquit, vnctio & obsignatio arra est paracleti. Siquidem ob id non dixit, Qui dedit spiritum, sed arram spiritus, futurorũ spem confirmans. Etenim arra omne pactum confirmat ac stabi-
1. Cor. 2. lit. Itaque & nunc arra spiritus confirmat nobis futura bona, quæ oculus non vidit, & auris nõ audiuit. *Et qui dedit arram spiritus.* Extrinsecus subaudiendum est, Qui confirmat nos in Christũ, qui vnxit & obsignauit, deditq; arram spiritus in cordibus nostris, ipse, inquit, est qui suas cõplet promissiones. Considera quomodo manifestissimè sanctã designauerit trinitatem. Pater qui cõfirmat nos in Christum, &
F qui vnxit per spiritum sanctũ, ipse etiam complet promissa. Dictionem autem complet à communi sensu subaudito, propter vnam trium personarũ diuinitatem. *Quòd parcens vobis.* Quum superius dixerit, quòd suæ non fuerit potestatis, aliò missus à spiritu, quomodo nunc dicit, Parcens vobis non veni Corinthum? Et dicimus quòd quãdo permissus fuit à spiritu vt proficisceretur, eo quòd parceret, nõ est profectus. Aut vnà cum spiritus ꝓhibitione etiam id impedimento fuit. Aut etiam in hoc ab ipso prohibitus est. Erant enim quidã qui peccauerant, nec resipuerãt, horúmq; expe-
Infrà 12. ctauit resipiscẽtiam: & propterea dixit, Parcens. Permissum autem ei fuerat, vt etiam delinquentes puniret, cuius rei te-
Acto. 13. stis quoq; est Elymas magus. Nõ *quòd dominemur fidei uestræ.*

Hoc est, ob fidem non dominamur vobis: siue non propter-ea facti estis fideles, vt subiiceremini ac puniremini à nobis. Nam si etiam id fuisset, ipsi, inquit, fide stetistis, nec opus est parcere aut punire causa fidei. Hoc autē dicit emergentem soluens obiectionem. Tanquam enim futuri essent qui indignarentur ac dicerent, Quid ais ꝙ nobis peperceris? An propterea credidimus vt à te audiremus ꝙ pepercisses nobis? ꝙ si non pepercisses, quid vtique? an punisses nos? an suppliciis tradidisses? Ne igitur hæc cogitent, præoccurrit dicens: Non dixi Parcens vobis, acsi occasione fidei potestatem ac dominium in vos accepissem & puniendi & parcendi, sed Parcens dixi, nolens vos contristari. Si enim lugens ad vos venissem, scio ꝙ ipsi quoque videntes me lugentem, vtique luxissetis: ego autem ediuerso adiutor sum spiritualis gaudij vestri quod erit, si opere quod me contristat sublato à vobis, venero ad vos cum gaudio. Siquidem vos quoque mecum spiritualiter gaudebitis, Deinde tanquam subdubitans quispiā diceret, Quid ergo? fugis ac detestaris ꝙ nos mœreamus? rursum subiungit, Nō semper, sed oppositis, inquit, modis idipsum interdum & prosequor & amo, quando ex luctu vestro lucrum inuenio, nempe vestrā salutem. Non semper autem vos contristari volo, sed emendatos potius, in gaudio & exultatione esse. *Sed adiutores sumus.* Quoniā arrogantiæ videbatur esse quod dixerat, Parcens vobis: Illis enim parcit quispiam super quos autoritatem habet, curat hoc & ait, Non ꝙ potestatem habeam in fidem vestram dixi, Parcens vobis. (Fides siquidem mētis est ac electionis: nec quisquam nolentem cogit ad credendum) sed quia adiutores, inquit, sumus gaudij vestri, propterea dixi, Parcens vobis. Et animaduerte quidnam hoc sit. Ego, inquit, circa vos oblectatus, in hoc vobis auxilio sum, vt & vos gaudeatis in mea, quæ propter vos est, oblectatione. Si ergo venissem, propter eos qui peccauerant nequaquam gauisus fuissem: lugens autem, vos quoque in luctum coniecissem: peperci ergo & abstinui à profectione, ne vobis occasio essem tristitiæ. *Nam fide statis.* Dicens Fide statis, ostendit ꝙ in aliis lapsi essent, quod etiam in sequentibus manifestat, nempe in fine epistolæ.

Pho.
A
B
C

Sed hoc decreui apud memetipsum, non iterum Cap. 2.

D cum mœrore ad vos venire. Nam si ego mœrore
vos afficiam, & quis est qui exhilaret me, nisi is qui
mœrore afficitur ex me? Et hoc ipsum scripsi vo-
bis, ne si venissem ad vos, dolorem caperem ex his,
ex quibus oportebat me capere voluptatem, fidu-
ciam hanc habens erga vos omnes, quòd meũ gau-
dium sit omnium vestrum.

Quod ait Iterum, ostendit iam se quoque mœrore pro-
pter eos fuisse affectum. *Nam si ego mœrore uos afficiam.*
Hæc dictio εἰ capi potest pro εἴτε, id est, siue aut licèt, & ni-
hil ex hoc obscurum aut absurdum inuenio: Est autem con-
E ciliatiuus sermo. Ait enim, Quanquam mœrore vos afficiã
obiurgando & auersando vos in hoc ipso tamen exhilaror,
quòd tantùm vobis curæ sim, vt compungamini ex mea a-
uersione ac mœrore. Nam quid me, inquit, adeò delectat,
αἴσθησις. vt * sensus eorum qui obiurgantur? hic enim coniectan-
dam offert vtilitatem quæ ex obiurgatione successura est.
*Et hoc ipsum scripsi uobis.* Quando aut quid scripsit? in fine
præsentis epistolæ. Scripsit autem inducens eos qui delique
rant ad resipiscendum, & ait, Ne quum venero rursum de-
Infrà 12. primat me deus, & lugeam multos eorum qui antea pecca-
uerunt, nec resipuerunt. Hoc ergo, inquit, antea scripsi vt
corrigentur, & non haberem mœrorem à vobis, à quibus,
dum vosipsos corrigeretis, gaudium me habere oportebat.
F *Fiduciam hanc habens erga uos omnes.* Et hoc, inquit, statuẽs,
non quòd solùm me gaudere velim, sed & vos. Confido e-
nim quòd fratrum correctio, & mihi pariet gaudium & vo-
bis: nam meum gaudium occasio est & vestri gaudij, adeò
me diligitis.

Nam ex multa afflictione & anxietate cordis scri
psi vobis per multas lachrymas: non vt mœrore af
ficeremini, sed vt cognosceretis charitatem quã ha-
beo abundantiùs erga vos. Quòd si quis contrista-
uit, non me contristauit, sed ex parte, ne aggrauem
omnes vos: sufficit istiusmodi increpatio hæc quæ

facta est à pluribus: vt ediuerso magis condonetis & consolemini, ne quo modo tristitia nimia obsorbeatur huiusmodi. A

Quoniam ergo fratrum correctio commune gaudium conciliat, plurimùm illam cupio: & quum non perficitur, doleo, ac defatigor. Reprehensiones itaque & obiurgationes quas scripsi, ex afflictione & anxietate cordis scripsi: non ad hoc nitens vt contristaremini (nam hoc etiam aliàs stultum esset) sed vt spiritualiter & ad correctionem contristaremini. Attamen hoc non dicit, sed volens ipsis obsequi, ait, Vt charitatem meam cognosceretis. Me siquidem anxiari ac mœrere eo quòd vos peccetis, maximæ indicium est charitatis ac dilectionis. *Abundantiùs erga uos.* Plus, inquit, quàm erga cæteros meos discipulos. Nam multi credentes ac probati erant Corinthi. *Sed ex parte, ne aggrauem omnes uos.* Maius aliquid dicere voluit, & ostendere totum ecclesiæ corpus particeps esse mœroris: at cæteris fidelibus prętermissis, solùm meminit Corinthiorum: hoc enim significat Ex parte, & Ne aggrauem. Deinde eximium ac paternũ amorem detegit dicens, *Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc.* Vult per hæc charitatem confirmari erga eũ qui scortatus fuerat, de quo priore scripsit epistola: omnes siquidẽ ex huius præcepto fuerant eum auersati. Et vide quid agat. Participes efficit ipsos tristitiæ, tanquam omnibus propter id quod factum fuerat ex æquo contristatis, vt etiam veniæ quæ datur fiant quoque participes: & ait, Quòd si quis contristauit, illum dicens qui scortatus fuerat, non me contristauit solùm, sed & vos in parte: nam hoc significat In parte. In parte autem dixi, inquit, ne aggrauem, hoc est, aduersus illum exacerbem, omnes vos. Aut hoc modo cum hyperbato. Contristauit omnes vos in parte: hoc autem dixi, ne eum qui scortatus fuerat aggrauarem, dicendo ipsum cõtristasse tantum populum. *Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc.* Propterea neque superiùs neque nunc nomen eius apponit, metuens ne quo modo eius appellatione rursum efferuesceret aduersus eum Corinthiorum animus. *Vt ediuerso magis condonetis.* Non solùm, inquit, increpationem soluite, verumetiam consolemini eum, & in priori ordine ac

Margin: B; Theod.; C

D dignitate habetote. Nam oppoſita eſt cõſolatio increpationi. Conſidera verò ꝙ ne exiſtimet is qui ſtuprum commiſerat ſe ſufficienter pœnitentiã egiſſe, ac ita deinceps ſegnior fieret,ait,Condonetis. Etſi, inquit, dignus non eſt qui tanquam debitam accipiat veniã,vos tamen condonate,ne quo modo nimia abſorbeatur triſtitia,quemadmodum Iudas ab immodico mœrore. Vel abſorbeatur à Satana. Significat autem abundantem illius dolorem ac luctum.

Quapropter obſecro vos,confirmate in illũ charitatem. In hoc enim ſcripſi vt cognoſcam probationem veſtri,an ad omnia obedientes ſitis. Cui verò cõdonatis aliquid,& ego condono. Nam & ego
E ſi quid condonaui,cui cõdonaui,propter vos cõdonaui in perſona Chriſti, ne circumueniamur à Satana. Non enim illius cogitationes ignoramus.

Iam non vt præceptor iubet,ſed tanquam patronus iudices deprecatur. *Confirmate in illum charitatem.* Non vtcunque, ſed firmiter: Maximam autem Corinthiorum oſtendit virtutem,ꝙ adeò immutati eſſent, vt de quo prius inflati e-
1.Cor.5. rant ac ſeſe iactabant (nam & vos, inquit,inflati eſtis) nunc odium irreconciliabile conceperant. *Vt cognoſcam probationem ueſtri.* putà quæ in obedientia conſiſtit. *In hoc enim ſcripſi,* Hoc eſt,propterea hæc ſcripſi vobis,vt cognoſcam vtrũ ſicut audiſtis me,& voſipſos ab illo ſeparaſtis,ita quoque in
F hoc me audituri ſitis vt illũ recipiatis. Hoc ſignificat, An ad omnia obedientes ſitis. Itaq; non ſolùm propter illius ſalutem ne nimia abſorberetur triſtitia ſcripſit : verumetiã adhortari eos vult ad obediẽdum. *Cui uerò condonatis aliquid.* Vide autem ꝙ ipſos primo loco collocauerit, ſeipſum verò in ſubſequenti. Deinde autem ne audientes, Cui verò condonatis aliquid,dominos ſe eſſe arbitrentur ad dimittẽdum & non dimittendum,ſeipſum quoque adiungit dicendo, Et ego. Propter vos autem condonaui,inquit. Intellexeram enim me ex hoc fore vobis gratũ. Deinde ne exiſtiment propter homines ipſum aliquid condonaſſe, ſubiungit, *In perſona Chriſti:* hoc eſt,ſecundum Chriſtum hoc faciens, & tãquam in conſpectu Chriſti hoc agens. Aut in perſona Chri-

sti,hoc est,ad gloriam Christi,vt ipsius nomen &persona de A
benignitate glorificetur. Siquidem gloria Christi est suorũ benignitas discipulorum. Si ergo quod fit,ad gloriam Christi fit,quomodo potestis non ignoscere, aut illũ non recipere? *In persona Christi.* hoc est, ad gloriam Christi, aut tanquam ipso Christo etiam hoc iubente,quod potissimùm eis persuasit. *Ne circumueniamur à Satana.* Hoc,inquit,dico,ne à Satana decipiamur. Nam si ita relinqueretur, & nimia tristitia absorberetur, futurum esset vt à diabolo circumueniremur: ille siquidem rapiens quod suum non esset, Christi gregẽ diminueret, & corpus nostrũ dissiparet: omnes nãq; inuicem mẽbra estis. N*on enim illius cogitationes ignoramus:* ꝙ variæ ac dolosæ sint,malúmque machinantes. Neq; enim ex eo duntaxat ꝙ in fornicationem coniiciat: verumetiam B
ex mœrore qui in resipiscentia sumitur, potest ad desperationem supplantare, si fuerit immodicus. Quandoquidem ergo & ex eo ꝙ peccamus,& ex eo ꝙ resipiscimus,facilè ab eo capimur,an non planè circumuenimur?

CAPVT III.

*De utilitate per ipsum præstita his qui idonei essent,per quam etiam commendari se dicit.*

CAeterùm quũ venissem Troadem ad euangelium Christi,& ostium mihi apertum esset per dominum:non habui relaxationem spiritu meo,eo ꝙ nõ inuenissem Titum fratrem meum, sed quum C
illis valedixissem,abii in Macedoniam.

Non vulgari modo peregrinatus sum,sed ad euangelium, hoc est,ad illud prædicandum. E*t ostium mihi apertum esset.* Vult dicere ꝙ præter afflictiones, etiã Titi absentia ipsum afflixit,ostendens quantum sit fratre priuari. Nec tamen dixit, Non prædicaui,aut salutis eorum qui ad fidem accedebant curam non habui, sed Non habui relaxationem spiritu meo:hoc est, mœrebam & anxiabar. Prædicatio itaque ob hoc non accepit impedimentum. Et tanta fuit,inquit,tristitia,quòd quum etiam apertum esset mihi ostium,hoc est,& plures essent discipuli &sermo curreret,tamen angebar super absentia Titi. His Titi vtilitatem ostendit,quia sine il-

D lo,licèt apertum eſſet oſtium, non tamen habuit relaxationem,eo ꝙ ille non adeſſet. Hoc autem dicit & Titum commendans Corinthiis (Rurſum enim ipſum ad eos miſſurus erat)& proprium circa illos oſtendens ſtudium.Quanquam enim adeò vtilis & in prædicatione & in omnibus eſſet Titus,ipſe tamen illorum præponit vtilitatem : ideo & emiſit ad eos & emittet,quum ipſe multùm egeret eius præſentia. *Sed quum illis ualedixiſſem.* Quum valedixiſſem, non eſt acſi diceret,Quum elegiſſem non prædicare. Minimè.Quid enim hoc eſſet,ſi propter Titi abſentiam impedimentum acciperet euangelium ? ſed quaſi diceret , Non tanto tempore apud illos permanſi, quantum illi voluiſſent : idque fortaſſis etiam permittente ſpiritu , faciebat tamen aliquid Titi
E abſentia . Fortaſsis autem vtilis quoque erat ad prædicationem Titus.

Deo autem gratia , qui ſemper triumphare nos facit in Chriſto : & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.Quoniam Chriſti bona fragrantia ſumus deo in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt : his quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam . Et ad hæc quis idoneus ? Non enim ſumus vt plerique cauponantes verbum dei , ſed velut ex ſynceritate , ſed velut ex deo,in conſpectu dei per Chriſtum loquimur.

F Deinde poſtquam multos recenſuit dolores quos in Aſia & Troade acceperat , ſic vt ad eos proficiſci non potuerit: ne verba hæc exiſtiment eſſe lugentis , ſubiungit, *Deo autem gratia* † *qui triumphare nos facit.* Hoc eſt,gratias agimus deo qui nos manifeſtat , ac conſpicuos eſſe facit , per hoc ꝙ malis afficimur,manifeſtat autem, per victorias ac trophæa quæ aduerſus diabolum habemus. Nam hoc ſibi vult Triũphus.In hoc enim ꝙ mala patimur,cõſurgunt aduerſus diabolum victoriæ. Siquidem quò plus patitur quiſpiam,plus vincit, *In Chriſto.* Hoc eſt , per , ſiue propter Chriſtum & prædicationem. *Et odorem notitiæ ſuæ.* Odor notitiæ duo ſignificat,& ꝙ cæleſtis prædicatio vnguentum ſit, & ꝙ non omnibus reuelata ſit ac manifeſta , quod etiam alibi dicit,

† τῷ θριαμβεύοντι ἡμᾶς.*i. qui nos per triumphos reddit manifeſtos.*

Cerni-

Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate. Quemadmodũ enim odor indicat quidem alicubi eſſe vnguentum, non tamen ipſam manifeſtat præſentiam eius quod ſpirat: ita quoque notitia quę per prædicationem habetur, oſtendit quidẽ ac docet eſſe deum, at qualis ſit per eſſentiam, non ita. *Manifeſtat per nos.* Nam veluti thuribulũ, inquit, ſumus huius vnguenti ac cęleſtis incenſi, ipſius odorem vbiq; circunferentes. *Quoniã Chriſti bona fragrantia ſumus.* Non ſolùm, inquit, bonã fragrantiam prędicamus, verumetiam nos apoſtoli bona fragrãtia ſumus, quæ à Chriſto deo veluti emergit. Quomodo? Aut noſipſos ſacrificantes, aut externis afflictionibus quotidie morientes, & in Chriſti victimas reputati. *In his qui ſalui fiunt.* Bona igitur fragrantia ſumus, & bonã fragrantiã prædicamus: ſiue quis ex hoc ſaluus fiat per fidẽ, ſiue pereat per incredulitatem. Quemadmodum enim ſol & mel ab his qui cæcutiunt aut vitio effecti ſunt, nõ iuxta ſuã perſpiciuntur naturã: ſed non ob id ille quidem tenebroſus eſt, hoc autem amarum, ita & nos & prædicatio, quãquã nõnulli ob incredulitatem pereant, non ob id non eſt ſpirituale vnguẽtum: quin potius ex hoc admirandum eſt, ꝙ prauos arguat ac conuincat: quia & vnguẽtum porcos ſuffocare dicitur, & ignis ſpinas cõſumere. Nam ſiue quiſpiã ſaluus fiat ſiue pereat, euangelium in ſua permanet virtute. Non enim ipſius opus eſt perditio, ſed ingratitudinis illorum. *His quidem odor mortis ad mortem.* Non ex propria natura, ſed ex ipſorum malitia. Quandoquidẽ & Chriſtus lapis erat offenſionis & petra ſcandali his qui pereunt. ALIVD. Iuxta inditum cuiq; affectũ, ſuauis odor aut viuificatiuus eſt aut mortifer: quemadmodum ſi idem vnguentum ſcarabeo & columbæ proponatur, non idem in vtroque efficiet: ſed columba quidem robuſtior per ſuauem vnguenti odorem redditur, ſcarabeus verò interimitur. Ita & Paulus diuinum illud incenſum, ſi quis columba eſſet ſicut Titus Siluanus & Timotheus, vnà cum eo participabat in bono vitæ odore, proficiẽs ad omne id quod honeſtum erat, ſumptis ab ipſo exemplis: ſi verò Demas quiſpiam eſſet aut Alexander aut Hermogenes, non ferens temperãtiæ ſuffimentum, ſcarabeorũ more à ſuaui odore fugabatur. *Et ad hæc quis idoneus?* An ad tantam gratiam idoneos vos eſſe putatis, vt Chriſti bona fra-

A 1.Cor.13.
B
Iohan.
C Ieſa.8.28 Rom. 9. Gregor. Nyſſe.

D grantia sitis? nequaquam sed totum gratiæ est. *Non enim sumus ut plerique.* pseudapostolos hic insinuat, qui dei gratiam propriũ opus esse dicebant, & ait. Propterea dixi, Quis idoneus, & deo rem omnem attribui, quia non sum sicut cęteri, nempe pseudapostoli cauponans & alienum faciens donum dei. Quum enim deus donum dederit, dicit autem quispiam quòd suis id laboribus nactus sit, gratiã dei facit alienam. Aut hoc dicit, Propterea his qui pereunt odor mortis est, his autem qui salui fiunt odor vitæ, quoniam non cauponamũr verbum, veluti quidam qui illud commutant & secundum occasiones & personas turpis lucri gratia: sed veritatẽ prædicamus, vt & qui digni sunt salui fiant, & indigni ob

E suam incredulitatem pęreant. Etenim ex synceritate loquimur quæ vidimus & quę audiuimus à Christo. *Sed uelut ex deo.* Sed velut hi qui à deo acceperunt & didicerunt, & qui in conspectu dei loquuntur: & tanquam per Christum, id est, à Christo instructi & edocti loquimur, Papæ quantam veritatem prædicationi asseruit.

Cap.3. Incipimus rursum nosipsos commendare? Num egemus vt nonnulli commendatitiis epistolis apud vos aut à vobis commẽdatitiis? Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ intelligitur &

F legitur ab omnibus hominibus, dum declaratis ꝙ estis epistola Christi, subministrata à nobis: inscripta non atramento, sed spiritu dei viuentis, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carneis.

*Incipimus rursum.* Dicet fortassis quispiam, inquit, quòd hæc dissseramus volentes nosipsos vobis commendare & in mediũ afferre. *Num egemus ut nonnulli.* Interrogatiuè hæc legito. Vtrum nobis opus est aut à vobis ad alios aut ab aliis ad vos commẽdatitiis epistolis, siue quæ nos proponant & exhibeant? Per hoc autem pseudapostolos designat. *Epistola nostra uos estis.* Loco, inquit, epistolæ quæ nos possit in mediũ proponere, habemus vos ac vestram secundum deũ probitatem: indicium siquidem magistri est probitas discipulorum. Quum itaque habeamus vos in modum commendationis erga alios, nequaquam egemus commendatione

ad vos. *Scripta in cordibus nostris.* In mente,inquit, vos habentes,ita vt propter indelebilitatē inscripti esse videamini in nobis,vbique vos circumferimus,& ex vestra virtute habemus apud alios commendationem: quod in priore epistola ait:Sigillum apostolatus mei vos estis in domino. *Quæ intelligitur & legitur.* ex eo quòd vos vbiq; in memoria circumferamus. Itaque per lectionem cognoscimini: Lectionem autem vocat suam de ipsis colloquutionem ac memorationem. *Quòd estis epistola Christi.* Quomodo? Quia lex ac præcepta eius, literarum loco manet ac seruantur apud vos. *Subministrata à nobis.* Nos autem huius notitiæ ac prædicationis ministri erga vos fuimus. Et quemadmodum Moses legis fuit minister,ita & nos prædicationis: & sicut ille tabulas incidit,ita nos corda vestra. Deinde ex hoc ad collationem venit veteris legis ac noui testamēti,& ait: Illa quidem atramento,hoc autem spiritu inscriptum est: illa in lapidibus,hoc in carneis tabulis, hoc est in cordibus: quantò autem spiritus præstantior est atramento, & cor lapidibus:tantò nouum testamentum lege præstantius est veterique instrumento. A 1.Cor.9. Exod. 24 & 34. B

Fiduciam autem huiusmodi habemus per Christū erga deum,nō quòd idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis:sed si ad aliquid idonei sumus, id ex deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non literæ sed spiritus:Nam litera occidit,spiritus autē viuificat. C

Deinde postquam ostendit nouum testamētum maius esse lege veterique instrumento: vnà quoque ex consequenti subintelligebatur apostolos maiores esse Mose veteris instrumenti ministro:ob id enim quòd res sunt maiores,propter hoc ipsum & ministri sed totum deo attribuit,& ait: *Fiduciam autem huiusmodi habemus.* Hyperbaton est Quia idoneitas nostra ex deo est,inquit,& cætera quæ in medio ponuntur,bono sumus animo ac confidimus per Christum habentes vt confidamus: quia nos quidem non sumus idonei ad ministrandum in tanto ministerio,imo ne ad concipiendum quidem mente rei magnitudinē, aut in ipsa quicquam om-

D nino cogitādum: sed quia beneplacuit ipsi vt nos idonei essemus tanto negotio. *Non literæ sed spiritus*. Lex enim literas ferebat, Christi verò prędicatio spiritus superuentionē.
Rom.7. Siquidē lex quoq; spiritualis erat, at spiritū nō tribuebat,
Acto. 8. quod facit prædicatio: ac si diceret: Nobis non literas dare commissum est velut Mosi, sed spiritum. Nam per impositionem manuum apostolorum superueniebat spiritus sanctus. *Nam litera occidit*. Lex, inquit, occidit. Si enim peccantem deprehenderit, interimit eum. Nam qui trāsgressus est, inquit, legem Mosi, sine misericordia sub duobus aut tribus
Heb.10 testibus moritur. Spiritus verò si deprehenderit peccatis mortuos, per baptisma viuificat.

## CAPVT IIII.

E

*De ministerio secundum spiritū & gloria magis diuina quàm ea quæ secundum legem erat.*

QVòd si ministerium mortis in literis deformatum in lapidibus fuit in gloria, adeò vt nō possent oculos intendere filii Israel in faciem Mosi propter gloriam vultus eius quæ aboletur, cur non potius ministerium spiritus erit in gloria? Nam si ministerium condemnationis gloria, multomagis excellit ministerium iustitiæ in gloria. Quandoqui
F dem ne glorificatum quidem fuit quod glorificatū est, in hac parte, propter eminentem gloriam. Etenim si id quod aboletur fuit per gloriam, multomagis id quod manet est in gloria.

Postquam in præcedentibus docuit noui testamenti excellentiam super vetus: quòd illud quidem in lapidibus datum erat & per atramentū, nouum verò in cordibus & per spiritum: vult nunc ostēdere quòd etiā in gloria maius sit nouū. Et quoniam vetus sensibilem habebat gloriam, nempe faciē Mosi, nouū verò intelligibilē: à ratione ostēdit excellentiā: & vide quomodo. Protinus ipsum vocat mortis ministeriū & literis deformatū, & in lapidib⁹: ac si diceret: Nō erat ibi auxiliū aliquod aut remissio, quēadmodum in baptismate,

ſed ſolæ literæ ac ſupplicium ineuitabile, vt quod lapidibus A
inſculptū eſſet. Miniſterium autē mortis dicit legem. Et videꝙ non dixit eſſe mortis effectiuam: neque enim ad peccatum aut mortē impellebat, ſed Miniſterium: Nam legiſlatori erat ad miniſterium, & morte dignos lex interimebat. Legis miniſteriū appellauit mortis miniſterium, quoniā tranſgreſſores lex puniebat. Si igitur vbi ſupplicium ac mors erat, literæque lapidibus inſculptæ, qui hæc ferebat tātam in facie gloriam accepit, multò amplius qui diuino miniſtrant ſpiritui, maiori fruuntur gloria. *Adeò ut non poſſent oculis intendere.* Extollit legis gloriam vt magis augeat gloriam noui teſtamenti. Vel quòd hoc magis accuſatio ſit Iudæorum: nam adeò, inquit, craſsi erant, vt ne ſenſibilem quidem gloriam videre eſſent idonei. *Propter gloriam uultus eius.* Quum ſuperius legis gloriam extuliſſet, nunc eam paulatim extenuat ac tollit, non enim lex gloriam habebat. Sed Moſes: & hic quidem non permanentem habuit gloriam, ſed quæ aboletur ac ceſſat. Nam quia ſuperius extulerat ea quæ legis erant, tollit nunc ipſa, vt vnà auferat & Iudaica. *Cur non potius miniſterium ſpiritus.* Sicut miniſterium mortis legem appellauit, ita nunc ex cōſequenti debuiſſet nouum teſtamentum vocare miniſterium vitæ: ſed hoc quidem tacet, verùm quod maius eſt dicit: ipſum enim vocat ſpiritus miniſteriū, quum etiam habeat poteſtatē dandi vitam. Vocat autem ipſum miniſterium ſpiritus, propter ſpiritus ſancti ſuperuentionem, tanquam præparatiuum ſuperuentionis ſpiritus ſancti. *Nam ſi miniſterium condemnationis.* Ex ratiocinatione cōparationem facit rationi conſonam. Si gloria, inquit, eſt in lege, quæ tamen mortis ac condemnationis miniſtra erat, multò magis conſequitur vt in nouo teſtamento non ſolùm gloria ſit, ſed etiam excellat. Nam excellit, inquit: Quum enim lex deprehendens peccatores, puniret, prædicatio peccatores deprehendens in baptiſmate, non modò ſine pœna dimittit, quum tamen hoc ſatis eſſet: verumetiam iuſtificat & ſanctificat, ac in adoptionem vocat, futurorúmque bonorum ſpem promittit. Vnde etiam nouum teſtamētum vocat miniſterium iuſtitiæ, tanquam impios iuſtificans. *Quandoquidem ne glorificatum quidem fuit.* Et quid collationem, inquit, facio noui teſtamenti ad legē? tanta eſt noui teſtamenti

Theod. B C

D excellentia ac gloria, vt in hac parte conferendo, vetus ne vllam quidem videbitur habere gloriam licèt glorificatum
Theod. sit, si ad nouum conferas. Et hoc est quod ait, In hac parte, nempe cõparationis. Nam tanta est, inquit, ad ministros gratię reditura gloria, vt meritò neque gloriam esse dicat quispiam, eam quæ Mosen sequuta est, si ad hos respiciat. Siquidem lucernæ lux in nocte videtur esse splendidissima, at in meridie occultatur, & ne lux quidẽ esse existimatur. Legem autem dixit aboleri: vt quæ ad Christi præsentiam cessauerit: gratiæ verò donum manere, vt quod finem non habeat. Si ergo illud, inquit, sortitum est gloriam, manifestum est ꝙ istud multò maiorem sortietur. *Quod glorificatum est.* Putà
E lex quæ gloriã habuit per faciem Mosi. *In hac parte.* In parte comparationis seu collationis nulla est Mosi gloria, quãquam glorificatus est. nam si ad nouum conferas testamentum, non fuit glorificatus. *Propter eminentem gloriam,* quam habet videlicet nouum testamentum. *Etenim si quod aboletur fuit per gloriam.* Deinde etiam ex permanentia ostendit excellentiam. Nam si lex, inquit, quæ abolenda erat ac cessatura, per gloriam data est, multò magis nouum testamentum quod semper duraturum est, erit in intelligibili gloria.

Itaq; quum habeamus huiusmodi spem, multa libertate vtimur: & non sicut Moses ponebat velamen ad faciẽ suam ne intenderent filii Israel in finẽ
F eius quod aboletur. Sed obcæcati sunt sensus illorum. Nam vsq; ad diem hodiernũ idem velamen in lectione veteris testamenti manet, non detectum, ꝙ per Christum aboleatur: sed ad hũc vsq; diem quũ legitur Moses, velamen super cor illorum ponitur.

Quoniam auditorum infirmitas non videbat noui testamenti gloriam (neque enim sensibilis erat) sed ad eam bene affecta erat, ad futurum tempus ipsos remittit: ideo quoque spei meminit. Huiusmodi spẽ (inquit) Huiusmodi, Qualẽ? Quòd nos maiora acceperimus quã vetus populus Israeliticus. *Multa libertate utimur.* Quandoquidem igitur nos noui testamenti ministri maiora accepimus, prædicationẽ cum magna libertate prædicamus, nihil occultãtes neque remis-

si,neque veriti ne vestrã percutiamus conscientiam propter prædicationis absurditatem, quẽadmodum Moses feriebat aspectus Iudæorũ. Vos enim pulchritudinẽ quæ est in prædicatione videre potestis: vt nequaquã feriamini intuentes, neque mente neque intelligibili aspectu. *Et non sicut Moses.* Ac si quispiam dixisset, Quare apertè prædicatis, & non in modum velaminis obumbrãdo loquimini? Quare? Primùm quidem confidentes in puritate prædicationis: deinde quia vos quoq; videre potestis eam quæ in prędicatione est pulchritudinem. Neque enim veluti Iudæi cæcutitis. Quantò enim nouum testamẽtum maius est, tantò quoque maior est excellentia eorum qui docentur. *Ne intenderent filij Israel.* Vt intentis, inquit, oculis in faciem eius non perspicerent id quod cessaturum erat ac abolendum ab ea gloria. Volens autem ostendere breuis esse temporis gloriam illam, quantum ad comparationem gloriæ quæ semper maneret in nouo, ait: *In finem eius quod aboletur*, ac si diceret: Quum non potuerint in gloriam intendere Israelitæ, consequens est vt finem habeat ac cesset illa gloria: quæ adeo breuis erat tẽporis, vt simul & inceperit & cessauerit: neq; tamen in illam, inquit, aspicere potuerunt, adeò erant imbecilles. *Sed obcæcati sunt sensus illorum.* Hoc est excæcata est mens illorum, ídq; adeò, vt non tunc solùm Mosi gloriam videre nõ potuerit, sed ne nunc quidem ea quę in lege sunt videre possunt vt oportet. Nam ad hũc vsque diem, inquit, idem velamen habet apud ipsos lectio legis. Quasi enim velata esset lectio, nõ possunt intueri quæ in illa sunt, neque cognoscere quòd per Christum aboletur & cessat lex. At vbi id habet lex, dixerit quispiam, quòd per Christum & per Iesum abolenda esset? Eadẽ ipsa lex dixit. Nam quum dixisset, Prophetam suscitabit vobis deus, subiunxit, ipsum audietis quicquid dixerit, etiam videlicet si quod legi contrarium est dixerit, de Christo loquens. Ipse verò & sabbatha soluit, sanãs in ipsis: & quædam addidit, vt quum diceret, Audistis quòd hoc dictũ sit antiquis, ego autẽ dico vobis. Et quòd propter solum odium nõ esset vxor dimittenda: multáque alia. Deinde autem quia in solo templo præcepit eis deus sacrificare, & in hoc victimas conclusit, deinde illud sustulit: an non manifestum est quòd victimas omniáque legalia sacrificia irrita fecerit? vt & sen-

A B C Deut. 18. Iohan. 5. Mat. 5. 19

D fibili & intelligibili modo lex suiipsius abolitionem cōplectatur? N*on detectum*. ad hoc vt ipsi cognoscant ꝙ per Christum lex aboleatur. Christus enim irritū facit velamen. Nam quum ipse sit veritas, cessare facit vmbram, legisq; ambiguitatem. † Ita habet cētesimo tricesimo primo interpretationis in Lucam. Datū est his qui in paradiso erant pręceptum, sed irritū factum est, & cessauit ac abolitum est. Datum est & tempore Noe, & illud similiter abolitū est ac cessauit. Datum est & tempore Abraham, sed & plurima huius irrita fecit lex, innumeris commutans additionibus, aliáque iubens: Data est lex per Mosen, & hæc quoque aboletur ac cessat: non quòd alia inducta sit, quæ etiam aboleatur: sed quòd alia sit inducta lex euangelica, quæ inæternum permaneat.

Cyrilli.

† οὕτως ἐν βιβλίῳ ρλα τῆς ἑρμηνείας τοῦ λουκᾶ

Pho.

E Omnia itaque priora, abolita sunt: at finis eius quod aboletur, est lex: quoniam post ipsam nulla alia aboletur. Quòd si lex finis est eius quod aboletur, ipsa quoque facies eam inducens, certè finis est eius quod aboletur: quemadmodum etiam euangelij dator in seculum seculi regnat ac regnabit. V*elamen super cor illorum ponitur.* Deinde quoniam dixerat velamen poni in lectione veteris testamenti, ne quis existimaret legis obscuritatem in caussa esse quòd non intelligeretur, manifestius illud dicit, ostendens ipsorum, & non legis esse vitium. Nam velamen, inquit, super cor illorum ponitur, ideo non possunt legis sensum cognoscere. Nam si illum cognouissent, vtique ab ipsa recessissent, & Christo credidissent: id enim vult lex ac iubet.

F At vbi conuersus fuerit ad dominū tolletur velamen, Dominus autē spiritus est: porrò vbi spiritus domini, ibi libertas. Nos autē omnes detecta facie in speculo vidētes, ad eādem imaginem trāsformamur à gloria in gloriam, tanquam à domini spiritu.

Siquidem & Moses ad Iudæos loquens, habebat velamē: ad deum verò accedens, auferebat velamen. Moses enim ipsorum typus erat. Nam & ipsi dum volunt legi hærere, velamen habent, quod eos legem ipsam nō sinit intueri: quum autem conuersi fuerint ad dominum, auferetur eorum velamen. Tunc autem conuertentur, quum relicta lege credent Christo, & gratiā quæ à spiritu est in baptismo acceperint.

hoc in loco dominum dicit ſpiritum. *Dominus autem ſpiritus eſt*. Deinde ne quiſquam infirmiorum auditorũ audiens quòd Moſes ad dominum conuerſus auferebat velamen, ipſe verò quum à Paulo conuerti ad ſpiritum admonetur, putet ſe non ad dominum conuerti, ſubiũgit, Dominus autem ſpiritus eſt. Ne timueris, inquit, etiam ad dominum conuerteris, quum ad ſpiritum conuerteris: nam dominus ſpiritus eſt, eiuſdem maieſtatis, eodem modo adorandus, eiuſdémq; ſubſtantiæ cum patre ac filio. *Ibi libertas* Id dicitur quaſi comparatione ad legem: ibi enim iugum erat & ſeruitus, in fide verò Chriſti libertas. *Nos autem omnes*. Adeò, inquit, in libertate ac generoſitate ſumus, vt omnes nos detecta facie (neque enim apud credẽtes contingit eſſe velamen) gloriam domini intuentes transformamur. Quemadmodum enim argentum Soli oppoſitum, ipſum etiam quoſdã emittit radios per incurſum Solis: ita & nos in baptiſmate per ſpiritum repurgati, & illius radiis illuſtrati, ſplendorem quendã intelligibilem emittimus. Vult autem & ipſos ad apoſtolorum ordinẽ adducere, in eo quod ait, Nos autẽ omnes gloriam domini in ſpeculo videntes, hoc eſt, ſpiritu illuminati. *A gloria in gloriam*. In ipſum, inquit, ſplendorem transmutamur, à gloria ſpiritus ad noſtrã gloriam facta tranſmutatione: & ad talem, inquit, gloriam peruenimus, ad quam veriſimile eſt peruenire eum qui à paracleto illuminatur, & obſcura imagine gloriæ eius inſignitur. Quid ad hæc docere poſſunt qui ſpiritum impugnant? à gloria, inquit, diuini ſpiritus in gloriam noſtram: ac ſi dicat, Inde accipimus.

CAPVT V.

De *diuina gloria, & conſequenti uita, quòd à ſanctis cognoſcatur*.

PRopterea cùm miniſteriũ hoc habeamus, ſicut noſtri miſertus eſt deus, haud defatigamur, ſed reiecimus occultamenta dedecoris: non verſantes per aſtutiam, neque dolo tractãtes verbum dei: ſed manifeſtatione veritatis exhibentes noſipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu dei. Cap. 4.

D *Propterea.* Hyperbaton est. Propterea non defatigamur: propterea, propter quid? Quia talia accepimus. *Quum ministerium hoc habeamus.* Quoniam multa ac magna de apostolis dixerat, putà Gloriā domini in speculo videmus ac trāsformamur. (Quanquam enim sermonem fecit cōmunem dicendo, Nos autem omnes, ad apostolos tamen veluti prima exemplaria dicebātur prædicta) deinceps sermonem de his deducit. Quum enim ministeriū, inquit, habeamus, hoc est, nihil amplius quā ministri prędicationis simus. Deinde ait, Sicut nostri misertus est deus, ostendens ꝙ ne ad hoc quidē digni sumus vt simus ministri: sed & hoc à dei misericordia habemus. *Haud defatigamur.* hoc est non deficimus ad afflictiones, tētationes ac pericula. *Sed reiecimus.* Ad afflictiones quidem non defatigamur sed reiecimus, ac refutauimus
E occultamenta dedecoris: hoc est, talia in occulto facere, quæ manifesta pudorem adferrent. Designat autem pseudapostolos qui habitum quendam pietatis habebant, sed in occulto praui erant. Quomodo autem reiecimus occultamēta dedecoris? Sine versutia ac fallacia viuentes: nam qui ita conuersatur, recusat quicquam facere eorum quæ dānata sunt. *Occultamenta dedecoris.* Etiam occultamentis, inquit, dedecoris interdicimus, id est, nihil confusione dignum ne in occulto quidem perpetramus, sed in afflictionibus non succūbimus vt & vos videtis: neque vel mente aliud quicquam cogitamus confusione dignum: hoc est, neque negligētiam, neque
F hæsitationem seu ambiguitatem, neque ingratitudinem, neque aliud quippiā huiusmodi vel mente recipimus: sed quēadmodum in manifesto non defatigamur, ita neque in occulto quicquam erubescentia dignum cogitamus: sed omnia ruboris occultamēta reiecimus. Deinde, *Non uersantes per astutiam, &c.* Siquidem versutiæ ac doli est aliud exterius ostendere, aliud autem cogitare. *Neque dolo tractantes uerbum.* Nec solùm inquit vitam ac cōuersationem sine versutia instituimus, sed neque dolo tractamus verbum dei siue prędicationem: aut quæstum ex ipso sectantes, aut iuxta temporū ac personarum varietates nosipsos commutātes: & nūc hoc, nunc autem illud docentes: quod pseudapostoli faciebant. *Sed in manifestatione ueritatis.* Nihil, inquit, occultū apud nos est, neq; aliud occultamus, aliud autē loquimur: sed per ma-

nifestationem veritatis nosipsos in medium proferimus ac exhibemus quales sumus apud omnem conscientiam hominum. Nam pseudapostoli non per manifestationem veritatis, sed simulando veritatis personam, ostendebant seipsos, non coram deo, sed tantùm vt iis placerent qui fallebantur. *Apud omnem conscientiam hominum.* Omni, inquit, conscientiæ hominum, siue credentium siue non credentium, nosipsos ex nostra conuersatione commendamus. Quoniam homines latêre contingit, illósque decipere, deum suæ conscientiæ præfecit inspectorem. A Pho.

Quòd si adhuc velatum est euangelium nostrũ, in his qui pereunt velatum est, in quibus deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen euangelii gloriæ Christi, qui est imago dei. Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum dominum, nosipsos autem seruos vestros propter Iesum. B

Quoniam dixerat ꝙ apud omnem hominum consciẽtiam se ostendisset per veram manifestationem, hoc est, prædicationem, aduersabatur autem ipsi ꝙ non omnibus esset manifesta prędicatio, quod planum est ex his qui non crediderũt, ait, Non illud nos accusat, aut euangelij obscuritatem, sed illorum perditionem ac cæcitatem. *In quibus deus huius seculi.* Eorum qui extra gregem sunt Christi, alij ab initio increduli fuerũt sermoni prædicationis, alij crediderunt quidem, sed quia non habebant terræ altitudinem rursum à fide resilierunt, quos omnes Paulus dicit pereuntes: nunc tamen ipsi sermo est de his, qui ab initio ipsi non crediderũt. His enim omnino velatum est euangelium, & ait: In hominibus qui pereunt, nec omnino crediderunt, excæcati sunt sensus, ne fidei splẽdorem susciperent. Deum autem huius seculi Manichæi quidẽ & Marciones aiunt malum dici deũ: siquidem duo sunt apud illos dij: nos verò eum dicimus, qui omnibus præsidet: sed quemadmodum deus cæli & terræ dictus est, & deus præsentis diei, & deus Abraham, & Isaac, & Iaacob, nec ob id cęterorũ deus non est: ita hoc quoque intellige, deus huius seculi. Aut cum hyperbato hoc C *Iudith. 5.* *Exod. 3.*

D modo, incredulorum huius seculi. Nam hic increduli sunt,
Philip.2. tunc autem omne genu se flectet, & omnis lingua confitebitur Christo, quum venerit in paterna gloria. Cyrillus verò huius seculi dicit deum eum, qui incredulis existimatus est esse deus, nempe Satanam (hūc enim colebant) primo libro
Iohan. aduersus Iulianum. ALIO modo. Hoc est, Incredulorum huius seculi excæcauit deus sensus, nam futurum seculū incredulitatem non habet. *Excæcauit sensus incredulorum.* Nō ꝙ hoc ipse fecerit: Absit: sed ꝙ fieri permiserit propter liberum arbitrium: vt etiam alibi ait, Tradidit illos deus in
Rom.1. affectus ignominię, acsi diceret, Tradi permisit. Quoniā enim à Christo recesserunt, reliquit eos: nam volentium est salus, non coactorum: non ꝙ etiam nocumentum acceperint,
E qui infideliter affecti erant, & illustrati sunt luce Christi, veluti debilis aspectus radio Solari. *Ne illucesceret illis.* Vide ꝙ non dixerit Excæcauit eos ne crederent, sed Ne illucesceret illis, ostendens ipsos primùm non credidisse, &
Mat.7. ita postea indignos effectos lumine. Nam & ipse quoq; dominus ait non esse proiiciendas margaritas ante porcos. Et bene ponitur, Illucescere. Nunc enim obscurum habemus vitæ cognitionis defluxum, & tanquam à Sole lucidissimo tenuem splēdorem. Hoc alibi quoque significat dicens: Videmus nunc per speculum in ænigmate: Et arram habemus
1.Cor.13. spiritus, ac odorem cognitionis. *Euangelij gloriæ Christi.* Gloria enim Christi est euangelium. Christus siquidem glorificandus est ob innumera: ꝙ creauerit, ꝙ creata conseruet,
F ꝙ omnia gignat, ac viuificet, maximè autem propter crucē, cuius præco est euangelium. *Qui est imago dei.* Tanquam in transcursu dicit, quid sit quod euangelium contegat incredulis: quòd deus, inquit, crucifixus sit. Nā imago patris est, per omnia ei similis. Quia enim nouit Apostolus dici imaginem, quod per omnia ęquale est, ac simile, vide quid alibi di
Hebr.10. cat. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem: imaginem dei appellando Christum, tanquam deum de deo: siquidem in seipso ostendit patrem,
Iohan.14 ideo ait, Qui vidit me, vidit patrem. *Non enim nosipsos prædicamus.* Superiùs dixit, Non versantes per astutiam, neque dolo tractantes verbum dei. Quomodo? quia nosipsos non prædicamus, sed Christum dominum. Nosipsos autem ser-

nos vestros propter Iesum. Hoc verò dicens, ipsorum designat præceptores, de quib⁹ scripsit Corinthios dicere, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollô, ego verò Cephæ, qui etiam dominabantur eis. A

Quoniam deus qui iussit è tenebris lucem illucescere est, qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationẽ cognitionis gloriȩ dei in facie Iesu Christi.

Quare teipsum dicis seruum nostrum? Quare? quia amati estis, inquit, à deo. Ipse enim qui ab initio iussit, vt à tenebris lux illucesceret, est is qui illuxit, hoc est, hic illuxit in cordibus nostris. Illuxit autẽ illuminans nos, ac reuelans sui notitiam & gloriam. *In facie Iesu Christi.* hoc est, per faciem Christi. Nam per filium accepimus veram patris cognitionem, quemadmodum ipse dicit in euangeliis loquens ad patrem: Manifestaui nomen tuum hominibus, & glorificaui te super terram. Et manifestatum est nobis per Iesum ꝙ sit pater, & ꝙ non velit nidore ac sanguine adorari, aut placari: quódque in trinitate eiusdem essentiæ, eiusdémque potentiæ colitur deus. Vnde etiam dictus est magni consilij angelus. *Ad illuminationem cognitionis.* Vide quomodo Paulus sanctæ trinitatis omnimodam similitudinem, eundémq; honorem manifestet vocans sanctam trinitatem Lucem Lucem Lucem. Superiùs de spiritu loquens, gloriã, inquit, hoc est, lucem domini in speculo videntes, ad eandem imaginem transformamur. Rursum de filio, Ne illucesceret illis lumẽ euangelij gloriæ Christi: Nunc de patre ait, Ad illuminationem cognitionis gloriæ dei.

B

*Iohan.17.*

*Iesa.9.*

C

CAPVT VI.

De *infirmitate iuxta corpus, & corporis depositione, plenáque resumptione.*

HAbemus autem thesaurum hunc in vasis testaceis, vt virtutis eminentia sit dei, & non ex nobis: dũ in omnibus præmimur, at non anxii reddimur: hæremus, at non deprimimur: persecutionem patimur, at non in ea deserimur: deiicimur, at non perimus: semper mortificationem domini Iesu

D in corpore circumferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur.

Etiam quæ nunc ponuntur, consequentia sunt ad ea quæ superiùs dicebantur. Quoniam nos, inquit, apostoli sumus prædicationis ministri, quum indigni tanta eius gloria simus, tanquam aurum in vasis testaceis ferentes. *Et non ex nobis.* Vt nullus, inquit, sibiipsi tanquam digno tribuat quod acceperit, sed totum dei sit potentiæ, qui idonea habuit vasa testacea ad auri susceptionem. *Dum in omnibus præmimur.* Adeò, inquit, totum est potentiæ dei, quòd licèt testacei simus, in tantisque circumagamur tentationibus & afflictionibus, non frangimur nec perdimus eum qui in nobis est thesaurum, In omnibus, inquit, & locis & negotiis. Eum
E verò qui præmitur non anxiari, aut anxiũ reddi, est dei gratiæ. *Hæremus.* Incerti sumus quid facere oporteat ad bellum, ac persequutionem vndique insurgentem: at non intãtum vt etiam opprimamur, hoc est, vt cadamus ac vincamur. *Persequutionem patimur.* Persequuntur quidem homines, at deus in ea non deserit. Neque enim permittit vt succumbamus, sed vt exerceamur. *Deiicimur.* Et quod ad magnitudinem, inquit, afflictionum attinet, iam deiecti sumus: at dei gratia non perimus: hoc est, in ambiguis ac perplexis rebus portum salutis inuenimus. *Semper mortificationem domini.* Mortificationem, inquit, domini nos quoq; vbique circumferimus, vt indies vbique moriamur. Nam indies morior, inquit, per vestram gloriationem, vt etiã resurrectio domini fiat nota per corpus nostrum. Nã qui resurrectioni domini non credit, quum videat nos indies morientes, indies tamen viuere, iam nequaquam rationabiliter incredulus permanebit.

Theod.

1.Cor.15.

F

Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Itaque mors quidem in nobis agit, vita verò in vobis. Cæterùm quum habeamus eundem spiritũ fidei iuxta illud quod scriptum est, Credidi, idcirco loquutus sum, & nos credimus, idcirco etiam loquimur.

De eodem rursum dixit, Propterea, inquit, à deo permittimur tradi in mortem, vt manifestetur ꝙ surrexit Christus. Qui enī indies nos suscitat, certè seipsum quoq; excitauit. AVT hoc modo. Propterea nosipsos in mortem tradimus, vt vita domini manifestetur, & agat in nobis. Quando? nēpe in futuro seculo: Acsi diceret, Nunc propter Christū nosmetipsos in mortem tradimus, vt Christus tunc ab intellectuali morte condemnationis nos liberet, & ad vitam ducat intellectualem: Itaque mors quidem, Vt hoc cōsequens sit, inquit, mortem quidem agere, ac vim habere, & operationē in nobis, vitam verò in vobis: Acsi diceret, Nos morimur propter prædicationē, vt vos viuatis per ipsam, vita illa incorruptibili ac æterna, credentes in Christum. Afflictiones & anxietates, mortiferæque calamitates, inquit, hæc nūc operantur in nobis. Fides verò ac pietas (quæ vera vita est) in vobis. Pietas enim siue cultus dei vita est, quum incorruptibilem, indeficiētem ac sempiternam vitam in cælis cōciliet. *Cæterùm quum habeamus eundem spiritum fidei.* Quum eūdem spiritum cum Dauid habeamus, eadem etiam cum ipso loquimur, putà credidi, idcirco loquutus sum. Nam quum in superioribus resurrectionem, considerationibus ac rationibus astruxerit, eandem nunc ex fide inducit. A Pho. B

Scientes quòd is qui suscitauit dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitabit, & constituet nobiscum. Nam omnia propter vos, vt gratia quæ exundauit, pluribus gratias agētibus, exuberet in gloriam dei. Propterea non defatigamur, sed quanuis externus homo noster corrumpatur, internus tamen renouatur in dies singulos. C

Hoc autem loquimur scientes ꝙ pater qui dominum suscitauit, nos quoq; suscitabit. Vnde hoc scientes? ex fide videlicet. *Nos quoque per Iesum suscitabit.* Ipse enim veniet per præceptum, per vocem archangeli, per tubam: & suscitabit mortuos, suóque sistet tribunali. *Nam omnia propter vos.* Hoc loco ipsos instruit, ꝙ de resurrectione cæterisque beneficiis, nulli hominum, sed soli deo agendæ sint gratiæ. Pseudapostoli enim sibiipsis gratiam attribuebant, qua-

D si deus illa tribuisset, exhortationibus ipsorum ad deum ducentibus. *Nam omnia propter uos.* Bona videlicet seu beneficia, non propter hunc aut illum, sed propter communem vtilitatem. Hoc autem factum est, inquit, vt gratia dei exundaret, dum multis tribuitur, hac verò exundante, etiam gratiarum actio ad deum simul exundaret. *Propterea non defatigamur.* Quoniam ergo nouimus omnia quæ in nos facta sunt ad gratias deo agẽdas terminari, non defatigamur, neq; succũbimus ad afflictiones. Externum autem hominem vocat corpus, quod corrumpitur dum flagellatur, ligatur, ac persequutionem sustinet, interiorem verò hominem, animã quę rursum, inquit, viescit singulis diebus spe & gaudio, & quia nouit quòd id pro deo patiatur.

E

Nam momentanea leuitas afflictionis nostrę mirè supra modum æternum gloriæ pondus parit nobis, dum non spectamus ea quæ vidẽtur, sed ea quæ non videntur. Nam quæ vidẽtur, temporaria sunt: at quæ non videntur, æterna.

Vide conuersionem, vt audeas sustinere afflictiones, & in illis confidere. Nam momentanea, hoc est, breuissimi tẽporis, inquit: breuitas tẽporis est ad hoc, vt cesset afflictio. Non fuit autem satis dixisse Momentanea, sed addit etiam leuitas. Aeternum glorię pondus parit? Nec vtcunque hoc, sed mirè ac supra modum id facit. Et considera retributio-
F nis exundantiam. Siquidem momentaneo rependitur æternum, leuitati pondus, afflictioni gloria. Et nec in his quiescunt retributionum exundantiæ, sed addit etiam Mirè, & Supra modum. *Dum nõ spectamus.* Quoniam afflictionem quæ grauis est, dixit leuem, enarrat quomodo leuis sit præsens afflictio. Si non consideremus, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Nam si futura præsentibus opponas, leuia apparent præsentia: sunt enim temporalia, illa verò æterna.

Cap. 5. Scimus enim quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex deo habemus domicilium non ma-

nufactum æternum in cælis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro quod è cælo est superindui desiderantes. Si certè induti, non nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quòd nolimus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita. A

Quoniam tractaturus est de resurrectione sermonem, ad quem Corinthij infirmius affecti erãt: anticipat illos dicẽs. Scimus, tanquam ipsi quoque scirent, nec de resurrectione ambigerẽt. ALIVD. Multa in superioribus narrauit, ostendens ꝙ etiam ad cõmodum sit factum, vt & afflictiones corpus cõsumãt, nunc quod plus est dicit, quòd etiam omnimoda corporis corruptio quę fit per mortẽ, vtilis est. Nam incorruptionẽ ipsam à corruptione accipimus. Vide autẽ quãtam excellentiam comparatione ostenderit. Nam hoc terrenum, illud cæleste, id est sumens è cælo incorruptionẽ, hoc domicilium est tabernaculi (quod facilem significat dissolutionem) illud æternum. Deinde etiam illud dicit non manufactũ: nec hoc certè corpus manufactũ vituperat, sed illius auget encomia. *Si terrenum nostrum domicilium.* Terrenum quidẽ domiciliũ est, breuis quæ hic agitur vita. Corpus verò tabernaculum est nostrarũ animarũ. Aliud est enim domiciliũ, & aliud tabernaculum cuius est domicilium, & aliud nos quorũ est propriè tabernaculum. Si igitur domiciliũ, inquit, tabernaculi nostri dissoluatur, hoc est, breuis quę hìc agitur vita, habebimus domicilium non manufactum, id est vitam æternam, quæ non opus habeat nostra opera, aut nostris manibus ad sui constitutionẽ. Bene autẽ ad præsentis vitæ cõparationem dixit futuram non esse manibus factam: nam præsens manibus habet cõstitui, nempe per cibum, potum, indumentum. Ita diuus habet Methodius libro de resurrectione. ALIVD. Terrenum domiciliũ dicit præsentis vitæ cõseruationem, tabernaculũ verò corpus. Si nunc finem accipiunt præsentia, domicilium habemus non manufactũ æternum, ac cæleste. ALIVD. Terrenum tabernaculi domiciliũ vocat corpus. *Aedificationem ex deo habemus.* hoc est renouationem, resurrectionem. *In cælis.* id est prǽpa-

Pho. B

C

D ratam in cælis, incorruptibilem, nempe per gratiã cœlestẽ. Nam ἐν τούτῳ, id est, in hoc, capitur pro διὰ τούτου, id est, per hoc. *Gemimus*. Vos, inquit, gemitis vt verisimile est, ꝙ corpus vestrũ afflictionibus corupatur: nos autẽ quibus certa est spes resurrectionis, gemimus ꝙ nõ penitꝰ corrũpatur. Quam ob rem? Quia cupimus nostrũ corpus superindui incorruptibilitate: Bene autem superindui: nam mortale hoc corpus superinduit incorruptibilitatẽ. *Domicilio nostro*. Nõ dixit Tabernaculo, sed domicilio, significãs firmã mãsionẽ ac habitationem. ALIVD. Domicilium hoc loco vocauit

Theod. incorruptibilitatẽ. Nõ dixit autẽ Indui, sed Superindui: quãdoquidẽ nõ aliud induimus corpus, sed corruptibile hoc superinduit incorruptibilitatẽ. Quod è cælo est. Non quòd è

E cœlo descẽdat, sed quòd à deo incorruptibilitatem accipiat. *Si certè induti non nudi reperiemur*. Hoc est, tanquam à nobis

Iohan. corpus auferatur, non sine corpore ibi sistemur, sed cum eodem, facto incorruptibili. Quidam tamen dicunt. Si certè superinduti nõ nudi reperiemur. Siquidem ne omnes à resurrectione fiduciam sumant, ait: Si certè induti, hoc est accepta incorruptibilitate, & corpore incorruptibili, nõ gloria nudati inueniemur. Resurrectio nanq; cõmunis erit omniũ, at gloria nõ itẽ æqualis, sed alij quidẽ erũt in honore, alij verò in cõtumelia. N*on nudi reperiemur*. Ne ex sola resurrectione corporumque immutatione existimẽt rem omnem

F per actã esse, subiũgit: Si certè incorruptibilitate ipsa induti, nõ nudati reperiamur gloria & honore. Siquidẽ incorruptio his quidẽ in malũ, illis verò in bonũ erit: perpetuò durare faciẽs & honores & supplicia. *Gemim*ꝰ. Gemimꝰ inquit, nõ cupiẽtes à corpore liberari, sed ab eius afflictionibus & affectionibus liberari cupiẽtes. Nõ enim corpus exuere, sed superinduere incorruptionẽ concupiscimus. O*nerati*. Quoniam opponebatur ipsi cõmunis hominum gloria. Quid, inquit, gemis, vt aufferatur corpus? at omnes homines gemũt ne moriantur. Neq; nos gemimus vt auferatur à nobis corpus & exuamur, sed vt superinduamus incorruptionẽ. Non enim ideo, inquit, grauamur quòd adsit corpus, sed quòd mortale & corruptibile sit. *Propterea quòd nolimus exui*. Nam ἐφ᾽ ᾧ capitur pro ἐπειδὴ, id est, quãdoquidem aut quia. *Vt absorbeatur mortalitas à uita*. Superindui, inquit, studemus

vt quod nunc mortale & corruptibile corpus est, absorbeatur ab immortalitate & incorruptibilitate. A

Porrò qui formabit nos in hoc ipsum deus est: qui etiam dedit nobis arram spiritus. Itaque firmi semper ac scientes, quòd quum præsentes sumus in corpore peregrinamur à domino (per fidem enim ambulamus & nō per speciē) Cōfidimus autē & cupimus magis foris agere extra corpus, & præsentes esse apud deum. Et iccirco contendimus, siue domi præsentes, siue foris peregre agētes vt illi placeam⁹. B

Quis, inquit, hāc faciet corporis immutationē? Quis? Deus qui in hoc ipsum nos formauit, vt simus incorrupti & immortales. Ostendit autē hoc modo nō recentem esse de hoc opinionē: sed nos ad immortalitatē quidē creatos esse: porro quoniā diaboli inuidia mors in orbē ingressa est, rursum alterā nobis viam deus inuenit ad immortalitatem. *Qui etiā dedit nobis arrā.* Et ꝙ ad hoc vt immortales efficeremur formauerit nos, ex eo manifestum est, ꝙ spiritū dederit nequaquam illis daturus, qui tales futuri nō essent: Vbiq; autē arram spiritus dicit, debitorem ipsum reddēs, vt etiā det quod perfectū est. *Spiritus.* Ipse, inquit, immutationem faciet ad immortalitatē. Nā hoc extrinsecus subaudiēdum est. *Quòd quum præsentes sumus in corpore.* Rectè quum præsentes sumus, tanquā in aliena patria versantes. Aduenæ enim sumus & peregrini. Hoc autē vult dicere: Firmiter sciētes ꝙ in corporali vita permanere, arcet nos à cōuersatione cum Christo: cupimus magis foris quidem agere extra corpus, sed esse cū Christo. *Per fidem enim ambulamus.* Ne quis dicat, Quid ergo? quum sumus in corpore alieni sumus à Christo? subiungit. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem, ac si diceret: Propterea dixi peregrinamur à domino: nam ipsum nunc per fidem videmus. Per ipsam enim ambulamus, & veluti deducimur ad eius cognitionem, tūc autem per speciē, hoc est proprio intuitu: quod etiā alibi dixit: Cernimus nūc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. *Confidimus autem* Aꝺ .i. autem parelcon est & abundat. *Et cupimus magis foris agere extra corpus.* Quia igitur scim⁹ quid fa-

Sapi.2. C Psal.38. 1.Cor.13.

D ciat præsentes esse ad dominum, confidenter cupimus foris agere extra corpus: & hoc, inquit, desideramus. *Et icciro contendimus.* Quòd ait φιλοτιμούμεθα, aut idem significat quod annitimur, aut etiam gloriamur. *Vt illi placeamus.* Ne enim existiment sibi sufficere foris agere erga Christũ, subiungit, vt illi placeamus. Id nanque aut beatam efficit apud ipsum præsentiam: aut miserrimam, si ei non placeamus.

Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt referat vnusquisque ea quæ facta sunt per corpus iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malũ. Sciẽtes igitur terrorem illum domini, suademus hominibus, deo verò manifesti sumus. Spero autem nos, & in consciẽtiis vestris manifestos esse.
E

Deinceps etiam â tristioribus terret. Attamen facta mentione tremendi tribunalis, nõ solùm tristitia, sed & cõmodiora refert, ex his quę ibi accident. *Quæ per corpus.* Ea quæ per corpus ab ipso administrata, seu peracta sunt, inquit, Referet autẽ iuxta ea quæ fecit, siue bona, siue mala. Quoniam enim ad honesta, & etiã ad ea quæ nõ sunt huiusmodi, obsequutũ est corpus animæ, vnà etiã cũ ipsa retributionẽ accipit. Et hoc ora obstruit dicẽtiũ aliud tũc suscitari corp⁹. Neq; enim quũ aliud corpus peccauerit, aliud supplicio affici
F debet: neq; quũ aliud egregia pręstiterit, aliud coronari aut præmiari oportet. *Iuxta id quod fecit:* πρὸς ὃ ἔπραξεν. Vel ad id siue cũ eo quod operatum est. Siquidẽ nõ anima nuda hæc refert, sed per corpus, hoc est iuxta ea quæ operata est, vnà patiẽs, vnàq; gloriã suscipiẽs cũ collega corpore. Ita habet diuus Methodius libro de resurrectione. *Scientes igitur terrorem illum domini.* Illud ait tribunal, & dignam repensionẽ. *Suademus hominibus.* Propterea suademus, ne quẽ vestrũ offendamus. Neq; enim solũ adfert dãnationẽ, aliquid perpetrasse eorũ quæ praua sunt, verumetiã existimari facere, suppliciũ adducit, si quum possemus huiusmodi tollere suspitionem, cõtemnimus. ALIO modo. Cõsilij & exhortationis est quod ait. πείθομεν, id est suadeam⁹: ideo etiã per ω lõgũ scribẽdũ est. *Deo verò manifesti sumus.* Deo enim qui cũcta nouit suadere non oportet. *Spero autem nos, & in conscientiis*

*uestris manifestos esse*. Spero autem quòd neque vos offendemus, sed quales sumus, tales & in cognitione vestra sumus. Nam hoc est quod ait, in conscientiis vestris. A

CAPVT VII.

*De Pauli erga deũ amore, ac fraterna secundũ deum dilectione.*

NOn enim rursum nosipsos commendamus vobis: sed occasionem damus vobis gloriandi de nobis, vt aliquid habeatis aduersus eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. Nam siue insanimus, deo insanimus: siue sani sumus, vobis sani sumus.

Continuè suspitionem purgat qua videri posset gloriari, & ait, Ad hos sermones venimus, nõ nosipsos cõmendantes, hoc est extollentes aut collaudantes, sed vobis occasionem prębentes gloriãdi de nobis aduersus pseudapostolos. Nam quia illi detrahunt nobis, vt vos possitis de nobis gloriari, ad hos, inquit, veni sermones. *Vt aliquid habeatis*. Extrinsecus subaudiendum est, Aliquid quod in nostri defensionem respõdeatis, aliquid quod dicatis, aliquid quod gloriemini. *Aduersus eos qui in facie gloriantur*. De pseudapostolis dicit, qui omnia ad placendum hominibus, & ad gloriæ amorem faciebant: & personam quidem habebant pietatis ac sanctimoniæ, bonis autem operibus vacui erãt: hoc enim est quod addit, Et non in corde, eo quòd intus nihil haberent boni. *Nam siue insanimus*. Siue, inquit, magnifica loquimur: hoc est nanq; quod ait, Insanimus siue extra nos ferimur (Siquidem insanientiũ est magnifica & fastuosa loqui) propter deũ hoc facimus. Quo modo? Ne vos existimãtes nos viles, despiciatis nostram prædicationem. Siue modestũ aliquid dixerimus, propter vos hoc facimus, vt vos animo modestos esse doceamus. Aut hoc modo. Si quispiam insanire nos existimet, à deo mercedem accepimus: propter quem tales habemur: si verò sobrios esse, ipse quomodo fruatur, quod ex sobriè degendo prouenit. AVT alio modo. Si insanimus, inquit, propter deum insanimus. Nam propter vestram salutem, quæ deo curæ est, huiusmodi loquimur: vt vbi cognoueritis quinam simus, salui sitis, credentes his quæ à nobis prædicantur. Si autẽ sapimus, credite. ALIO modo. Bene Pho.

B

C

D ad prędicta subiūxit. Siue insanimus, &c. Dixerat enim. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse: nō enim rursum nosipsos commendamus: siquidem non egemus commendatione erga vos. Siue enim quispiam insanire nos dixerit, ad deum hoc refertur, ac futuro eget iudicio nō vestro: quod etiam alibi dixit. Mihi autem indignissimū videtur, vt à vobis iudicer, sed qui iudicat me, dominus est. Siue igitur insanimus, inquit, ad deū non ad vos referendū est huiusmodi iudicium. Siue cuiquā omnino sapere uidemur, vobis potius quàm quibusuis aliis existimandum est nos sapere. Nam sigillū apostolatus mei, ait alibi, vos estis per dominum. Oportet itaq; vos ita de nobis sentire, ac existimare, Nec id solùm, verumetiā aduersus eos qui in facie gloriantur, eadē de nobis & dicere, & contendendo asseuerare.

1. Cor. 4.

1. Cor. 9.

E Charitas enim Christi constringit nos, iudicantes illud, quòd si vnus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt: & pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, posthac non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit. Itaq; nos posthac neminem nouimus secūdum carnem. Porrò etiam si cognouimus Christum secundū carnem, nunc tamen non amplius nouimus.

Christi, inquit, dilectio cōtinet nos in officio & impellit, F nec segnes esse sinit ad labores pro vobis assumptos. Ideo etiam hæc loquimur, inquit, vt vos salui sitis, existimādo nos fide dignos esse. Nouit enim suadere discipulis præceptor probus. *Iudicantes illud.* Continet, inquit, nos & impellit Christi dilectio, quādoquidem hoc verū esse iudicauimus. quidnam? *Quòd unus pro omnibus mortuus fuit.* Quoniā omnes homines mortui erant, ideo etiam pro omnibus mortuus est, *Vt qui uiuunt, posthac non sibi uiuant.* Si ergo non oportet nos viuere nobisipsis, meritò hoc nitimur & nos facere ac persuadere: meritò autem & vos accedentes despicere debetis afflictiones. *Sed ei qui pro omnibus mortuus est.* Tres sunt debiti occasiones propter quas oportet nos conari vt omnia propter dominū faciamus: vna quoniā ipse nos formauit: altera quia propter nos mortuus est: tertia quia

primitias noſtras, hoc eſt ſuam propriã carnem propter nos reſuſcitauit & in cælos introduxit, vt & te illuc introduceret vbi ſunt primitiæ tuæ. Vide quò ſermonem deduxerit. Nam quæ omnino fuiſſet diuino verbo neceſsitas vt humanitatem aſſumeret ac incarnaretur, niſi hoc prouidè exegiſſet & per hoc procurata fuiſſet noſtra reparatio ac reſurrectio. *Neminem nouimus ſecundũ carnem.* Quoniã igitur omnes mortui erãt peccato, & viuunt propter Chriſtum, neminem agnoſcimus qui viuit ſecundũ carnem, hoc eſt iuxta veterem cõuerſationem quæ erat in peccatis: huiuſmodi enim mors eſt & non vita. At nunc qui verè viuunt, ſecundũ ſpiritũ viuunt, regenerati nanq; ſunt per baptiſmũ: ideo quoq; nouam habent vitam & non veterem. *Secundũ carnem*: nẽpe viuentem, & adeò, inquit, nullus poſthac ſecundum carnem viuit (illa enim nõ eſt vita ſed mors) quod & Chriſtus vt oſtenderet vitam ſecundũ carnem eiectam eſſe, & nunc nos ſecundum ſpiritum viuere, ipſe quoque deſiit ſecundum carnem viuere. Quomodo? non ꝙ corpus dimiſerit: Minimè: cum ipſo enim vt ſibi proprio, venturus eſt omnium iudex, ſed liber ab afflictionibus vtpote fame ac ſiti, ſomno ac labore: nunc enim impatibile ac immortale corpus habet. *Porrò etiam ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem.* Quemadmodum apud nos ſecundũ carnem eſſe, dicitur eſſe in peccatis: & ſine his eſſe, dicitur eſſe non ſecundum carnem: ita quoq; apud Chriſtum ſecundum carnem eſſe dicitur, naturalibus ſubiici afflictionibus: non ſubiici verò, eſſe non ſecundũ carnem. Sed quemadmodũ ille, inquit, liberatus eſt, ſic & nos. Ita habet Clemens quarto informationum libro.

A B C

Proinde ſi quis viuit in Chriſto, noua creatura eſt. Vetera prę̨terierũt, ecce noua facta ſunt omnia. Omnia autem ex deo qui recõciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum: deditq; nobis miniſterium reconciliationis, quandoquidẽ deus per Chriſtum recõciliabat mundum ſibi, nõ reputans eis peccata ſua: & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis.

Si quis viuit in Chriſto, inquit, hoc eſt in fide vel per fidem ipſius, noua creatura eſt, ad nouam enim ac iuuenilẽ ve

D nit vitam (Siquidem supernè nati sumus per spiritũ) vt viuat, non vita quæ in peccatis agitur, sed quæ in spiritu. *Vetera præterierunt.* Quænam vetera? Aut peccata dicit & impietates, aut cũcta Iudaica. ALIO modo. Quomodo autem vetera præterierunt? anima ac corpus nobis innouata sunt, nempe purificata per baptismum: datum est nouũ testamentum pro veteri: pro terrena Ierusalem, cælestis: pro templo sensibili, templum spirituale: pro tabulis lapideis, carneæ tabulę: pro circuncisione, baptismus: pro mãna, corpus dominicum: pro aqua data ex petra, sanguis dominicus: pro virga Mosi, crux: pro terra promissionis, regnũ cęleste: pro innumeris sacerdotis iuxta legẽ institutis, vnus põtifex Christus: pro immaculata oue siue agno, filius dei: pro nudo nomine adoptionis, vera adoptio. Noua siquidem creatura di-
E cta est, & conferendo ad vitam quæ in peccatis agebatur, & ad mores ac præcepta secũdum legem datam. *Omnia autem ex deo.* Hæc autẽ omnia, inquit, ex deo data sunt, qui nos sibiipsi reconciliauit per filiũ suum mediatorem. Neq; enim nos ad eum accurrimus, sed ipse nos vocauit per cædẽ ac immolationem filij sui. *Deditq; nobis ministeriũ recõciliationis.* O profundam immensamque benignitatẽ ac humanitatem. Non enim postquam filium suũ legatum ad reconciliationẽ miserat, & ille interẽptus fuerat, deinceps nos neglexit, sed filio quoque mortuo nobis apostolis rursum credidit ministerium reconciliationis. *Quandoquidem deus per Christum.* Etenim primũ inquit, id ante passionem, deus, nempe pater, per Christum medium siue mediatorem, mũdum sibi recon-
F ciliabat. *Non reputans eis peccata sua.* Ita enim & non alio modo poterat fieri reconciliatio, vt primùm remitterentur peccata, ac si ita pœnam expetiisset peccatorum: & sic nullus relictus est qui iam reconcilietur. *Et posuit in nobis sermonẽ.* Pater itaq; etiam ante passionem per filiũ reconciliabat sibi mundum, qui nunc quoque posuit in nobis sermonem ac ministerium reconciliationis. Nam quoniam filius suus crucifixus est, nos reliquit qui exhortaremur ad recõciliationem eos qui sunt super terram. Vidisti magnitudinem ineffabilis bonitatis? Nihil igitur graue venimus ad imponendum vobis, sed vt vos erga deum amicos efficeremus.

Pro Christo itaque legatione fungimur, tãquam

deo per nos exhortante, rogamus pro Christo reconciliemini deo. Eum nanque qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia dei per illum. A

Deum immortalẽ quò rem ipsam extulit? Christi, inquit, nomine legatione fungimur: nos enim eius opus in nos recepimus. Loco igitur Christi legatione fungimur, tanquam patre per nos exhortante. Siquidem ille non tantũ per Christum exhortatur, sed illo etiam crucifixo, nunc per nos exhortatur. *Rogamus pro Christo reconciliemini deo.* Pro Christo itaque legatione fungentes, etiam pro Christo exhortamur & rogamus, recõciliemini deo. Vos enim hostes estis: & qui odio habetis, vos itaque recõciliemini, ad amicitiam reuertamini. *Eum nanq; qui peccatũ non nouerat.* Animaduerte Pauli artificium ac sapiẽtiam. Deinceps tanq̃ legatus causam que ponit qua persuaderi possint. Vt nihil, inquit, priorum dicam, ꝙ contumelia affeceritis etiã bene de vobis meritum, quòd pœnas non expetierit, ꝙ prior reconciliari cupierit: at ob id saltẽ quod nunc fecit, nõne æquum est vt ipsi recõciliemini? Et quid illud est? Eum, inquit, qui peccatum non nouerat, hoc est, filium suum qui ipsa est iustitia & sanctificatio: pater fecit peccatum, hoc est, tanquã peccatorem aliquem, pœnísque obnoxium, crucifigi permisit. Nõ dixit autem Peccatorem, sed quod maius est, Peccatum, Mortuus est autẽ Christus non abs re, aut nullam nobis adferẽs vtilitatẽ, sed vt nos iustos efficeret. Alij hoc modo interpretantur: Peccatum dicitur victima quæ pro peccatis immolatur: quemadmodum ait propheta, Peccata populi mei comedẽt: id est victimas pro peccatis. Victimam igitur quę pro peccatis offerretur, fecit pater filium. *Peccatum fecit.* Hoc est, vt tanquam peccator condemnaretur. *Vt nos efficeremur iustitia dei per illum.* Nõ dixit, Iusti efficeremur, sed ipsa iustitia, quod maius erat: Deiq; ipsius iustitia. Dei autẽ iustitia, non quæ esset ex operibus, sed vt eo remittente ac veniam dãte, iustificaremur ἐν αὐτῷ hoc est δι' αὐτοῦ id est per spiritum.

B | 1. Cor. 1. | Oecum. | C | Osee 4. | Cap. 6.

Cooperantes autem etiam exhortamur ne in vacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim, In tempore

D accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nullam in re vlla demus offensionem, ne reprehendatur ministerium.

Hæc quidem fecit deus, inquit, per filium suum, nos verò etiam cooperantes & exhortantes persistimus, vos quidem exhortantes, deo autem cooperantes. etenim hoc ipsi studiũ est vt vos salui sitis: quod etiam alibi dicit, dei cooperatores sumus: & hinc est vt in hoc persistamus, inquit, *Ne inuacuum gratiam dei recipiatis.* Exhortamur nos apostoli vt dei beneficium recipiatis, & nõ repellatis illud: & non cõtingat vt in vacuum aut sine vtilitate gratia accedat ac recipiatur

1. Cor. 3.

E deo: siquidem per fidem reconciliatos in priori vita permanere, nihil aliud est quàm in vacuũ ac frustrà dei gratiã accedere, & eos qui illam acceperãt in nullo iuuari. Nam si ipse quidem peccata cõdonauerit, nos verò rursum eisdẽ implemur, quod accedet inde lucrũ? *Ecce nunc tempus acceptabile.* Et quale est tempus acceptabile aut dies salutis? dies doni ac gratiæ. Præsens, inquit, tempus est in quo peccatorũ conceditur remissio, & iustitia gratis donatur. Quoniã igitur tempus est gratię, meritò in hoc, inquit, exaudiui te: acsi diceret vbi venerit iudicij tempus, iam non facilè quis exaudietur. Qui igitur tẽpore gratiæ in bona conuersatione studiosè se gerit, facilè brauia assequetur, & à deo exaudietur. Eos enim qui etiã in plurimis deliquerunt, suscipit, remittẽs ipsis peccata sua. *Nullam in re ulla.* Sententia hoc modo cõnectitur.

F Cooperantes, inquit, & exhortãtes persistimus, nullam cuiquam dantes offensionem. Considera verò in ordine narrationis consilium: tãquam diceret, Ita in omnibus meam vitam ac conuersationem dirigo, vt non dico accusationis, sed nec indignationis locum cuiquam tribuam: ne quis ministerium ac opus nostrum reprehendat. Ipsis enim pedem offendẽtibus, meritò indignatio in prędicationẽ reçurreret. * Dicere enim poterãt apostoli, nisi quispiam boni ac commodi esset prędicatio, malis etiam hominibus illud cõcrederetur. Dicens autem hoc, propemodũ ait illis. Oportet nos curam rectæ vitæ habere, ne ad fidem indignatio & accusatio recurrat. Nam ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

* Aut, fortaßis enim dicebant, Græca sic habent ἴτι-ποτε ἄρ.

Matt. 7.

Sed in omnibus exhibeamus nosipsos,vt dei mi- A
nistros in tolerantia multa,in afflictionibus, in ne-
cessitatib⁹,in anxietatibus,in plagis,in carcerib⁹, in
instabilitate,ĩ laborib⁹,in vigiliis,in ieiuniis,ĩ synce
ritate,in sciẽtia, in longanimitate,in benignitate,in
spiritu sancto,in charitate non simulata, in sermo-
ne veritatis, in potẽtia dei,per arma iustitiæ dextra
ac sinistra, per gloriam & ignominiam, per conui-
tia & laudes: quasi impostores,sed veraces: quasi i-
gnoti,sed noti : quasi morientes , sed ecce viuimus: B
quasi correpti,sed non occisi: quasi dolentes,sed cõ
tinuè gaudentes:quasi pauperes,sed multos ditãtes:
quasi nihil habentes,sed omnia possidentes.

Non solùm,inquit, studemus puri esse ab accusationibus, ac indignationibus siue quærelis : verumetiam in omnibus nosipsos exhibuimus ac ostẽdimus vt dei ministros . Quomodo autem id fieri potest? & quomodo ostendit sese quispiam dei ministrum nisi per conuersationem ac vitam? Vide sanè ꝙ non dixerit , Appareamus , sed Exhibeamus siue demonstremus , quòd ostensionem in se continet per opera & veritatem. *In tolerantia multa*. Omnia virili animo ferentes C quæcunque in nos dicta fuerint:ideo etiam addit Multa: Et consequenter recenset in quibus positi & viriliter sese habentes exhibuerint sese dei ministros, *In necessitatibus*. Afflictionum intensionem designant necessitates, nempe quãdo ineuitabiles fuerint aut magnæ. *In anxietatibus*. Difficilis admodum, inquit , erat liberatio. *In carceribus*. Id etiam si solum fuerit,molestum nimis est: quum autem simul omnia concurrunt, vide quantum sit certamen. *In instabilitate*, quando exagitatus non habebat vbi pedem figeret. *In laboribus*. Quæ hactenus dicta sunt,ab inimicis in ipsum inuecta sunt: consequenter ea quoque dicit quę sibimet ipse inferebat,quasi non illa suffecissent.Labores autem dicit, & quòd manibus ipse operaretur, & fatigationes quas propter prædicationem subibat. *In synceritate*. Synceritatem Theod. vocat modestiam, & exhibitũ sine sumptu euangelium,ser-

D uatámque in omnibus puritatem. *In scientia.* In dei sapientia quæ vera est scientia non sicut pseudapostoli qui ob humanam sapientiam cristas erigebant. ALIVD. Acsi dicat, Et circa notos, & circa ignotos nitamur nos exibere longanimes ac vtiles: Nam quod ait ἐν ἀγνότητι, hoc est, ἐν ἀγνοίᾳ. i. in ignorantia, & non ἀγνείᾳ. i. castitate vel puritate † Aliud ἀγνότητ@, id est, synceritatem dicit pecuniarum despectum, neq; enim à Corinthiis in necessarios vsus acceperat. Scientiam verò, doctrinam vt opinor. *In longanimitate.* Adamantino opus erat animo, vt vndique cæsus non tantùm longanimis, sed & benignus esset. Siquidem maledicimur, inquit, sed benedicimus: *In spiritu sancto.* Deinde ostendit vnde huiusmodi fuerit animus, In spiritu, inquit, siue per spiritũ E perseuerauimus. Tunc autem spiritus auxilium posuit, quũ ea adduxit quæ sua erant. *In charitate non simulata.* Hoc cũctorum est causa bonorũ, hoc talem ipsum reddidit, hoc spiritum manere fecit. *In sermone ueritatis.* Quod alibi dicit, Non dolo tractantes verbum dei. Deinde etiam. *In potentia dei,* per quã omnia, inquit, operati sumus, omnia enim deo attribuit. *Per arma iustitiæ dextra ac sinistra.* Si vultis, inquit, discere vnde aut quibus mediis hæc bona peregimus, audite. Per arma iustitiæ dextra ac sinistra: quæ & si inter se videntur contraria, tamen arma iustitiæ sunt. Dextra autem dicit quæ tanquam dextra videntur, hoc est, honores & existimationes apud homines: ob quæ non intumescimus, inquit, neque elati aut arrogantes facti sumus ad inanem glo-F riam. Propterea ergo arma iustitiæ facta sunt, Sinistra verò quæ his contraria sunt, vtpote tentationes, persequutiones, iniurias, quibus non sumus consternati neque deuicti, acsi diceret, Semper iidem mansimus, neque prosperis elati, neque aduersis molliores effecti. ALIO MODO. Sinistra vocat quæ videntur esse tristia. Sed quum hæc mercedẽ habeant, cur ea hoc modo appellat? Aut iuxta multorum opinionem, aut quia iussit nos deus precari ne induceremur in tentationem. *Per gloriam & ignominiam.* Deinde recenset dextra ac sinistra. Et considera ꝙ honores qui ab hominibus adferũtur, in proprium bonum opus numerat, Nouit enim quanta res sit non capi fastu ob exhibitos honores. *Quasi impostores, sed ueraces.* nempe per laudes & infamias. Qua-

† *Sic quidẽ Theodoret⁹. Nos tamẽ cum reliquis interp̃tibus uertimus* ἐν ἀγνότητι *In synceritate ut sit ab* ἁγνος. *i. mũdus, purus, cast⁹.*

Sup.4.

Iohan.

Mat.6.

*si ignoti, sed noti.* Hoc etiam est gloriæ & ignominiæ. Quibusdam enim noti erant, ac plurimùm ab illis obseruabãtur: alij verò ne nosse quidem ipsos dignabantur: *Quasi morientes.* Si vehementiam videlicet ac conatum spectes eorum qui nobis aduersantur. *Sed ecce uiuimus.* Ex diuina potẽtia. *Quasi correpti.* hæc autem permittit deus, corripiens quidẽ ac erudiens nos, non tamen vsq; ad mortem derelinquens. *Quasi dolentes.* Apud extraneos quidẽ propter illa quæ patimur, dolere existimamur: semper tamen & in omnibus cõtinuè gaudemus. Vide sanctam Pauli animam. Non solùm tentationes viriliter ferebat, verumetiam in ipsis gaudebat, sciens ꝙ propter Christum illa pateretur. *Quasi pauperes.* Perdurauimus quasi mendici: sed multos ditauimus, aut spiritualibus diuitiis, aut etiam terrenis. Siquidem omniũ habebant apertas domos siue familias, quę faciebant quicquid iuberent apostoli. *Quasi nihil habentes.* Nam nihil habens, omnia habebat: præcepta enim orbi dabat. Etenim si fieri, inquit, potuisset, oculos vestros effossos dedissetis mihi. Licet autem & hæc de spiritualibus accipere. Qui enim arcana verba audierat, an non omnium ditissimus erat? A B Gal.4.

Os nostrum apertum est erga vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est: non estis angusti in nobis, sed angusti estis in visceribus vestris. Eandem autem remunerationem, vt filiis dico: dilatemini & vos, ne declinetis ad incredulos. Quod enim consortium iustitiæ cum iniquitate? aut quæ cõmunio luci ad tenebras? aut quę concordia Christo ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo dei cum idolis?. C

Vbi propria percurrit certamina, venit ad sermonem de conuersatione, vitęque ratione. Primùm autem nititur persuadere quòd amplius illos diligens, minus diligatur, & ait, *Os nostrum apertum est.* Hoc est, non possumus silere erga vos, semper vobis loqui cupimus: quod amãtium proprium est, & ingenua libertate loquentium. ALIO modo. Hoc est, facultatem & audaciam nobis tribuistis, vt os apud vos aperiremus. Siquidem quando quispiam feruenter amat, a- Pho.

D Iij verò non pari modo redamant, occaſionem ac facultatem amanti præbent, vt pluribus ſuam cauſam erga ipſos iuſtificet ac probet: apertum eſt, inquit, multitudine ac vi iuſtificationum: nobiſque tacere volẽtibus, ipſum tamen, illis intus ſubſcaturientibus ac ſurſum ſalientibus, apertum eſt: & labia ad loquẽdum aperit, ac diſtendit, & iuſtificãtes rationes aggreditur, Deamamus, inquit, & cordis patimur inflammationes: dilatamur corde & gaudemus, amorique ſubdimur. Vos autem velut anguſti eſtis. Si nos in viſceribus veſtris ſuſceperitis, non cõtinebitis nos in ipſis: ſed neque vos exhibetis tanquam remunerationem explẽtes cum his qui magnũ amoris affectum erga vos auſpicati ſunt, ſed, quod grauius eſt, incredulorum amorem præponitis amori E noſtro, qui vos amplius diligimus. Ego autem vobis tanquam filiis dico, ſaltem velut remunerationem ac retributionem exhibentes, dilatemini & vos ac ſuſcipite nos ſicut & nos ſuſcepimus vos in viſceribus noſtris: ac diligite eximentes voſipſos & arcentes ab amore infidelium, quemadmodum naturaliter dirempta ac ſeparata ſunt à ſe inuicem fides ab infidelitate, iuſtitia ab iniuſtitia, lux à tenebris, Chriſtus ab Antichriſto, ipſe fidelis ab infideli, templum dei à téplo idolorum. Si eſtis ergo iuſtitiæ, lucis, Chriſti, eſtis fideles, & templum dei, ſeiungamini ac ſeparemini à tenebris, ab iniuſtitia, ab Antichriſto. Hæc enim infidelium ſunt, & eorum qui ſeipſos præpararunt in templa idolorum, à quibus vos diremptos ac ſeparatos eſſe oportet. Nam tunc do-F minus quoque ſuſcipiet vos, & inhabitabit in vobis ac inambulabit, rectas faciens omnes ſemitas ac colles. Aut hoc etiã modo, Os *noſtrum apertum eſt*. Hoc eſt, parati ſumus ac inſtructi vt vos omnia doceamus cũ ſimplicitate & lato corde: ideo vos quoque promptè nos admittite. Cor noſtrum dilatatum eſt. Quemadmodum enim calor dilatare ſolet, ita & amor. Siquidem feruida quædam res amor eſt, acſi diceret: Non ſolùm ore, ſed & corde diligo omnes intus complectens ideo ait, Ne ſitis anguſti in vobis, deſiderio animum ſuum dilatante. *Cor noſtrum dilatatum eſt*. Vt vos omnia doceremus: ſed vos anguſti eſtis in viſceribus veſtris, hoc eſt, in dilectione erga deum qua me diligere debetis. Ita habet Clemens quarto informationum libro. *Sed anguſti eſtis in*

*uiſceribus ueſtris.* Ego quidē anguſtus non ſum, inquit, cùm vos omnes intus habeam : vos autem quum me habeatis in viſceribus veſtris, anguſti eſtis: neque enim me ſimiliter diligitis. Habetis quidem me, veruntamen anguſti eſtis. Ait enim in ſequentibus: Licèt vberiùs vos diligens minùs diligar. Eandem autem remunerationem: hoc eſt, repenſionem & æqualitatem amoris adferte tãquam filij: ac dilatemini & vos ſicut ego. Turpe ſiquidem eſt, quum ego omnes vos intus exceperim, omnes vos mei vnius nõ eſſe capaces. ALIO modo. *Eandem autem remunerationem, ut filiis dico.* Per defectum dictum eſt : deeſt enim Suſcipite, aut Adferte. Poteſt quoque intelligi ſine defectu, vt δὲ. i. autem, ſit parelcon & abūdet. Eſt autem frequens apud Paulum ſuperuacaneus cõiunctionum vſus: quemadmodum etiam defectus. Quod ergo dictum eſt, poteſt per abūdantiam coniūctionis huiuſmodi ſententiam exhibere : Anguſti eſtis in viſceribus veſtris, & hoc ad quid? ad ipſam remunerationem. Iniquum eſt autem ad remunerationem anguſtum eſſe. Ideo tanquam filiis dico: quinetiam filiorū amorem requiro. Dilatemini & vos ad eandem remunerationem, & amate nos ſicut & nos amamus vos. *Vt filiis dico.* Deinde oſtēdit quoq; debitum eſſe amorem. Nam debent id filij parentibus. *Ne declinetis.* Demum ne opinẽtur ꝙ propter ſeipſum expetat illorū amorē, oſtēdit ſe propter ipſorū vtilitatē velle diligi: ait enim, Hoc eſt diligere me, ſi non declinetis ad incredulos, nec commiſceamini cum illis, aut ab illis corrumpamini. Dictio autem ἑτεροζυγοῦντες ſumpta eſt ἀ ζυγοῦ. i. æquilibrio lancis aut trutinæ. *Quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniquitate?* Loco perſonarum ipſas res poſuit. Quę, inquit, vobis communicatio eſt cum incredulis: quemadmodum neq; iuſtitiæ & iniquitati quicquam cõmune eſt, neq; luci ad tenebras, neq; Chriſto ad Belial. i. ad apoſtatam ac Satanã: Nam Belial Hebręorum lingua apoſtatam ſignificat. *Aut quæ cõcordia Chriſto ad Belial?* Volens ipſos omnibus modis ab incredulis diſcedere, nõ dixit, Iuſtis & iniuſtis, ſed quod maius erat. Nõ dixit, Operariis lucis ac tenebrarum, ſed quod plus erat. Non dixit, Miniſtris Chriſti & Satanæ, ſed quod terribilius erat. Poſtmodū ne videatur nudatū rerum feciſſe comparationē, ad ipſas deſcendit perſonas: *Fideli cum infideli* (inquit.)

A

*Infrà* 12.

Pho.

B

C

*Hebraicè* בְּלִיַּעַל *hoc eſt, abſque iugo, iniquus, malus, prævaricator.*

D AVT hoc modo. Sicut his quæ suprà dicta sunt nihil inuicē commune est, ita neque fideli cum infideli. *Aut quid conuenit templo dei cum idolis?* hoc est, quæ similitudo? Illi, inquit, templum sunt idolorum, vos templum dei: quæ ergo communicatio est inter vos & illos? Quòd autem templum dei sitis, in promptu est vt audiamus Ieremiam prophetam.

Nam vos templum estis dei viuentis, quemad-
*Leuit. 26.* modum dixit deus, Inhabitabo in illis, & inambu-
labo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi popu-
*Iesa. 52.* lus. Quaproter exite de medio illorum, & separe-
mini ab eis, dicit dominus, & immundum ne tetige-
E ritis, & ego suscipiam vos, & ero vobis loco patris,
*Ierem. 31.* & vos eritis mihi vice filiorum ac filiarum, dicit do-
minus omnipotens.

*Inhabitabo* (inquit) tanquam in templis. Quod autem ait, *Inambulabo*, ostendentis est affectum quem erga nos gerit. *Exite de medio illorum.* videlicet incredulorum ac immūdorū. Porrò quod dicit, *Separemini*, hoc est, soli degite quod ad illos spectat. Considera autem quòd non dixerit, Ne feceritis quippiam impurum, sed ne tetigeritis. *Et ego suscipiam vos.* Nam si ab illis, inquit, exieritis, māsionem apud me habebitis. *Et uos eritis mihi uice filiorum.* Prædicit propheta eam quæ nunc data est adoptionem per fidem & lauacrum baptismale.
F

*Cap. 7.* Has igitur promissiones quum habeamus charissimi, mundemus nosipsos ab omni inquinamēto carnis ac spiritus, perficientes sanctimoniam per timorem dei.

*Has igitur quum habeamus promissiones.* Quas? vt dei templa simus, & habeamus ipsum inhabitantem & inambulantem, vt filij ac populus dei simus. *Ab omni inquinamento.* Quædam enim peccata commaculāt corpus, veluti stuprum & adulterium: quædam verò spiritum, id est, animam, veluti sunt immundæ cogitationes, memoriæ iniuriarum, con-
*Theod.* uitia. ITEM alio quoque modo. Spiritum hoc loco dicit animam, spiritus immunditiam vocans communicationem ad idola:

ad idola: carnis verò, peccatum in operatione. *Perficientes sanctimoniam*. Nec sufficit, inquit, abstinere ab immunditiis & inquinamentis, sed oportet etiam facere quod vtile est: ideo ait, Perficientes sanctimoniam, id est operantes. Intelligitur autē sanctimonia, tēperātia & mūdities siue purificatio ab omni affectione. Deinde ait: *Per timorem dei.* Contingit enim aliquid fieri eorum quæ laude digna sunt ad studium quoque placendi hominibus, & ad simulationem ac inanē gloriam. Aut propter timorem dei. Nam dei timore facilè apprehenditur sanctimonia. A

## CAPVT VIII.

*De commendatione obedientiæ Corinthiorum & dilectione Paulum exhilarante.*

CApaces estote nostri: neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non hoc ad condemnandum dico. Siquidem iam ante dixi quòd in cordibus nostris sitis ad commoriendum & conuiuendum. B

Rursum de dilectione mouet sermonem. Quoniam enim illos momorderat, dicens ꝙ ab ipso quidem discederēt, incredulis autem & immūdis adhærerent: ipsos nunc sibi cōciliat, & ait: *Capaces estote nostri.* Hoc est suscipite nos ac verba nostra: nunc enim veluti eiecti sumus à mentibus vestris. Deinde pseudapostolos quoque designans ait: Neminē læsimus aut corrupimus impiis dogmatis, aut circūuenimus lucrum siue quęstum ex sermone seu prędicatione sectātes. Aut, Capaces estote, id est, in animas vestras nos admittite. *Non ad condemnandum dico.* Non in hoc vt vos cōdemnem hæc dico. Vnde hoc manifestum est? Ex dilectione, ꝙ in cordibus nostris sitis, inquit, ad commoriendū & conuiuendū. *Siquidem iam antea dixi quòd in cordibus nostris sitis* Contingit & amari & in corde alicuius esse, atqui nō ita vt velit alter vnà commori vnàque conuiuere, attamen eo modo vos à me amamini. Et quòd amādi genus est vnà conuiuere? Est vtique. Nam sunt quidam qui amicis quidem ægrè ac moleste agentibus condolent, at læte & prospere viuentibus inuident. Verùm nos non ita agimus. C

D **Multa mihi fiducia erga vos, multa mihi gloriatio de vobis, impletus sum consolatione, vehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra.**

Deinde alio quoque modo grauitatem lenit increpationis. Nō hæc, inquit, dico vt vos cōdemnem: sed quia multa mihi fiducia erga vos, quod & hoc genus est intēsæ dilectionis. ALIO modo. Si in cordibus nos habes: si adeò diligis vt & commori velis & cōuiuere, quare arguis & obiurgas? ob hoc ipsum, inquit. Nā quia vehemēter amo, magna vtor erga vos loquēdi libertate, nec vllum vereor offendiculum, ne quo modo exasperem, ne quo modo ad indignationē in-
E ducam, ne quo modo in desperationem: aut ediuerso in contemptum pelliciam. Nam qui verè diligit, omni praua suspicione circa eos qui diliguntur solutus est, iámque omnia cōfidēter & facit & dicit. Aut hoc etiā modo. Vnde manifestū est ꝙ nō ad condēnandum dixerim? quia in cordibus nostris habemus vos, &c. Vnde autē hoc patet? ex hoc ꝙ vobis confidimus & liberè agimus erga vos. Sed & hoc vnde manifestum est? Glorior, inquit, in vobis. Nam hoc aliunde non gignitur, nisi ex vehemēti cōfidentia & securitate. Ideo quoque ait: Impletus sum consolatione, &c. *Multa mihi gloriatio de uobis*. Hæc quidem prioribus videntur esse cōtraria, vbi
F illos condemnauit tanquā indignis adhærentes: sed nihil est repugnantiæ. nam his verbis laudat vos, viā pręstruens quò vtilitas reprehensionum facilè suscipiatur, quum illæ ab amante procedant. Ac si diceret: Non enim ꝙ vos cōdemnauerim illa dixi, Absit: sed vt crescatis magísq; prouehamini ad virtutem. ALIO modo. Obiurgabat prius eos ꝙ ad incredulos per dilectionem declinarent: nunc verò laudat, ꝙ ea de quibus priore epistola accusabātur studiosè correxissent. Hoc autem arbitri est muneribus nō corrupti, & errata reprehendere, & egregia opera collaudare. *Impletus sum cōsolatione*. Quanā? Quia dum ea de quibus vos priore epistola argueram correxistis, ipsis operibus me consolastis, vt iam non doleam: nec id solum, inquit, sed & gaudio me implestis. adeò velox & efficax facta est correctio. Et hoc est quod ait: *Vehementer exundo gaudio*. Tantum est gaudiū, inquit, vt nobis satis fuerit ad ferendā omnem afflictionem.

Pho.

Pho.

Etenim quum venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationẽ caro nostra, sed in omnibus affligebamur. Foris pugnæ, intus timores. Verũ qui consolatur humiles, cõsolatus est nos deus per aduentum Titi: nõ solùm autem per aduentum ipsius, verũetiam per consolationem quam ille accepit de vobis: quum annuntiaret nobis vestrum desideriũ, vestrum luctum, vestrum pro me zelum: adeò vt magis gauisus fuerim. Nã licèt cõtristauerim vos per epistolam, nõ me pœnitet, etiam si pœnituerit. A B

Deinde narrat afflictionẽ, & sermone ipsam extollit, quo maius ostendat gaudium propter ipsos acceptum, quod tantam potuerit obscurare afflictionem: nam perseuerauimus, inquit. *Foris pugnæ*: ab incredulis, quos solet vocare externos. *Intus timores*: propter credentes, ne quo modo tẽtationibus emollescãt. *Verùm qui consolatur humiles*. Quis est autem qui humiles consolatur, & eos qui inter homines nullũ habent auxiliũ? *Deus videlicet: hic nos consolatus est* (inquit) *per aduentum* Titi. Magnum aliquid esse ducit illius aduẽtũ. Vult enim fide dignũ apud illos & amicum eis reddere virum. *Non solùm autem per aduentum ipsius*. Non solùm, inquit, illius aduentus fuit mihi caussa lętitiæ. Verumetiam ꝙ ipse consolationem acceperit & exhilaratus fuerit à vobis. C Quoniam enim emendati fueratis, & ipse per vestri immutationem, consolationem accepit, & nos vnà consolationem accepimus. Vides quàm familiarem & amicum reddat illis Titũ? Hic ad eos missus fuerat, cum priore epistola. *Consolationem quam ille accepit de uobis*. Nõ dicit A vobis, sed de vobis: de vestra, inquit, immutatione consolationẽ habuit.

*Quum annũtiaret nobis uestrum desideriũ*. Deinde ipsam quoq; dicit cõsolationẽ. oblectauit nos, inquit, annuntiãs nobis vestrũ desideriũ, ꝙ me videre desideraretis. *Vestrum luctum*. Nõ plorabatis, inquit, sed amarè lugebatis ob meam obiurgationem quæ facta est per priorem epistolam. *Vestrum pro me zelum*. non dixit iram, sed quod plus erat, zelum, inquit, quo ira accensi fuistis aduersus scortatorẽ & pseudaposto-

D los qui nobis detrahebant. *Adeò ut magis gauisus fuerim.* Vt
Pho. nō lugerem,inquit,ob dictas meas afflictiones. ALIO modo. Cuius cōparatione dicit se magis gauisum fuisse? Aut magis gauisus sum,inquit,quàm fuerit tristitia quam sustinui in meis afflictionibus & angustiis: aut quàm fuerit dolor quē passus sum eo ꝙ vos mœrore affecissem per epistolam: & hic secundus sensus est magis proprius: nam ad hoc sequētes magis adaptantur sermones. Vtrūque tamen adaptari potest: Ait ergo quòd gaudiū magis ipsum oblectauerit quàm dolor cōtristauerit. Deinde quia licèt contristauerim vos in epistola,inquit,attamē ad pœnitentiā cōtristati estis: quod est secundum deum contristari. Itaque iuxta literæ seriem hic est intellectus. Quæ autem in medio ponuntur circumitiones sunt & caussarū redditiones ac repetitiones. Solet enim diuinus hic vir circuitiones circuitionibus connectere, & ita sermonem implere. Ideo quoque repetitione opus est,tanquam ad prædictam sermonis connexionem interiectum sit quod in medio est, Non me pœnitet. Deinde addit, Etiam si pœnituerit. Rursùm huius caussa sequitur: Video enim quòd epistola illa. Et ne hæc quidem periodus simplex est,sed alia quoque assumitur: nam ait, Tametsi ad horam cōtristauerit vos. Nec simpliciter dixit, Tametsi contristauerit vos, sed addidit, Ad horam. Quòd autē ait, Nūc

E (margin letter beside "riem hic est intellectus")

F gaudeo, repetitio est eius quod dixerat, Adeò vt magis gauisus fuerim, postquam enim frequentia circuitionum orationem impleuerat, & videbat in obscuritate ipsam concludi, repetitione vsus est. Deinde ita reddidit dictū illud, Sed quòd cōtristati sitis ad pœnitētiam: quòd vt prædictum est connectitur superioribus, putà Adeò vt magis gauisus fuerim: quia licèt contristauerim vos in epistola: attamen quia ad pœnitentiam cōtristati estis. Verùm hoc quoque assumptum est & interiectum. Simplicius est autem, Adeò vt gauisus fuerim quòd ad pœnitentiam contristati sitis. Hæc de rebus minutulis subtilius disseruimus: non quòd Paulus his gloriatus sit, aut quòd nos ipsum propter hæc ostētemus ac celebremus: sed vt externos & à nostris alienos confundamus, qui inscitiam ecclesiæ obiiciunt. Per hæc enim ostenditur ꝙ in hoc, ex quo illi Pæanieum ac Olori filiū stupētes propemodum adorant, in circuitionibus, inquam, longiori

quoque hos interuallo quàm illi alios, post se relinquat. Atqui illorum vita in hoc labore detrita est: hîc autẽ ne inspicere quidem hæc voluit, nisi ex incidenti quum sese offerret vsus: & in huius sermonibus frequenter id reperire est, nẽpe ꝙ ea quæ alij adhibita cura non assequuntur, hæc ad illorum reprehensionem gratia præbet se colentibus, etiam dum id non quærũt, despicere docens vt his otium ac labor impendatur. In his enim in quibus illi dicerent inscitiã esse, quando vult, ea quæ sunt eloquẽtiæ etiam sine labore assumit, & prompta ac sibi subiecta habet: idq; abundãtius quàm ij qui hoc pro scopo habent, ac vitam his impẽdunt. Per hæc ipsa ergo studium ac labor vana ac inutilia esse deprehenduntur non auxiliante gratia. *Nam licèt contristauerim uos*, propter obiurgationem. *Per epistolam.* Quanquã hæc, inquit, priori epistola scripta sint, adeò vt modũ excesserim increpationis, & quòd hoc fecerim pœnituerit: magnum tamẽ lucrum quod inde successit, non sinit me deinceps pœnitere. Hæc autem dicit, non ꝙ modum in reprehensione excesserit: sed rem ipsam efficiens laudum occasionem. A B

Video enim ꝙ epistola illa tametsi ad horam cõtristauerit vos: nunc gaudeo, non ꝙ contristati fueritis, sed ꝙ cõtristati sitis ad pœnitentiam. Nam cõtristati estis secundũ deum, vt in nulla re detrimento sitis affecti per nos. Nam quæ secundum deũ est tristitia, pœnitentiam ad salutem non pœnitendam parit: contrà verò mundi tristitia mortẽ efficit. Ecce enim isthuc ipsum ꝙ secundum deum cõtristati fueritis quantam in vobis genuit solicitudinem, & defensionẽ & indignationem & timorẽ & desiderium & zelum & vindictã. Siquidem vbiq; demonstrastis vosipsos, quòd puri sitis in eo negotio. C

*Tametsi ad horam contristauerit uos.* Nam tristitia, horaria fuit ac momentanea: lucrum verò, longum ac continuum. *Nunc gaudeo.* Consequẽs erat vt diceret, Sed plurimùm attulit vtilitatis: at hoc quidem non dixit, sed ad suam de illis curam venit, ipsorúmque encomia. *Sed quòd contristati sitis*

D *ad pœnitentiam.* Quod enim mihi lucrum esset quòd essetis contristati? Considera verò ꝙ quum contristationem attribuisset epistolæ, pœnitentiam non ex illa dicit effectam, sed ex ipsorum virtute. Neque enim dicit, Quòd contristauerit vos ad pœnitentiam, sed Quòd contristati sitis ad pœnitentiam. *Nam contristati estis secundum deum.* Hæc enim bona tristitia est, sicut malum est secũdum hominem contristari. *Vt in nulla re detrimento sitis affecti per nos.* Si tacuissemus, inquit, & non obiurgassemus, nos sanè detrimẽto vos affecissemus, qui non præbuissemus pœnitentię occasionem. Postmodum de tristitia quę secundum deum est philosophatur, separans ipsam à tristitia mundi, & ait: *Nam quæ secundum*
E *deum est tristitia pœnitentiam ad salutem non pœnitendam parit:* sicut quæ mundi est, mortem: quando propter pecunias aut propter gloriã quis tristatur. Quoniam enim tristitiæ pharmacum ad tantùm id ordinatum est vt propter peccata assumeretur tristitia: in hac quoque sola re vtilis est: in reliquis verò etiam nocet: nam præter naturam ea vtimur. ALIO
Pho. modo. Pœnitentiam, inquit, nõ pœnitendam. Itaque vtrum secundum deum contristati sitis, ex hoc ostendere poteritis. si nunquam vos ab honesta illa tristitia separetis, aut in contrarium percellamini, vósq; pœniteat: quod est exhortãtis, vt nunquam à recto iudicio dimoueantur. *Non pœnitendam parit.* Neq; enim eum qui secundum deum contristatus est pœnitebit vnquam, aut condemnabit seipsum, ꝙ propter id fuerit contristatus: hoc autẽ in mundi tristitia solet contin-
F gere. *Ecce enim istuc ipsum.* Deinceps etiam ex his quæ contigerunt, eorum quæ dixit demonstrationes exhibet. Ecce enim, inquit, ꝙ vos secundũ deum contristati fueritis, quãtum genuit solicitudinem? Non solùm enim ad id nõ venistis, vt vos omnino pœniteret fuisse contristatos, sed magis solicitos reddidit. Et solicitudinis indicia recẽset. *Et defensionem:* Nam dictio ἀλλὰ, id est sed, in omnibus istis particulis pro Et ponitur. Et, defensionẽ erga me operatũ est. Defendistis vos ac respondistis per pœnitentiã, & amputãdo à vobis scortatorẽ. *Et indignationem.* Et indignationẽ, inquit, aduersus eũ qui scortatus fuerat. *Et timorem,* Erga me. Nam timentium erat tanta correctio. *Et desiderium.* Quoniam enim inuidiosum erat quod dixerat Timorem, subiunxit: Et

desiderium. Me siquidem diligentes, & veriti ne contristaretis me, emendati estis. *Et zelum.* Aut pro deo, aut pro me aduersus pseudapostolos, qui in me contumeliosi sunt. *Et vindictam.* Vlti enim estis leges dei, quę à scortatore iniuria affectæ erant. *Vbique demonstrastis.* Non solùm, inquit, nihil huiusmodi à vobis attētatum est quale à scortatore illo, sed neque consensistis ipsi. Siquidem quia in priore epistola dixerat: Et vos inflati estis, ꝙ ipsos delicti participes efficiebat, nunc ait: Etiam hanc abstersistis suspicionem. A

Proinde tametsi scripsi vobis, non id feci eius caussa qui læserat, nec eius caussa qui læsus fuerat, sed ob id * vt studium nostrum quod pro vobis est, B manifestaretur apud vos coram deo. Iccirco consolationē accepimus ex cōsolatione vestri: quin vberius insuper gauisi fuimus ob gaudium Titi, ꝙ refocillatus sit spiritus ipsius ab omnibus vobis: quòd si quid apud illum fui gloriatus de vobis, non sum pudefactus: sed sicut omnia in veritate loquuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra qua vsus eram apud Titum veritas facta est: & viscera ipsius abundantius erga vos affecta sunt, dum recolit omnium vestrum obedientiam, quemadmodum cum timore ac tremore exceperitis ipsum. Gaudeo quòd in C omnibus fiduciam habeam in vobis.

Quisnā est qui iniuria affecit? & quis iniuria affectus est? Scortatores: ipsi nanq; seipsos iniuria affecerunt, & à seipsis iniuria affecti sunt. Est autē tantumdē, ac si diceret. Tā graues obiurgationes non caussa scortatorū primitus scripsi vobis, sed vestri caussa vt vos confirmarē, ne quomodo serpēs etiam malū ad vos pertingeret. Paululum enim fermēti totam cōspersionem fermentat. Sed tunc quidē ita: nunc verò ob eā, inquit, causam, vt ostenderē vobis quantum studiū & curam vestri habeā: quod ipsum idem quidem est cum priore, sed amantius hoc dictū est. *Nec eius caussa qui læsus fuerat.* Non dixit, Caussa illorum non scripsi: sed non primaria

* *Quan-quā exemplar nostrū habuerit* τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς, *tamē ex cōmentariis videtur factum vitio librarij seu typographi. Videtur enim autor omnino legisse*, τὴν σπουδὴν ἡμῶν τὴν ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς. *Sic & Cōplutensis ha*

*bet edi tio. Sic & Ambrosi⁹ & Theophy. legisse uidetur. Et nos ergo eam lectionẽ, & in litera consequẽtia, & postmodũ iter cõmentaria ubi repetitur litera restituim⁹*

D caussa fuit propter illos, imò & propter vos & propter illos. *Vt studium nostrum quod pro uobis est, manifestaretur apud uos coram deo.* Erat quidem apud me dilectio, sed quærebam vt illa manifestaretur, tanquam inspectante, inquit, deo, quod vera dicam. *Iccirco.* Quoniam & studiũ quod circa vos habebam, demõstraui, & omne negotiũ nobis peractum est. *Ex consolatione uestri.* Duas ait sumptas esse ab ipsis consolationes: alteram quidem quòd ipse nõ frustrà obiurgasset eos per epistolam, sed ipsi quod reprehẽsum erat, correxerant: alteram verò quod Titum refocillauerãt. Ipse verò ait, Ob gaudium Titi, ostendens quod Titus magnam haberet ipsis gratiam. Ex eo enim quòd ille gauderet, significat & excellẽtiam refocillationis, & excellẽtiam gratiarũ actionis eius erga illos. Ideo

E quoq; hanc consolationem præponit priori consolationi: & hæc dicit magis eos attrahens ad amorem erga Titum. Rursum enim eum missurus erat ad ipsos cum epistola. Quæ erat autem Titi refocillatio, de qua etiam gaudebat? aut ipsa eorum correctio, de qua etiam Paulus consolationem acceperat, vel obedientia eorum ad omnia, aut hospitalitas qua cum reuerentia, ac fide eum susceperãt. Signum nãque pietatis ac religionis est, honor & reuerẽtia erga concionatorẽ. Magis, inquit, cõsolationem accepimus propter vestri correctionem, magis autẽ gauisi sumus propter gaudium Titi, quia propter vestri correctionem refocillatus est ipsius animus. *Si quid apud illum de uobis.* Argumentum virtutis discipulorum est quod præceptor de ipsis glorietur, & ostensiuũ est amoris magistrorũ. *Non sum pudefactus.* Non enim mẽ-

F dax fuisse apparui. *Si quid gloriatus fui, non sum pudefactus.*

Pho. Aut duæ dictiones ad vnum sententiæ membrum accipiendæ sunt, & reddenda est subiunctio prioris ad caussam, subdistinguẽdo ad verbum, Gloriatus fui. Aut quod mihi sanè videtur, vt legendum sit distinguẽdo perfecta distinctione, & vtraq; dictio suum propriũ constituat intellectum: poterítque vtriusq; dictionis perfectus esse huiusmodi sensus. Gloriatus fui, inquit, hoc est, rectè & conueniẽter gloriatus fuerã. Gloriatus fui, perfectam nactus sum gloriationẽ. Deinde: Non sum pudefactus, nõ sum spe frustratus, nõ erubui quòd talia sperauerim. Hæc autem dicẽs, & per figuram dictionum, & per earum prolationem gaudiũ manifestabat, &

consolationem quam habebat: vsque adeò poterat efficaciter sermonibus manifestum facere quod habebat in animo. Deinde nostra quoq; gloriatio pro Tito, vel de Tito facta ad vos: Nã quod præcedit videtur hoc ostẽdere, videlicet, Sed sicut omnia in veritate loquuti sumus. Etenim sicut omnia, inquit, ita & de Tito. Aut magis sicut & nobis placet. Gloriatio nostra de vobis apud Titũ: hoc est, coram Tito facta, hunc enim sensum expetunt ea quæ prius dicta sunt, nempe Refocillatus est spiritus eius, Gloriatus fui, Nõ sum pudefactus. Quod autem ait, Sed sicut omnia in veritate, nõ aduersabitur: Nam quẽadmodum, inquit, ea quę vobis dixi de Tito, in veritate dixi: ita & quę Tito dixi de vobis, in veritate contigerũt: & adeò nihil eorum quę ipsi dixeram de vobis, falsum esse cognouit, vt etiã viscera ipsius abundantius q̃ alij, siue plus quàm aliorũ viscera, erga vos affecta sint, &c. A B Sed vt omnia in veritate. Multa de Tito scripserat, & nunc tanq̃ in transcursu, etiam quę de ipso dicta erant, confirmat. Quemadmodum enim illa, inquit, vera erant, ita & quæ de vobis gloriati sumus. Et *uiscera ipsius*. hoc est, affectus. Id autem est cõmendantis illis Titum, tanquam vehemẽter ardentem illorũ amore, illisque deuictum. Ideo viscera dixit, & nõ amorem. Dictio nanq; Viscera, plus aliquid designat. *Dum recolit omniũ uestrum obedientiam*. Deinde ne assentationis esse verba videãtur, caussam etiã ponit affectus, ex hoc magis ipsos exhortans. Hoc autem & Titũ honestat, vt qui semper ipsos in mente haberet, & ipsos qui ita potuerũt attrahere Titum. Quemadmodũ cum timore & tremore excepitis ipsum. Deinde intẽtionem quoque dicit obediẽtiæ, C neque enim sola obedientia erat, sed & timor & tremor, ne rursum in aliquo offenderent, sicut iam in eo qui scortatus fuerat. *Quòd in omnibus fiduciam habeam in uobis*. Siue obiurgare oporteat, non vereor ne frangamini: siue de vobis gloriari, non timeo ne mẽdax appaream: Hoc autem dicẽs, viam pręstitit sermoni de eleemonsya. *In omnibus fiduciam habeo in uobis*. ἐν παντὶ, id est, in omni: hoc est, siue corã Tito opus sit gloriari, siue coram quouis alio: aut in omni re, siue in omnibus: siue obiurgare & auersari oporteat scortatorem, siue suscipere & reuocare resipiscẽtem, siue quid ad aliud fieri oporteat, in omnibus confido in vobis.

D

CAPVT IX.

*Exhortatio ad uberiorem pecuniarum cõtributionem in ſanctos, & de eorum honore qui ad hoc proficiſcerentur.*

Cap.8. CErtiores autem vos facio fratres de gratia dei, quę data fuit in eccleſiis Macedoniæ: quoniam per multam probationem afflictionis, abundantia gaudii illorum, & profunda illorum paupertas exuberauit in diuitias ſimplicitatis illorum.

Artificioſè admodum texit ſermonẽ de eleemoſyna. Neque enim ab obiurgatione deſcẽdit ad admonitionem. Nam re vera ęgrè ſuſceptibilẽ effeciſſet eo modo ſermonẽ, ſed ab

E encomiis. Vult autẽ illis mouere ſermonem de eleemoſyna: & ait, *Gratia dei.* Gratiam vocãs eleemoſynæ donũ. Siquidem dei donũ eſt aliquem eſſe pium erga egenos: quẽadmodum etiã ſanitates perficere. *Quæ data fuit in eccleſiis Macedoniæ.* Conſidera artificiũ Apoſtoli: Non dixit ſtatim, Date eleemoſynam, ſed quæ egregiè ab aliis geſta ſunt circa eleemoſynã narrat: nam ex eo ꝙ illos laudat, magis exhortatur hos ad ſimilẽ æmulationem. *Macedoniæ.* Non dixit in parte, ſed totam laudat gẽtem: dicens, In eccleſiis Macedoniæ. *Quoniam per multam probationem afflictionis.* Adeò afflicti ſunt, inquit, vt etiam probati ex tolerãtia facti ſint. Neq; id

F adeò mirãdum eſt, ſed ꝙ ex tanta afflictione tantum in ipſis gaudiũ germinauerit. *Nam abundãtia* (inquit) *gaudij illorũ.* nẽpe exuberauit, quod ex cõmuni ſententia ſupplẽdum eſt. *Et profunda illorũ paupertas.* Et quẽadmodum afflictio peperit gaudiũ, ita quoq; profunda illorũ paupertas, hoc eſt, multa. Siquidẽ à propriis contribulibus ſpoliati erãt. *In diuitias ſimplicitatis.* id eſt, abũdantiæ: acſi diceret, O rem admirandam. Paupertas nõ ſolùm ſubminiſtrauit copioſas diuitias: verũetiam exuberauit, neq; enim ex modo eorũ quę dãtur, ſed ex volũtate dantium ſumitur iudicium: quemadmodum

Luc.21. etiam vidua cuius duo æra minuta cæteris præpoſita ſunt.

Nam pro viribus, teſtor, & ſupra vires vltronei, multa cum obteſtatione rogarũt nos, vt miniſteriũ & participationem miniſterii ſuſciperemus in ſan-

ctos:& non quatenus ſperabamus, quinetiam ſeipſos dederunt,primùm domino,deinde & nobis per voluntatem dei:ita vt exhortaremur Titum , vt ſicut antea cœperat, ita & conſummaret hanc quoque erga vos gratiam. A

Atteſtor enim illis quòd pro viribus:& quid dico pro viribus?etiam ſupra vires certè vltronei. Alterum id encomiũ eſt: neque enim nos exhortati ſumus ipſos. *Multa cum obteſtatione.* Ecce & tertium encomiũ. Non nos obſecrauimus ipſos,ſed ipſi nos. Deinde adaugens obteſtationẽ dicit, Rogarunt nos vt ſuſciperemus. ALIVD. In parte hac ſermonis ſex quædam præclara teſtatur facinora de Macedoniis. Pho. Primum quidem ꝙ iuxta vires. Magnum autem eſt etiam vt quis præſtet eleemoſynam,quatenus & quantum poteſt:ſed maius eſt quod ait: Supra vires, hoc eſt, ſeipſos priuantes:& tertium ꝙ vltronei:hoc eſt,non illis opus fuit aliena admonitione,ſed ipſi ex ſeipſis quod bonum eſt,elegerunt. Quartum ꝙ multa cum obteſtatione, quod feruidæ volũtatis eſt, ac eleemoſynam effundentis. Neq; enim tanquam gratiam aliis præſtantes,ſed tanquam ipſi maximum lucrum facientes, obteſtabãtur & obſecrabant: nec quieuerũt à precibus: Rogantes, inquit, nos. Quintum quòd etiam ſupra ea quæ ſperauerat Paulus. Vide quò rem produxerit: & meipſum, inquit, magis magnanimum reddiderunt: neque enim ego ipſe ſperabam ꝙ tam abundantem eleemoſynã præſtare poſſent. At ne hæc quidem illi ſatis fuerunt, ſed ad complemẽtũ periodi quod omnibus maius eſt poſuit. Quid enim fuit, inquit, quod iuxta vires & ſupra vires, & vltronei, & obteſtantes ac orantes,& plus quàm ſperaremus fecerunt? O magnitudinem virtutis ac eleemoſynæ, dignæ ſanè Pauli encomiis. Quid eſt illud quod fecerunt: Seipſos, inquit, dederũt, primùm domino, deinde & nobis per voluntatem dei. Non partem aliquam dederunt, & partem ſibi retinuerũt:acſi diceret, Ne viuendi quidem ſubſidia ſibi retinuerunt, ſed datis omnibus ſuam ipſorum prouidentiam omnem & curã in dominum repoſuerunt. Ideo quoq; Paulus magnitudinem præclari facinoris intelligens, ſubiungit, Per voluntatẽ dei, tanquam dixiſſet, Ne admireris ô homo, deum habebant au-

B

C

D xiliatorem, quem vltronea promptáque voluntate attraxerant. Vbi verò deus auxiliatur, nihil impossibile est. Considera autem quomodo quum prius illud vocasset gratiam ac participationem, in fine addiderit quòd omnino seipsos dederunt. *Et participationem ministerij.* Quoniam æmulatores erant † hominum, rem ipsam dicit gratiam ac donum vt accurrant. Eleemosynam autem vocat participationem, ostendens ꝙ illi quidem pecunias tribuunt: qui verò accipiunt, auxilium à deo ipsis conferunt. *Et non quatenus sperabamus.* Hoc & ad afflictiones & ad quantitatem intelligendum est, Nō enim sperabamus, quum essent in afflictione, ꝙ aut darent aut tanta darent. *Sed seipsos dederunt.* Non partim, inquit, domino, partim verò mundanis rebus: sed toti per om-

E nia dederunt seipsos domino: nobis autem non temerè, sed per voluntatem dei: Hoc est, facientes id eo ꝙ beneplacitum ac voluntas dei esset. *Ita ut adhortaremur* Titum. Et adeò, inquit, seipsos ad hoc tradiderunt, vt in hoc venirem, quò Titum de hac re ad vos mitterem, ne inferiores essetis Macedonibus. *Vt sicut antea cœperat.* Cōciliat ipsis Titum. Ostēdit enim ꝙ proposuerit etiam à seipso proficisci ad Corinthios, ne inferiores essent Macedonibus: hoc erat amoris Titi. Vt sicut antea cœperat, inquit, hoc est, proposuerat & cōceperat quòd oporteret venire ad vos. *Ita & consummaret.* Hoc est, rem tentatam compleret: hoc autem est ipsum hoc efficere vt vos ad opus deducat quod ad eleemosynam pertinet. *Ita & consummaret erga uos.* Sicut cætera, inquit,

F vobiscum transegerat quæ in superioribus testatur. Vide autem quomodo eleemosynam vbique donum vocet. Etiam hanc, inquit, gratiam.

† *Arbitror non* ἀνθρώπων. *i. hominū legendum, sed* χαρισμάτων. *i. donorum.*

Imò quemadmodum vbique abundatis fide & sermone & scientia, & omni diligentia, & ea quę ex vobis erga nos est charitate, facite vt in hac quoque gratia abundetis. Non secundum imperium loquor, sed per studium aliorum etiam vestræ dilectionis synceritatem probans.

Considera rursum adhortationem cum encomiis. Abundatis, inquit, hoc est, omnia habetis in abundantia. Fide qui-

dem, quæ in deum est: sermone verò, id est, sapientia: scientia autem, quæ dogmatum est: & omni diligentia quæ circa aliam virtutem est: *& ea quæ ex uobis erga uos est charitate.* & sicut abundatis, inquit, diligendo nos. Quanquam enim non ita ipsum diligerent sicut ipse illos, attamen diligebant. Sed & verba hæc eò dirigebat, vt similiter ipsum amarent. V*t etiam in hac gratia.* Rursum gratiam vocat eleemosynam. Abundatis autem, id est, aut super pauperes Macedones abūdè habetis: aut vt περισσεύετε idem sit quod Liberales estis. N*on secundum imperium loquor.* Quoniam & multa admonuerat & Macedones vehementer commendauerat, ne cuiquam grauis videretur, ait, Non secundum imperium loquor, hoc est, non veluti cogens: *Sed per studium aliorum.* Hoc est, propterea narraui studium Macedonum, id est, eleemosynam, vt per illorum studium probatiores vos reddam, qui à me vehementer amamini. Probans enim, hoc est, probatiores ostēdens. Nam dilectionis quæ erga deum erat, aut si mauis, quam erga Paulum gerebant, efficax erat probatio eleemosyna in proximos. Siquidem persuasus sum, inquit, & deum, & nos propter ipsum, à vobis amari: sed perfectior syncerae & ingenuę dilectionis probatio ac confirmatio, per eleemosynam in pauperes declaratur. A B Pho.

Nostis enim gratiam domini Iesu Christi quòd propter vos pauper fuerit quum esset diues, vt vos illius inopia ditesceretis. Et consilium in hoc do. Nam hoc vobis conducit, qui quidem non solùm facere, sed & velle cœpistis iam ab anno superiore. Nunc autem & illud quod facere cœpistis, perficite, vt quemadmodum promptitudo voluntatis fuit, ita perficiatur ex eo quod possidet. C

N*ostis enim gratiam domini nostri.* Nam pauper fuit in nostra carne: Deinde condemnatus est ac crucifixus, idq; propter nos indignos. Si igitur ille, inquit, propter te pauper fuit, tu ne pecunias quidem propter ipsum dabis? *Quum esset diues.* Quatenus est & intelligitur esse deus: vtpote ineffabilis, inintelligibilis, inuisibilis, incomprehensibilis, gloriam habens ineffabilem, lucem quæ exprimi nequeat, ma-

D gnitudinem incõparabilem. *Vt uos illius inopia ditesceretis.* Nisi enim ille, inquit, pauper fuisset, nos ditari non potuissemus. Sumus autem ditati remissione peccatorum, sanctitate, adoptione, ipso etiam cælorum regno. *Et consilium in hoc do.* Vide quomodo studeat non grauis aut odiosus haberi. Meam, ait, sententiam & cõsilium do, non necessitatem impono, imò propterea do ipsum consiliũ, ꝙ res sit quę vobis magis conducat si suscipiatis. *Qui quidem non solùm facere.* Consequenter etiam dicit ipsum consilium. Qui quidem non solùm, inquit, principiũ habetis ad faciendum, verumetiam ad volendum, hoc est, vt voluntariè & nullo adhortante faceritis. *Nunc autem & illud quod facere cœpistis perficite.* Hoc est, complete illud quod iam velle cœpistis.
E Cupit autẽ efficere, vt hi quoq; sint vltronei queãdmodum Macedones. *Vt quemadmodum promptitudo.* Ne in sola animi prõptitudine, inquit, bonum hoc opus sistat: sed queãdmodum prõptitudo ex mẽte & vltronea voluntate processit, ita quoq; impleatur animi prõptitudo. Ex eo quod possidet: hoc est, eo ꝙ possidentes conferant, vt si quis non habeat, iam ex illo quòd prompti animi erat, rem compleuit.

Etenim si prius adsit animi promptitudo, iuxta quodcunque illud est quod possidet aliquis acceptus est, non iuxta id quod nõ possidet. Non enim vt aliis relaxatio sit, vobis autem angustia: sed vt ex parilitate, in pręsenti tempore vestra copia illorum
F succurrat inopiæ, vt etiam illorum copia vestræ succurrat inopiæ, vt fiat parilitas quemadmodum scri-
Exod. 16. ptum est. Qui multum habebat, huic nihil superfuit: & qui paulum habebat, is nihilominus habuit.

Permissa enim animi promptitudine, inquit, acceptus est quispiam à deo, iuxta partem quam possidet, siue parua sit, siue nihil omnino sit. Iuxta id, ait, quod possidet, non iuxta id quod non possidet exigitur. *Non enim ut aliis relaxatio sit.* Neq; enim vt alij cum remissione ac dissolutione alantur, vos oportet supra possibilitatem dare, vt etiam indigẽtiam & afflictionem ex hoc sustineatis. Id autem propter illorum dicit imperfectionem. Siquidem quum Macedones ex hoc

laudauerit ꝙ supra vires dedissent, manifestum est ꝙ hos A
quoq; id facere vellet. Certè in progressu obscurè adstruit oportere supra vires tribuere. *Sed ex parilitate.* Vos, inquit, efferimini diuitiis, illi verò quibus dandæ sunt eleemosynæ, libertate erga deum: vos igitur date illis superflua quæ posidetis in diuitiis, & accipite superfluum quod de libertate erga deum posident. Dicens autem, Ex parilitate, sensim adhortatur eos non vt dēt quod sibi superfluum est, verumetiam quod necessarium est siue ipsam penuriam. Nā si quod superfluū est, inquit, dederis, etiam quod superfluū est, accipies: si abundè dederis, abūdè recipies. Si verò perfectam erga deum libertatem tibi conciliare cupis, tu quoque teipsum euacua, & ex eo etiam quod necessarium est tribuito. Siquidem ex parilitate est doni acceptio. *In præsenti* B
*tempore.* In hoc, inquit, tempore. Nam in futuro nihil huiusmodi potest exhiberi. ALIO quoque modo. In præsen Pho.
ti tempore perfice parilitatem, in futuro enim multiplicata accipies. Et temporarium quidem est quod videtur dānum: Nam in præsenti, inquit, tempore: Porrò imperpetuum parit ineffabiles diuitias. *Quemadmodum scriptum est.* Postquam ostendit ꝙ non solū dent, verumetiam recipiant, imò maiora recipiant (Quanquam enim dixit, Vt fiat parilitas, ad libertatem illos exhortando dixit: siquidem æquale non est dare pecunias & recipere libertatem erga deum) nūc id ex veteri testamento vult confirmare: quia licèt non tradideritis, inquit, nihil amplius erit vobis, qui accumulatis: quāquam enim illi à vobis non accipiant, non propterea in- C
feriores erunt: Deus nanq; ipsos non despiciet, propter quē Hebr. 10.
pauperes sunt. Siquidem scribēs ad illos, Direptionem, inquit, facultatum vestrarum cum gaudio accepistis. Etenim laudabile quidem erat ex seipsis cœpisse facere, quum solū admoniti fuerint ad volendum: maius autem ipsam quoque voluntatem ex proprio animo natam esse, & vltroneam voluntatem demonstrasse. Si ergo quod maius est, inquit, exhibuistis, etiam quod minus est perficite.

Gratias autem deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, qui exhortationem acceperit: quin potius, quum esset diligentior, sua-

D pte ſponte ad vos profectus ſit, Miſimus autem vna cum ipſo fratrem cuius laus eſt in euangelio per omnes eccleſias.

Vbi de eleemoſyna diſſeruit quantum oportuit, conſequenter laudat eos qui ad hoc miſsi ſunt, vt dum omni carerent ſuſpitione, magis ipſos inducerent vt prompto animo conferrent. Dei autem opus dicit, ꝙ Titum ad hoc excitauerit: eo modo autoritatem & grauitatem addens contributioni: niſi enim magnum aliquid eſſet, nequaquam ad id excitatus à deo eſſet. *Qui exhortationem acceperit.* Et vnde, inquit, manifeſtum eſt, quòd deus Titum admonuerit? Vnde? quia exhortationem quidem ſuſcepit: hoc
E eſt, à me quidem admonitus eſt, verùm illud quoque intus ad hoc impellebat. Ideo etiam factus diligentior quàm ex mea vnius adhortatione fuiſſet, ſua ſpõte profectus eſt, hoc eſt, vltrò & ſua promptitudine: Conſidera autem ſapiẽtiam: & dei opus eſſe dicit aduẽtum Titi, & ſeipſum exhortatum fuiſſe, & Tito ne opus quidem fuiſſe exhortatione. *Miſimus autem unà cum illo fratrem.* Multi hunc Lucam fuiſſe dicunt propter conſcriptum ab ipſo euangelium: multi verò Barnabam. Siquidem prædicationem non ſcriptam aiunt dictã eſſe euangelium: idque ſit vero ſimilius. Nam quæ poſt hęc ſequuntur, Barnabæ magis aptantur. *Cuius laus eſt in euangelio.* Non enim ſolùm prædicat, inquit, ſed cum laude hoc facit. Illa verò laus non ad vnum, ſed ad omnes peruenit ec-
F cleſias. Quare autem Titi quidem nomen exprimit, horum autem non ita? Quia Titum nouerant, hos autem non nouerant; & quia de his tanta dicit, quanta ad commendationem tantùm ſufficiant: idque facit volens etiam ſuſpitionem effugere, ꝙ ſibi vellet aſſumere pecunias. *Cuius laus eſt in euangelio.* Nam deeſt verbum iſi eſt, quod intellectum oportet,
Pho. & hîc & in ſequentibus à cõmuni ſenſu ſubaudire: vt ſit ſenſus, Cuius laus eſt in euangelio. Non ſolùm admirando modo & laude digno annuntiat ac prædicat euangelium. *Verũ etiam deſignatus eſt.* A quibus autem fuit deſignatus? ab eccleſiis, inquit: ad quid? vt eſſet comes peregrinationis noſtrę in prædicatione. Deinde non ſolùm in prædicatione deſignatus fuit (nam oportet quoque à communi ſententia intelligere

telligere. Non solùm ) verùm etiam in gratia hac & cætera : hoc est, quòd sicut designatus est ad hoc, vt comes esset peregrinationis nostræ & prædicaret euangelium, ita quoque vt ad eleemosynam minister esset. Propter hoc sanè nũc etiam missus est tali proposito. Antea, inquit, ad hoc designatus est ab ecclesiis, & non nunc à nobis ex tempore assumitur: sed designatus comes nostræ peregrinatonis, simul etiam designatus est, vt obsequeretur ac subseruiret ad hãc gratiam quæ administratur. A Act.13.

Nec id solùm, verumetiam designatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostrę, vnà cum hac gratia quæ administratur à nobis ad eiusdem domini gloriam, & animi vestri promptitudinem: cõtrahentes hoc ne quis nos carpat in hac exuberantia quæ administratur à nobis, procurãtes honesta non tãtùm coram domino, sed etiam coram hominibus. B

Non solùm, inquit, prædicando euangelium laudem promeretur, verumetiam quia designatus est ab ecclesiis. *Comes peregrinationis nostræ.* Deinde ex ecclesiarum quoque designatione & iudicio Barnabã venerandum facit. Nõ enim ex sola, inquit, euãgelij prædicatione laudẽ promeretur, sed etiã designatus est ab ecclesiis vt esset nobis comes peregrinationis in prędicãdo. Qui autẽ in hoc particeps est, sanè etiã socius ac particeps est Paulo in afflictionibus ac periculis. C Nec solũ, inquit, comes nostrę peregrinationis designatus est, sed in hac quoq; gratia designatus est quę administratur à nobis, hoc est ad suscipiẽdũ eleemosynæ pecunias. Possunt etiam hæc de Luca intelligi. *Ad domini gloriam.* Talis est autem is qui ab ecclesiis designatus est ad suscipiẽdas à vobis pecunias, vt ex his quæ agit & Christus glorificetur, & vos prõptiores potius ad collationẽ efficiamini. *Cõtrahentes hoc.* Coartãtes & in hoc muniẽtes. *Ne quis nos carpat.* Propterea, inquit, tales misimus, veriti & obseruantes ne quis prauam aduersum nos habeat suspicionem, tãquam pecuniam nobis sumere velimus. *In hac exuberantia quæ administratur à nobis.* hoc est eò ꝙ exuberans & abundans futura sit contributio vestra. Etenim abundans pecuniarum multitudo posset prætt

D uis verisimilem iniicere suspicionem de nobis, nisi adeò electos ad illarum susceptionē misissemus. Nō dixit autem, Ne vos offendiculū patiamini de nobis, ne ipsos morderet, sed, Ne quis, *Procurantes honesta.* Vide quò se demittat. Nō dixit, Quū mihi de bono opere conscius sim, gemat quantū velit qui aliquid suspicatur mali, sed quid? Propterea, inquit ad securitatem hanc & diligentiam deueni, quoniam procuramus honesta, hoc est bene audire, non solùm coram deo, sed etiam coram hominibus. Nam quātò sunt nōnulli imbecillius affecti, eo magis necesse est vt nosipsos demittamus.

Misimus autem vnà cum illis fratrem nostrū, quē probauimus in multis sæpenumero diligētem, nūc
E autem multò diligentiorem, ob multam fiduciam quā habet erga vos: siue pro Tito, socius meus est & adiutor erga vos, siue pro aliis, fratres nostri sunt & legati ecclesiarum, gloria Christi. Proinde documētum charitatis vestrę, & nostræ de vobis gloriationis in eos demōstrate ad respectum ecclesiarū.

Ecce & tertium adiunxit, eúmq; nō sine encomio. *Quem probauimus.* Extollit à sua probatione virum. Est autē laudis intēsio quod ait, In multis & sępenumero. *Ob multā fiduciā.*
F Confisus quòd ad vos veniens non frustrabitur intento, diligentior adhuc factus est quàm antea fuerit. *Siue pro Tito.* Quandoquidem illorum virtutē ostēdit, deinceps propter ipsos exhortatur, & in ipsa exhortatione laudat eos, & ait: Siue pro Tito aliquid dicere oporteat, hęc possum dicere ꝙ socius mihi est, & adiutor meus erga vos & ad vestram salutem ac fidem, Est autem eximia laus: Siue pro aliis aliquid dicere oporteat: hæc habeo quę dicā ꝙ sunt fratres nostri, legati ecclesiarū, ex electione videlicet. *Gloria Christi.* A sua,
Mat.5. inquit, cōuersatione gloriam Christo conciliant. Vt vidētes inquit, vestra bona opera, glorificēt patrem vestrum qui in cælis est. *Proinde documentum charitatis uestræ.* Documentum, hoc est demonstrationem, argumentum, ostensionem. Demóstrationē, inquit, dilectionis qua me diligitis, & gloriationis qua de vobis gloriamur, in illos ostēdite, ꝙ nō temerè ac frustrà de vobis glorier. ac si dicat: Si vultis ostēdere ꝙ vos

quidem me diligitis, ego autẽ meritò de vobis glorior, hos A
diligite, his beneuolentiam exhibete. Ad *respectum ecclesiarũ.* hoc etiam ad honorem ecclesiarum quæ ipsos miserunt. Nã si eos honoraueritis, ecclesias quæ eos miserunt honorastis. Non dixit autem Hominum, sed Ecclesiarum, magis venerandum reddens sermonem, & qui refelli nequeat.

Siquidẽ de subministratione quæ fiat in sanctos, Cap. 9.
superuacuum est mihi scribere vobis. Noui enim promptitudinẽ animi vestri, qua de vobis glorior apud Macedones, quòd Achaia parata sit ab anno superiore, & vestri æmulatio prouocauit complures. B

De *subministratione*, putà eleemosynæ. Quum igitur multa de hac eleemosyna dixerit, ac multa præterea dicere velit, nunc ait, Superuacuum est mihi scribere vobis: hoc dicẽs, vt ipsos magis attrahat. Pudet enim hominẽ, dequo huiusmodi habetur opinio quod ne consilio quidem opus habeat, si inferior appareat sui opinione. Noui enim promptitudinẽ animi vestri. Cõfidentis quidem est persuasum esse, porrò etiã erga alios gloriari multo amplius. *Quòd Achaia*, Hęc, inquit, gloriatio mea est apud Macedones, ꝙ nõ sola Corinthus, verum etiam tota Achaia ad eleemosynã parata sit. Est autẽ Achaia prouincia quædã in qua sita est Corinthus. Nõ dixit autẽ Cõfert aut Colligit, sed Parata est, hoc est prompta est, & iam omne negotium expleuit, ac solùm eos expectat qui ministraturi sunt. Et *vestri æmulatio*. Contingit enim C
& propter Christũ sumi ęmulationẽ. Si igitur vos aliis quoq; oblationes cõciliastis, an nõ absurdũ foret si vosipsi deessetis vestro officio? *Prouocauit plurimos*. Atqui de Macedonibus dixit quòd vltronei & suo studio ad hoc venerant: quomodo ergo nũc ait, Vestra ęmulatio prouocauit ipsos? Prouocauit sanè complures, at non omnes. Præterea spontaneũ studium ita intelligit, quasi dicat, Nõ suasimus neq; adhortati sumus ipsos, sed vos collaudauimus ꝙ ab anno superiore parati sitis, idque satis fuit ad excitandum ipsos.

Misi tamen hos fratres, ne gloria nostra qua glorior de vobis, inanis fiat in hac parte vt queadmodũ dixi parati sitis, ne quo pacto fiat, vt si venerint

D mecum Macedones & offenderint vos imparatos, nos pudore suffundamur, vt ne dicamus vos, in hoc argumento gloriationis. Proinde necessarium arbitratus sum adhortari fratres, vt prius accederēt ad vos, & præpararent iam ante promissam benedictionem vestram, vt ea sit in promptu, sic tanquam benedictio & non tanquam auaritia.

Considera Pauli prouidentiam. Misi, inquit, illos ne vana fiat gloriatio nostra, & mēdaces inueniamur qui vos præparatos esse dixerimus. *In hac parte.* Nēpe eleemosynę. Quoniam enim dixerat Ne inanis fiat gloriatio nostra, hoc in eleemosyna duntaxat conclusit. V*t quemadmodum dixit.* Nam
E hoc Macedonibus dixerat. Achaia parata est ab anno superiori. N*e quo pacto fiat ut si uenerint mecum,* Ab humanis cogitationibus ac rationibus ipsos exhortatur, quòd infirmiores adhuc sint. Ne quo, inquit, pacto fiat. Est enim verisimile ipsos mecum venturos. N*os pudore suffundamur.* qui temerè gloriati simus. V*t ne dicamus uos.* Deinde corrigit sermonem, vt melius, inquit, ominātes non dicamus vos pudefieri. Nisi amborum potius esset pudor: horum quidem, vt qui suo deesset officio: ipsi⁹ verò qui falsò gloriatus esset. In hoc argumēto siue materia hac, inquit, gloriationis. Ac si diceret: Aliis in rebus pudore nequaquā suffunderemur, sed
F in sola hac gloriatione de eleemosyna. P*roinde necessariū.* Etenim verè necessarium erat, & ipsos pudore liberare, & seipsum ne mētitus fuisse videretur. V*t Prius accederem ad uos.* Quoniam in superioribus dixerat, Superuacuum mihi est de hoc scribere, vtpote ipsis iam paratis: ne contraria dicere videatur, non amplius differit nunc de conferendo, sed de velociter & abundè ac prompto animo conferendo: per hæc illud quoque confirmans. V*t ea sit in promptu.* Ea nempe eleemosyna, cum abundantia. *Sic tanquam benedictio.* Sic hoc est, cum gaudio & prompto animo. Nullus enim benedictionem dans, aut dolet, aut ex necessitate dat. Ille enim, nempe auarus, dolet, abiiciens & ex necessitate dans ea quæ auaro animo possidebat: at nunc vobis occasio est salutis ipsa munificentia & donatio.

Hoc autem. Qui parcè ſementem facit,is parcè A
meſſurus eſt. Et qui ſementē facit in magnificētia,
copioſè meſſurus eſt,vnuſquiſq; iuxta propoſitum
cordis,nō ex mœrore aut ex neceſsitate:nam hilarē
datorem diligit deus. Potens eſt autē deus efficere, Eccle. 35.
vt omnis gratia in vos exuberet,vt in omnib⁹ ſem-
per omnem ſufficientiā habentes exuberetis in om
ne opus bonum,quēadmodum ſcriptū eſt: Diſper- Pſal. 111.
ſit,dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculū.

Parcè,inquit,& tenuiter. *Hoc autē.* Opus,inquit, elee-
moſynę in hunc modū ſe habet. Et deinceps ſemen illud ap
pellat,vt ad meſſem reſpiciētes: & ꝙ is qui multa aut pauca B
ſeminauerit,iuxta proportionē meſſurus ſit, prōptiores fiāt
ad collationem. *Et qui ſementem facit in magnificentia.* Abun-
dè,inquit,& largiter. *Vnuſquiſque iuxta propoſitū cordis.* Ad
priora redit,dicēs propemodum: Ea quidē quæ de eleemo-
ſyna dici oportet hæc ſunt: cæterum vnuſquiſq; ita tribuat
ſicuti propoſuit. *Non ex mœrore.* Non enim eſt auaritia aut
lucrum quærendum. *Aut ex neceßitate.* Neminem enim co-
gimus,inquit. In ſuperioribus nanq; dixit. Non imperando Sup. 8.
loquor & rurſum: Conſilium autē do. *Nam hilarem datorem
diligit deus.* Teſtimonio quoq; cōfirmat ꝙ ex mœrore dare
nō oporteat. *Vt omnis gratia in uos exuberet.* Omnis,inquit,
gratia tam ſpiritualiū quàm carnalium rerū,vt abundè poſ-
ſitis tribuere. Aut ꝙ poteſt deus,vobis carnalia ac parua tri- C
buentibus,ſpiritualia magnáq; repēdere, & facere vt exube
rent. Non ſolùm inquit,implere,verumetiā vltra neceſsita
tem dare. *Omnem ſufficientiam.* Conſidera ſapientiā. In car-
nalibus ſufficiētiam ipſis precatur: aut in ſpiritualibus exu-
berantiam & opulentiam. *Diſperſit dedit pauperibus.* Prophe
tam eis adducit ad liberalitatem adhortantem. Nam diſper-
gere ſignificatiuum eſt exuberantiæ. *Iuſtitia eius.* Nam iu-
ſtos eleemoſyna facit, delicta in modum ignis purificans. Eccle. 3.
*Manet in ſeculum.* Nunquam enim extinguitur. Luc. 11.

Porrò qui ſuppeditat ſemen ſeminā̄ti & panem
in cibum,is ſuppeditet ac multiplicet ſemētem ve-

D ſtram, & augeat fructum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletemini in omnem ſynceritatem quæ per nos efficit vt gratiæ agantur deo. Nam functio huius miniſterii non ſolùm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, verumetiam exuberat in hoc quod per multos gratiæ agantur deo, qui per probatum hoc miniſterium glorificant deum, ſuper obedientia confeſsionis veſtræ in euangelium Chriſti.

In orationis ordine indicat nō oportere metuere, ne quo modo is qui multa tribuit, indigere inueniatur. Nam qui ſemen, id eſt ſenſibilē ſementem ſuppeditat ſeminanti, nempe
E deus qui etiā corpus pane nutrit, quomodo eum poſſet negligere qui ſpiritualē facit ſementem. Is *ſuppeditet ac multiplicet*. Poterit & carnalia veſtra abūdè ſuppeditare, adeò vt etiam multiplicetur eleemoſyna veſtra. hāc enim dicit nunc ſementem. Et *augeat fructū*. Nam ex eleemoſynæ ſemēte augebit & creſcere faciet fructus iuſtitiæ. Omnia autem figuratiuē dixit. *Quæ per nos efficit*. In hanc, inquit, ſynceritatē & opulentiā diteſcatis, quæ per nos efficit vt gratiæ agātur deo. Quid eſt autem quod efficit vt alij quoq; gratias agant deo pro his quæ & nos nacti ſumus? beneficētia videlicet; diteſcite igitur beneficentia. Id nanq; etiā nos qui accipimus faciet deo gratias agere. *Nam functio huius miniſterij*. Hoc eſt
F liberalitas & collatio harum pecuniarū, ac ſpirituale miniſteriū quod à nobis ſubminiſtratur. *Non ſolùm ſupplet* Non ſolùm hoc, inquit, aſſequitur vt expleat ea quæ deſunt, ſiue indigentiā ſanctorum, verumetiā exuberare facit gratiarū actionē erga deum, ꝙ per multos offeratur. Hoc autē eſt ꝙ & pauperes alantur, & efficere vt gratiæ agantur deo. Nam hæc duo inter ea ſunt quæ admodū collaudantur. Exuberat autem dicit, per probatū hoc miniſterium, id eſt per cōprobatam eleemoſynā, & quæ experimento vtilitatem oſtenderit, quā nos vobis miniſtramus, inquit. *Verumetiā exuberat*. Quo autem pacto exuberat gratiarū actio erga deum? Quo pacto? quia ſancti deum glorificāt, non ſolùm ꝙ per eleemoſynam ablata ſit ab ipſis indigentia, verumetiam ꝙ euangelij confeſsioni ſubiecti ſitis. Argumentum enim quòd ſub-

lecti sitis iussionibus euangelicis est ipsa beneficentia. Nam circa eleemosynam dominus plurima disseruit. A

Et synceritatem cõmunicationis erga ipsos & erga omnes, etiã precatione illorũ pro vobis: qui desiderant vos propter eminentẽ dei gratiã in vobis, Gratia autem deo super inenarrabili suo munere.

Et quia per subiectionem ac obedientiã euangelij ad hoc etiam subiecti estis ad syncerítatem erga ipsos, hoc est abundantiam eleemosynæ ac communicationis. Nec solùm erga ipsos, verumetiam erga omnes. Nam hi, inquit, sancti ob id quoque deo gratias agunt quod aliis tribuitis. *Etiam precatione illorum pro uobis.* In hoc, inquit, deo gratias agunt, ꝙ euangelij obedientia ac subiectio adeò probatos vos reddiderit, adeò amabiles: vt cõtinuè precentur quo videãt vos. Ait enim: *Qui desiderant uos propter eminentem dei gratiam:* Vos, ait, desiderant, non propter diuitias, sed vt spectatores sint datæ vobis à deo gratiæ. Propter eminentem enim, inquit, dei gratiam in vobis videre vos cupiunt. Vide autem prudentiam. Extollendo illos, totum deo attribuit, rem ipsam vocans dei gratiam. *Gratia autem deo.* Deinde cognita dei gratia ipse deum glorificat. *Gratia autem deo,* inquit, *super inenarrabili ipsius dono.* Donum autem siue munus appellat hic quòd euangelio subiecti facti sint Corinthij, & quòd per eleemosynam tanta bona nobis tribuerit quãta enumerata, quódque pro illa dabit in futuro maiora. B C

## CAPVT X.

*Propriorum narratio laborum & propositi ac gratiæ quæ in ipso erant, ne assentiretur fucatis Corinthiis.*

CAeterùm ipse Paulus obsecro vos per lenitatem & mansuetudinem Christi qui in conspectu humilis quidẽ sum inter vos, absens tamen audax sum erga vos. Rogo autem ne pręsens audeam fiducia qua existimor audere erga quosdam, qui putant nos secundum carnem ambulare. Nam in carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Cap. 10.

D Magna dignitas. Ego Paulus, inquit, hoc est, apostolus, orbis magister: sicut etiam alio loco: Ecce ego Paulus dico vobis. Expleto enim sermone de eleemosyna, auspicatur sermones magis increpatorios aduersus pseudapostolos, eósq; qui ipsum calumniabantur. Et seipsum cõmendat, quum in necessitatem hoc faciendi incidisset, ne etiam prædicatio vilesceret, si ipse ob silentium vilis ac abiectus reputaretur: & datæ sibi cum exuberãtia gratiæ præclara ponit facinora, suámq; tolerãtiam ac perpessa pro Christo certamina. *Obsecro uos.* hoc vult dicere, vos oro ne me cogãt calũniatores vti mea aduersus ipsos potestate, vos precor. Sicut dicere solemus: Suadete ipsis ne ad hoc me ducant. *Per lenitatem & mansuetudinem Christi.* Magna quidem res est quòd Paulus

E obsecret: quum autem & per Christi mansuetudinem faciat supplicationem, magis tremẽdum est. Qui in conspectu humilis quidem sum inter vos: Aut secundum ironiam hoc dicit, vsus calũniatorum sermonibus. Dicebãt enim ꝙ præsentia imbecillis esset: epistolæ verò graues. Ait ergo, Obsecro vos qui præsens quidem humilis sum, vt ipsi dicunt, absens verò maiora scribere audeo quàm quę ad me pertineãt. Aut hoc dicit, Humilis quidem sum, attamen de vestra confisus charitate audeo huiuscemodi scribere. Quid autẽ precaris? ne audeam, inquit, hoc est, ne veniens audacter, etiam præsens vtar aduersum vos mea potestate. Spiritualẽ enim confidentiam vocat suam potestatem, quòd facilè possit vlcisci aduersarios. Quanam potestate? *Qua existimor* (inquit) *audere.*

Galat. 5.

Infr. eodẽ

F Acsi diceret, Nondũ decreui ea vti, sed iam existimor audere vti mea potestate. *Ne præsens audeam.* Quia enim dicebant ꝙ præsens abiectus esset, etiam ait. Ne præsens puniã ipsos. Qua existimor. Vides quomodo sit humilis? Quũ enim necesse sit vti potestate, cunctatur & detrectat, ac rem ipsam vocat audaciam. Nam id optimi præceptoris est, per moram locũ dare resipiscentiæ. *Qui putant nos secũdum carnem ambulare.* Aduersus quos præsens vti potes potestate spirituali? aduersus quosdã, inquit, qui existimãt nos secundum carnẽ ambulare. Pseudapostoli nanq; calũniabantur ipsum, tanꝗ hypocritam ac impostorem, quiq; omnia ad ostentationem faceret: & ait, *Nam in carne ambulãtes, non secũdum carnẽ militamus.* hoc est, nõ carnaliter viuimus. aut de prędi-

catione dicit Militamus, Quum enim bellũ aduersus intelli gibiles ac insensibiles hostes susceperimus, non armis carna libus vtimur: & hoc est, Non secũdum carnem militamus. A

Siquidem arma militiæ nostræ nõ carnalia sunt, sed potẽtia deo, ad demolitionẽ munitionũ quibus consilia demolimur, & omnẽ celsitudinem quę extollitur aduersus cognitionem dei: & captiuam ducimus omnem cogitationẽ ad obediẽdum Christo.

Et adeò nõ secũdum carnem ambulamus, vt arma quibus vtimur cõtra aduersarios non sint carnalia. Arma verò carnalia dici possunt diuitię, fortitudo, principat⁹, gloria, eloquẽtia: Nos itaq; nõ his vincimus, sed cõtrariis, paupertate, imbecillitate, ignominia, inscitia. Ideo quoque potẽtia deo ista dicit. Etenim per hoc admirationem ac potẽtiam à deo habent: nam talia quũ sint, orbem deuicerũt. Considera autem quantũ fastu careat. Nõ dixit, Nos sumus potẽtes, sed arma nostra per deũ: nam & illis non nos potẽtiam dedimus, sed deus. *Ad demolitionem munitionum.* Sunt autẽ arma nostra potentia ad demolitionem munitionũ. Et bene demolitionẽ dicit, ostẽdens ꝙ nõ machinationes opponamus, sed protinus quicquid cõtrarium est demolimur. Munitiones verò dicit, id est, Gręcorum syllogismos, & errorem ac fastũ ipsorum. Deinde ne munitiones audientes, corporale aliquid intelligens, ait, *Quibus cõsilia demolimur.* i. rationes, & Gręcorũ sophismata. Vel ꝙ ipsas eorum cogitationes & animas deiicia mus ab eo quo obsidẽtur errore, & ad veritatẽ ducamus. *Et omnem celsitudinẽ quæ extollitur.* Permãsit in tropo vt maiorẽ faceret emphasim. Arma, inquit, nostra: siue munitionẽ dixe ris, siue celsitudinẽ, hoc est, turres quasdã ac ꝓpugnacula, & quicquid illud est quod extollitur aut repugnat cognitioni dei quæ per prædicationẽ acquiritur, hęc nostra arma demo liũtur omnia. Et captiuã ducimus omnem cogitationem. Et ita omnẽ cogitationem & omne cõsilium humanum subiici mus regi summóq; duci Christo, vt ne reluctari quidem aut repugnare deinceps possint aliqua illorum quę deuincũtur, hoc autẽ significat Captiuã ducimus, hoc est captiuos ex praua tyrãnide accipimus, à seruitute in libertatem reducẽtes.

B (margin, at "Ideo quoque potẽtia deo ista") — C (margin, at "Et omnem celsitudinẽ")

D Et in promptu habemus vindictam aduersus omnem inobediẽtiam, quum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secũdum faciẽ sunt videtis? Si quis de seipso confidit ꝙ Christi sit, illud rursum perpẽdat ex seipso, ꝙ sicut ipse Christi est, ita & nos Christi sumus. Nam si etiã amplius glorier de potestate nostra quam dedit nobis dominus ad ædificationem & non ad destructionem vestri, non pudefiam.

Hic quoque illos terruit: Ait enim, Vos expectamus, vt dum vos per exhortationem & doctrinam correxerimus, & ab illis abstraxerimus, tum illis solis incredulis pœnã inferamus. quũ igitur in hoc parati simus, vt à vobis qui permixti estis, prohibemur. Timemus enim ne & vos attingat cruciatus eo ꝙ permixti sitis. Hæc autem dicens, pseudapostolos designat vt corrigantur. *Quũ impleta fuerit uestra obedientia.* Nunc quidem obeditis, inquit, at nõ perfectè: ideo ait, Quum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secundum faciẽ sunt videtis. Vbi pseudapostolos terruit, ipsos etiã deinceps obiurgat, asperius cum eis differens. quæ secundum faciem sunt, inquit, videtis? hoc est, ab his quæ apparent, iudicatis? vtpote si quis ditescit, si quis extollit aut iactat sese, si quis virtutis personã sibi circũponit. Per interrogationem legẽdum est. Probare, inquit, vnumquẽq; nostrum vultis, & quæ apud nos sunt inuestigare? igitur cum diligentia hoc facite. Per increpatoriam simulationem hoc legẽdum est: hoc est, non ex veritatis operibus, sed ex his quæ vtcũque in superficie apparent, inuestigationem accipitis? *Si quis de seipso confidit quòd Christi sit.* Etenim pseudapostoli quoq; tanquam Christi essent sese iactabant. *Illud rursum perpendat à seipso.* Si omnino, inquit, particeps fuerit gratię quę à Christo est, à seipso existimet, & nõ expectet vt per increpationem à nobis discat. *Ita & nos Christi sumus.* Interim, inquit, nobiscum cõmunicat, & nihilo plus habet nobis. Non enim ipsi quidẽ Christi sunt, nos autem alterius cuiuspiã. Hoc verò per modum colloquij dixit. Nam in progressu ostẽdit ꝙ non eo modo quo illi Christi erant, ita & ipse, sed ingens erat interstitium: Vnde ait, *Nam si etiam amplius glorier.* Ac

E (margin) — Theod. F Genn.

si dicat, Satis est interim dixisse, Ita & nos. Nam si quid vltra hoc dicerem, non pudefierem, nam vera dicerem. *De potestate nostra.* Potestate punitiua ac vlciscente aduersarios. Deinde quod odiosum in sermone erat corrigens, ait, *Ad ædificationem & non ad destructionem uestri.* Acsi diceret, Potestatem accepimus vt nos ædificaremus ad fidem, non vt aliquem puniremus. Dicat igitur aliquis, Et quomodo nunc minaris ob datam tibi à Christo potestatem, & superius dicebas, In promptu habemus vlcisci omnem inobediētiam, si non ad vltionem, sed ad ædificationem accepisti potestatem? Quia hoc ipsum, inquit, maximè est vestri ædificatio, vt de medio tollantur impedimenta & offendicula, putà si aboleantur pseudapostoli. In hoc quidem accepimus vt ędificemus: porrò si quis incurabiliter ægrotet, alia quoque vtemur operatione ac efficacia, demolientes ac diruentes ipsum, vt sit quidem primarius vsus ædificatio: ex consequenti autem ad demolitionem. *Non pudefiam.* Non ostēdar, inquit, mendax aut arrogans. A B

Ne quo modo videar perterrefacere vos per epistolas. Nam epistolæ quidem graues sunt (ait) & fortes, at præsentia corporis imbecillis, ac sermo contemptus. Hoc reputet qui eiusmodi est, ꝙ quales sumus sermone per epistolas quum absumus, tales sumus, & quum adsumus facto.

Propterea, inquit, infra mediocritatem dixi, Non pudefiam, nec quicquam grandius loquutus sum, ne quo modo videar terrere vos per epistolas. Deinde illorum vsus est sermonibus qui ipsum calumniabantur. Et ne rursum dicant, Nam epistolæ quidem graues sunt, &c. Propterea, inquit, ita modestè loquutus sum. *At præsentia corporis imbecillis.* Dicebant enim qui ipsi detrahebant, quòd iactaret se ac intumesceret epistolis, & formidabilia scriberet, at vbi aduenisset, admodum despectus esset, ac conuinceretur non talis esse qualem scribendo ostenderet. *Hoc reputet qui eiusmodi est.* Qui ista, inquit, dicunt, hoc sciant, quòd & præsentes & absentes iidem sumus: & quales sumus absentes per sermonem & epistolas, tales etiā sumus præsentes opere. Hoc C

D est, non solùm minamur absentes, sed præsentes quoq; possumus in opus deducere id quod minamur.

Non enim audemus inserere aut conferre nosipsos quibusdam qui seipsos commendant. Sed ipsi nosipsos metimur in nobisipsis, & conferimus nosipsos nobisipsis, non his qui vnà nobiscum versantur. Neq; nos in immensum gloriabimur, sed iuxta mensuram regulæ qua partitus est nobis deus, mẽsura pertingendi etiam vsque ad vos.

Hoc loco arrogantes illos in medium adducit, & obiurgat illos, per ironiam sermonem producens, & ait, Non e-
E nim audemus inserere siue annumerare aut assimilare, siue connumerare nosipsos quibusdam, qui sese venditant arrogantibus sermonibus. Vides quo pacto illos momordit?
Pho. Non audemus, inquit, ne annumerare quidem nosipsos iis qui sese commendant, neq; in comparatione ad eos aliquãtum nos ipsis præponere. Audaciam autem vocat & fieri tãquam vnum ipsorum: & omnino illis assimilari: ostendens rei absurditatem, & abominationem ipsorum coram deo. Ideo non audemus, ait: grande enim supplicium talibus repositum est. Hoc autem dicit, simul & Corinthios admonẽs huiusmodi pestem fugere, & ipsos à talibus separans ac distinguens. Quod si nosipsos auderemus commendare sicut
F & illi, nequaquam tales essemus præsentes, quales & absentes essemus per epistolas, sed mutaremur hìc & ibi, ac epistolis alij, & alij efficeremur, & ipsi præsentes iuxta vsus, & temporum occasiones variaremur: & nunc quidem assentaremur, nunc autem tremendi videremur: principum quidem serui ac ministri voluntatis, humilium verò domini ac iudices. Nam qui seipsum commendat, omnia facit ad proprium respiciens quæstum, sese commutans semper, ac trãsformans ad propriam vtilitatem. Sed neque vt vnus illorum sumus, neque vllam ad ipsos participationem habemus aut similitudinem: non enim tales fieri audemus: quomodo ergo alij sumus per epistolas absentes, alij verò præsentes? id nãque non est nostrum, sed eorum qui seipsos commendant: nos autem in nullo commendamus nosipsos, sed ipsi nosip-

sos metimur, siue perscrutamur ac disquirimus, conscientiam facientes indagatricem, ne quid factum sit quod non oporteat, ne quid vel cogitatum sit indecens. & nosipsos cōferimus, ne quid fortassis cōtrarium faciamus his quæ prædicamus, quæ annuntiauimus, num quid priori vitæ dissonum. Porrò etiam nos conferimus nobisipsis, non his qui vnà nobiscum versantur. Nō facimus, inquit, extrinsecus eos qui nobiscum versantur spectaculum, ac theatrum nostrę cōparationis & inquisitionis, sed ipsi nosipsos constituimus iudices ac arbitros, quod est incorrupti iudicij. Pseudapostoli verò seipsos commendantes, opposito modo ad ostentationem multitudinis omnia efficiunt. Ideo neque seipsos metiuntur, neque seipsos perscrutantur: sed sufficit ipsis ad omnem fœlicitatem, vt illorum placeant multitudini, qui vnà secum versantur. Propterea nos non in immēsum vt illi, aut gloriati sumus, aut gloriabimur: sed si quid dicimus, aut facimus, aut scribimus, iuxta mensuram regulæ nostræ dicimus, & facimus, & scribimus. Ipse verò non dicit Mēsuram nostram, sed vbi dixit Mensuram, subiungit, *Qua partitus est nobis deus*: ostendens ꝙ ipsa quoq; eius mensura ex deo esset. Aut hoc etiam modo. Ne existimes ꝙ dicens Mensuram regulæ, ipse mihi mensuram definierim: sed illud dico mensuram, qua mensura, id est, per quam partitus est nobis deus. Quæ est autem illa? Variæ sunt & multæ: interim autē per prædicationem venisse vsque ad vos, atque apprehendisse vos, id habemus à deo mēsuram, per quam partitus est ac ordinauit, vt ad vos vsq; pertingeremus, & euangelium prædicaremus. Aut potest tota particula ab eo loco. Non enim audemus vsque ad illa verba, ὀυ συνιοῦσι aduersus arrogantes dicta esse: & quod ait, ἀλλὰ ἀυτοὶ ἐμ ἑαυτοῖς dictum esse pro causa eorum qui seipsos commendant, vt sit sensus. Nam ipsi in seipsis seipsos metientes ac comparantes, non perpendunt siue non intelligunt se arrogantes esse, ac sibiipsis imponere. Quemadmodum enim is qui apud sese prudens est, admodum insipiens est, ita etiam qui apud sese magnus & excelsus est, is ridiculus est, omniúmque postremus. *Sed ipsi in nobisipsis.* Illis itaque non audemus nosipsos conferre qui magni sunt, inquit, & nos excedunt, sed apud nosipsos manentes metimur nosipsos, & ad mensuras nostras, &

*Qui harū uocū naturā perspexerit* ἀυτοὶ, ἑαυτοὺς, & ἑαυτοῖς, *q̄ primæ personæ esse poßūt uel tertiæ. Et*

*συνιοῦ- σι quod potest à συνίημι intelligo deriuari, aut à σύνειμι.i. simul sum, uel côuersor, nequaquã admirabitur tã uarias eorundem uerborum enarrationes.*

D loquimur, & scribimus, & operamur. *Et seipsos cõparantes.* Nos quidem nosipsos metimur, inquit, illi verò seipsos sibi conferunt, non enim ad aliquem hominum conferri volunt, sed sese ad sesipsos, ὀυ συνιοῦσι, hoc est, non intelligunt, non sentiunt ꝙ ridiculi sint his qui intuentur. Nulli enim occulti sunt, inquit. Aut ꝙ inter sé mutuò seipsos extollunt. *Nos autem non in immensum gloriabimur.* Nos, ait, non sicut illi: non vltra datas mensuras gloriabimur. Siquidem verisimile est, ꝙ illi mentientes dicerent, Nos orbem conuertimus, ad terminos terræ docentes peruénimus. Hæc vltra mensuram aut supra mensuram esse dicit, quæ suam potentiam ac mensuram transgrediuntur. *Sed iuxta mensuram regulæ.*
E Quemadmodum enim vineam quispiam distribuit, ita orbem nobis apostolis deus partitus est. Itaque iuxta mensuram regulæ, qua partitus est nobis deus gloriabimur & loquemur. Quæ est autem tua mẽsura? *Vsque ad uos* (inquit.) Etiam ad vos vsq; pertigisse. Quoniam igitur ad vos quoq; pertigimus, etiam hæc data nobis est à deo mensura, vt etiã vsque ad vos gloriemur: nam à communi sensu resumẽdum est Gloriabimur, siue Gloriemur.

Non enim quasi non pertingentes vsque ad vos, extendimus nosipsos supra modum. Nam vsque ad vos quoque peruénimus in euangelio Christi, non in his quæ supra mensuram sunt gloriantes super
F alienis laboribus: sperantes autem futurum vt dum creuerit fides vestra, in vobis magnificemur iuxta regulam nostram in exuberantiam, vt iis quoque regionibus, quæ vltra vos sunt euangelium annuntiemus, non in aliena regula, vt de his quæ parata sunt gloriemur: sed qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed is quem dominus commendat.

Neque enim poterit quispiam dicere, inquit, ꝙ quum nõ pertigerimus, siue non pertingamus vsque ad vos, extendimus nosipsos, dicentes nos pertigisse ad vos, frustrà sermonem iactando. Re vera enim vsq; ad vos pertigimus. Per-

tigimus autem in euangelio Christi: hoc est, non vtcunque A
pertigimus, sed annuntiantes vobis euangelium. *Quasi non pertingentes.* Id est, non potentes ad vos vsque pertingere, aut pertigisse, extendimus nosipsos tanquam fastu verborũ. *Per euangelium Christi.* Nam verisimile erat pseudapostolos etiam non prædicando, ad aliqua loca accessisse, & ꝙ ob id gloriarentur. *Non in his quæ supra mensuram sunt gloriantes.* In his, inquit, quæ nostram excedunt mensuram & potentiam, & in alienis laboribus. Verisimile enim est, ꝙ pseudapostoli quum alij prædicassent alicubi, ipsi leuiter accedebant, & sibiipsis prædicationem ascribebant, Nos autem nõ super alienis, inquit, laboribus. *Sperantes autem.* Nihil asserit, sed speramus, inquit, in deo. In eo enim quòd crescit fides discipulorum, præceptores laudantur: hoc itaque in B
hoc consistit vt crescat fides vestra. In vobis magnificemur. Speramus, inquit, ꝙ vobis ad fidem crescentibus, in vobis magni ostendemur. *Iuxta regulam nostram in exuberantiam.* hoc est, ꝙ in vobis gloriabimur plus quàm nũc: nam id est, In exuberantiam iuxta regulam nostram, id est, iuxta mensuram nostram, quæ nobis à deo credita est. Bene autem regulam & mensuram vocat, tanquam ad possessionem & hæreditatem orbis ipse accesserit. *Vt iis quoque regionibus quæ ultra nos sunt.* Et ita in vobis, inquit, magnificemur, vt etiã in regionibus quę vltra vos sunt euangelium annuntiemus, ac doceamus: quod sanè etiam fecit. *Non in aliena regula.* Et non quemadmodum pseudapostoli faciunt, inquit, gloriandum nobis est in aliena regula & parte, & vbi alius labo C
rauit. Nam hoc est quod ait, De his quæ parata sunt: vbi, inquit, iactum erat doctrinæ semen. *Sed qui gloriatur, in domino glorietur.* Itaque illi, inquit, in vanum gloriantur: nos verò licèt hæc operati simus etiam vsque ad vos, & adhuc in posterum operaturi simus, non in nobisipsis gloriamur, sed in deo. Nam qui gloriatur, inquit, debet in domino gloriari. Siquidem eam quoque mẽsuram qua pertigimus, ex deo accepimus. *Non enim qui seipsum commendat.* Qui autem erant seipsos commendantes? Pseudapostoli videlicet. Quos autem commendat dominus? Paulum sanè. Nam iuxta mensuram, inquit, regulæ qua partitus est nobis deus. Itaq; deus qui partitus est, Ipse etiam commendat.

Cap.11. Vtinam toleraretis me paulisper in insipientia:
D imò & suffertis me: nam zelotypus sum erga vos
zelo dei. Adiũxi enim vos vni viro, vt virginem castam exhiberem Christo, sed metuo ne quà fiat, vt queadmodum serpens Euam decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est erga Christum.

Aggressurus proprias laudes, multa correctione antea vsus est, deuitans ne odiosum videretur, quod laudaret seipsum. Ad hoc autem duxit eum argumenti necessitas, quum vereretur ne in damnum fieret discipulorum, si ipse quidem
E despectus haberetur, pseudapostoli verò quippiam esse viderentur. Vtinam, inquit, toleraretis me, opus & factum insipiens perpetrantem. *Imò & toleratis me.* Noui enim quòd me diligitis, ait, & omnia mea toleratis. *Nam zelotypus sum erga uos.* Non dixit, Amo vos, sed quod maius est, Zelotypus sum erga vos, hoc est, ardenter amo. Deinde ne existiment quod propter humana, nempe pecunias aut gloriam ita ipsos amet, subiungit, *Zelo dei.* vt vobis prosim. *Adiunxi enim uos.* Ad ecclesiam totus ipsi sermo est. Hæc enim post nuptias virgo est: præsens autem tempus est desponsationis, futurum verò thalami nuptialis: quatenus dicitur quod surrexit sponsus. Quænam autem est dos? Regnũ cœlorum. Hu-
F ius etiam desponsationis Dauid paranymphus erat, quum diceret, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Ipse quoque
Mat.25. Paulus quum pronubus esset, dicebat, Pro Christo legatio-
Psal.44. ne fungimur, vt spõsam acciperet. Horum figura erant, quę
Sup.5. in Abraham contigerunt qui seruum misit, vt desponderet filio suo virginem Gentilem. Sic deus olim prophetas miserat, & postmodum apostolos, qui filio desponderēt eccle-
Gen.24. siam Gentium. *Vt uirginem castam exhiberem Christo.* Ego, inquit, vos Christo despondi: itaque propter illum zelotypus sum, non propter meipsum. *Sed metuo ne quà fiat.* Nam & si perditio vestra sit, tamen timor communis est. Non autem enuntiatiuè dicit, Ne corrũpamini vt minus pudefiāt: sed ambiguè pronuntiat. Ne quà fiat, licèt iam corrupti erant. Etenim ille quoque maiora pollicitus est, serpens, inquam,

quam, primis parentibus, quemadmodũ & his pseudaposto- A
li. Ostendit autem deceptionem esse muliebrẽ. *Versutia sua*. Sed quemadmodum versutum fuisse serpentem, mulieri veniam non tribuit: ita neque pseudapostolorum versutia dabit vobis. *Ita corrumpantur sensus uestri*. Putà vt transferantur à simplicitate Christi ad calliditatẽ externã. Ostẽdit autem quòd fidei opus sit anima fuco carente & syncera, quæ omnia fide excipiat, & in nullo seducatur.

Nam si is qui venit, alium Iesum prædicat quem non prædicauimus, aut si spiritum alium accipitis, quem non accepistis, aut aliud euangelium quod non suscepistis, rectè sustineretis.

Interim ostẽdit pseudapostolos aduentitios esse, ac aliũde prorumpẽtes. Vide autem q̃ non dixerit, Si ad amplius B
loquuntur (Etenim verisimile erat illos nugari, & verborũ venustate veluti præstigiis ludifacere auditores) sed ait, Alium Christum, hoc est, Si is qui venit ditiores vos reddit spiritualibus donis. Neutrum autem horum eget argutia
verborum. AVT hoc etiam modo. Per abductionem ad id Pho.
quod absurdũ est, dehortatur ipsos ne ad pseudapostolos accedãt: ac si dicat: Si aliũ Iesum pseudapostolus (nã hunc appellat Venientem, vtpote prorũpentem, & foris accedentẽ) si igitur hic aliũ Iesum prædicat, quẽ oportuit à nobis prędicari, & non prædicauimus: aut alium spiritum oportuit vos accipere, & à nobis non accepistis: aut aliud euangeliũ
oportuit vos suscipere, & à nobis non suscepistis, iustè illis C
adhæreretis, & aurẽ præberetis. Verũ si id impossibile est, neq; enim ipsi pseudapostoli hoc dicere audebunt, sed neq; vosipsi: an non absurdũ est nobis illos pręponi, qui in nullo
inferiores fuimus, ne eximiis quidẽ apostolis? *Que non præ-* Eiusdem
*dicauimus*. Quem oportuit prędicari, & non prædicauimus.
*Quem non accepistis*. Quem oportuit vos accipere, & non Eiusdem
accepistis. *Aut aliud euangelium*. Neque enim hoc externa eget sapientia. Considera verò quo modo ostendit nihil illos perfectius dicere, Quem non prædicauimus, inquit, Quem nõ accepistis: & rursum: Quod nõ suscepistis: circũscriptione ostendens nihil amplius illos docere. Neq; enim his qui plura loquuntur: sed qui vera dicũt, oportet mẽtem aduer-

D tere. *Quod non suscepistis.* Quod vos oportebat suscipere, & nō suscepistis. *Rectè sustineretis.* Quid dicis Paule? qui Galatis scribens ais, Si quis prædicauerit vobis euāgelium, prę-
Gala.1. ter quàm id quod accepistis, anathema sit: nunc ad hos scribis, rectè sustineretis? Atqui propter hoc ipsum nō sustinere oporteret, sed si eadē tecum dixissent, tunc oporteret sustinere. Et vide: nam magnum imminet periculum ei qui nō bene animaduertit. omnibus enim hæresibus viam præstruunt. Ita gloriabantur pseudapostoli, quasi Paulus imperfectè doceret, ipsi autem perfectius aliquid dicerent. Siquidē externa doctrina vtentes, veris dogmatibus nugas permiscebant, ideo etiam multos corrūpebāt: hoc itaq; nunc ait: Si hi certè aliquid perfectius dicunt, & aliū oporteret prædicari
E Christum, ac nos prætermisissemus, rectè sustineretis. Propterea enim dicit, Quē nō prędicauimus. Si verò eadē sunt fidei capita, & nihil amplius dicūt, quod ad dogma attinet: ob quam caussam illi supra nos in honore habentur? Quantumcunq; enim nugati fuerint, inquit, nihil suprà nos dixe-
Pho. runt, præter fastum verborū. Quod autem ait, Rectè sustineretis, non est laudantis talem sententiam, sed vberius arguentis. Nam paulò ante hos sustinere, eisq; adhærere corruptionem appellauit. Quid est ergo quod arguit? Inexcusabiles, inquit, estis, si fallimini, quando vtriq; nostrū, & nos & pseudapostoli eadē videmur dicere, & tamen à nobis di-
F scedentes illis adhæretis: nō enim occasionē habebitis fraudis nouitatem, & rem esse insolitam ad perfectionem dog-
τῷ τὸ ἐξηλλαγμένον. matū. Solet enim nouitas titillare, ac simpliciores attrahere: vobis autem ne hæc quidem occasio relicta est.

Arbitror enim me nihilo inferiore fuisse eximiis apostolis. Cæterùm licèt imperitus sim sermone, non tamen scientia. Verùm vbique manifesti sumus in omnibus erga vos. An peccaui meipsum humilians vt vos exaltaremini, quòd gratuitò euangelium dei prędicauerim vobis? Cæteras ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipendio, quo vobis inseruirem. Et quum apud vos essem & egerem, nō onerosus fui cuiquam.

Deinceps Petro & iis qui cum illo erant seipsum compa- A
rat, hoc ostendere volens: Si me, inquit, sapientiores sunt,
illis quoq; sunt sapientiores: sermonem ferēs ad absurdam
deductionem. Considera autem, quàm humiliter de se sen-
tiat. Arbitror inquit, hoc est existimo, opinor: nihil asserēs.
Nec vulgaribus apostolis, sed eximiis, Petrum, Iacobū &
Iohannem designans. Hoc autem dicit, quòd sese nunc offē
rat necessitas: Alibi verò ait: Non sum idoneus qui dicar a- 1. Cor. 15.
postolus. *Cæterùm licèt imperitus sim.* Quoniā in hoc gloria-
bantur pseudapostoli, quòd imperiti non essent, ostendit ꝙ
non fugiat imperitiā, sed de ipsa etiam glorietur. & ideo id
ponit: Alibi verò etiam hoc facit, vbi ostendit quòd esse sa- B
pientem ad nocumentum faciat prędicationis. Veni, inquit,
non cum eminētia sermonis & sapientię, vt non inanis red- 1. Cor. 2.
datur crux Christi. *Sermone &c.* ὁ λόγος id est, sermo, & ἡ &, 1.
γνῶσις, id est, scientia non semper idem designant apud diuū Pho.
Paulum. Sed interdum quidem sermonem habere, dicit habe
re donum docendi: scientiam verò habere, designat intelli-
gere quidē sermonem prædicationis, at nō posse alios quo-
que iuuare ac docere. Rursum quandoque quidem sermo-
nem habere, dicit exercitatum quidem esse in Græcorum
sapiētia, sed nihil habere de diuina, solùm autem verbis mul
ta garrire: scientiam verò habere, perfectum esse in sapiētia
vt & ipse exactè rē nouerit, & idoneus sit qui alios doceat,
& ad Christum adducat. Rursum autem alibi sermonē qui-
dem vulgari modo dicit, veluti dicere solemus eloquētiam, C
siue expressionem verborum: scientiam autem dogmatū co
gnitionem. Exemplum primi est quum ait: Huic quidem da
tur sermo sapientiæ, alij autē sermo scientiæ. Secundi verò, 1. Cor. 12
quod nunc proponitur: Imperitus quidem sermone, sed nō
sciētia. Tertij autē: Ditati estis per ipsum in omni sermone
& in omni scientia. *Verùm ubique manifesti sumus.* Nā deest 1. Cor. 1.
ἐσμὲν, id est, sumus à cōmuni intelligētia supplendum. Quid
est autē in quo manifesti sumus vobis? ꝙ nullo inferiores fu
erimus eximiis apostolis, ꝙ nō simus imperiti scientia, sed
idonei qui doceamus & perficiamus in fide: & simpliciter in
omnibus noti sumus vobis: & ne vna quidē accusatio est ad-
uersum nos, neq; ignorantiæ prętextus: nisi hoc fortassis ad
peccati occasionē sumere velitis, ꝙ nihil à vobis acceperim.

D hoc autem pudefaciendo dicit,ac si diceret:Nisi præclara facinora nostra,& de quo aliȷ gloriãtur,hæc nobis ad peccatũ ducere decreuistis : & id per quod sublimare vos statui,ad nostri accusationem peruertitis. Hoc autem Pauli dictũ est vehementer in vita cõfidentis,& in conuersatione secundũ deũ,ostẽdit enim illos ipsos nihil omnino habere quod aduersus se dicant,etiam quum illorũ arguat ingratitudinẽ ac prauitatem ꝙ quum nihil omnino possent in eo accusare,sed potius mirum in modum admirari:tamẽ pseudapostolos nõ minus,imò etiam magis quàm Paulum amarent. *Non tamen*
E *scientia.* Pseudapostolos certè designat,qui scientia secundũ deum imperiti erant, quod perniciosum est ac mortiferum. *Verùm ubique manifesti sumus.* Pseudapostolos obscurè denotat,qui dolosi & contecti erãt,pietatisque ac religionis persona induti. Nos autem non ita,inquit,nam in omni re & in cunctis quæ agimus manifesti sumus erga vos,in nulla,inquit, duplicitate aut simulatione. *An peccaui.* Cum aculeo vsus est hoc sermone. Abiectum,inquit,me ducitis,& magis vilem:an peccaui ꝙ meipsum fame depresserim,&nihil à vobis acceperim? Hoc,ait,feci vt vos ad ea quę dei sunt,exaltaremini. Nã videntes ꝙ nihil acciperem, ædificabamini, si
F autem accepissem,certè offendiculum passi fuissetis. *Cæteras ecclesias deprædatus sum.* Atqui poterat dicere : Ex labore manuum mearum edebã,sed asperiorem faciens sermonem, Ab aliis,inquit,accepi,quo vobis subministrarẽ ad prędicationem. Quod autem ait: Deprędatus sum, id est spoliaui, nudaui:non enim se clanculò accepisse asserit: Minimè, sed stipẽdium dicit ipsos necessarios sumptus. Magna autem erat illorũ accusatio,ꝙ ne hęc quidẽ ipsi prębuissent. Quódque peius est,Vt vobis,inquit,inseruirem:vobis enim prędicans,ab aliis alebar. *Et quum præsens essem apud uos & egerem.* Triplex erat peccatũ,& ꝙ apud illos prædicaret,& ꝙ necessario egeret alimento. Non solùm enim,inquit,aliò nõ mittebatis mihi,quod Macedones fecerunt, sed neq; pręsentem alebatis. *Non onerosus fui.* Aut οὐκ κατενάρκησα.i.nõ deses fui, non deiectus sum animo,non solui tolerãtiam. Hac autem via leuius reddit eis peccatum,quia ego, ait, non postulaui.
Oecum. AVT etiam hoc modo .Et his,inquit,quum carerẽ, Nõ desesfui, nõ negligens,non segnior ad prædicationem factus

ſum:ſed à me quidem facta ſunt ad veſtram ſalutem quæcũque fieri oportuit,ego tamen in egeſtate degebam. A

Nam quod mihi deerat ſuppleuerũt fratres qui venerant à Macedonia:& in omnibus ſic me ſeruabam,ne vobis eſſem oneroſus,atq; ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me,quòd hæc gloriatio non interrumpetur erga me in regionibus Achaię. Quapropter?an quòd non diligam vos? Deus nouit,verùm quod facio, idem & faciam , vt amputem occaſionem his qui cupiũt occaſionem: vt in quo glorientur,reperiantur ſicut & nos.

B

Ex eo quod ait, Quod deerat, oſtendit ſe nihil vltra neceſſariũ vſum accepiſſe.Miſerunt autẽ ei Philippenſes.Propterea verò etiã nomen poſuit,vt ipſos etiã ad eleemoſynæ æmulationẽ duceret. *Et in omnibus ne oneroſus eſſem ſeruaui.* Oſtendit ꝙ etiã onus ducerent alimẽta ipſi ſuppeditare. Rectè autẽ addidit, *Atque ſeruabo.* Ne exiſtimetis,inquit,me hæc in eum finẽ dixiſſe,quo deinceps accipiam à vobis:non enim ſolùm ita ſeruaui,verumetiã ſeruabo. *Eſt ueritas Chriſti in me.* Deinde ne hæc eũ dixiſſe exiſtiment,quo ipſos magis attraheret ad dandum,ait: Eſt veritas Chriſti in me,hoc eſt,in veritate dico,ꝙ gloriatio hæc,nempe de nõ accipiendo.Gloriationem autẽ dicit ne arbitrentur,ꝙ ſuccenſeat illis,ꝙ non accepiſſet. *Non interrumpetur*, hoc eſt non amputabitur,non deficiet.Quomodo autem non deficiet? ſi ne in poſterum quidẽ accipiat. *In regionibus Achaiæ.* Id eſt in tota Achaiæ prouincia. Aut quod gloriatio quæ mihi acceſsit in regionibus Achaiæ quod gratis prædicauerim , nõ interrumpetur.Vehementer autẽ infirmos eos nouerat,quum ab ipſis nõ acciperet.Nam ſi in hoc gloriabatur,certè nõ oportebat accipere:quãquam alibi ſcribit,quod ab his qui facilè offendebantur,nõ acceperit. *An ꝙ non diligam uos?* Quid ergo odiſti nos? & propterea nõ vis à nobis accipere? Deus nouit,inquit,quòd non ob id deuitem accipere:ſed propter id quod ſubiungit. *Verùm quod facio.* Facio,ſine ſumptu prædicando,& hoc ſemper faciam. *Vt amputem occaſionem.* Cauſſam dicit quare non accipiat. Obſeruabant enim pſeudapo- C

D stoli, vt si inuenissent quod ipse accepisset, rem ipsam facerent ansam côuiciandi. Volēs igitur illis amputare occasionem, ait: *Vt in eo in quo gloriantur*, Fortassis etiam se nō accipere fingebant: propterea nō dixit, In eo quod faciunt, sed In eo in quo gloriantur. *Reperiantur sicut & nos*. Præterea quū diuites essent pseudapostoli, nihil accipiebāt, & in hoc gloriabantur. Vt ergo in eo in quo gloriantur quod non accipiant, inquit, reperiantur similes nobis, & nihil supra nos habeāt. Indignum est enim, quum in cæteris sint inferiores, si in hoc essent superiores.

Siquidem istiusmodi pseudapostoli sunt, ac operarii dolosi, & transfigurātur in apostolos Christi.
E Atq; haud mirum, quandoquidē ipse Satanas trāsfiguratur in angelū lucis. Non magnum est igitur, si & ministri illius transfigurentur, quasi sint ministri iustitiæ, quorum finis erit iuxta opera illorum.

Quid ais? an qui Christum prædicant & euangeliū (nam ita superius de ipsis loquutus es) pseudapostoli sunt? vtiq;, inquit: hæc enim palam simulantes, occultè impia simul adferunt dogmata. *Operarij dolosi*. Operātur enim, sed reuellunt quæ rectè plantata erant. Siquidem personam veritatis induti, ita nocumentum exercent, & habitu apostolorum amicti pelléq; ouina, intus lupi sunt. Transfigurantur veluti magister eorum transfiguratur, ideo etiam multis imponit:
F quúmq; angelus sit tenebrarū tanquam angelus lucis cōspicitur fallens aspectus. *Non magnū est igitur*. Nam si quid admirari oportet, illud admiratione dignū est quomodo diabolus in tantam proruperit audaciam. Non est, inquit, admi-
Pho. randum. Quare? Quia debent omnino magistrū imitari, qui quum angelus sit tenebrarum, figuratur quasi esset angelus lucis. *Quasi sint ministri iustitiæ*. Ministri iustitiæ sunt sancti apostoli, deo enim ministrant iustificando per euangelij potentiam. *Quorum finis erit*. Quanquā enim vos, inquit, fallunt, peruigilem Christi oculum fallere non poterunt.

Iterum dico ne quis me putet insipientem esse. Alioqui licèt vt insipientem accipiatis me, vt paululum quiddam & ego glorier. Quod dico, non dico

ſecundum dominum, ſed velut per inſipientiam in hoc argumento gloriationis. Quandoquidē multi gloriantur ſecundum carnem,& ego gloriabor. Libenter enim ſuffertis inſipientes,quum ſitis ſapientes. Suffertis enim ſi quis vos in ſeruitutem adigit, ſi quis exedit, ſi quis accipit, ſi quis extollit ſeſe, ſi quis in faciem vos cædit, iuxta contumeliā loquor, perinde quaſi nos imbecilles fuerimus. A

*Iterum dico.* Iam ſiquidem multa præparatione ac correctione vſus fuerant,ſed non illa ſola cōtentus erat. *Ne quis me putet inſipientem eſſe.* Atqui ſuperius dixit, Vtinam toleraretis,inſipiētiam meam:quo modo ergo hoc loco ait, Ne quis me putet inſipientem eſſe? quia illud quidem, nempe ſeipſum laudare, inſipientiæ eſt: ego verò,inquit,non tanquā inſipiēs his vtor ſermonibus,ſed cogor,vt vos à pſeudapoſtolis abducam. Ideo ait, Ne quis me putet inſipientem eſſe. Non enim vltro, ſed ex neceſsitate ad meas ipſius laudes deſcendo. ALIVD. Inſipientiæ verbum eſt dicere inſipientem eum qui non eſt, neque ea agit quæ ſunt inſipientis. Siquidem inſipiens eſt qui vanè ſe iactat & inaniter gloriatur, qui ſimul & inſipiens eſt & inſipientiæ verba loquitur,& quæ inſipientis ſunt facit:qui autem de ſeipſo & magna dicit & vera,idq; cauſſa vtilitatis animæ: videbitur inſipientiæ verba dicere quantum ad ſimilitudinem prolationis, non tamen inſipiens eſt, ſed prudens admodum, & quæ prudentiſsimi ſunt operatur,quòd etiam irrationabilem calumniam deſpexerit,ob aliorum vtilitatem ac ſalutem.Non eſt igitur contrarium paulò antea dixiſſe, Vtinam ſuſtineretis me,qui verbum quoddam inſipientiæ dicturus ſum:& nunc dicere, Ne quis me putet inſipientem eſſe. Ne quis itaque me inſipientem eſſe exiſtimet: Non enim propter meipſum, ſed propter vos dicturus ſum quæ dixero. Alioqui licebit vt inſipientem putetis me & accipiatis. Neque enim aduerſor vel inſipiens exiſtimari propter veſtram ſalutem. Siquidem quæ dicturus ſum, ad veſtri confirmationem & animæ vtilitatem conferunt. *Alioqui.* Si verò perſuaderi non poteſtis, ſed videntes me etiam impellente

B

Pho.

C

D necesſitate hæc dicere, ab inſipiētia tamen liberum eſſe non duxeritis, ſaltem tanquā inſipientem ſuſtinete me dicentem quę dico, vt ego veluti pſeudapoſtoli glorier. Illi ſiquidē in veſtrum dānum gloriantes ad hos me deducunt ſermones. *Quod dico, non dico ſecundum dominum.* Nam gloriari non eſt ſecundum dominum: dominus enim iubet non gloriari. Itaque verba quidem non ſunt ſecundum dominum, at ſcopus verborū omnino ſecūdum dominum eſt. *Sed uelut per inſipientiam.* Deinde ne per hoc quòd fatetur ſe non ſecūdum dominum loqui: & ꝙ veluti per inſipientiam loquatur, occaſionē illis tribuat maioris cõuitij: primùm quidem nō dicit, Per inſipientiam, ſed Velut per inſipientiam. Denide ait, In hoc argumēto gloriationis, hoc eſt, In hac parte gloriatio-
E nis non loquor ſecundum dominum. Quænam pars eſt illa? quòd gloriaturus eſt, dicendo, Hebræus ſum & Iſraelites & ſemē Abrahæ. Talia autem nō retulit ad gloriationem Chriſti. Vnde etiam ſecūdum carnem hæc ſe loqui dicit. Gloriatio enim ſecūdum Chriſtum eſt manſuetudo, continētia, ſanctimonia. Quòd enim Hebræū eſſe & Iſraelitem non ſit ſe-
Galat. 3. cundum dominū, audi eum loquētem, Non eſt Iudæus neq; Græcus: &, In Chriſto Ieſu omnes vos vnum eſtis. *Multi gloriantur ſecundum carnem.* Ab externis, inquit, hoc eſt à generoſitate, quòd circuncisionem habeant, & Hebræi ſint. *Libenter enim ſuffertis.* Itaque vos in cauſſa eſtis qui libenter ſuffertis. *Inſipientes, quum ſitis ſapientes.* Nam ſi de his quæ verè honeſta ſunt, gloriari inſipiētis eſt, multò magis in his
F quæ non ſunt: pſeudapoſtolos autem deſignat. Et graue eſt quod ait, Quum ſitis ſapientes ſuſtinetis ipſos. Nam ſi inſipientes, aut fatui eſſetis, veniam ſanè haberetis: nunc autem ſcientes & prudentes labimini. *Si quis uos in ſeruitutem adigit.* Vide quātam ſeruilitatem improperet, vt etiam pſeudapoſtolis mirū in modum ſubiiciantur. *Si quis exedit, ſi quis accipit.* Vides quòd etiam id quod prius dictum eſt, vt in eo in quo gloriantur, reperiantur ſicut & nos, per conceſſionem dictum ſit, & ne ab exordio ſtatim illos argueret: nunc enim oſtendit quòd illi fingerent quidem ſe non accipere, ſed tamen acciperent. Ait enim, Si quis accipit, quódque maius eſt, Si quis exedit. Id enim ſignificat ipſos depreſſos à pſeudapoſtolis. *Si quis extollit ſeſe.* Nō eſt, inquit, mo-

derata vestra seruitus, neque mansueti domini, sed graues A
& in vos insurgentes. *Si quis in faciem uos cædit.* Vides intensionem arrogantiæ tyrannidis,& quòd vterentur eis veluti mancipiis? *Iuxta contumeliam dico.* Non quòd verberemini, inquit, sed quòd non minus patiamini iis qui in faciem cædũtur.acsi diceret, Ad contumeliam vestram hoc dico.Quid igitur indecentius hac re fieri posset,quando & pecunias vestras & libertatem & honorem auferentes, ne ita quidem leniuntur? sed iniuriosius vobis vtuntur,quàm si argento emissent. Ideo ait, Iuxta contumeliam dico. *Perinde quasi nos imbecilles fuerimus.* Obscurum est quod dicitur, Quoniam enim graue erat,ideo illud ita posuit,vt obscuritate occultaret molestiam & id quod erat odiosum. hoc est enim quod dicit, An enim & nos eadem facere non possumus? cur igitur illos suffertis,tãquam nos eadem facere nõ B
possemus? ALIO MODO. Cuius gratia, inquit, illos in his suffertis? an quòd nos imbecilles simus, & nõ possimus pari modo vobis abuti? Est autem vehemẽter pungitiuum ac increpatiuum quod dicitur, & iccirco obscurè illud posuit. Nam si propterea, inquit, illos honoratis quòd iniuriosi sint, sese in vos erigentes, & propemodum in faciem cædentes, possumus quoque & nos ista facere. Quasi enim nos in his inferiores essemus,illis subiicimini. Viden' quãta plenum sit increpatione quod dictum est? His autem amputat omnem caussam arrogantiæ illorum. Propter hæc igitur compellor, inquit, vt vos ab illorum fastu liberem, non vt meipsum clarum ostendam.

In quocunque audet aliquis, per insipientiam loquor, audeo & ego. Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Ministri Christi sunt? desipiens loquor,plus ego. C

Considera rursum tantis non contẽtum præparationibus ac correctionibus,sed nunc rem ipsam appellat audaciam & insipientiam.ac propemodum ait, Vi adactus ad hæc venio. Hæc autem facit nos instruens, necessitate non cogente ad huiusmodi veniendum non esse sermones. In quacunque re audet aliquis gloriari ( nam hæc pariter subaudienda sunt) audeo & ego. *Hebræi sunt? & ego.* Neq; enim omnes He-

D bræi erant quoque Israelitæ, sed erant etiam & Moabitæ & Ammonitæ: Ideo suam generositatem manifestauit. Est autem per interrogationem legendum. Quod autem ait, *Ministri Christi sunt*, iuxta pseudapostolorũ sermonem hoc effatur. *Plus ego.* id est, magis, excellentius. Rursumq; rem ipsam vocat insipientiam. Aiunt autem quidem non oportere per interrogationem hunc proferre sermonem, sed omnino negare ipsos esse Christi ministros. Sed dicimus quòd hoc prius fecit, quum ipsos dixit pseudapostolos. Hic itaq; ad inquisitioné sermo peruenit, nec oportet eum antea manifestare, sed operibus exhibere demonstrationem, quòd ipse quidem Christi minister esset, illi verò non essent. *Desipiens loquor.* Hoc est, quanquam nonnullis desipere videar, E dicens, Plus ego. Nam quæ omnino desipiẽtia est quòd seipsum dicat esse ministrum plus quàm pseudapostoli?

In laboribus copiosius, in verberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter: à Iudæis quinquies quadraginta plagas vna minus accepi: ter virgis cæsus fui: semel lapidatus fui: ter naufragium feci, noctem vnà cum die in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in F deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres: in labore & molestia: in vigiliis sæpe.

Deinde consequenter ponit signaculum apostolatus siue legationis suæ. Quod autem ait Copiosius, & Supra modũ, non per comparationem ad pseudapostolos dictum est. *In mortibus frequenter.* Nam quotidie morior, inquit. Seipsum enim exponebat periculis mortem intentantibus. *Quadragenas plagas una minus accepi.* Quare vna minus? Lex erat 1.Cor.15. quòd is qui accepisset vltra quadraginta plagas, ignominiosus haberetur. Definierant igitur vt vnam minus infligerẽt, vt quanquam impetu verberandi abductus is qui verberaret, vnam inferret superfluam, ita quadraginta infligeret, & is qui verberaretur infamis non fieret. *Ter virgis cæsus fui.*

Vides ꝙ non omnia quæ passus est Paulus scripserit nobis Lucas in Actis? neq; enim ad gloriam ea quæ ipsius sunt historiæ conscripsit, ideo multa eorũ quæ hìc dicta sunt prætermisit. *Ter naufragium feci.* Longas enim & transmarinas vias prædicationis gratia emissus, omnia patiebatur quę dicta sunt. Noctẽ autem vnà cum die natãs perdurauit post naufragium. Porrò dictum hoc, Ter naufragiũ feci, interpretãdo † dicit ꝙ humanitas ter naufragium fecit: semel in paradiso per trãsgresßionẽ, rursum in diluuio, & tertiò postquam legem suscepisset. *Noctem unà cũ die in profundo egi.* Noctem vocat hìc Apostolus eam cõuersationem quæ ante Christi aduentum in tenebrosa formatione erat: diem verò viuẽdi statum post Christi aduentum in lucido baptismate. *Periculis fluminũ.* Etenim flumina cogebantur traiicere. *Periculis latronum.* Vbiq; certamina certaminúmq; præmia proponebantur: vbiq; enim diabolus bellabat, latrones excitans, Gentes Græcorum, cognatos Iudæos, qui etiam magis bellabant, dolentes ac lacessentes propter fidem. Locus ipsi certus non erat, non ciuitas, non desertum, non aliud quicquam. *Periculis inter falsos fratres.* Vide aliud periculorum genus quod proueniebat ex simulatis & falsò nominatis fratribus. Considera verò pericula. Labores ac molestiæ hæc rursum pericula excipiebant, nec respirare dabatur. A B

† *Hìc deesse uidetur nomẽ autoris qui hãc tradit interpretationem.*

In fame & siti, in ieiuniis sæpe, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinsecus accidunt, conspirationes in me quotidianæ, cura omnium ecclesiarũ. C Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non vror?

In omni orbis loco tam habitabili quàm inhabitabili certamina erãt & exercitia: in terra, in mari: intus, foris: à propriis, ab alienis: à cognatis, à fictis fratribus, & ne necessarium quidem alimentum aut nudum tegumentum suppetebat orbis prȩceptori: sed nudus certabat, & fame pressus pugnabat. Nec solùm non discruciabatur, verumetiam gratias agebat agnonothetæ Christo. Considera verò ꝙ vniuersis quæ passus est enarratis, non dicit quot conuerterit & ad Christum adduxerit: simul quidẽ modestè se gerens, simul quoque docens ꝙ licèt nihil amplius fuisset quàm ꝙ labo-

D ribus fuerit defatigatus, ita tamen adhuc sint præmia reposita. *Præter ea quæ extrinsecus accidunt.* Plura nanque prætermissa erant quàm ea quę enumerata sunt: magis autem ne ea quidem quæ dicta sunt, singula in specie dixit, sed ea tantùm quorum numerus facilè comprehendi poterat, dicendo, Quinquies, & Ter, & Ter, & semel. Quorum autem numerus erat multus & incognitus, silet, & dicit Copiosius, & Supra modum, & Sæpe. Conspirationes autem dicit communes ac vnanimes incursus à persequutoribus. Conspirarunt, inquit, in me communi consilio. *Cura omnium ecclesiarum.* Si enim pręfectus quispiam vnius familiæ ne respirare quidē potest quid verisimile erat pati Apostolum, qui inter tāta pericula vniuersi orbis curam habebat? *Quis in-*
E *firmatur & ego non infirmor?* Ac ne quis dicat quòd curam quidem habebat, at non magnam, ponit & curæ intēsionem. Quis infirmatur, inquit, quauis ægritudine seu spirituali seu carnali, & ego non infirmor? Non dicit Socius & particeps sum ægritudinis, sed, veluti is ipse qui infirmatur, ita afficior. Ait autem, Quis, siue magnus siue vilis aut abiectus. *Quis offenditur?* Considera quomodo rursum exuberātiam doloris expresserit. Incendor, inquit, & vror. Et alia quidē patiens etiam gaudebat, sciens ꝙ pro Christo pateretur: hic autē in anima vulnerabatꝰ: itaq; hoc magis angebat.

Si gloriari oportet, de his quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & pater domini nostri Iesu
F Christi, qui est benedictus in secula nouit quòd nō mentiar. Damasci ciuitate, Gentis pręfectus nomine Aretæ regis, excubias seruabat in Damascenorum ciuitate cupiens me comprehendere: & per fenestram in sporta demissus fui per mœnia, effugíque manus eius.

Ne verbum quidem facit de signis. Nam illa dei donum erant, hæc autem vnà cum diuino auxilio tolerantiam quoque ipsius ostendebant: Infirmitatem autem vocat persequutiones & afflictiones siue tentationes. Nam hæc humanæ naturæ sunt infirmitas: nempe fame premi, naufragium pati, cædi. Aut infirmitatem appellat afflictionem, hominum in-

firmitate sibi illatam. Nam qui offendebantur & imbecilles erant, ipsum affligebant. Hic apostolicus character est, his texebatur euangelium. *Damasci ciuitate, Gentis præfectus.* Vide quantum fuerit bellum. Ipse per se præfectus excubias seruabat in ciuitate. Nisi autem Paulus contra aduersarios vehementer accensus fuisset, nequaquam ad tantam insaniam Gentis præfectum accendisset, vt etiam per seipsum excubias in ciuitate seruaret. *Aretæ regis.* Socer Herodis erat Aretas. *Et per fenestram in sporta.* Nouerat dictum esse vt precemur ne incidamus in tentationem: vnde seipsum non iniicit in tentationes, sed vbi humano quoque inuento datur effugere, non detrectat. Nã seipsum prędicationi seruabat, ac salutis discipulorum magis curam habebat, quàm propriæ. Ideo etiam alibi dicit, Bonum esset mihi dissolui & esse cum Christo, cæterùm manere in carne magis necessarium est propter vos: σαργάνη funiculus est: attamen est quoque & genus sportæ.

A

*Mat. 6.*

*Philip. 1.*

B

Gloriari sanè non expedit mihi. Veniam enim ad visiones ac reuelationes domini. Noui hominem in Christo ante annos quatuordecim: an in corpore, nescio, an extra corpus, nescio, deus nouit: raptum huiusmodi in tertium vsque cælum, & scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, deus nouit: raptum fuisse in paradisum, & audisse arcana verba quæ fas non sit homini loqui.

Cap. 12.

C

*Gloriari sanè non expedit mihi.* Atqui multa superiùs dixit, quomodo ergo nunc ait, Non expedit mihi? Quoniam ad aliud gloriationis genus veniebat, quòd ipsum clarũ redderet, nempe reuelationum. Ait ergo, Mihi hoc non expedit, ne me in arrogantiam extollat. Alio nanque modo quæ apud quemque manent, & quæ apud alios efferuntur inflare solent: non ꝙ futurum esset vt hoc ipsi contingeret: Minimè: sed nos instruens, vt huiusmodi apud nosipsos seruemus, ꝙ narratio posſit ad arrogantiam extollere. ALIO modo. Hoc est. Gloriari verò in aliis quàm in his quæ infirmitatis meæ sunt, non expedit mihi. Dicit enim paulò an-

Pho.

D tè, Si gloriari oportet, de his quæ infirmitatis meę sunt glòriabor. Deinde posito infirmitatis exemplo, subiungit consequutiuè ad id quod dictum est. acsi dicat, Quæ verò non sunt infirmitatis, sed magis sublimitatis & potentiæ, de his, inquit, non expedit mihi gloriari. Quomodo ergo etiã hæc dicis? Nollem, inquit, sed propter vestrã salutem, etiam quę nollem suscipio. Et considera quo pacto rem sapientissimè pertractet. Nõ tacet penitus, vt prosit: nec apertè omnia exprimit, sed hoc vnum: idque etiam obtegendo, vt iactãtiam effugiat, licèt necessitate tunc propter pseudapostolos ingruente: nos instruens per hoc, ne quicquam magni de nobisipsis dicamus, etiamsi verum sit, nisi multa necessitate. *Non expedit mihi.* Aut ne quis maiorem circa me beneuo-
E lentiam concipiat quàm ego promerear, quod in progressu his verbis dicit, Ne quis de me cogitet supra id quod videt esse me, aut quod audit ex me. *Veniam enim ad visiones & reuelationes domini.* Magna quidem est quam narrat reuelatio, attamen quum multas dicere potuisset, vnicam hanc dixit. Quòd enim multas dicere potuisset, inferiùs patet. Et ne excellentia, inquit, aut exuberantia reuelationum extollerer. Propterea autem ipsam obscurè posuit, vt ostenderet ꝙ illam inuitus narraret. *Noui hominem in Christo.* Addidit In Christo, ne dicerent pseudapostoli, (nihil enim non audebant) per dæmones fuisse subleuatum, tanquam Simonem magum. *Ante annos quatuordecim.* Non intẽpestiuè tempus adiũgitur, sed duplicem ob causam: tum ad ostẽdendum
F ꝙ qui quatuordecim annos siluerat, ne nunc quidem narrasset nisi admodum coactus. Quoniã enim magnũ quiddã esse videbãtur pseudapostoli, omnésq; ad se attrahebãt: coactus est igitur ostẽdere ꝙ illis maior esset, vt suis sermonibus ipsos adhærere sibi persuaderet. Præterea vt innueret ꝙ qui ante annos quatuordecim talia accipere meruerat, qualis nũc erat post tantos perpessos pro Christo labores? *Siue in corpore.* Dictũ illud, Siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, secũdò repetit: non ita vt quis putare possit battalogum esse, & superfluè de eodem raptu vtrunq; dicere: sed illud quidem de raptu ad cælos, hoc autẽ rursum de raptu inde ad paradisum. Quòd si etiam de eodem raptu poneret, nequaquam esset hoc superfluum. Rem enim admirã-

dam & ſupernaturalem narrans, modum ſe ignorare perſeueranter contendit. *Siue extra corpus neſcio.* Modeſtè loquitur, ſuam non occultans ignorantiam. Licuiſſet enim de hoc tacere. *Et ſcio huiuſmodi hominem.* Rapiebatur vſq; ad tertium cælum, & rurſum in paradiſum. Ad quid autem om nino raptus eſt? Ne vel in hoc eſſet inferior cæteris apoſtolis, qui corporaliter cum domino verſati ſunt. *In paradiſum.* Siquidem huius loci nomen vbique admodum celebre erat: vnde & latroni promiſſus erat. *Arcana uerba.* Fortaſsis enim nulli alij hominũ præter Paulum conceſſum eſt huiuſmodi audire. *Quæ fas non ſit homini loqui.* Vbi ſunt qui falſo inſcriptam reuelationem conſcripſerunt? A

De huiuſmodi homine gloriabor: de meipſo verò non gloriabor, niſi ſuper infirmitatibus meis: B
Nam ſi gloriari voluero, non ero inſipiens, veritatem enim dicam, ſed abſtineo, ne quis de me cogitet ſupra id quod videt eſſe me, aut quod audit ex me. Et ne excellentia reuelationum extollerer, datus fuit mihi ſtimulus in carne nuntius Satanæ, vt me colaphis cæderet, ne extollerer. Super hoc ter dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea per infirmitatem perficitur. Libentiſsimè igitur gloriabor potius ſuper infirmitatibus meis, vt inhabitet C
in me potentia Chriſti.

Vide quantum faſtu careat, & quomodo hæc velut de altero quodam narret. De huiuſmodi, inquit, homine gloriabor. Id autem facit, ſermonem narrando obumbrans. Nam quòd ipſe eſſet qui raptus fuerat, deſignat dicens, Si gloriari voluero, nõ ero inſipiẽs, veritatem enim dicam, & ſuprà. Gloriari ſanè non expedit mihi. Quodnam eſt autem de alio gloriari vera dicendo, quod non expedit? *De meipſo verò non gloriabor.* Et quare alio rapto tu gloriaris? manifeſtum eſt itaque quòd de teipſo dicis, quanquam obtectè. *Niſi ſuper infirmitatibus meis.* hoc eſt, ſuper afflictionibus & Sup. 11.
perſequutionibus. *Nam ſi gloriari uoluero, non ero inſipiens.*

D Et quomodo superiùs dixi, Vtinam toleraretis meam paulisper insipientiam? & rursum, Quod dico, non secundũ dominum dico, sed velut per insipientiam? Et dicimus ꝙ non dixit. Non ero insipiens, in hoc quod est gloriari, sed in hoc quod est non mentiendo. Vnde subiungit, Veritatem enim dicam. Rectè ait, Non ero insipiens. Non est enim insipientis, gratiam à deo sibi traditam promulgare, imminente necessitate ob salutem & vtilitatem animarum: quin potius vehementer sapiẽtis est, & animi humani ac benigni, despicere etiam suspitionem arrogantiæ, propter hominum salutem. *Sed abstineo ne quis de me cogitet.* Abstineo .i. parco, deuito. Non dixit autem, Ne credat aut dicat, sed Ne cogitet, inquit, aut suspicetur maius aliquid, quàm sit mea dignitas.

E Propterea enim quæ de seipso erant semper tacebat & occultabat, & nisi cogente alicubi necessitate, nihil de seipso dicebat, imò tandem dicens obtegebat ipsa, ne maiorem opi-

Acto.14. nionem de se haberent. Quòd si homines existimabant ipsos esse deos ob signorum magnitudinem, & tauros immolare volebant, quidnam putassent si reuelationes manifestasset, ac de iis quæ circa se erant gloriatus fuisset? *Et ne excel-*

Pho. *lentia reuelationum.* Secundum id quod prius dixit, veniam enim ad visiones & reuelationes, intelligendum est, Vt non extollar: vt non insolescam, inquit. Aut ne ab hominibus extollar & glorificer: quod etiam potius est. Neque enim anima Pauli freno aliquo egebat ne insolesceret. *Datus fuit mi-*

F *bi stimulus in carne.* Catenam dicit, plagas, lapidationes, carceres. *Nuntius Satanæ.* Nũtius Satanę dicitur homo subseruiens aduersario dæmoni, Stimulus verò tentationes &

Iohan. afflictiones quas inferebant ei. Quidam itaq; capitis dolorem ipsum dicere asseruerunt à diabolo immissum. Sed non ita est. Neque enim Pauli caput diaboli manibus traditum fuit. Quid est ergo quod dicitur? Satan aduersarium sonat

3.Reg.5. lingua Hebraica: & tertio Regũ libro verè aduersarios ita appellauit scriptura, ac de Solomone narrans, ait ꝙ non erat Satan in diebus ipsius, id est, aduersarius qui molestiam ac bellum inferret. Quod ergo dicit huiusmodi est, Non cõ-

1.Tim.1. cessit deus sine labore prædicationem procedere, nostrum

2.Tim.2. affectum comprimens, aut fastum cauens: sed permisit ad-

& 4. uersarios irruere in nos. Nuntium itaque Satanæ dicit Ale-

xandrum

xandrum fabrum ærarium, Hymeneum & Philetum qui dicebant resurrectionem iam factam esse, omnésque sermoni prædicationis repugnantes. ALIVD. Quidam aiunt Paulum capitis dolorem sustinuisse: sed non ita est: nō fit enim versimile corpus Pauli traditum fuisse Satanæ, qui interdū ipsi præcipiebat, ac terminos præfigebat quando scortatorem ei tradidit, dicens Ad interitum carnis, nec terminum prætergressus est diabolus. Quid ergo est? Satan aduersarius dictus est lingua Hebraica. Nuntius igitur Satanæ dicit aduersarios prædicationi: quales erant Alexander, Hymeneus & Philetus. Hoc itaque est quod dicit: Non concessit deus sine labore prædicationem procedere, sed permisit nos mala pati quo ad corpus: ne maius quippiā de nobis statuerent homines, aut nimis erga nos afficerentur, videntes tāta edi signa, & nullam tentationem nihílque aduersi in nos insurgere. Quare autem non dixit nuntios Satanæ, quum multi essent qui resisterent, sed quasi de vno ait, Nuntius Satanæ? Quoniam singulis locis vnus quispiam reperiebatur repugnans, qui populum cōmoneret, quo primordia capiente, cæteri vnà sequebantur. *Vt me colaphis cæderet.* Non dixit quòd colaphis ceciderit, sed significās quòd semper haberet aduersarium, ait: Colaphis cæderet. *Super hoc ter dominum rogaui.* Et hoc modesti animi est fateri ꝙ non facilè ferret insidias, quódque sępius precatus non obtinuerit: Quod enim dicit Ter, significat Frequenter. *Sufficit tibi gratia mea.* Quod perfectum est, inquit habes: ne amplius quęras: nam sufficit tibi quòd talem dederim tibi gratiam vt mortuos excitares, potentia signa ederes, ne etiā quæras prædicationem sine labore tibi procedere. *Nam potentia mea per infirmitatem perficitur.* Sed fortassis doles, inquit, quòd te hæc pati, videatur meam arguere imbecillitatem. Itaque scito hoc ipsum magis ostendere meam potentiam, contrarium verò etiam ipsam intercipere. Nam mea, inquit, potentia per infirmitatem perficitur: quando ij qui persequutionem sustinent superiores sunt persequutionibus: quando ij qui vexantur, vexantes deuincunt. Tunc enim potentia mea demōstratur, quando per hoc quòd vos imbecilles malis afficiamini, prædicatio vbique præualuerit. Et considera: ipse quidem aliam assignauit caussam quòd dati sint sibi colaphi,

[Right margin: A — Theod. — 1.Cor.5. — B — C]

D nempe Ne extollerer,inquit.Deus verò aliam dixit caussam Vt ostendatur,ait,mea potentia per vestram, vt videtur, imbecillitatem. Perfectionem enim ac terminũ sumit mea potentia ex vestra imbecillitate. Nam si per aliquos sapientes ac reges administrata fuisset prædicatio, certè potentiæ ministrorum attribuissent nonnulli omnium subiectionem: nunc autem ministrãtium imbecillitas arguit dei potentiã, ipsamque perficit,id est,ostendit ipsam habere perfectionẽ. *Libentißimè igitur potius gloriabor.* Ne deplorantis esse hęc verba existiment,ait:Libentissimè igitur potius gloriabor. Quare? quia imbecillitas mea & dei ostendit potentiam, & me reddit magis celebrem,roborans tanquam ferrum aduersus persequutiones : ac si diceret : Ego quidem contrarium E petebam , sed postquam hæc à deo audiui , libentius in infirmitatibus glorior. *Vt inhabitet in me potentia Christi.* Quantò enim tentationes & afflictiones magis intenduntur,tantò &Christi potentia magis augetur.ἐπισκηνώσῃ.i.tanquam in tẽtorio moretur,hoc est,tota in toto inhabitet.

Quamobrẽ placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis,in necessitatibus , in persequutionibus, in anxietatibus pro Christo . Quum enim imbecillis sum,tunc robustus sum. Factus sum insipiens gloriando,vos me coegistis,nam ego debueram a vo-F bis commẽdari. Nulla enim in re fui inferior summis apostolis,tametsi nihil sum.Signa quidem apostoli peracta fuerunt inter vos,per omnem patientiam & signa & prodigia ac facta potentia.

Deinde ne quis eum dicere existimet corporalem infirmitatem putà febrem aut alium morbi cursum ac circuitum, ait:In cõtumeliis,in necessitatibus,in persequutionibus,in anxietatibus pro Christo.Nã hæc vocat infirmitatẽ, Quòd autem ait εὐδοκῶ,hoc est,concupisco & in his esse delector. His & pseudapostolos pudefacit qui in contrariis gloriabãtur,& his suadet ne de magistri afflictionibus pudefiant:omnia enim huiusmodi pręclara sunt & læta , quum Christũ Act.16. habeant caussam & principium patiendi. *Quum enim imbecil* .28.25. *lis sum.* Nam quum in carcerem coniectus est,tũc eius fun-

damenta concuti fecit. Quando facto naufragio in barbarã A insulam eiectus est, tunc magis glorificatus est. Quando ad tribunal vinctus accessit, tũc maximè superior iudice & accusatoribus effectus est. Vides quod dum imbecillis aut infirmus erat, hoc est in periculis, in cõtumeliis, in plagis, tũc potens erat & clarus? *Factus sum insipiens gloriando.* O modestiæ immensitas: quum adeò admiranda narrasset, quibus humanæ aures dignæ non erant, seipsum vocat insipientem. Quomodo autem nos te coegimus, dixerit aliquis? Quum pseudapostoli, inquit, gloriaretur, nisi vos adhęsissetis ipsorum sermonibus, & periretis, nequaquam ad hęc verba deuenissem. Vides quòd gloriationis necessitatẽ fecerit horũ B perditio? Quum enim pseudapostolos magnum aliquid esse ducerent, adulterina ac peruersa dicebant ab ipsis dogmata. Alio modo. *Factus sum insipiens*, ait, hęc dicendo. Non autem hoc enunciatiuè & assertiuè dicit: ipse enim nouerat se nihil effutisse quod insipientis esset, sed hoc tãquam per interrogationem aut dubitationem ait ad illos: ac si diceret, Num hęc narrando visus sum vobis insipiens? & huius causa, inquit, ad vos recurrit: vos enim me coegistis, pseudapostolis vos familiariter adiungendo. *Nam ego debueram à vobis commendari.* Vos enim oportuit nostros vẽdicare sermones, & opiniones: quũ itaq; illis adhęreretis, coactus sum ad hos descendere sermones. *Nulla enim in re inferior fui.* Superius ait: Arbitror me nihilo inferiorem fuisse: nunc autem af- *Suprà.11.* firmãdo dicit, Nulla in re fui inferior, aut defeci, seu factus C sum posterior Petro ac cæteris. Opportunè autem venit ad apostolos, quasi dicat. Non solùm pseudapostolis sum præstantior, sed & apostolis sum æqualis. *Tametsi nihil sum.* Tanquam magnũ aliquid dixerit quod suas excedat vires, corrigit illud. Non dixit autem Abiectus sum, sed quod multo inferius est, Nihil sum. Tu vero, inquit, ne intuearis hoc, si nihil sum: sed hoc aduerte, an ne omnia perfecerim quæcunque apostolũ designãt & insigniunt. *Per omnẽ patientiã.* Vos inquit, sermonum testes estis, Indicium autem apostoli maximè cõsistit in ferendo omnia viriliter. Considera verò ꝙ ait, Patientiam. Nam quod virtutis ipsius erat vnica dictione posuit: signa verò quæ sua nõ erant sed gratiæ dei, pluribus cõplexus est. Sed Pauli modestiã intuere. Quot carceres,

D quot plagas, quot pericula & insidias, quot afflictionum inundationes, quot bella intestina ac externa, vnica dictione nẽpe Patiẽtia percurrit. *Per signa & prodigia*, Quot mortuos excitatos, cæcos illuminatos, leprosos emundatos, & dæmones expulsos designauit dicens: Per signa & prodigia ac facta potentia, quæ tria vnum quiddam ideq; significant.

Nam quid est in quo fuistis inferiores cæteris ecclesiis, nisi quòd ego ipse non fuerim segnis erga vos? Condonate mihi hanc iniuriam. Ecce tertiò E paratus sum vt ad vos veniam, nec ero segnis erga vos. Non enim quęro quæ vestra sunt, sed vos. Siquidem non debent filii parentibus recondere, sed parentes filiis.

Ne quis dicat, Magnus quidem es, attamen non tanta operatus es, quanta in aliis ecclesiis cæteri apostoli, ait: *Nam quid est in quo fuistis inferiores*? hoc est minus habuistis quã cęteræ ecclesię? nũ minorem, inquit, gratiã participastis? *Nisi quòd ego ipse*. Pungitiuo sermone vsus est: nisi fortassis hoc mihi quispiam vitio vertat, quòd dum versor vobiscum & F præsens sum, totis viribus procurem salutem vestram, & absens per epistolas viam commõstrem ad ea quæ agẽda sunt, & in nullo eorũ quæ vobis vtilia sunt, segnior fuerim & absens & præsens. Si quid in hoc pecco, condonate mihi hanc iniuriam, & ignoscite iniuriam facienti. Nisi ꝙ ego ipse mihi non indulserim, omnia faciens gratia vestri, neque neglexerim vos, num in hoc inferiores fuistis? num hoc iniuriam ducitis? Condonate mihi hanc iniuriam. *Ecce tertiò paratus sum ut ueniam*: Secundò, inquit, veni, ecce tertiò prępara or ad veniendum, & in nullo negligentior ero circa vestram salutem. Deinde ne existiment ꝙ nunc ipsum venientem oporteat omnino ab eis ali, maximè quoniã de hoc quoque multis disseruit in superioribus: hinc iam tollit primùm hanc suspicionem: quoniam vos, inquit, cupio, non quę vestra sunt: & vos diligo nõ vestra, quemadmodum pseudapostoli. Deinde etiam à communi sensu & natura sermonẽ confirmat: seipsum quidem vice patris ponens, illos autẽ loco filiorũ.

Pho.

Ego verò libentissimè impendam & expendar

pro animabus vestris: licèt vberius vos diligens mi A
nus diligar. Sed esto, ipse non grauaui vos, verùm
quum essem astutus, dolo vos cœpi. Num per quē-
quam eorũ quos misi ad vos circumueni vos? Ro-
gaui Titum, & vnà cum illo misi fratrem. Num in
aliquo circumuenit vos Titus? an nõ eodem spiri-
tu ambulauimus? an non iisdem vestigiis? Rursum
arbitramini quòd nos coram vobis excusemus?

Viden' quot excellentiæ gradus habēt Pauli gesta? Potuit accipere quum hoc iuberet Christus, & non accepit: ecce v-nus. Et egens erat: ecce alter. Et ipsis prædicabat: ecce ter-tius. Nec solùm non accipit, verumetiam si opus sit, carnem impēderet: ecce quartus. Deinde cum corpore etiã animam B ipsam: ecce quintus. Idq; pro iis qui nõ admodum ipsum a-marent: ecce sextus. Imò quum neq; amantem redamarent, nihil de amore diminuit: ecce septimus. Ego tamen, inquit, quum patris vicem geram erga vos, non modò nõ accipiam, verumetiã præbebo: nec pecunias aut possessiones, sed me-ipsum & meam ipsius carnem. Nam hoc designat Expēdar: hoc est, etiam si carnem oporteat pro vobis impendere, non parcã. *Licèt uberius uos diligens.* Et hæc, inquit, facio pro his qui vehementer quidē amantur, sed minus amant. *Sed esto, ego ipse non grauaui uos.* Per interrogationē producit sermo-nem, & ait: hoc in confesso est ꝙ ego ipse non grauauerim vos accipiendo quicquam: verùm quum astutus essem, dolo C vos cœpi: hoc est dolo vos tractaui & aggressus sum: & ego quidem propria persona nihil accepi: num igitur per medios quosdam hoc feci, mittens aliquos & per illos accipiēs? ne-quaquã. nam qui ad vos venerũt, mea vestigia sequuti sunt. *Num per quenquam circumueni uos?* Hoc est per mediũ ipso-rum? Vide autem ꝙ fraudem ac extorsionē dicat ab inuitis accipere: ipsisq; tacitè improperat, quòd se circũuenire du-cerent si Paulum alerent. *Rogaui Titum.* Et hoc per impro-perium dicitur: non enim misi, sed rogaui: ostendens ꝙ si e-tiam accepisset non peccasset: neq; enim propria sponte pro-fectus est, sed rogatus: & tamē ne ita quidem accepit. Mise-rat autem alium quendam vnà cum Tito. *An non eodē spiritu*

D *ambulauimus*? hoc est nonne eadē gratia qua & ego? hoc spiritum dicit siue donū spirituale. Factum autē vocat donum, nempe etiam in angustiis positū non accipere. Considera verò quomodo sua bona opera deo referat accepta. *An nō iisdem uestigiis?* Hoc est ne in minimo quidem diuersi fuerunt illi à mea diligentia. Vide autem quòd non modò ipse non accepit, verumetiam iis quos misit ne acciperent persuasit. *Rursum arbitramini quòd nos coram uobis excusemus?* Veritus

Suprà 3. est ne assentatoris opinionem de eo sumerent: ideo etiam superius dixit. Rursum nosipsos commēdamus? &: Num egemus commendatitiis epistolis? Non ergo vobis assentantes, aut nos coram vobis excusantes, hæc dicimus: sed veluti in conspectu dei, & eo inspectāte loquimur: & in Christo siue

E per Christum loquimur. Quomodo autem possibile esset, eum qui coram deo loquitur & per Christum loquitur, assentationis & adulationis gratia loqui?

In conspectu dei per Christum loquimur: sed omnia charissimi pro vestri ædificatione. Metuo enim ne quà fiat, vt si venero non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis: ne quo modo sint contentiones, æmulationes, iræ, cōcertationes, obtrectationes, susurria, tumores, seditiones. Ne iterum vbi venero, humiliet me deus

F meus apud vos: & lugeam multos eorum qui antea peccauerunt, nec resipuerunt ab immunditia, libidinéque & impudicitia quam patrarunt.

Non ergo loquimur vobis ad gratiā, aut ad assentationē, sed ad vestri ædificationem & vtilitatē, vt relictis pseudapostolis, nobis solis adhæreatis, ac nostris sermonibus. Aut, propterea non accepimus, ne vos qui infirmi estis, offendiculum haberetis. *Metuo enim.* Vides paternam prouidentiā? Alij peccarūt, & Paulus metuit. *Ne quà fiat.* Dubitat adhuc, & non asserit. *Non quales uolo reperiam uos*, nēpe corruptos: & ego quoq; necessitate ductus reperiar qualē nolitis: hoc est puniens eos, qui immedicabiliter ægrotant. *Ne quo modo sint contentiones, æmulationes.* Dicit etiam deinceps quales

inuenire nolit, Cum his, inquit, vitiis. Dicit autem contentiones, eo quod dissiderent. *Concertationes*, tanquã belli præludia. *Tumores*. quod aduersus ipsum cristas erigerent: pseudapostolos verò honorarent. *Ne iterum ubi uenero*. Sufficere, inquit, deberent priora. *Humiliet me deus meus*. Vltionẽ sumere de sontibus, vocat sui humiliationem, ostendens quod nõ sine magna necessitate sumeret. Ostendit autem quod propter ipsos omnia sustineat, & humiliari siue deprimi, & lugere. *Deus meus*. Per hoc quod addit Meus, ardentẽ Christi amorem significat. ALIVD. Sui humiliationẽ siue depressionem vocauit illorum transgressionem, confirmans quæ iam prædixerat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non vror? *Et lugeam multos*. Vide apostolicam virtutem. Quum nullius mali sibi cõscius sit, pro aliorum delictis luget. Non autem dixit, Omnes sed multos: & neque hos manifestat, dans pœnitentiæ locum: & ne impudentiores efficiantur. *Nec resipuerunt*. Vbi sunt Nouatiani? *Ab immunditia*. Immunditia potest de singulis dici peccatis. Nihil enim peccato fœdius. A Theod. B

Hic tertius erit aduentus meus ad vos, In ore duorum testium & trium constituetur omne verbum. Prædixi & prædico, vt præsens quum essem iterum, & absens nunc scribo his qui ante peccauerunt, ac cæteris omnibus, quòd si venero denuo, nõ parcam: Quandoquidem experimentum quæritis loquentis in me Christi, qui erga vos nõ est imbecillis, sed potens est in vobis. Cap. 13. Deut. 19. C

Iam secundo veni, si igitur etiam nunc venero, tertio veniam, & quare hoc. Quemadmodum, inquit, in ore duorum & trium testiũ certum constituitur, & finẽ accipit omne verbum, ita in duobus ac tribus meis aduentibus omne verbũ comminatorium cõstituetur aduersus vos, & terminum accipiet. Considera autem quòd aduentibus pro testibus vsus sit. *Prædixi*. Et iam prædixi, & nunc prædico. Quemadmodum quum secundo præsens essem apud vos dixi, ecce etiam absens tertio prædico. Ecce tres alij testes. Erãt quidẽ duo aduentus, & tertius qui futurus est, duo ac tres testes.

D Ecce rursum alii tres testes: bis præsenté prædixisse, & nunc semel in absentia. Scitè autem scripturam quæ de tribus est testibus, accepit ad tres aduentus, & tres admonitiones. *Ac reliquis omnibus.* His quidem qui deliquerunt, vt corrigantur: reliquis verò omnibus, vt testes sint, quòd nulla sit in me caussa, si eos qui non resipuerint, puniero. *Quòd si uenero denuo, non parcam.* Quid prædixisti? & nunc rursum quid scribis? quòd si denuo, inquit, id est adhuc semel venero, nõ parcam: ostendens quòd adhuc parcat, ídque ipsis peccantibus. *Quandoquidem experimẽtum quæritis.* Nam δοκιμὴ probationem & experimentum significat. Non tamen propter-

Suprà 10 ea puniebat vt experimentum daret, sed quia peccabãt. Hoc autem aduersus eos dictum est qui dicebant, quòd præsen-

E tia eius imbecillis esset. Quandoquidem vultis, inquit, expe-

Theodo. riri num in me loquatur Christus. Siquidem quasi desertus essem à Christo, ita me irridetis. Experimentum sumere vultis, vt apparet loquentis in me Christi, licèt manifestè eius potentiam didiceritis. Et hoc velle experiri, peccatum erat, nam erat tentare, & maximè post tanta, ingratorum erat &

Pho. perfidorum ac instabilium. *Qui erga uos non est imbecillis.* Quid sibi vult additio illa Erga vos, & In vobis? neq; enim erga ipsos tãtùm, sed vbiq; potens est Christus. Et dicimus comminatorium esse verbum: acsi diceret, Experimentum habetis ab his quæ vobis contigerunt, quòd non sit imbecillis Christus. Aut quòd hoc tempore in his qui inter vos corrigi possunt, ostendit potentiam: nam de his qui immedicabiliter ægrotant, in futuro sumet supplicium.

F Nam quanuis crucifixus fuit ex infirmitate, viuit tamen ex potentia dei. Siquidem & nos infirmi sumus in ipso: sed viuemus cum ipso ex potẽtia dei erga vos. Vosipsos tentate num sitis in fide: vosipsos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, ꝙ Iesus Christus in vobis sit: nisi in aliquo reprobi estis. At spero vos cognituros quòd nos nõ simus reprobi.

*Nam quanuis crucifixus fuit ex infirmitate.* Multi turbãtur,

Nota. non aduertẽtes potestatem dictionum. Considera ergò tres esse modos infirmitatis siue imbecillitatis. Vnus quidem in

morbis corporalibus: alter verò debilitas circa fidem, ficut ipse ait, Infirmum autem fide, assumite. Tertius qui nascitur ex persequutionibus & tentationibus. Nam & hæc vocat Paulus infirmitatẽ: sicut ibi, Nam potentia mea per infirmitatem perficitur: hoc est persequutionibus ac tentationibus: ac rursum, Quamobrem placeo mihi in infirmitatibus: idque interpretando subiungit, In contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus: & rursum, Quum infirmor, tunc robustus sum: nẽpe tunc gratia maximè existẽte: Iuxta hũc igitur imbecillitatis modũ crucifixus est dominus, insidias passus, pericula, & cõtumelias. Attamen hoc, inquit, nocere non potuit ipsius potẽtiæ. Aut hoc modo. Infirmitatem seu imbecillitatem dicit eam quæ videbatur incredulis, acsi diceret, Quãuis iuxta incredulorum sermonem crucifixus sit tanquam imbecillis (hoc videlicet ex concessione tribuens) tamen viuit, inquit, ex potẽtia dei. Audiens autem patris potentiam non hoc impiũ suspiceris, ꝙ viribus destitutus fuerit ad viuificandũ propriam carnẽ, & ideo patris potẽtia fuerit illi necessaria. Si enim Christus dei potentia est, & dei sapiẽtia, quomodo viribus destitueretur potẽtia, idq; ad propriam carnem? qui aliis quoq; vitam tribuit, imò potius omnibus. Sed indifferenter quæ patris sunt, dicit esse filii, rursumq; vice versa quæ filij sunt, dicit esse patris. Quòd enim ipse Christus suam carnem suscitauerit, audi eum dicẽtem, Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus erigã ipsum. Si autẽ Paulus quod filius operatus est, ex patre fieri dicit, ne turberis. Scit enim eũ dixisse, Omnia quæ habet pater, mea sunt: dixisse etiã ad patrẽ: Omnia mea, tua sunt. Propter nostras enĩ infirmitates ac peccata, is qui fortis est, nec peccare potest, crucifixus est. Aut, ex infirmitate, sicut Iudæi dicebant. Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere. Aut, ex infirmitate, sicut consequens est vos opinari. Nam si experimentum adhuc quæritis, certè etiam crucẽ ex infirmitate sustinuisse putatis. *Viuit tamen.* Quanꝗ enim crucis passionẽ propter mortalẽ corporis naturã sustinuit, viuit tamẽ, imò & vita est, tanꝗ deus ac dei filius. *Ex potentia dei.* Hoc est, tanquam deus, tanꝗ potens, tanquam is qui spõte etiam passus est quæ passus est. Aut hoc etiã modo. Quanꝗ passus est, inquit, vt qui naturã passibilem & infirmã assumpsit, viuit ta-

A Rom. 14. Suprà 12. B 1. Cor. 1. Iohan. 2. C Iohan. 16. 17. Pho. Matt. 27. Theod.

D men vbi à mortuis resurrexit, habens ac ferens in seipso naturam omnipotẽtem ac diuinã. *Siquidẽ & nos infirmi sumus.* Nam queadmodum ipse, inquit, nihil nocumẽti in potentia accepit ex hoc ꝙ crucifixus sit, ita neque nos ex eo ꝙ persequutiones & cõtumelias sustinemus. Ideo subiũxit, *In ipso.* Quod enim ait, Et nos infirmi sumus in ipso, aut hoc significat ꝙ quæ patimur, propter ipsum patimur. Aut ꝙ videmur vobis infirmi, eo quòd nõ punimus, aut supplicio tradimus: sed hoc quoq; in Christo facimus. Nam ipse nos docuit sufferre, & longanimes esse. Sed queadmodum sufferre docuit & lõganimes esse, ita quoq; in stupidos & non resipiscẽtes, punitiuam & cruciatiuã seu vindicatiuam potẽtiam ostẽdere: ita enim & ipse facit. *In ipso.* Hoc est, propter ipsum, & prædicationẽ ipsius infirmi sumus in persequutionibus, & in periculis. Sed queadmodum socii fuimus ipsi in tristibus, ita quoq; socij in lætis erimus. Vnde subiungit, *Sed uiuemus cum ipso.* Hoc est ostẽdemur viuẽtes in vobis, nõ vulgari modo, sed cum ipso Christo. Nec vtcũq; viuẽtes, sed ex potentia ipsius vitam habẽtes: qua & ipse cõculcata morte, spoliatóq; inferno, & surrexit, & viuit. Hæc autẽ vita & potestas punitiua sanè est aduersus eos, qui opera mali illius operãtur, queadmodum etiam seruatiua est in eorũ vtilitatẽ, qui perfectè resipiscunt. Propter hæc itaque ne nos, inquit, despiciatis, ꝙ nos videatis persequutiones, aliáque aduersa innumera patiẽtes. Ita & Christus despectus est quũ crucifigeretur: at vbi resurrexit, omnia quęcũque voluit, fecit. Et nos sanè quæ patimur, propter ipsum patimur. Itaq; quãuis patimur, ille tamẽ viuit & potens est, nósque cum ipso: hoc est, ipso volẽte & viuimus, & potẽtes sumus facere quæcũque volumus erga vos, & potissimũ erga vos: multas enim habemus vobis non credentibus iustificantes caussas aduersum vos. *Ex potentia dei erga uos.* Pari modo hoc intellige cum eo quod suprà dictum est, Viuit tamen ex potẽtia dei. Quod autem ait, Erga vos, hoc est vobis viuemus, id est, ad vtilitatem vestram. Aut, Propter vos, quandoquidem conuertimus vos. Aut, vobiscum tunc viuemus. *Vosipsos tentate.* Vides quid paret? Et quid de me dico, inquit, quòd Christus in me loquatur? Nam & vosipsi, nisi in aliquo reprobi facti estis Christũ in vobisipsis habetis, quòd si vos,

Pho.
E
Suprà 1.
Pho.
F
Oecum.

multò magis ego, inquit. Experimentum igitur vestri ipsorum facite, ne quis à rectis peruertatur dogmatis, per doctrinam pseudapostolorum. Num vosipsos tentatis, an in fide sitis? num vosipsos probatis? Siquidē experimētum quęrere loquentis in me Christi, & nondum plenè persuasos esse, ꝙ in magistro loquatur Christus, quid aliud est q̃ vosipsos quoque tentare num fideles sitis, & ambigere etiam de vobisipsis, imò potius ignorare omnino, ꝙ Christus in vobis sit. Nam si non est in præceptore Christus, multò minus in discipulis. Sed quomodo, inquit, non cognoscitis quòd Christus in vobis sit, qui etiam variis donis ditauit vos? An per actiones vestras constituistis vosipsos reprobos, & his excidistis? Hoc autem est, acsi dicat, Si vos dona & potestatē aduersus spiritus immundos accepistis & habetis, nisi vosipsos efficiendo reprobos his priuaueritis, an non ego multò magis potestatem habeo aduersus eos qui impurorum dæmonum voluntates explere conantur, qui estis vos? Aut etiā hoc modo. In me experimentum quæritis? vosipsos tētate, acriter vosipsos probate, an sitis in fide. Nam vt apparet etiā ab hac excidistis: neq; enim aliter experimentum quæreretis. Deinde tanquam mitigans vehementiam increpationis. An non cognoscitis, inquit, vosmetipsos, ꝙ Iesus Christus in vobis sit? Acsi dicat, Ego ita vos cognosco, ꝙ Christus in vobis sit: si autem ipsi hoc ignoratis, vestrum sanè peccatū est. Itaq; vosipsos reprobos effecistis. Simul quoque admonet: quasi dicat, Si ego Christum in vobis esse cognosco, nisi reprobi facti sitis, quomodo ipsi adhuc experimentum eius in me quæritis? Et manifestū est tripliciter accipi posse hanc particulam, per cōsilium & adhortationē vt aliis placet: per hæsitationem & accusationem: per increpationem ac reprehensionem sicut nunc exponimus. *An non cognoscitis uosipsos?* Quomodo autem poterant cognoscere? ex signis quæ edebant, vtrum ea adhuc ederent. *Nisi in aliquo reprobi estis.* Hoc loco etiā prauæ vitæ clam eos insimulat: Siquidem & fide & recta vita opus est ad signa. Itaq; licèt in fide sitis, nisi & vitā conformiter instituatis, reprobi estis, inquit, & Christus in vobis non est, neq; signis ostendit ꝙ pręsens sit apud vos. *At spero uos cognituros.* Si autem non omnino reprobi estis, spero vos cognituros per vltionem quæ in vos fiet, ꝙ

A

Pho.

B

C

D nos non simus reprobi. Oporteret vtique vos alio modo cognoscere ac scire quod probati simus: quoniam autem non vultis, per supplicium vestrum cognoscetis.

Opto autem apud deum ne quid mali faciatis, non quo nos probati appareamus: sed vt vos quod honestum est faciatis, nos verò velut reprobi simus. Non enim possumus quicquam aduersus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quum nos infirmi fuerimus, vos autē validi fueritis. Hoc autem insuper optamus vestram integritatem.

Vide mentem philosophicam: despiciebatur, subsannabatur tanquam nihil posset, sed in literis dūtaxat gloriaretur: & non modò differt, illato aduersus illos supplicio, propriā manifestare potentiam: verumetiam precatur ne quando in necessitatem incidat hanc demonstrandi. Quomodo ergo & speras quod probatus apparebis, rursumque precaris ne fiat? Precor quidem vt vos meliores reddamini, nec mihi opus sit inferre in vos supplicium, aut me probatum ex hoc ostēdi. Hoc opto, in hoc gaudeo. Si verò in peccato permanseritis, contemnentes supplicia: anxius quidem & repugnante animo, vlciscar tamen: nam id magis promptum est sperare siue vereri. N*on quo nos probati appareamus*. Ex eo enim quod non peccarent, iam punitiuā non ostenderet potentiam quin potius vt reprobus & impotens haberetur. N*os uerò uelut reprobi*. Bene ait Velut reprobi: neq; enim verè reprob' futurus erat, quod non peccātes puniturus nō esset, imò maximè probatus: sed ob multorum suspicionem dixit, veluti reprobi. N*on enim possumus quicquam aduersus ueritatem*. Si quis verè, inquit, ac piè viuat, nam veritatem vocat nunc pietatem, tanquam verè illegitima sit impia vita, etiamsi velimus supplicium inducere nequimus: non enim cooperatur deus. Siquidem nihil aduersus veritatē siue pietatem possumus, sed pro ipsa: vt eos qui iuxta ipsam non viuunt, supplicio cogamus vt eam velint. G*audemus enim quum nos infirmi fuerimus*. Quid ergo? Quoniam, inquit, etiamsi velim, non possum aduersus veritatē, num propterea doleo? nequaquam. Nam gaudeo quum nos imbecilles existimati fuerimus,

eo q̃ vltionem non inducamus: vos autem validi, eo q̃ com prehendi à mea punitiua potentia non potueritis, ob correctam vitam. Hoc *autem insuper optamus*. Num ergo solùm gaudemus? etiam optamus sanè magis vestram integritatẽ, hoc est, vt probi habeamini ac perficiamini in vita & sanis dogmatibus, quàm vt nos supplicio afficientes eos qui errant, videamur esse potentes. A

Propterea hæc absens scribo, ne quum præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatẽ quam dedit mihi dominus in ædificationem & non in abolitionem.

Quoniam vehementer vbique eos increpauit, maximè tamen in fine epistolæ: propter huiusmodi nunc se excusat, & ait, Propterea ita scripsi, volens in literis duntaxat esse seueritatem, & non operibus eam demõstrari. *Iuxta potestatem quam dedit mihi dominus*. Itaque si supplicium, inquit, sumpsero, non ego sumam supplicium: sed per me medium, ipse qui hanc mihi dedit potestatem Christus. Considera verò q̃ se excusando formidabiliorem exhibuerit sermonem. Quid ergo? posset quispiam ipsi dicere, an ob id potestatem accepisti vt punires homines ad imaginem dei creatos? & ad hoc omnino te constituit benignus hominum amator Christus? Non ad abolitionem, inquit, & perditionem animarum accepi potestatem, sed ad ædificationem. Nam hoc ipsum, nempe punire peccantes, ædificatio ecclesiæ est, dum cæteri horum supplicio firmiores ac probatiores redduntur. B

Quod superest fratres, gaudete, integri estote, consolationem accipite, vnanimes sitis, pacem habete, & deus charitatis ac pacis erit vobiscum. Salutate vos mutuò sancto osculo. Salutant vos sancti omnes. Gratia domini Iesu Christi, & charitas dei, & cõmunicatio spiritus sancti sit cum omnibus vobis, Amen. C

Postquam ego, inquit, quod meum est feci: hoc est, consilium dedi ac minatus sum: reliquum est, vt & vos quæ vestra sunt conferatis, nempe vt gaudeatis. Gaudebitis autem correcti, & nũc & in futurum. *Gaudete*. Scientes q̃ ea quæ

D comminatus sum, non vt faciam comminatus sim, neq; hoc cupio: quin magis refugio ne fiant: minatus sum autem, vt correcti nihil triste patiamini: ideo gaudete. *Integri estote.* hoc est, perfecti sitis, cōplete ea quæ desunt, in virtute perficiamini, & cætera facite. Nam si vos hæc operemini, nō solum nihil graue patiemini, verumetiā deus charitatis ac pacis erit vobiscum. *Consolationem accipite.* Quoniam multę erant afflictiones, ait, Consolationem accipite & à vobisipsis & ab aliis: præterea & à conscientia ad meliorem mutationem animum sumite. *Pacem habete.* Hoc in prioris quoque epistolę exordio petiuit: dissidebāt enim inter se. Quid ergo cupit? vt idem sentirent & pacem haberent: quia contingit idem sentire in dogmatis, non tamen pacē mutuò habere.
E *Et deus charitatis.* Deus appellatur deus charitatis siue dilectionis, eo ꝙ nos dilexerit: pacis verò, eo ꝙ pace iūxerit cælestia terrenis. Ex dilectione autem est pax. Si hæc, inquit, feceritis, erit vobiscum deus. Aut orat vt ita fiat. *Sancto osculo.* Non doloso, inquit, & fraudulento, quemadmodum Iudas. Propterea autem deosculamur, vt suscitemus erga nosipsos amorem. *Salutant uos sancti omnes.* Pręsentes quidem osculo coniungit, absentes verò salutatione & alloquio. Nam ab eodem interim ore procedunt salutatio & alloquium. *Gratia domini Iesu Christi.* Postquam omnes coniunxit quem suum morem etiam nunc seruat, precatur eis gratiam filij, qua saluos nos fecit gratia occisus pro nobis, & nō propter opera nostra & charitatem dei, qua nos
F dilexit, dato pro nobis vnigenito: & communicationem spiritus sancti, hoc est, participationem eius & acceptionem, per quam omnes sanctificamur in superuentione paracleti dei spiritus.

MISSA EST A PHILIPPIS per Titum & Lucam.

## ARGVMENTVM EPIstolæ ad Galatas.

HAnc ab vrbe Roma scribit quum iam vidisset eos ac docuisset. Occasio verò epistolæ hæc fuit: Galatæ rectè ab Apostolo edocti, quum legitimè in Christum

credidiſſent, vbi diſceſsiſſet Apoſtolus, ſurrepti ſunt à quibuſdam & ſeducti, vt circunciderentur. His igitur cognitis ſcribit ad eos Apoſtolus. Et primùm quidem atteſtatur ipſis fidem quam habebant, & legitimum in deum affectum: indignatur autem ꝙ inſipienter egerint & tranſmutati ſint. Deinde de lege diſſerit ac fide quæ ſecundum Abraham eſt. Præterea ex lege oſtendit, & ex vxoribus Abraham allegoricè intellectis, ad tempus datam fuiſſe vmbram ac circuncisionem, eáque deinceps per aduentum Chriſti facta eſſe otioſa. Et his ita demonſtratis, conſequenter præcipit ipſis, ne ampliùs adhæreât impoſtoribus, ſed potius Chriſti fidei hæreant: & cognoſcant ꝙ per Chriſtum gratia aboleuerit circuncisionem ſecundum carnem: & ita rurſum circa mores admonendo ac docendo concludit epiſtolam. A B

## THEODORETI.

PRoœmium ac tota fermè epiſtola plena eſt excandeſcentia. Cauſſa autem hæc fuit, Quidam qui è Iudæis crediderant & adhuc paternæ legi adhærebant, multis fidelibus qui inter Galatas erant, perſuaſerunt vt circunciderentur & Sabbatha ac Neomenias ſeruarent. Perſuadebant autem, dicentes non eſſe Paulo obtemperandum, qui paucos ante dies apparuiſſet, ſed magis Petro, Iacobo ac Ioanni. Nam hos, quum fuiſſent cum Chriſto, dicebant non prohibere circuncisionem. Et verè illi diſpenſatione ac cōdeſcenſione quadam erga Iudæos vtentes non prohibebant circuncisionem. Verùm hi occultata cauſſa, nempe ꝙ condeſcendendo non prohiberent, ex facto eos ad circuncisionem ineſcabant, & Paulum abiectum reddebant, dicentes ipſum non Chriſti, ſed apoſtolorum eſſe diſcipulum, Petrum verò ac cæteros, ipſius Chriſti. Deinde dicebant ꝙ ipſe Paulus alibi circuncidiſſe oſtēderetur: quare vos ergo, inquiūt, non circuncidit? Verè enim Paulus Timotheum diſpenſatione quadam circunciderat. Ad hæc ergo ſcribit, ſtatímque in exordio ad hoc dirigitur, ꝙ non hominis, ſed ipſius Chriſti eſſet diſcipulus. C

D

# EPISTOLA AD GALATAS.

Cap.1.



Aulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum ac deum patrem qui suscitauit ipsum ex mortuis, quiq; mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ, Gratia vobis & pax à deo patre & domino nostro Iesu Christo,
E qui dedit seipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos ex præsenti seculo malo, iuxta volũtatem dei & patris nostri, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Suspicionem statim tollit, ne hominum dicatur discipulus. Nam apostolus, inquit, sum, non suscepto ab hominibus apostolatu, qui non per hominem, sed per ipsum Christum ad hoc venerim opus. *Sed per Iesum Christum ac deum patrem.* Animaduerte hic præpositionem διὰ, id est, per, ad patrem ac filium apponi, primúmque filium nominari. *Qui suscitauit ipsum.* Ob honorem erga patrem hoc dictum est, & propter auditorum imbecillitatem. *Ex mortuis.* Opportunè dispensationis ac mortis domini memi-
F nit, vt facta beneficiorum Christi mentione, hoc sanè modo persuadeat, ne deinceps legi adhæreant, sed Christo. *Quiq; mecum sunt fratres.* Quam ob causam omnium simul fratrũ nunc meminit? Quia hi qui ipsum calumniabantur dicebant solum Paulum nouo modo prohibere circuncisionem: vult ergo ostẽdere multos esse sibi socios in huiusmodi dogmatis. *Ecclesiis Galatiæ.* Considera indignationis ostẽsionem: neq; enim dixit vt solet, Dilectis aut Sanctificatis, siue ecclesiis dei, sed Galatiæ. *Gratia uobis.* Siquidẽ quia ob circuncisionem periclitabantur, ne à gratia exciderent, hanc ipsis precatur. Bene autem dicit, *Et pax.* Erant enim inimici effecti erga deum per obseruãtiam legalium præceptorum. *A deo patre.* Vnde, inquit, habetis, vt deum patrem vocetis? nonne

nónne à baptiſmate?cur ergo legi hæretis?*Qui dedit ſeipſum.* A
Ecce ſeipſum dedit:quum ergo audieris ipſum à parte datum fuiſſe,beneplacitum intellige patris.*Vt eriperet nos*.Dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris & præterita abolens & in futurum præſeruans.Ait enim:vt eriperet nos ex pręſenti ſeculo malo:hoc eſt,ex malis actionibus vitáque corrupta:hanc enim vocat ſeculum malum, non tempus ipſum aut dies: Minimè: Nam ita nos quoque dicere ſolemus vbi quid inopinati nobis contigerit: Malum diem tranſegi. *Seculo malo*. Per hoc quod ait Præſenti ſeculo malo,oſtendit Malum non eſſe ſine principio aut ſempiternum,ſed temporale. *Iuxta uoluntatem dei & patris noſtri*. Quoniam enim dicebãt non oportere legem relinquere,quæ à deo data eſſet,oſtendit etiam patris voluntatem fuiſſe quòd in Chriſtũ crediddiſſent.Siquidem iuxta patris voluntatem dedit ſeipſum Chriſtus. Vides quòd nuſquam dicatur iuſſum patris erga filium,ſed ſola aſſenſio.Rurſum autem dicendo Patris noſtri ſuggerit de baptiſmo:cur igitur legi adhæretis? *Cui gloria in ſecula*. Conſyderatis per ea quæ dicta ſunt ineffabilibus de beneficiis,in glorificationem concluſit ſermonem: neque enim poterat ipſa exprimere. B

Miror quòd à deo qui vocauit vos per gratiam, tam citò transferamini in aliud euangelium, quod non eſt aliud, niſi quòd ſunt quidam qui vos turbãt, & volunt euertere euangelium Chriſti. Cæterùm etiam ſi nos aut angelus è cęlo prędicauerit vobis euangelium præter id quod prædicauimus vobis,anathema ſit. C

Duo peccata erant, & quod transferrentur, & quòd citò, vt neque impoſtoribus opus eſſet tempore. Conſydera autem diligentiam. Quoniam legi adhærendo putabant exorare patrem, oſtendit eum qui à Chriſto diſcedit & euangelio,etiam à patre diſcedere.Nam ipſe pater,inquit, vocauit nos ad gratiam filij ſui.Etenim filius remiſsionẽ tribuit ſuo ſanguine,gratia & non mercede,nam pater ad hanc vocat:ſpiritus verò conſentit. Cõmune ſiquidẽ erga nos beneficiũ eſt ſanctæ ac beatæ trinitatis. *In aliud euangelium*.Qui Galatis ſuadebant ſabbatha ac circunciſionem ſeruare, pro-

D priam ipsorum deceptionem vocabant euangelium, nomine magis inescantes. *Quod non est aliud.* Quod, inquit, solùm vnumest, & non est aliud pręter ipsum: Nisi quod quidamsunt qui turbant vos, volentes vos peruertere, Christíque Euangelium euertere. *Cæterùm etiam si nos.* Ne quis dicat quòd inani gloria, propriæ fauet prædicationi, seipsum primùm execratur, si quid in euangelio immutare velit. *Aut angelusè cælo.* Ne mihi, inquit, dicas Petrum, Iacobum & Iohannem: sed si supernæ quoque potestates peruertant euangelium, anathema sint. Hæcautem ait non quòd
E aliud prædicarent Petrus & qui cum eo erant: aut supernæ virtutes: sed volens impostorum ora obstruere, qui à Petri dignitate imponebant illis. *Præter id quod prædicauimus.* παρ' ὃ, id est, præter id quod, significat quantumuis parum à prædicatione diuersum.

Quemadmodum antè diximus & nũc iterum dico, si quis vobis prædicauerit euangelium pręter id quod accepistis, anathema sit. Nunc enim vtrum hominibus suadeo an deo? aut quæro hominibus placere? Nam si hactenus hominibus placuissem, Christi seruus nequaquam essem.

F

Ne enim existiment eum irato animo hæc dixisse, non ita in veritate animo affectum esse, repetit verbum: asserẽs hoc ita iudicatum esse ac firmatum apud ipsum. *Nunc enim utrum hominibus suadeo an deo?* Deinde ne putent quòd ipsis velit suadere, & aliis alia prædicet (Siquidem calumniabantur eũ impostores, quòd apud alios quidem circuncisionem prędicaret, apud alios verò aliud quippiam) & deflecterent tãquam assentationibus occupati, dicit: Num enim modò hęc disserui cupiens vos adhortari ac facere certiores? Deo cupio plenam facere fidem: quoniam neque hominibus placere cupio, itaque nec vobis. *Aut quæro hominibus placere?* Nõ vt assenter & placeam vobis hæc dixi, inquit. Si enim voluissem hominibus placere, vtique Iudaismo adhæsissem & amicis ac cognatis, & nequaquã omnibus relictis ad Christum accurrissem.

A

## CAPVT I.

*In quo post procemium narrat de seipso quomodo per reuelationem à Iudaismo transmigrauerit.*

NOtum autem vobis facio fratres euangelium quod prædicatum est à me non esse secundum hominem:neque enim ab homine accepi illud,neque didici:sed per reuelationem IesuChristi. Audistis enim meam conuersationem quondam in Iudaismo, quod supra modum persequebar ecclesiã dei,ac expugnabã illam,& proficiebam in Iudaismo supra multos æquales in genere meo, quum vehementer zelator essem traditorum à maioribus meis institutorum. B

Ostendere vult quòd non ab hominibus sed ab ipso Christo prædicationem acceperit. *Non esse secundùm hominem.* Est enim secundum deum,hoc est secundum dei reuelationem. *Neque enim ab homine accepi illud*,inquit. Nam hoc dicebant qui ipsum calumniabantur quòd Paulus ab hominibus prædicationem accepisset,& non quemadmodum Petrus à Christo.Ideo dicebant non oportere ipsi parere. *Audistis enim.* Deinde quoniã factam ipsi à Christo reuelationẽ ignorabant Galatæ:confirmare vult ex eo quòd ostendat se prius fuisse persequutorem, nunc autem repente transmutatum esse,quòd nisi diuina sibi aliqua visio facta fuisset, nequaquam repente adeò transmutatus esset, vt ex hoc persuasi ipsum esse Christi discipulum, non eum despicerent. *Meam conuersationem.* Nequaquam autem ex Palæstina in Galatiam vsque rumor persuasisset,nisi vehemẽs persequutor fuisset. *In Iudaismo*, Quæ fuit necessitas faciendi mentionem conuersationis in Iudaismo? Sanè vt ostenderet quòd non opinioni seruiret,sed veritati.Neque enim odio legis ad gratiam profugerat: ipsam nanque vlciscebatur legem,sed inuento eo quod erat perfectius, discessit à lege. *Ac expugnabam illam.* Non solùm ipsam persequebar, inquit, sed & euertere ac obscurare illam conabar: hoc autem est Expugnabam. *Et proficiebam.* Proficiebam C Seueria.

D in populatione ecclesiarum: hoc est addebam semper vt sæuior essem. Aut proficiebam, id est, & ob id honorabilis eram apud Iudæos. Quid ergo in caussa fuit, vt repente bellũ susciperem aduersus eos qui me in honore habebant ac diligebant? nihil aliud, inquit, nisi reuelatio Christi. *Quum uehementer zelator essem.* Proficiebam, quoniam admodũ zelator eram traditorum à maioribus meis institutorum. Nunquam itaq; faciebam inani ductus gloria quæ faciebam, sed ob dei zelũ quanquam erroneum. Qui ergo ne tunc quidẽ inani motus gloria quicquam faciebam, quomodo nũc post veritatis agnitionem falsa prædicare possem vt hominibus placerem, & non ea quæ à CHRISTO accepissem?

E At vbi deo, qui segregauerat me ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, reuelãdo filium suum in me, visum est vt prædicarẽ ipsum inter Gẽtes: continuò non acquieui carni & sanguini.

Si ab vtero matris suę segregatus fuerat & electus, vtiq; diuina quadam dispensatione medio tempore relictus fuit, vt adeò repentina ipsius mutatio multos confirmaret. *Et uocauit per gratiam suam.* Ipse quidem tanquam vas electionis vocatus est, dicit autem se gratia vocatum esse, ac si diceret: Quum indignus essem & nõ idoneus, gratia vocauit me do-

F minus. *Reuelando filium suum.* Pater, inquit, me vocauit reuelando mihi filiũ suum. Dixit autem In me ostendere volens non solo sermone se didicisse, sed & mente & corde: veluti insidente scientia, interiori homini. Vt prædicarem ipsum. Vides ꝙ pater qui vocauit & reuelauit ipsi filiũ suum, ipse eum prædicatorẽ & apostolum ordinauit? Quomodo igitur ab hominibus accepi & edoctus sum prædicationem? Cõfestim non declinaui ad remissionem & mollitiem: neq; quasi magnum aliquid operatus essem, in otium & negligentiam recidi: sed fortem ac rigidum euãgelij cursum prosequutus sum. Aut hoc modo. Non antiquius habui videre cognatos aut domum aut sodales aut patriam, sed omnibus relictis (Neque enim in hoc Petro ac Iohanne sum inferior) statim in Damascum & in Arabiam etiam ad prædicationem cucurri. *Non contuli cum carne & sanguine.* οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι. (ꝙ nos reliquos sequuti interpretes vertimus,

Non acquieui carni & ſanguini: nam & hunc ſenſum priora A
ſcholia indicarũt. Non deſcendi, inquit, in ſermone cũ apo
ſtolis de prædicatione, cõtentus diuina reuelatione. Hoc au
tem dicit oſtendens quod à diſcipulis prædicationem non di
dicerit, ſed ab ipſo Chriſto. Nam qui eum calumniabantur,
dicebant ipſum hominum non Chriſti eſſe diſcipulum.

Neque redii Ieroſolymam ad eos qui ante me fuerant apoſtoli, ſed abii in Arabiam, ac denuo reuerſus ſum Damaſcum, deinde poſt annos tres redii Ieroſolymam, vt viderem Petrum, & mãſi apud eum dies quindecim, Alium autem ex apoſtolis nõ B vidi niſi Iacobum fratrem domini.

Idem dixit manifeſtius, oſtendens quòd non fuerit ab apoſtolis edoctus, ſed ab ipſo Chriſto: Non redij, inquit, Ieroſolymam vt viderem eos qui ante me fuerant apoſtoli, & aliquid ab eis diſcerem. Siquidem Damaſco rediit Ieroſolymam, vt indicant Acta apoſtolorum, at nõ ad diſcendum, Act. 9. ſed prædicandum ipſum Chriſtum & docẽdum fidem. Nam & eo modo quo in Arabiam abieram, inquit, prædicaturus, rurſumque Damaſcum: eodem modo & Ieroſolymam. Poſt tres autem annos ab incepta prædicatione & doctrina mea redij vt viderem Petrum, non vt aliquid ab ipſo diſcerem, iam enim euangelium annuntiabam & prædicabam. *Sed abij in Arabiam.* Narratis, ad quas adierat, ciuitatibus, egregia o- C pera ſilet quæ ibi facta ab ipſo erant, quod magnę erat animi modeſtiæ. *Vt uiderem Petrum.* Cõſydera animi modeſtiã. Poſt tot tantáq; certamina abiit, vt videret Petrum tãquam maiorem. Vt autem etiam maneret, cauſa honoris quem Petro ferebat, actum eſt. Vide autem quo modo cautè dicat, Manſi apud eum, non Edoctus ſum. *Alium autem ex apoſtolis non uidi.* Qui non vidit quenquam quomodo ab ipſis didiciſſet? *Fratrem domini.* Non erat frater domini, ſed putabatur: attamen vt ipſum attolleret, fratrem domini vocat.

Porrò quæ ſcribo vobis ecce coram deo ꝙ non mentiar. Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus iuxta faciem eccleſiis Iudææ

D quæ erant in Christo. Sed tantùm hic rumor apud illos erat: Qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem quam quondam expugnabat: & in me glorificabant deum.

Dico vobis coram deo quòd non mentiar. Vides quãtum pro hoc decertet sermone? Periculum enim erat ne fidedignus non esset ad prædicationem, quasi hominum & non Christi discipulus fuisset. *In partes Syriæ.* Vbi Petrum vidisset rursum ad Gentes proficiscebatur. Ad partes, inquit, Syriæ & Ciliciæ, nam ad ipsas missus fuerat. *Eram autẽ ignotus.* Adeò, inquit, non prædicaui his qui de circuncisione

E crediderant quòd oporteret circuncidi (nam hoc dicebant calumniatores quòd credentibus ex Iudæis circuncisionem prædicaret) adeò igitur non prædicaui, inquit, quòd neque me de facie nouerant. AVT hoc modo. A Petro non di-

Pho. dici, sed ipsum tantùm vidi: à Iacobo non didici, nam & ipsum solum vidi. Alium ex apostolis, ne vidi quidẽ. At num ab alio aliquo humiliore & non adeò insigni ex personæ aspectu? Et quomodo hoc locum haberet vt ab aliis didicissem, qui neque faciem meam viderant? Nam ignotus eram iuxta faciem ecclesiis Iudææ quæ erant in Christo: Cæteri verò doctrina egebant, nõ docebant. Nequaquam igitur ab homine didici. *Ecclesiis Iudææ.* Quæ circa Syriam & Ciliciam sitæ erant congregationes, quę ex Iudæis conuersæ erant ad dominum, hoc est enim quod addit, Quæ erant in Christo. *Et in me glorificabãt deum.* Non dixit Laudabant aut glorificabant me, sed deum, inquit, glorificabant: quicquid enim in me agebatur, gratiæ dei erat. In me, hoc est, propter me. Glorificabant in me deum, nõ hunc aut illum præceptorem, sed ipsum deum. Siquidem ipse mihi reuelauerat, mẽque docuerat prædicationem.

CAPVT II.

*De productione apostolorum in testes pro uita quæ est per fidem.*

Cap.2. DEinde post annos quatuordecim rursum ascẽdi Ierosolymam cũ Barnaba, assumpto simul & Tito. Ascendi autem iuxta reuelationem, & con

tuli cum illis euangelium quod prædico inter Gentes, sed priuatim cũ iis qui erant in pretio: num quo modo in vanum currerem aut cucurrissem. Sed neque Titus qui mecum erat, quum esset Græcus, cõpulsus fuit circuncidi. A

Quòd primùm quidem ascẽderit, Petrum in caussa fuisse dixit: quòd autem secundò, reuelationem. *Cum Barnaba assumpto simul & Tito.* Hos secum ducebat testes suę prædicationis. *Ascendi autem iuxta reuelationem* Et quare ab initio cũ ipsis non contulit, sed post tot annos? Quoniam multi vidẽtes Petrum ac cæteros qui cum eo erant apostolos permittentes circuncisionem, Paulum verò non permittentem, offendebantur quasi dissidens esset prædicatio. Reuelauit igitur ipsi spiritus sanctus vt ascẽderet Ierosolymam, quo persuaderentur ij qui offendebantur, nullã omnino esse in prædicatione dissonantiam, sed magis dispensatione quadã permitti circuncisionẽ. *Et contuli cũ apostolis euangelium*: hoc est communicaui, sumpsi cum eis consilium. *Quod prædico.* sine circuncisione. *Sed priuatim.* Quoniam hi qui ex Iudæis crediderant Ierosolymis, offendebantur si quis circuncisionem prohiberet, Pauli autem prædicatio ipsam tollebat: vt ipsos absq; offendiculo seruaret, priuatim cum eis contulit prædicationem. Et quamobrem priuatim? Ne per hoc quod prius omnia cõcessissem, offenderem eos qui nuper ex circuncisione ad fidem venerant, & efficerem vt à Christi fide omnino discederent, perderémque cursum meum ac vanum efficeretur certamen & studium meum. Nam quo modo nõ esset hoc in vanum currere aut cucurrisse, si currẽdo vt saluos facerem, rursum quosdam temeraria certitudine perderem? Quomodo igitur nũc etiam publicè arguit? Quoniam magis promotum erat, & quia nonnulli dispensationem audebant facere dogma. Aut quod ait μήπως num quo modo, potest per interrogationem dictum esse, tanquam magis cõfirmatiuum quòd nõ in vanum curram, inquit, aut currebã, sed omnia cũ firmitate ac prouidentia operabar. *Cum iis qui erant in pretio.* Quod ait Qui erant in pretio, non est tollẽtis aut negãtis Petrum cæterósq; cum eo apostolos magnos fuisse: sed est veluti si quis dicat: Qui aliquid erant nempe B Pho. C

D Coryphæi. *Num quo modo in uanum currerem.* Non vt di-
ſcerem num quo modo in vanũ currerem aut cucurriſſem. Noueram enim ex reuelatione Chriſti certitudinem prædicationis: ſed vt diſcerent qui inter me & Petrum cum cæteris ſuſpicabantur eſſe diſsidium, quòd non in vanum currerem aut cucurriſſem. *Sed neq; Titus qui mecum erat quum eſſet Græcus.* Qui mecum aſcenderat Ieroſolymam. Græcus, id eſt, incircunciſus. Igitur quum præputiatus eſſet, non eſt ab apoſtolis coactus circuncidi: quod argumentum erat neque Petrum cum cæteris prædicare circunciſionem, ſed propter condeſcenſionem Iſraelitarum fidelium concedere circunci-
Pho. ſionem. ALIO MODO. Neque Titum, inquit, licèt manifeſtum eſſet Græco natum eſſe ſemine, vllo modo cõpulerunt
E apoſtoli circuncidi, quanquam præſentes viderent falſos fratres. Nam à cõmuni ſenſu rurſum ſubintelligẽdum eſt, Sed neque: vt ſit ſenſus, Sed neque Titus compulſus fuit circũcidi, neque propter obiter ingreſſos falſos fratres. Quid ergo? Quare Timotheum circuncidit, ſi rationem non habet falſorum fratrum? Neque illum propter ipſos circuncidit: Minimè: ſed vt illos lucrifaceret qui infirmitate offendebantur. Infirmis ſiquidem condeſcendere oportet in miti medela ægritudinis: his verò qui ex malo conatu prauáque mente rem inſtituunt, ne in minimo quidem cedere. Nam hi non ſolùm medelam non expetunt, quum magis in malo firmatus ſit ipſis affectus quàm vt vllam admittat curam, verumetiam proximos cupiũt proprio replere morbo. Ideo
F ne ad horam quidem ceſsimus ipſis: & ſententiam hanc loquitur diuus Paulus.

Sed ꝓpter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierãt ad explorãdam libertatẽ noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, quo nos in ſeruitutẽ adigerent. Quorum ne ad horã quidem ceſsimus ſubiectioni, vt veritas euangelii permaneret apud vos.

Neque eo quòd adeſſent falſi fratres, id eſt, ficti Chriſtiani, compulerunt apoſtoli Titum circuncidi, quod ſignum erat Petrum cum ſuis non ſancire circũciſionem. Falſi autem fratres erant quidam in habitu fratrum ſiue Chriſtianorum circunciſionem prædicantes: non ſicut Petrus cum cæteris

propter condeſcenſionem & quandam diſpenſationem, ſed rem tanquam legem defendentes. Et apoſtoli quidem apud Iudæos hoc ſolū permittebant: illi verò inter Gentes quoque circuncisionem lege ſtatuebant: hi enim erant qui Galatas turbabant. Neque his igitur præſentibus, inquit, quorum officium erat circūcisionem prædicare, compulſus fuit Titus circuncidi. *Qui ſubintroierant.* Falsi, inquit, fratres clàm irrepſerant explorare quærentes noſtram in Chriſto libertatem, vt nos rurſum iugo legis ſubderent, ac iudaicis obſeruationibus. His enim non ſubdi, libertatem dicit. Vide autem quomodo ipſos oſtenderit eſſe hoſtes, & ad corruptionem fidei ſubingreſſos. Primùm per hoc quòd ait, Subintroierant: latentem ac inſidioſum ingreſſum ſignificans: & per hoc quòd dixit, Ad explorandum. Explorator enim ad nocumentum & inſidias explorat præterea, Vt nos, inquit, in ſeruitutem adigerent. Siquidem Petrus ac cæteri apoſtoli circuncisionem concedebant, vt paulatim legis ſeruitutem fallerent, hi verò vt in ſeruitutem adigerent. *Quibus ne ad horam quidem ceßimus.* Propterea, inquit, non ceſsimus ipſorum ſubiectioni, vt veritas prædicati per me apud vos euangelij maneret inconcuſſa ac firma. Quę eſt autem veritas ipſius? Vetera tranſierunt, ſi quis viuit in Chriſto, noua creatura eſt, & quòd eis qui circunciduntur, Chriſtus nihil prodeſt. *Subiectioni.* Non dixit doctrinę, ſed Subiectioni: ſignificans ipſos ad hoc niti vt rurſum ſubiicerent ac in ſeruitutem adigerent ſub lege. 2.Cor.5. Infra 5.

Ab iis autem qui videbantur aliquid eſſe, quales aliquādo fuerint nihil mea refert. Perſonam hominis deus non accipit: Nam mihi qui videbātur eſſe in pretio, nihil contulerūt. Imò contrà, quum vidiſſent mihi concreditum fuiſſe euangelium præputii, quemadmodum Petro circuncisionis. Nam qui efficax fuit Petro ad apoſtolatum circuncisionis, efficax fuit & in me erga Gentes.

Si palàm dixiſſet Paulus quòd diſpenſatoriè circuncisionem concederent, diſceſsiſſent ab ipſis fideles ex Iudęis qui circūcisione gaudebant, eo quòd non in veritate ſuſciperet

D circuncisionem, sed dispensatione quadam & condescensione. Idcirco non detegit nunc Paulus dispensationem, sed alio modo tractat astutè sermonem, tanquam bellum cum Petro ac cæteris susciperet: quia deo, inquit, rationem dabunt: hoc autem dicit propter illorum imbecillitatem. *Esse aliquid.* Ab his qui magni esse videbantur, nempe Petro ac cæteris: quales aliquando fuerint: siue deo placeant, siue non: eo quòd circuncisionem permittant: nihil, inquit, mea refert: scio enim quòd quisque deo rationem reddet: & deus nequaquam eos verebitur, quanquam Coryphæi sint: nam personam hominis deus non accipit. Hoc autem vt dictum est, superius manifestatum est. *Quales aliquando fuerint.* Ostendit ipsos quoque iam cessasse ne dispensatiuè circuncisionem

E amplius concederet. Neque enim dixit Quales sint, sed Quales aliquando fuerint. *Nam mihi qui uidebantur esse in pretio nihil contulerunt.* Iuxta hoc autem ait, Nihil refert de his quæ circa eos sunt: quoniam audita interim mea prędicatione, nihil aut addiderunt, aut detraxerunt. Eos autem qui esse in pretio videbãtur, hoc est, verè magnos dicit, nempe Petrum & qui cum eo erant. *Imò contrà.* Non solùm inquit, nihil correxerunt in mea prędicatione, sed contrà etiã laudauerũt. Est autem literæ ordinatio huiusmodi: Imò cõtrà, quum vidissent concreditũ fuisse mihi euãgelium præputij, & post multa suo tenori redditur oratio: Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Hoc igitur tantũ abfuit

F vt corrigeretur mea prædicatio, vt etiam dextras societatis acciperent, quod indicium erat me eorum prædicationem suscipere. *Euangelium præputij.* hoc est, Gẽtium præputiatarum siue incircũcisarum. Consydera autem quo modo seipsum Petro æqualem faciat: nam hoc nunc opus erat quo Galatis fidedignus esse videretur. *Quemadmodum Petro.* Si

Pho. dixisset Paulus Petrum & cæteros dispensatoriè circũcisionem seruare, visus fuisset ipse quoque eam cõcedere: & ita ostẽsus fuisset ad eos accurrere cum quibus opus erat decertare. Nam si Petrus rectè agit concedẽdo, cur non similiter & tu agis? quare verò acerbè etiã indignaris ob id quod vocas dispensationem? sine eos agere, nec reprehẽdas: & quasi tibi gratum esset, aut dispẽsationum nomina aut dogma siue cautelam. Hęc sanè & cogitassent & dixissent aduersus Pau-

lum, si Petrum cum suis dixisset dispensatoriè circuncisio- A
nem suscipere. Animus enim quauis in re consternatus ac territus, modica occasione, quæcunq; illa sit quæ se offerat, accepta, eam magis sibi vendicat & amplectitur. Ideo Paulus admodum sapienter sermonem quidem de dispensatione omnino reticet, imò factum asperè reprehendit: & tanquam transgressores certè arguit eos qui concesserãt, vt vehemẽtia increpationis circa illos, terreret ac corrigeret eos qui verè transgressores erant: ideo quoque non veretur ipsos dicere visos in pretio esse, & reprehensos ac simulatos, & non rectè incedentes, solùm vt Christi prædicationem confirmaret: tantum fiduciæ de se mutuò super prædicatione habebant, talíque coniunctione connexi erant, vt optarent, si ita res ferret: per mutuam condemnationem, prædi- B
cationis confirmari sermonem, neque hoc deuitarent. Vtq; 2. Petr. 3.
hoc apertius discas, consydera. Paulus suis epistolis condemnat Petrum. Petrus verò sua epistola collaudat Paulum, eiúsque epistolas dei sapientia & gratia plenas esse testatur, & parum firmos latentem in illis non assequi sensum, sed peruertere conclamat. Præterea verò etiam Paulus, qui circa prædicationẽ hæc de Petro dicit, longè amplius quàm seipsum hunc excollit, & honorat. Quid enim est in sermone calumniæ, videri in pretio esse, & non rectè incedere, si conferas ad anathema esse à Christo? *Circuncisionis*, hoc est Iudæorum.

Qúmque cognouissent gratiam mihi datam, Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui videbãtur es- C
se columnę, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: vt nos quidem in Gentes, ipsi verò in circuncisionem, apostolatu fungeremur: tantùm vt pauperum memores essemus, in quo & diligens fui vt hoc ipsum facerem.

*Qúmque cognouissent gratiã.* Datæ sibi gratiæ testes producit Petrum, & eos qui cum ipso erant. *Qui uidebantur columnæ.* Qui erant, inquit, columnæ fidei, & omnibus esse videbantur. *Dextras dederunt.* Communia, inquit, fecerunt dogmata, ac nosipsos ad prædicationem socios asciuerunt.

D Propterea enim & dextras dederunt, significantes gratiã ipsis esse nostram prædicationem, eo ꝙ eadem esset cum prædicatione ipsorum. *Vt nos quidem in Gentes.* Vt nos, inquit, inter Gentes prædicaremus, ipsi verò apud Iudæos. *Tantùm ut pauperum.* Prædicatione, inquit, diuisi, pauperes habemus indiuisos. Hi verò pauperes erant, qui à suis contribulibus incredulis, bonorum direptionem propter fidem in Christum paßi erant.

1. Thes.2

CAPVT III.

*De altercatione aduersus Cepham, de salute in fide sita, & non in lege.*

QVum autem venisset Petrus Antiochiam, palàm illi restiti eo ꝙ reprehẽsus esset. Nam antequam venissent quidã à Iacobo, vnà cum Gentibus sumebat cibum: quum autem venissent, verebatur ac separabat se ab illis, metuens eos qui erant ex circuncisione: ac simulabant cũ illo cæteri quoque Iudæi: adeò vt Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem.

E

Non pugnæ aut condemnationis erat, quòd Paulus resisteret Petro, sed dispensationis. Quoniam enim Petrus & qui cum eo erant, Ierosolymis condescẽsione quadam permittebant circuncisionem, volentes paulatim eos qui ex Iudæis erant ad perfectionem deducere: quum venisset Petrus Antiochiam interim dum fidelis nullus ex Iudæis ibi erat, sine vllo discrimine vnà cum Gentibus qui crediderant, cibum sumebat: quum autem aduenissent, ne eos offenderet, quum adhuc imbecilles essent, verebatur vnà cũ illis edere. Huius autem caussa, vt dictum est, erat eorum imbecillitas. Quòd autem Paulus illi palàm & non priuatim restiterit, dispensationis erat, vt videntes qui ex Iudæis crediderant ipsum præceptorem suum Petrum palàm argui, ꝙ cum præputiatis non conuersaretur, nec contradicentem, agnoscerent ꝙ nõ esset deinceps necessaria legis obseruatio post fidem, sed magis occasionem daret, vt reprehenderetur Petrus. Quia verò hoc dispẽsatoriè agebatur, manifestè venit Paulus ad hos sermones cum Petro, vt audientes fideles qui

F

ex circuncisione erant, mutarent legis obseruationē. Quòd si vera fuisset ira, oportuisset priuatim ipsos apud se dissererere. ALIO modo. Eusebius Pamphili in ecclesiastica historia ostendit hunc Petrum non esse Cepham, sed eiusdem cum ipso nominis vnum ex septuaginta. Et apparentiam habet hic sermo. Neque enim Petro rursum opus erat metuere, qui iam de hoc respōderat Ierosolymis, omnibúsq; persuaserat, quando vnà cum Cornelio sumpto cibo, quosdam ex circuncisione offenderat: quando etiam dixit, Verè cōperio fratres, quòd non sit personarum respectus coram deo, sed in quauis gente qui timet ipsum, is acceptus est illi. Non erat iste qui hæc dixerat. Nam si hoc ab initio prædicationis facto, persuasit omnibus quòd non malè egisset, spiritu ipsum ad hoc inducente: quomodo nūc post tantum tempus, postquam dederat Petrus experimētum sui recti operis: rursum illi opus erat huiusmodi dispensatione? Hoc tamen Quod reprehensus esset, potest hoc etiam modo intelligi. Nulla alia fuit mihi, ait Paulus, occasio palàm ei resistendi, & eum corripiendi, nisi quòd de sumendo cibum vnà cum incircūcisis antea reprehensus fuisset à Iudæis, quando cum Cornelio ederat: nisi enim fuisset antea reprehensus ab his quos ibi offenderat, nequaquam nunc metuisset: quòd si non metuisset, nulla fuisset opus correptione, aut publica resistentia. Verùm quid omnino prodest publicè resistere? Quia opportunè egit, vt coram Iudæis dictum esset, Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, qúmque sciremus quòd non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: quia hæc coram omnibus dicta sunt, fuit publica resistentia. Etenim si aliquis error fuisset, oportuisset priuatim arguere & corrigere, dicēte domino, Si peccauerit frater tuus, corripe eū priuatim: quòd si non obtemperauerit, alios quoque simul & ecclesiam adhibe. *Quòd reprehensus esset.* Reprehēsus erat Petrus non iusta de causa, neque à Paulo qui dispēsationem nouerat, absit, sed ab his qui ignorabant quid dispensatiuè ageretur, & opinabantur ex re ipsa fieri simulationem: quòd absentibus quidem Iudęis fidelibus cū Gentibus ederet, non autem præsentibus. Nosti autem quid scriptum, ac

[Marginalia: A; Oecum.; Act. 10.; B; Eiusdem.; C; Mat. 18.]

D promulgatum ſit propter Cephan. *A Iacobo.* Iacobus hîc Chriſti frater appellatus, epiſcopus erat Ieroſolymorum: ab ipſo igitur miſsi venerant, qui ex Iudæis crediderant adhęrentes adhuc legi. *Verebatur & ſegregabat ſe.* A Gentium videlicet conuerſatione. Quod autem additur, Metuens, nõ hoc intelligit quòd timeret, ne quid ab ipſis pateretur: ſed metuens ne offendiculum paſsi reſilirent à fide. *Ac ſimulabant cum eo.* Simulationem appellat rem ipſam, ſic vt occulta diſpenſatio iam non prodeſſet credentibus ex circuncisione. *Cæteri quoque Iudæi.* Erant enim & alij ex circuncisione credentes Antiochiæ, qui & ipſi, inquit, ſegregabant ſeipſos ab iis qui ex præputiatis ſiue incircũciſis erant propter eos qui à Iacobo venerant.

E Verùm vbi vidiſſem, quòd non rectè incederent ad veritatem euangelii, dixi Petro coram omnibus, Si tu quum ſis Iudæus, gentiliter viuis, ac non Iudaicè, cur Gẽtes cogis Iudaizare? Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, ſcientes non iuſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſtũ Ieſum credidimus, vt iuſtificaremur ex fide Ieſu Chriſti, & nõ ex operibus legis. Quoniam non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Quòd ſi dum quærimus iuſtificari per Chriſtum, reperti ſumus, & ipſi peccatores, nũ
F ergo Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit.

Eodem intellectu quo dictũ eſt Simulabãt cum eo, etiam dictum eſt Non rectè incederent. Non vult enim diſpenſationem detegere. *Ad ueritatem euangelij.* Nam veritas euãgelij eſt, neque circuncidi, neque à fidelibus incircũciſis ſegregari. Siquidem non eſt Iudæus neque Græcus. *Dixi Petro coram omnibus.* Vides quòd propterea coram omnibus reprehendit Petrum, non vt Petrum cõdemnaret, ſed vt iis qui ex circunciſione erant, prodeſſet. *Si tu quum Iudæus ſis.* Tantùm non dixit apertè his qui à Iacobo venerant: Imitamini præceptorem veſtrum gentiliter viuentem, hoc eſt, nullo diſcrimine; nam hoc adſtruit ex colloquutione ad Pe-

trum. *Cur Gentes.* Quod tu, inquit, non facis, neque alios facere cogas. Quare autem non dixit, Quare eos qui ex circūcisione sunt cogis iudaizare? Siquidem propter illos hæc dicebat, & sermonis consequētia erat, vt ita diceretur. Hoc modo autem dixit vt videatur suorum curam habere discipulorum, nempe eorum qui ex Gentibus erant, ne detegatur dispensatio, propter quam erat reprehensio. *Nos natura Iudæi.* Hoc est, quod ad maiores attinet, & progenitores: *Scientes non iustificari hominem.* Expleto sermone quo Petro restitit, venit deinceps ad propositum, circuncisionem paulatim deprimens, & dicens non hærendum esse legi, vt quæ saluum facere nequeat. Et hæc quidem de Petro inquit. Cęterùm nos qui Iudæi sumus, hoc est, non proselyti (id enim est, Non ex Gentibus peccatores) quia nouimus quòd non contingat aliquem saluum fieri ex operibus legis (nam multa ibi requiritur diligentia & cautela) credidimus Christo, per fidem quæ in ipsum est saluari cupientes. Hęc autē quadrant vt & ad Petrum & ad Galatas dicta sint. *Ex operibus legis.* Propter grauitatem quæ in ea est. *Quoniam non iustificabitur ex operibus legis omnis caro.* Quæ necessaria sunt in lege etiam natura docuit: putà, Non adulterium facies, Non occides, Non furtum facies, & reliqua quæcunque sunt huiusmodi. Porrò de sabbatho, de circuncisione, de leproso, de semen emittente, de sacrificiis, de aspersionum vasis: hęc legis propria erāt: de his enim natura nihil docuit. Hæc ergo dicit legis opera. Horum itaque transgressio peccatum est, custodia verò nō efficit perfectam iustitiam. Ista enim aliorum figuræ erant, quanquam Iudæis eo tempore congruerent. De his dixit diuinus Apostolus, Quoniam non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. *Quòd si dum quærimus iustificari per Christum.* Si volentes per Christum iustificari reperti sumus inquit, peccatores deserendo, ac transgrediendo legem, non ergo Christus peccatum conciliauit? Absit. Quod absurdum est, simplici negatione sustulit. A B C

Nam si quæ destruxi, ea rursum reædifico, transgressorem meipsum cōstituo. Ego enim per legem legi mortuus fui vt deo viuerem, vnà cum Christo crucifixus sum. Sed viuo iam non ego, viuit autem

D in me Christus. Vitam autem quam nunc viuo in carne, per fidem viuo filii dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustrà mortuus est.

Destruximus, inquit, siue dissoluimus legem, ea relicta ad Christum currendo: Si ergo rursum eam eripere conamur: eo ipso trāsgressores sumus, ꝙ à nobis soluta rursus firmare nitimur. Consydera verò eius prudentiam. Illi putabantur ex eo transgressores esse, ꝙ legem non seruarent, ipse autem ex eo ostendit esse transgressores, quòd legi adhærerent. *Transgressorem meipsum constituo.* Legi iterum obtemperan-
E do, ostēdo quòd tanquam transgressor ipsam primùm deserui, ac Christo credidi. *Ego enim.* Ego, inquit, legi obtemperando, constitui meipsum legi mortuum. Siquidem lex mihi Christum præsignauit: & illi quidem mortuus sum, quia iuxta illam iam non cōuersor, huius verò dogmata sequor. *Per legem legi mortuus sum.* Aut per legem euangelicā mortuus sum legi Mosi. Quomodo igitur mortificatus, ac perinde me ad illam habens, quasi eius nulla sit vtilitas, seruabo ipsam? Aut per ipsam legem, ac graues obseruationes eorum quæ in ipsa continebantur, mortuus sum peccato per ipsam. Num igitur æquum est seruare eam quæ interimit? *Vt deo uiuerem*, nempe immortali & æterna vita. *Vnà cum Christo crucifixus sum*: Per baptismum. Lex igitur quod
F in se erat, occidit, Christus autem viuificauit: quomodo ergo seruabo legem? *Sed uiuo iam non ego.* Per conuersationē quæ ista consequitur, qua mortua sunt sua mēbra: ait enim, Mortificate mēbra vestra terrestria. *Viuit autem in me Chri-*
Col.3. *stus.* Operator, dominator, omnia tandem in me factus. Per hoc autem viuit in me, quòd nihil in me fiat eorum, quæ ab eo non approbantur. *Vitam autem quam nunc uiuo in carne.* Nec solùm, inquit, intellectuali vita propter Christum viuo, verumetiam sensitiua. Quonam modo? Quum propter legem, inquit, sententiæ essemus obnoxij, futurum erat vt etiam carnaliter moreremur tanquam in quodam diluuio. Christus autē viuere nos fecit à legis maledictione liberatos. Igitur non intellectualis modò vita, sed & sensitiua nobis do-

bis donata est per fidem quæ in Christum est. Quomodo igitur rursum postliminio reuertemur ad legem? *Et tradidit semetipsum pro me.* Quod commune est proprium facit, ostendens tantum gratiarum actionis quemque debere Christo, ac si propter ipsum solum homo factus fuisset. Nō aspernor gratiam. Tanquam hi qui adhuc legi adhærent, Christi gratiam aspernentur, Aspernari verò est non credere, attenuare, irridere. Vides quò sermonem deduxerit. *Nam si per legem iustitia.* Si enim lex, inquit, saluare ac iustificare posset. Christus frustrà & sine caussa mortuus esset, ob id nanque seipsum tradidit, vt quod lex non poterat, ipse nos sua morte saluos faceret: quòd si lex saluos faceret, superuacua fuisset mors domini. A

## CAPVT IIII. B

*Quod per fidem fuerit sanctificatio, & non per legem*

O Stulti Galatæ, quis inuidit vobis ne obtemperaretis, & crederetis veritati? quibus prę oculis Iesus Christus fuit depictus, inter vos crucifixus. Hoc solùm cupio discere à vobis: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeò stulti estis, quum spiritu cæperitis, nunc carne consummamini? Tam multa passi estis frustrà, si tamen & frustrà. Qui igitur subministrat vobis spiritum, operatur virtutes in vobis, vtrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei id facit? Quemadmodum Abraham credidit deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Cap. 3 C

Vbi demonstrauit seipsum non ab hominibus, sed à domino fuisse edoctum maiori nunc autoritate docet, comparationem legis ac fidei faciens. Stultos autē vocat ipsos. Verè enim stultum est à Christo discedere, legique adhærere. *Quis uobis inuidit?* (inquit) Non dixit Quis vobis imposuit, ne opprobriū misceret opprobrio: sed quis indignatus est, siue inuidit, ostendens magna fuisse ea quæ prius operabantur. *Quibus præ oculis Iesus Christus.* Atqui Ierosoly- Gen. 15

D mis crucifixus est: quomodo ergo ait, Quibus præ oculis & inter vos? Ostẽdit vim fidei, quæ etiam procul distãtia prospicit. Attamen quia Depictus est dixit, siue Descriptus, nẽpe per prædicationis scripturam, tantundem est, ac si diceret: Prædicatio quidẽ depinxit vobis crucem, ac mortẽ Christi, vos autem oculis fidei tanquam præsentem ipsum vidistis: ita enim credidistis, ac si ipsam Christi mortem intuiti

Theod. essetis. Hoc *solùm cupio discere à uobis*. Quoniam, inquit, tantam dispensationem non animaduertitis, breue quoddam verbum loquor ad vos: num per legis opera spiritum sanctum accepistis, tantasque virtutes, ac signa operati estis, an per fidem? quandoquidem dum legi nondum adhærebatis, spiritũ suscepistis: quomodo ergo rursum relicta fi-

E de legi adhæretis? A*deò stulti estis*. Adeò, inquit, stulti estis, vt temporis progressu retrorsum curratis. Nam quum spiritu cœperitis cõsummari: hoc enim à cõmuni sensu sumẽdum est: nunc carne consummamini. Spiritu enim consummabãtur, quum signa ederent: nunc verò carne circuncidebantur. Animaduerte autem ꝙ non dixerit Consummatis sed consummamini, ostẽdens ꝙ more ouium sumẽtes ipsos

Theod. circuncidebant, ne scientes quidem quid paterentur. *Nũc carne consummamini*. Spiritum quidem dixit gratiam, carnem verò conuersationem secundum legem. T*am multa paßi e-*

F *stis frustrà*. Multis ob Christum afflictionibus, ac periculis exercitati fuerant. Tanta igitur, inquit, nullo fructu pasi estis. Nam si circũcidimini, nullum illa fructum habent, hoc est, ipsa perdidistis. Deinde ne ipsos in desperationem coniiciat, ait: Si tamen & frustrà. Nam si resipiscere volueritis, non erunt frustrà. *Si tamen & frustrà*: & non etiam cũ damno. Frustrà nanque fieri, aut esse dicitur, quod neque confert quicquam, neque aufert: at qui spiritu cœpit, & ob id in multas incidit afflictiones, deinde transmutatur: is non solùm frustrà passus est, ea quæ passus est, verumetiam cum damno, perdendo quæ sibi reposuerat præmia ob perpessas pro Christo afflictiones. Q*ui igitur subministrat uobis*. Deus igitur qui vobis spiritum subministrat: & qui operatur, hoc est, patẽtia signa in vobis efficit: num per legis opera hæc facit, inquit? Ex eo quòd signa edebatis, debuissetis fidei potentiam cognoscere. Tamen vel ad progenitorem

Abraham respicite, quoniam vt ipse ex fide iustificatus est. A

CAPVT V.

*Quòd Abraham ex fide iustificatus sit in nostri typum.*

SCitis igitur quòd qui ex fide sunt, hi sint filii Abrahæ. Præuidens autem scriptura quòd ex fide iustificet gentes deus, primùm annuntiauit Abrahæ, Benedicentur (inquiens) per te omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, Benedicuntur cum fideli Abraham. Gen.22.

Quandoquidē metuebāt legem relinquere, ne quo modo à cognatione Abrahæ exciderent, in contrarium commutat sermonem. ἄρα, id est, igitur, itaque. *Quòd qui ex fide.* Hi propter id maximè legi adhærebant, quòd eius antiquitatē ac vetustatem in reuerentia haberent. Vult itaque ostendere fidem fuisse lege antiquiorem, & ante ipsam constitisse, quódque primitus per hāc maximè deo placuerint. *Primùm annuntiauit Abrahæ.* siue rem lætam nuntiauit, tanquam magnum aliquod dicens bonum, nempe quòd ex fide saluus fieret. Nam hoc significat dictio προευηγγελίσατο. *Benedicentur per te omnes gentes.* Quod ait, Per te, siue in te, hoc est, per semen tuum, qui est Christus. Quomodo autem benedicentur? per fidem videlicet, cuius antesignanus fuit Abrahā. Potest quoque ἐν σοὶ intelligi, propter fidem quæ est in te. Diuus Cyrillus secundo libro commentationis de cultu, qui est in spiritu & veritate circa initia libri interpretatur ἐν σοὶ, id est, ad tui imitationem ac similitudinem. *Itaque qui ex fide sunt benedicentur.* Qui ex fide vniti sunt Abrahæ, & in semen eius adoptantur, non qui ex carne. B C

CAPVT VI.

*Quòd lex non iustificet, sed arguat: & maledictionem addat, quam soluit Christus.*

NAm quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxii. Scriptū est enim: Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quòd autem in lege nullus iustificetur apud deum, palàm est. Siqui- Deut.27.

D dem iustus ex fide viuet: lex autem non est ex fide,
Habba.2 sed qui fecerit ea homo, viuet in ipsis.
Leuit.18. Quotquot, inquit, hęrent legis operibus, execrabiles sunt. Quandoquidem enim id eos terrebat, ne legem relinquerent, ne quo modo sub maledictionem venirent, propter id quod scriptũ est: execrabilis est omnis qui non manserit in lege: ipse contrà nititur ostẽdere execrationi obnoxios esse quotquot manserint in lege. Quonam modo? Quia nullus inquit, cõplet legẽ: sunt igitur execrabiles, vt qui à lege discesserunt, & execrationem sibi vindicarunt. *Qui non manserit.* Propterea ergo execrabiles sunt qui legi adhærent quòd non possint complere legem. *Iustificetur apud deum.* Fortassis enim apud homines iustus aliquis videbitur. *Siquidem iustus ex fide uiuet.* Nam vnica est, inquit, fidei via quæ iustificat.
E
*Lex autẽ non est ex fide*, sed ex operibus: quod inde manifestum est. *Nam qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis.* Itaque per opera videtur esse in lege salus, & non per fidem.

Deut.21. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptũ est enim: Execrabilis omnis qui pendet in ligno, Vt in Gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum Iesum, vt promissionem spiritus acciperemus per fidem.

F Tacitè occurrentem soluit obiectionem. Abraham, dicet aliquis, propterea ex fide iustificatus est, quòd quum ante legem esset, non erat sub iugo legis: credimus itaque fidem iustificare, at eos tantùm qui non fuerunt tempore legis, quẽadmodum & Abraham, nos verò qui iam sub legem fuimus, si ipsam soluerimus, soláque fide cõtenti fuerimus, quis redimet ab execratione legis, quum scriptum sit: Execrabiles sunt qui non manserint in lege. Hoc igitur soluit, ostendẽs quòd Christus sui execratione, nos à legis execratione redemerit. Bene autẽ dicitur redemisse. Dato enim precio sic vt ipse fieret execratio, redemit nos à legis execratione. animaduerte autem. Eramus execrationi obnoxij, eo quòd non compleremus legem: Christus ei obnoxius nõ erat, eo quòd ipsam compleuisset: & tamen execrationem suscepit, cui nõ erat obnoxius, quum suspensus fuit in ligno vt execrationẽ

ſolueret, quę aduerſum nos erat. Queadmodum ſi quis mor A
ti addictos redimeret, ipſe ferens mortem quæ illis immineret. *Vt in Gentes.* Christus, inquit, ſpōte factus eſt execrabilis, vt in Gentibus, id eſt in his qui ſub lege non continebantur, contingerent quæ Abrahæ promiſsionem cōcernunt: contingerent autem per ipſum Chriſtum. Quomodo per ipſum? Quoniam ſemini Abrahæ dantur promiſsiones: ſemen autem eius eſt Chriſtus. Chriſtus itaq; quatenus eſt, & intelligitur homo, hæreditario iure accipiens promiſsiones, reliquo humano generi ipſas donauit, quòd in ſe crederet. *Vt promißionem ſpiritus acciperemus.* Vt hoc modo, inquit, ſpiritum acciperemus. Etenim execratio quidem cruce ſoluta eſt: per fidem autem quę in Chriſtum eſt contingit iuſtitia: ex iuſtitia verò aſcitus eſt ſpiritus paracletus. Nam & ſpiritus in promiſsione erat. Dicendo enim: Per te bene- B
dicentur omnes gentes, per ſpiritus ſuperuentionem promiſit benedictionem.

CAPVT VII.

*Quòd non ex lege ſint bona, ſed ex promißione: lex uerò præparatiua ſit per redargutionem.*

FRatres ſecundum hominem dico. Hominis licèt ſit teſtamentum, ſi tamen ſit confirmatum, nemo reiicit, aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit: Et ſeminibus tanquam de multis: ſed tāquam de vno: C
Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autē dico: teſtamentum ante cōprobatum à deo erga Chriſtum, lex quæ poſt annos quadringentos, & triginta cœpit, nō facit irritum, vt abroget promiſsionē. Nam ſi ex lege eſſet hæreditas, non iam ex promiſsione. Atqui Abrahæ per promiſsionem donauit deus.

Quoniam & ex ſignis quæ apud ipſos facta erāt, & ex ſpiritus ſancti deſcenſione, & ex morte Chriſti, & ex eo quòd Abraham ſaluus factus fuiſſet, demonſtrauit quòd fides ſaluet, & non lex: nunc ab humano exemplo conatur hoc ipſis

D persuadere : Nam quòd ait Secūdum hominem, idem est q humano sermone & exemplo. Bene autem vocat fratres, quos prius stultos appellauit. Oportet enim nunc quidem asperè perstringere, nunc verò dulcem esse. *Hominis confirmatum testamentum.* Animaduerte quid per testamenti exemplum velit adstruere. Promisit, inquit, deus Abrahæ, q per ipsius semen benediceret gentes: Semen autem Abrahæ, iuxta carnem est Christus. Lex data est post annos quadringentos triginta. Si igitur lex, inquit, donaret benedictiones & iustitiam, promissio, ac testamentum dei factum ad Abraham irrita fierent. Deinde, hominis quidem testamentum nemo reiicit, aut spernit, Dei autem testamentum

E fiet irritum? Idque postquam multo tempore robur habuit, nempe post annos quadringentos triginta. Si nanque promisit testamentum benedicere per Christum, lex verò pro Christo benedicit, certè irritum redditur testamentum dei,

Pho. factum ad Abraham. Et *rectè ait Confirmatum.* Siquidem iuramento confirmatum erat. Rectè autem ait Confirmatum: nam id quod ratum non est adhuc mutatur: quemadmodum & ipsa lex in euangelium. ἐπιδιατάσσεται, id est superaddit. *Dictæ sunt*, hoc est promissæ. *Hoc autem dico, testamentum.* Declarationis gratia repetit sermonem. *A deo erga Christum.* Ad Christum enim vergebat promissio. Dixit nanque per semen ipsius benedicēdas esse gentes. Siquidem hoc designat ἐν σοὶ, id est, in te vel per te. Semen autē Abra-

F hæ iuxta carnem erat Christus. *Quæ post annos quadringen-*

Gene. 12. 21. 25. 50. *tos & triginta.* Quadringenti & triginta anni hoc modo colligūtur. A septuagesimoquinto anno Abrahæ vsque ad centesimum (quo natus est Isaac) numerātur anni vigintiquinque, Isaac anni septuaginta (quum ei natus est Iaacob.) Anni Iaacob nonagintaquinque (quum genuit Ioseph.) Anni Ioseph, centum decem. Anni in Aegypto transacti centum quadragintaquatuor (à morte Ioseph, idque secundū translationem septuaginta interpretum, vt patet Exodi duodecimo.) *Nam si ex lege est hæreditas.* Ipse id interpretatus est. Si enim per legem venit benedictio & non per Christum, abrogata & extincta est promissio & testamentum dei. *Per promißionem donauit.* Benedictionem, inquit, per promissionem donauit deus & non per legem.

*Quatuor has parentheses addidimus maioris elucidationis gratia.*

Quid igitur lex? Propter transgressiones addita fuit donec veniret semen cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu mediatoris, mediator autem vnius non est, at deus vnus est. A

Quid igitur lex? Tanquam ex obiectione sibi dictum esset: Cur ergo data est lex, si ad hæreditatem introducere non potest? *Propter transgreßiones.* Non frustrà, inquit, data est, sed ne transgresio fieret beneplaciti dei, vt vel pauca aliqua delicta prohiberet. *Addita fuit.* Rectè ait: Addita fuit. Vt ostendat legem non esse primum exemplar, quémadmodum sunt promissiones, sed datã ex aliquo post quod successit. *Donec veniret.* Sed non in sempiternum, inquit, data est lex, sed interim dum veniret Christus, cui promissum fuit quòd benediceret omnes gentes. *Ordinata per angelos.* Data est lex ordinata, hoc est administrata & statuta per medios angelos, id est per sacerdotes, aut verè per angelos. In manu, inquit, mediatoris data est, hoc est Christi. Vult enim ostẽdere & legem sub Christo datã, vt ipse quoque potens esset ad tollendum: nam is qui dedit, etiam auferendi potestatem habet. Mediatorem autẽ vocat Christum, eo quòd intercesserit inter patrem & homines tanquam ad amicitiam. Et vt conciliaret nos apud deum, qui facti eramus inimici. *In manu mediatoris.* Mediatorẽ hic dicit Christum, ostendens quòd ipse quoque legẽ prius dederit. *Mediator autem unius non est, at deus unus est.* Mediator, inquit, duorum aliquorum fit mediator. Cuius ergo mediator est Christus? Certè & hominum & dei. Vides quomodo ipse ostendat quòd ipse quoque legem dederit, & potens sit rursum etiam soluere? *Mediator autem unius non est.* Dicit ergo quòd Moses quidem mediator fuerit ad dationem legis, sed vni soli genti mediator fuit: oportet autem eum qui verè mediator futurus est erga vnum deum omnium gentium, creari non super mediationem vnius gentis, sed omniũ gentium: quandoquidem etiam omnium gẽtium vnus est deus. Hunc autem esse oportet non nudum hominem, qualis erat Moses, sed Christum filium dei, qui idem simul verè deus est & verè homo: & cognatione quam ad vtrunque habet, vtrunque in seipso coniungit. Ipse siquidem est pax nostra

B

Iohan. C

Genna.

Ephe.2.

D qui fecit ex vtrisque vnum. *Vnius non est*. Non enim fuit vnius mediator, sed dei & hominũ. Si autem ipse mediator fuit, ipse quoq; saluabit. *At deus unus est*. Quòd si omnino necesse est mediatorem inter duos aliquos aut plures inter se dissidẽtes esse mediatorem, deus autem vnus est, planum est quòd inter deum & homines fuerit mediator, & nos illi conciliauerit. Si igitur Christus & non lex conciliauit nos, manifestum est quòd Christus & fides in Christum saluat, & non lex. ALIVD. Deus autẽ est qui & legem dedit & euãgelium, & mediator fuit ac reconciliauit patri: hoc est, ipse est qui est Christus. Quanquam enim duo sint inter quos fit mediatio, vnus tamen est mediator, & vnus esse debet.

Pho.

Lex igitur num est aduersus promissiones dei? E Absit. Etenim si data fuisset lex quæ potuisset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed cõclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Si enim promissiones benedicebant, lex autem execrandos facit: ergo lex aduersus promissa dei data est: hoc est, ad impediendum ipsa ne benedicerent. Hanc itaque soluit obiectionem, & per consequentiam, & per negationem dicendo Absit. ALIO MODO. *Lex igitur num est aduersus promissiones dei?* Obiectionem diluit. Diceret enim quidam quòd lex abripuerit iustificationem promissionum, & fuerit aduersus illas: Sed absit. Etenim si potuisset viuificare, meritò putare posset aliquis quòd aduersus promissiones constituta fuisset, & illarum iustificationem subripuisset, tanquam ipsa potens iustificare. Verùm quoniam nihil huiusmodi facere potest, neque viuificare, neque iustificare, certè non est data aduersus promissiones: hæ enim propriam exhibent iustificationem, saluando & iustificando eum qui est in fide. Et consydera sapientiam. Nam id quod alius quispiam assumeret ad legis calumniam, putà quòd non viuificat, neque iustificat, hoc ipse ad defensionẽ accusationis & in encomium constituit. Nam propter hoc, inquit, lex non fuit aduersus promissiones, quòd neque saluare neque iustificare potuerit: non solùm autem nõ fuit aduersus illas, verumetiam quodammodo cooperata est, & subministrauit illis:

Pho.

F

ex eo enim quòd nec saluauit nec iustificauit, ad fidem confugere adhortata est: ex eo autem quòd ad fidē remisit, cooperata est vt complerentur promissiones. *Etenim si data fuisset lex quæ potuisset uiuificare.* Nam si lex, inquit, vim habuisset ad saluandum, nulla fuisset fidei necessitas: sed propterea non potuit viuificare vt fides locum haberet, sed tantùm præmundabat ac viam commonstrabat in morem pædagogi, & capaces nos reddebat, ac fidei susceptiuos. Quomodo ergo aduersus promissa dei fuisset, quæ viam præstruebat promissionibus. Non ergo possibile est aut rationabile, videri datam fuisse legem ad benedictionum sublationem. *Verè ex lege esset iustitia.* Nunc autem ipsa, inquit, non potuit vt fides posset. *Sed conclusit.* Hoc est veluti concludi, & coarctari omnes permisit deus in peccatum variis modis, per suos sermones ac dispositiones. Hęc enim fecit scriptura, vt fides quæ per Christum est, locum haberet. Siquidem lex dum non seruabatur, hominibus ostendebat quòd peccatores essent: verùm edoctos non liberabat à peccato, vt ad manifestatam fidem accederent, dum à peccato liberari vellent. Hoc autem totum factum est, inquit, vt promissiones quæ ad Abraham factæ sunt, nempe quòd benedicerentur omnes gentes per fidem in Christum, darētur ipsam suscipientibus. *Sed conclusit scriptura.* Lex, inquit, veluti comprehendit ac conclusit omnes sub peccatum siue peccatores ostendit. Quomodo? Quia dixit, Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt, vt faciat ea: hoc autem erat impossibile. Non solùm enim nō omnes præstabant omnia, imò neque aliquid ipsorum omnia præstabāt, sed vix ij qui inter eos magis insignes erant, plura ex illis præstabant: Itaque quum non omnia facerent, ipsi quoque sub execratione & peccato erant. Omnes igitur conclusi erant sub peccato: ideo sola fide potuerūt assequi promissiones. Siquidē ex lege magis etiam ostensum est omnes impulsos fuisse in peccatū. Arguit diuina scriptura ac cōuicit, & eos qui fuerunt ante legem, & eos qui fuerunt sub lege: illos quidem tāquam legis naturæ transgressores, hos autem tanquam Mosaicæ. Antidotum autem & his & illis attulit, promissam videlicet salutem per fidem. Rursum enim posuit Conclusit, pro Arguit & conuicit.

A

B

C

Theod.

D Cæterùm priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebantur concluſi in eam fidem quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, vt ex fide iuſtificaremur. At poſtquam venit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus. Omnes enim filii eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.

*Priuſquam ueniret fides.* Etenim non vulgarem præbebat ſecuritatem per hoc quòd à pluribus coerceret peccatis. *Concluſi.* Seruati, inquit, & cuſtoditi ad futuram fidem. Quomodo? Lex enim arguebat & conuincebat noſtra delicta: verùm quũ liberare non poſſet, nihil aliud agebat quàm vt promptiores ad manifeſtatam accurrerent fidem, quò à peccatis liberarentur. *In eam fidem quæ erat reuelanda.* Manifeſtauit quòd in ſuperioribus fides in Chriſtum reuelata fuerat, ſed nunc facta eſt hominibus manifeſta, quãdo & incarnatio. *Itaque lex pædagogus noſter.* Viam ſcilicet præſtruens fidei quæ in Chriſtum eſt, notificando quidem nobis peccata: & promptos reddendo vt ad manifeſtatam fidem & ad remiſsionem accurrerèmus. Itaq; non eſt lex fidei contraria. Neque enim pædagogus cõtrarius eſt præceptori, ſed eadem cum illo vult, & prædocet aliquantum diſciplinas. *Fuit ad Chriſtum.* Quemadmodum enim pædagogus primùm inſtruit pueros vt ad præceptores tranſeuntes ſint magis dociles, & illorum doctrinas ſuſcipiant: ita & lex quę hoc primùm nobis demonſtrauit: noſſe videlicet quòd peccaremus, nihil aliud quàm paratiores reddebat, vt ad Chriſtum apparentem accurreremus, concupiſcentes liberationem à peccatis, quæ per legem nobis manifeſtata erant. Conuenientiſsimè igitur inductum eſt ab Apoſtolo pædagogi exemplum. *Vt ex fide.* Quum enim peccata reprehenderet, nec iuſtificare poſſet, ad Chriſtum nos tranſmiſit. *At poſtquam uenit fides.* Quæ poſtea dabat perfectionem & adoptionem. *Non amplius ſub pædagogo ſumus.* Quum enim paruuli eſſemus, oportebat ſub pædagogo degere: non autem quum perfecti ſumus: Perfectionis enim indicium eſt, adoptatos eſſe à deo in filios. *Per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Literæ enim ordinatio talis eſt vt τὸ, διὰ τῆς πίστεως ἐν

χριστῷ ἰησοῦ, id est, per fidem in Christo Iesu, ponatur pro τὸ, A
διὰ τῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ πίστεως, id est, per eam quæ est in Christo
Iesu fidem. Aduerte autem ꝙ quum primùm filios Abrahæ
dixisset per fidem, nunc dicit filios dei.

Nam quotquot in Christũ baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neq; Græcus. Non est seruus neque liber. Non est masculus nec fœmina. Omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu. Quòd si vos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis iuxta promissionem hæredes.

Quoniam magnum est ꝙ dixit nos filios dei electos, dicit & modum quo facti sumus. Debuisset autem quãtùm ad B
propositam sententiam dicere, Quotquot in Christum baptizati estis, filij dei facti estis: hæc enim est consequentia. Verùm nunc etiam modo magis efficaci idem dixit. Nam si Christum dei filium induimur, & tanquam ipsius imaginem vestimus, manifestum est ꝙ etiam filiationis ipsius participes simus: quanquam ille hoc naturale habet, nos verò per adoptionem. *Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu.* Ex eo videlicet ꝙ vos vnam figuram vnámque formam induti estis, nempe quæ Christi est: & vnum caput habetis, videlicet ipsum, & omnes in vnũ corpus consummamini. *In Christo Iesu*, inquit. Nam per eum habemus ipsum esse per crucem eius & mortem ac charitatem. *Quòd si uos estis Christi.* Quòd si vos Christi forma & corpus estis, meritò Abrahæ C
semen estis. Quoniam enim prius dixit ꝙ Christus Abrahæ semen esset iuxta carnem (ipsi ergo semini Abrahæ datæ sunt promissiones, id est, Christo) idem nũc repetit. Si estis, inquit, corpus Christi, & semẽ Abrahę estis, & hęredes promissionis quę data est semini ipsius: Christus, inquit, horum nobis autor est, qui nos sibiipsi corpus aptauit, & propterea quoq; in semen Abrahæ induxit, non autem lex.

## CAPVT VIII.

*Quòd hi qui in lege erant, fuerint creaturæ obnoxij.*

DIco autem quandiu hæres puer est, nihil differt à seruo quum sit dominus omnium, sed Cap. 4.

D ſub tutoribus & actoribus eſt vſque ad tẽpus quod pater præſcripſerit. Sic & nos quum eſſemus pueri, ſub elementis mundi eramus in ſeruitutem adacti.

Quare nihil differt? Quia ordinatum fuit à patre, vt nihil gubernet vſque ad legitimam ætatem. Rectè autem adduxit pueri exemplum. Quemadmodum enim ille quum omnium ſit dominus, propter pueritiam tamen prohibetur obtinere quæ ſua ſunt: ita & nos, eo quod nos olim pueri eramus, prohibebamur dei adoptionem ſuſcipere. *Quum eſſemus pueri.* Pueri (inquit) non ætate, ſed cognitione dei: oſtẽdens quòd deus quidem hæc ab initio donare voluiſſet, nẽpe adoptionem, ſed nos dilationis cauſſa eramus, quum mente pueri eſ-

E ſemus. Relicti itaque ſumus dei permiſsione, vt ſeruitute ſubiiceremur elementis, hoc eſt, circũlationi Solis ac Lunę: nã in ſeruitutẽ adacti eramus ſabbathis & neomeniis dierũq; obſeruationibus, quæ ſecũdum legem obſeruabãtur.

Theod. Maxima, inquit, in parte Soli & Lunæ ſubiecti fuimus, à quibus dies habentur & neomeniæ & ſabbatha. Volens autem quæ in lege erant plurimùm deprimere, non dixit, Sub legem eramus in ſeruitutẽ adacti, ſed, Sub elementis. Vt pueri, inquit, & imperfecti eramus, ac veluti quendam procuratorẽ & œconomum habebamus legem (nam elementa mundi dixit legales obſeruationes) quandoquidem à Sole & Luna dies vocantur, à diebus verò hebdomades ac menſes anniq; conſtituuntur: lex verò ſabbatha & neomenias, annuáque

F feſta & annorum hebdomadas obſeruare iubebat: hac cauſſa dixit, Sub elementis adacti in ſeruitutem: quoniam ex his quoque tempus conſtituitur.

Gẽnadij. *Sub elementis mundi.* In ſimilitudinem procuratorum & œconomorum, qui imperfectos per ætatem inſtruunt ac moderantur ad id quod expedit, mundi accepit elementa, quibus in ſeruitutem redacti eramus propter cognitionis imperfectionem. Nequaquam igitur, vt opinor, Solem & Lunam in ordinem procuratorum redegit, propterea quòd inutile eſſet his eſſe ſubiectum: ſed elementa mundi dicit, aut elementarem & introductiuam legem (Scribebat enim credentibus è Iudæis, & ſignificat tum ea quæ paulò ſuperiùs dicta ſunt, tum quòd ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit) aut elementa vocat

dies, aquam & ignem, quorum erant obseruationes ex lege quæ in seruitutem adigebat: dierum quidem in sabbathis & neomeniis ac circũcisionibus, aquæ autem in purificationibus ac lotionibus, ignis verò in non accendendo sabbathis igne, sed edendis pridianis ac frigidis. Vide autem quid circa hoc admirandum dicat Eusebius quarto libro de præparatione euangelica. A

At vbi venit plenitudo temporis, emisit deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, vt eos qui erant legi obnoxii redimeret, vt adoptionem in filios acciperemus. Quoniam autem estis filii, misit deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius. Quód si filius, & hæres dei per Iesum Christum. B

*Cuius temporis uenit plenitudo*: Eius, inquit, temporis quo oportebat venire Christum. Definitum fuit enim tẽpus aduentus Christi à Daniele propheta, quod finem accepit sub Cæsaris Augusti imperio, quando & Christi in carne dispẽsatio mei principium sumpsit. *Factum ex muliere*. Propterea non dixit Factum per mulierem, ne existimes transitum duntaxat factum fuisse per dei matrem, sed ex muliere, ostendens dominum ab ea corpus sumpsisse. *Factum legi obnoxium*. Ita enim legi obnoxius factus est ꝙ etiam circuncisus est: vt eos, inquit, qui legi ac execrationi erant obnoxij redimeret, & per crucem, & ex eo ꝙ totum se legi subiecisset. *Vt adoptionem in filios acciperemus*. Non solùm enim à malis liberauit, à legis execratione absoluens, verùm adoptionem in filios etiam donauit. Dicens autẽ Acciperemus, ostẽdit ipsam antea fuisse debitam, sed nos non potuisse accipere propter mẽtis infantiam. *Quoniam autẽ estis filij, &c.* Et vnde, inquit, manifestum est ꝙ adoptionẽ in filios accepe rimus? Vnde? Ex adoptione spiritus qui descendit vt præpararet nos ac doceret (hoc enim indicat Clamantem) deũ vocare patrem: quod nequaquam fuisset, nisi adoptionem in filios accepissemus. Deinceps itaq; bono sis animo, ô homo: iam enim nõ es seruus, sed filius dei, hæréśq; ipsius. Per hoc C

D enim ꝙ carnem assumpsit naturalis ipsius filius, ac quicquid nostrum est gustauit, non est amplius seruus iugo legis obnoxius. An igitur absurdum non esset eos qui per Christum & per spiritum facti sunt filij, rursum ad legem reuerti? Et animaduerte trinitatis significationem. Pater emisit, filius carnem assumpsit, spiritus cooperatus est, qui in corda nostra ingressus docet nos dicere, Abba pater. *Et hæres dei per Christum.* Per crucem ac mortem ipsius.

Sed tum quidem quum ignoraretis deum, seruiebatis his qui natura non sunt dii. At nunc posteaquam cognouistis deum, quin potius cogniti estis à deo, quomodo conuertimini denuò ad infir-
E ma & egena elemēta, quibus iterum ab integro seruire vultis? Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Metuo de vobis ne quo modo frustrà laborauerim erga vos. Estote vt ego sum, quandoquidem & ego sicut vos.

Aduersus eos qui ex Iudæis erāt differit, ostēdens ꝙ dies obseruare & menses, & tempora, & annos, & ea quorum in lege obseruatio erat, idololatriæ est. Hoc enim nihil aliud est, inquit, ꝗ Solem ac Lunam adorare, ex quibus dies obseruationem habent. Ex abundanti autem hoc dixit, cupiēs vt à lege discederent. Prædicantes nanque circūcisionem, huiusmodi etiam obseruationes vnà prædicabant. *Quin po-*
F *tius cogniti estis à deo.* Non enim vos, inquit, proprio labore deum nacti estis, sed ipse vos in errore degētes attraxit? *Quomodo cōuertimini denuò?* Rursum de Sole, Luna & astris differit, à quibus erant dierum obseruationes. Egena autem & infirma appellat ipsa, vt quæ nullā habēt potentiā. Quod autem ait Denuò & Rursum, multā habent emphasim: Post
Cyrilli. adoptionem, inquit, & postquā à deo cogniti estis. Elemēta mundi vocat particulas totius vniuersi. Infirma & egena ipsa appellat, non propter abiectionem ipsorum. Quid enim cælo ac terra magnificētius? quid autem Sole, Luna & astris honorificentius aut splendidius? sed ꝙ intellectu careant &
Oecum. vita & sensu. Ex hoc manifestum est ꝙ non modò circuncisionem prædicabant pseudapostoli, verumetiam harum re-

rum obſeruationes: ſumpto quidem ex lege principio, verũ à lege aberrantes. *Metuo.* Aduerte pia viſcera. Illi fluctuãt, & Paulus metuit. Quod autem ait, Ne quo modo, ſignificat ipſos adhuc ſtare, & necdũ omnino naufragiũ feciſſe: & ſpẽ dat eis ꝙ ſi reſipiſcere velint, non fruſtrà erga ipſos laboratum ſit: acſi diceret. Mementote laborum ac ſudorum meorum erga vos, nec vanũ reddatis laborẽ meum. *Eſtote ut ego ſum.* Adhuc ad eos qui ex Iudæis erant ſermo eſt. Imitatores, inquit, mei eſtote, quia & ego relicta lege ad fidem accurri: quãdoquidem & ego ſicut vos eram, legem obſeruãs ac magnifaciens. *Quandoquidem & ego ſicut uos.* Vehemẽter & ego legem amabam, & videte quomodo commutatus ſim: hanc & vos, inquit, mutationem æmulamini. A

Fratres, rogo vos nihil me læſiſtis: Scitis autem quòd per infirmitatem carnis euãgelium prædicauerim vobis prius: & experimentum mei quod erat in carne mea, non fuiſtis aſpernati, ſed me velut angelum dei ſuſcepiſtis velut Chriſtum Ieſum. Quæ igitur erat beatitudo veſtra. Teſtimonium enim reddo vobis, quòd ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros effoſſos dediſſetis mihi. Igitur inimicus factus ſum vobis, vera loquendo vobis? Aemulantur vos non rectè: imò excludere vos volunt, vt ipſos æmulemini. B

Obſecratur eos, ſuam ducens ipſorũ ſalutem. Narrat autem eorum beneficia & honores quibus eum honorauerant, & ꝙ eum magnifecerint: id ſtabilire volẽs ꝙ ea quæ aduerſus ipſos nũc à ſe dicta ſunt opprobria, non ſint dicta ob inimicitiam aliquam aut odiũ: quî enim fieri poſſet, inquit, vt inimico animo me haberem erga vos, à quibus tãto in pretio habitus ſum? ſed ꝙ dicta ſint ab eo qui bona ipſis procuraret, eóſque diligeret. *Scitis autem ꝙ per infirmitatem.* Hoc eſt, cum imbecillitate & infirmitate carnea, nempe cum vinculis, plagis ac carceribus quæ ab his ſuſtinebam qui prædicationi aduerſabantur. *Euangelium prædicauerim.* Quid dico, inquit, Nihil me læſiſtis? imò magnum honorẽ erga me C

D demonstraſtis. Siquidem flagellatus & perſequutionem patiens (nam hæc dicit infirmitatem carnis) prædicabam vobis, & tamen quum me hęc pati videretis, neque offendebamini erga me, neque auerſabamini. Experimentum nanque mei, inquit, quod erat in carne mea non fuiſtis aſpernati: experimentum ac tentationem rurſum vocans plagas, carceres ac perſequutiones. *Sed me uelut angelum dei suſcepiſtis.* An igitur abſurdum non eſt, quum perſequutionem patiēs ac repulſus fuerim à vobis velut angelus ſuſceptus, imò velut ipſe dominus, auerſari nunc ſuadentem & adhortantem ea quæ ad ſalutem veſtram faciunt. *Quæ igitur erat.* Quæ erat, non interrogantis eſt, ſed velut admirantis & extollentis eam, quæ tunc erat, fidem ipſorum, & præmium illi repo-
E ſitum. Quæ erat, quanta erat, admiranda, inquit: à quāta beatitudine excidiſtis. Aut per interrogationem, Quænam erat? Mementote, ait, quanta fuerit beatitudo veſtra: plurimū enim beatificabam: nunc autem quid? increpo, propterea odio habeor. Quare autem increpo? Propter ſalutē veſtram. Quandoquidem niſi hoc eſſet, quomodo nullam aliam occaſionem vobis prębentibus, qui laudabam ac beatos pręcdicabam, ad vituperandum deſcendiſſem? *Beatitudo ueſtra.* Quæ erat, inquit, beatitudo veſtra, qua ego aliiq; multi beatificabamus vos propter obedientiam ac ſubiectionem euāgelij? Quænam igitur erat? inquit, nunc enim ipſam non video: vbi præclara fidei facinora? nam τίς, id eſt, quæ, pro Vbi poſuit. *Oculos ueſtros effoſſos.* Scio, inquit, quòd olim pro-
F priis oculis chariorem me ducebatis propter euangelium. *Igitur inimicus uobis factus ſum.* Aliam, inquit, non video odij cauſam, quàm quòd vera vobis & ad ſalutem ducentia tradam dogmata, propter quæ etiam adaugere vos dilectionem erga me oportebat. *Aemulantur uos.* Non ad bonum, inquit, finem eādem vobiſcum fidem in Chriſtum amplectūtur: ſed vt vobis ab hac excluſis, ſe ſequi perſuadeāt: quia ad veſtri duntaxat deceptionem huiuſmodi res ab ipſis excogitata eſt. *Non recte.* Eſt enim & rectus zelus quādo quis ita æmulatur vt imitetur virtutem. Eſt & zelus malus vbi quis ita æmulatur vt probum virtute deiiciat. *Sed excludere uos uolunt.* Excludere, inquit, & abducere vos à vera cognitione cupiunt: vt poſtea effecti magiſtri veſtri ad

eandem

eandem æmulationem vos adducant: propterea vos à vera A
cognitione abducunt, & ad legem ferunt.

Bonum est autē æmulari in re bona semper, & nō solùm quū præsens sum apud vos. Filioli mei quos iterū parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autē adesse apud vos nūc & mutare vocem meam quoniam inops consilii sum in vobis.

Vult ostendere quòd isti nunc ipsos peruertentes, & legi adhærere suadentes, & ex hoc efficere conantes sui æmulatores ac imitatores, olim ipsos æmulabantur in doctrina & cognitione euangelij quum præsens apud eos doceret Paulus. Bonum ergo est, inquit, non solùm in presentia mea, sed & semper, in eo quod bonum est æmulari. Ostendit autem B
propter sui absentiam fuisse seductos. *Filioli mei.* Quanquā corruperitis, inquit, formam Christi & imaginem quæ erat in vobis, tamen adhuc filioli mei estis. Filiolos autem dicit pusillos & necdum in lucē genitos, aut infantes abortiuos & generatione egentes. Propterea non dixit filij, sed filioli mei. *Donec formetur Christus in uobis.* Corrupistis, inquit, imaginem Christi in vobis, qua induti eratis in baptismo (Nā quotquot in Christū baptizati estis Christū induistis) *Suprà 3.*
& formam ipsius, vtq; mēbra eius sitis perdidistis: opus est igitur altera generatione, qua rursum imprimatur vobis diuina Christi forma. Quid ergo? Iterū vos parturio per doctrinam. Denuo genero per instructionem donec rursum im C
primatur in vobis diuina Christi forma. Quid itaque dicūt ad hæc Nouatiani? Ecce enim planè credētibus, ac fidelibus ista scribit. Quos parturio donec magni ac eximij characteres diuinitatis Christi in mentem vestram formentur. *Vel* Coryl.
*lem autem adesse apud uos.* Consydera vim amoris. Mihi, inquit, non faciūt satis literę: ipse adesse vobis cuperē, & immutare lamentis ac questibus verborū doctrinam quā verbis nunc trado, sicut vos per lamenta docui. Etenim hæsito quid dicam de vobis. Vnde accidit, vt quū adeò sublimati essetis cognitione euangelij, nūc deiecti estis ac humi detracti, rursum legi adhærentes? Et *mutare uocem meam.* Horum quidem imitationem ac degenerationem lugere, illorū verò firmam perseuerantiam admirando collaudare.

D

CAPVT IX.

*Quòd eos qui per naturalem Abrahæ uxorem filiúmque legitimum figurati fuerunt, non oporteat legi seruire*

DIcite mihi qui sub lege vultis esse, legem non auditis? Scriptum est enim quòd Abraham duos filios habuerit, vnum ex ancilla & vnum ex libera. Verùm is qui ex ancilla erat, secundum carnem natus est: qui verò ex libera, per repromissionem: quæ per allegoriam dicuntur.

Gene. 16. & 21.

Respódete, inquit, mihi qui sub lege esse vultis. Bene autem dicit, qui vultis: iam enim importunæ contentionis res ipsorum erat. *Legem non auditis?* Quid enim dicit de seipsa? E Nam Genesis profert testimoniũ: id enim ferè obseruat vt totum vetus instrumentum legem appellet. Legem non auditis siue Geneseos librum? Et vide quid paret. Si legem, inquit, audire vultis, discedite à lege: nã ita ipsi parebitis. Eadem lex à lege ipsa suadet separari, si nostis quæ in ea continentur. Si ergo obtẽperatis ipsi, discedite ab ipsa. Animaduerte autẽ probationem. *Abrabam duos filios babuit.* Ostendere vult eos qui carnali cognatione semẽ sunt Abrahæ, népe Iudæos, iuxta carnem esse propinquos: eos verò qui per fidem ad Abrahæ semen inducuntur, id est Christianos, iuxta promissionem esse semen Abrahæ. Verùm tunc quoque F eiectus est, inquit, Ismael qui secundum carnem filius erat, sicut & nunc Iudæi qui iuxta carnem cognati eius sunt. Filium verò iuxta promissionem Isaac in domo manere dicit, sicut & nunc Christianos qui iuxta promissionẽ cognati eius sunt. Vides quòd lex nouerit illorum eiectionẽ qui sibi soli hærerent, hoc est Iudæorũ? *Verùm is qui ex ancilla erat.* Meritò Ismaelem dicit secundum carnẽ fuisse: lege enim naturę carnis natus est. Isaac verò nõ lege carnis (Quo modo enim generare potuisset qui centum erat annorum?) sed per solam promissionem. Ne ergo id vos inflet quòd iuxta carnem Abrahæ cognati sitis, sed magis hæc persuadeat quòd nisi efficiamini secundum promissionem Abrahæ, id est, Christi membra, & vnum cum ipso corpus (nam hic est, ex promissione Abrahæ) extra promissionem estis.

Pho. *Quæ per allegoriam dicuntur.* Hoc est, figuræ erant duorum

futurorum testamẽtorum natiuitates horum duorum filiorum. Non enim solùm ea quæ videntur, sed & alia quoque prædicunt illi partus: id nanque est quod ait, Per allegoriam dicuntur: hoc est alio modo intelliguntur. Non enim historiam accepit, sed ea quæ in historia præfigurata sunt docet. Siquidem subiungit. A

Nam hæc quidem sunt duo testamenta: vnũ quidem in monte Sina in seruitutem generãs quod est Agar. Mons enim Sina Agar dicitur apud Arabes: confinis est autem ei quæ nũc dicitur Ierusalem, & seruit cum filiis suis. At quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Scriptũ Iesa. 54. B
est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam plures erunt filii desertæ quàm eius quæ habet virum.

Sina mons est in Arabia, in qua lex data est Mosi. Vicinus est autem Ierosolymis. Qui ipse mons Sina Arabum lingua vocatur Agar. Et hoc modo, inquit, Agar & Sara figuræ erant duorum testamentorũ: Ancilla quidem veteris instrumẽti, etiam ob id quod ipsum testamentum seruos legis generat: libera verò figura erat noui testamenti, quia liberos à iugo legis parit. Quia Sina, inquit, mons vbi lex data est, vicinus quidem est Ierusalem: lingua autem Arabum eiusdem nominis est cum Agar ancilla, ipse quoque appellatus Agar, C
ita vt etiam ex nomine figura accedat ad veritatem. *In seruitutem generans*. Legis videlicet. *Quod est* Agar. Quod, inquit testamẽtum Agar figuram habet: idque hoc modo. Sina enim Arabum lingua Agar vocatur. *Confinis est autem*. Hoc est, attingit aut proximus est. Ei *quæ nunc dicitur* Ierusalem. id est, ei quę hic est in terris. Itaque à superna illa & libera, ambo loca dissident. *Et seruit*. Hoc, inquit, vetus instrumentum quod in monte Sina datum est, seruit cum filiis suis Iudęis: seruit autem legi. *At quæ sursum est* Ierusalem. Typus quidem Agar in his consistit. Ecce autem & typus Saræ. Eius autem typus est superna Ierusalem, id est cælestis: nam illa ciuitas fidelium libera est ab obseruationibus

D quæ in lege erant,& est mater nostra, inquit. Itaque Agar quidem veteris instrumenti ac Iudæorum explet figuram: Sara verò noui ac nostrũ omnium. Supernam autem Ierusalem vocauit etiam ecclesiam. Scriptum est enim. Et ita, inquit, Sara figura erat supernæ Ierusalem, hoc est ecclesiæ: quia & ipsa sterilis & absque liberis, vt quōdam ecclesia ex Gẽtibus, superauit in semine siue prolis multitudine ipsam Agar,& ecclesia superauit synagogam. Et horum testis est Iesaias, dicens: Lætare sterilis quæ non paris. Ecclesiæ ex Gẽtibus congregatæ iubet Iesaias vt præ lætitia vociferetur.
E Rumpe autem, vel sterilitatem in partum, vel, in vocem lætitiæ erumpe. *Quoniam plures erunt filii desertæ.* Desertam ac sterilem vocat ecclesiam ex Gentibus. Siquidem deserta erat & carens omni bono priusquam in Christum crederet. *Quàm eius quæ habet uirum* Habentem virum siue directorem, gubernatorem ac prouisorem vocauit synagogam Iudæorum: aut tanquam legem habentem, aut tanquam olim dei prospectione fruentem.

Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum, ita & nunc. At quid di-
F cit scriptura? Eiice ancillam & filium illius: nõ enim erit hęres filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ. In libertate ergo qua Christus nos liberauit state & ne rursum iugo seruitutis implicemini.

Non tantùm sterilis erat ecclesia quemadmodum Sara, nec solùm postea multam habuit prolem vt illa: sed & generauit sicut illa. Sara nãque non lege naturæ peperit, sed gratia diuina: neque ecclesia lege naturę generat in lauacro baptismi, sed gratia diuina. Vides quomodo figura per omnia correspondeat veritati? *Secundum Isaac.* Non enim secundum naturam sed secundum gratiam nati sumus, velut Isaac per promissionem. Neque hoc nos angat, quòd fi-
Theod. deles ab infidelibus vexantur. Tale enim quippiam in fi-
Gene.21. gura quoque inuenimus, sed ille nequaquam præualuit ad-

uersus Isaac. Iuxta imitationem, inquit, Isaac ex promissione nati sumus. Quum itaque ex libera simus, non debemus legi Mosis seruire. *Sed quemadmodum tunc.* Etiam ex eo ꝙ fideles persequutionem sustinebāt à Iudæis (nam tunc persequutionem sustinebant) ostendit figuram quoque veritati respondere. Etenim Ismael qui secundum carnem natus erat, persequebatur Isaac qui secundum spiritum & promissionem genitus erat. *At quid dicit scriptura?* In superioribus ad partis illius declarationem, Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non auditis? diximus hoc probare Paulū, quòd ipsa quoque lex, id est vetus instrumētum, antea præceperit legem ac iudaismum relinquere: & ecce iam id ostēsum est. Nam posteaquam Agar & Ismael typus erat Iudęorum ac veteris legis: Sara verò & Isaac fidelium ac noui testamenti: in ipso autem veteri testamento eiecta est Agar & Ismael (nam eiice, ait, ancillam & filium illius:) certè in ipso quoque veteri testamento antè descripta erat eiectio Iudæorum. Vides ꝙ non oporteat legi adhærere, quum eiecti sint qui sub ipsa obedientes erant? Ecce ipsum etiam vetus instrumentum suasit in virtute legi adhærendum non esse, per hoc quod eiecti sint hi qui soli huic assentiebant, nempe Iudæi. Si enim oportuisset semper assentiri legi ac veteri testamento, nequaquam eiecta fuisset Agar cum filio suo, qui erant typus Iudæorum, solo Isaac hæreditatem accipiēte qui erat typus Christo credentium. Et rursum non ob id solùm eiectus est ꝙ persequutionem inferret, verumetiam ne particeps fieret hæreditatis. *Itaque fratres non sumus ancillæ filij.* Si ergo non sumus ancillæ filij neque serui, quomodo seruituti legis nosipsos subiicimus? Non sumus autem, quia nostri figura non erat Agar, sed Iudæorum. Nam Sara nos figurabat. *In libertate qua Christus nos liberauit.* Lex seruituti subiiciebat, Christus autē ab execratione legis nos liberauit. Oportet itaque stare in libertate à Christo data. Dicens autem State, indicat eos vacillare. *Et ne rursus iugo.* Rursus significat illorum insensibilitatē. Porrò dicendo Iugum, significat grauitatem seruitutis legis.

## CAPVT X.

*Quòd nostri uocatio subiecta non sit circuncisioni ac legi propter Christi paßionem.*

Cap. 5. D ECce ego Paulus dico vobis, ꝙ si circuncidamini. Christus vobis nihil proderit. Contestor autem omnem hominem qui circunciditur, ꝙ debitor sit totius legis seruandæ: soluti estis à Christo, quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu, neque circuncisio quicquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Currebatis bene, quis vos im-
E pediuit, vt non crederetis veritati? nempe persuasio non ex eo profecta qui vocabat vos.

*Ecce ego Paulus.* Nominis sui autoritate, loco cuiusuis demõstrationis vsus est. *Christus uobis nihil proderit.* Quãobrem? Quia is qui circũciditur, manifestè videtur cõtemnere Christi gratiam, credẽs se à lege saluum futurum. Qui ergo Christo nõ credit, ipse ab eo saluari non potest. *Quòd debitor sit totius legis seruandæ.* Præter hoc, inquit, ꝙ in nullo iuuantur à Christo, quod ipsum mille gehennis miserius est, id quoque accidit, quod huiusmodi addiderunt sibiipsis. Qui enim in vno aliquo legem obseruauerit, necessitatem sibi inducet in omnibus eam seruandi: quandoquidem
F omnia mutuo se sequentur tanquam connexa. Quid autem grauius legalibus obseruationibus? *Soluti estis à Christo.* Amputati estis, excidistis ab ipso: nullam vobis adferẽt deinceps vtilitatem, quæ Christi sunt, & gratiæ ipsius. *Quicũque per legem iustificamini.* Hoc est iustificari studetis: tanquã diceret: Qui studetis ex lege iustificari, à gratia excidistis, & nec à lege iustificamini. *Nos enim spiritu.* Nos, inquit, fideles non expectamus ex lege saluari, sed per superuentionem spiritus sancti. *Spem iustitiæ expectamus.* Per gratiæ potionem saluari expectamus. Bene autem dicitur, Ex fide. Nam oportet nostram adferre fidem, & ita per spiritum accipere iustitiam. *Neque circuncisio quicquam ualet.* Circuncisionem dicit † non quæ suscipiebatur ante fidem. Ac si diceret: Qui nomen dant in nouo testamento, nihil nocumenti ex præputio accipient, quemadmodum neque vtilitatis

† ἀν τὴν πρὸ τῆς πίστεως οὐ-

vel adiumenti ex circuncisione. *Sed fides quæ per dilectionem operatur.* Neque enim satis est Christo credidisse, sed oportet hanc operari, & custodiri, & veluti excitari per dilectionem erga Christum. His autem indicatur, quod qui crediderunt, sed nõ diligunt Christum, ad legem transfugiunt. *Quis uos impediuit.* Quòd ait Quis, non est interrogantis, sed deplorantis, ac si diceret: Pertigeratis ad perfectionem, quid actum est? quis tantùm potuit, vt impedimento vobis esset, ne veritati euangelij pareretis? *Persuasio nempe.* Hoc est, quia paruistis dicentibus vobis, vt circunci deremini: *Non ex Christo profecta, qui uocabat uos ad suam fidem.* Tanquam diceret: Non ideo vocati estis à Christo, vt his obtẽperetis, qui talia suadent. Dei nanque proprium est vocare, audientium verò obtemperare.

A *ɛὐκ, sed arbitror negationem ɛὐ, malè addi.*

Paulùm fermenti totam cõspersionem fermentat. Ego confido de vobis per dominum, quod nihil aliud sentietis. Cæterùm qui conturbat vos, portabit iudicium quisquis fuerit. Ego autẽ fratres, si circuncisionem adhuc prædico, cur adhuc persequutionem patiar? Abolitum est igitur offendiculũ crucis. Vtinam etiã abscindantur, qui vos labefactant. B

Ne dicant, Quamobrem adeò nos obiurgas, qui vnum duntaxat legis præceptum obseruemus? ait. Vnum? & quid hoc ad rem? Paulùm fermenti totam conspersionem fermẽtat. Quemadmodum enim illud miscet totam conspersionẽ, ita & vos circuncisio ad integrum referet iudaismum, nisi corrigamini. C Ego *confido de uobis per dominum.* Audaciam, inquit, sumo de vobis, & per dominũ sumo audaciam quòd corrigemini, & nihil sentietis præter doctrinam meam. Id autem dehortantis est. *Cæterùm qui conturbat uos.* Vos quidem mutabimini, attamen non ob id supplicium euadent, qui vos ad hoc adducunt, sed tolerabunt, ac sustinebunt hoc supplicium. *Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico.* Quoniam conuitia iactantes in illum dicebant: Hypocrita est, alibi quidem circuncisionem prædicat, alibi verò non, ait: Persequutionem à Iudæis patior, idque vobis notum est: si ergo circuncisionem prædico, superuacuum est

D quòd me persequebantur. Quid ergo? An non circũcidit Timotheum? Sed hoc dispẽsatione quadam factũ esse dicimus vt facilè apud Iudæos susciperetur. Vide autem quòd nõ dixerit, Si circuncisionem exercui, sed si prædico. Non enim quod dispensatoriè, inquit, factum est in documentum accipias. *Abolitum est igitur offendiculum crucis.* Omnino, inquit, si circuncidi oportet, & hoc prędico, soluta est cõtentio Iudæorum, quæ erat aduersus crucem, & iam ipsis non est aduersus illam pugna. Nunc enim propterea crucem oderunt, quòd soluat circuncisionem ac legem. *Vtinam etiam abscindantur.* De vobis mihi cura est, de his autem qui vos labefactant, tanquam de his qui incurabiliter ægrotant, non amplius. Illi itaque non solùm circuncidantur, sed vtinã etiam
E seipsos execuissent. *Vtinam.* Vtinam, inquit, seipsos amputassent, qui vobis circuncisionis adferrent imposturas.

CAPVT XI.

*Subscriptio libertatis quæ est iuxta spiritum.*

VOs enim in libertatem vocati fuistis fratres, tãtùm ne libertatem in occasionem carni detis: sed per charitatem seruite vobis inuicem. Nam tota lex in vno verbo impletur, nẽpe hoc, Diliges proximum tuũ sicut teipsum. Quòd si alius alium vicissim mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alius ab alio consumamini.

F

*Vos enim in libertatem.* Siquidem non amplius legi seruimus. *In occasionem carni* Quoniam & in præcedentibus & in sequentibus vocat libertatem, & quòd per Christum liberati sumus à lege: timuit ne existimarẽt solutum esse iugum legis, ac deinceps licere quæcunque velimus agere. Hoc ergo corrigit, & ait, Ne abutamini libertate, vt etiam seruiatis carnis concupiscentiis. *Sed per charitatem.* Quoniam iugum legis abstulit, aliud imponit, nempe charitatis, leue ac fortius illo. Quòd autem ait Seruite, charitatis intẽsionem significat. Et rectè Vobis inuicem: nam ex ambitiosa principatus affectatione impudenter sese ipsis ingerebant, qui ad circuncisionem concitabant. *Nam tota lex.* Si omnino,

inquit, legem complere vultis, non in hoc vt circuncidamini, sed vt inuicem diligatis, ipsam complete. *Quòd si alius alium uicißim mordetis.* Mordere, quódque asperius est deuorare, dicit huiusmodi præcepta clàm immiscere. Neq; enim his dogmatis corpus tantùm cõsumitur, quantũ anima corrumpitur. *Videte.* Terrentis verbum est hoc. *Ne uicißim alius ab alio consumamini.* Nam hæc quoque dissensio vobis etiam concitantibus, potest nocumentum adferre. Verisimile est autem ipsum non de solis dogmatis hoc significare, verum etiam de rapinis & auaritia, aliísque iniustitiis. A

Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficiatis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autẽ inter se mutuò aduersantur, vt non quæcũque volueritis, eadem faciatis. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, cauillationes, & his similia: de quibus prædico vobis, quẽadmodum prædixi, ꝙ qui talia agunt, regni dei hæredes non erunt. B

*Spiritu ambulate.* Iuxta spiritum, inquit, & ea quę spiritui placent, degite ac viuite, & carnis concupiscentiam nequaquam expleatis. *Nam caro concupiscit aduersus spiritum.* Carnem hoc loco dicit carnales & prauas cõcupiscentias: spiritum verò, spiritus sancti gratiam quæ per virtutem est: & ait, Vitium quidem virtuti aduersatur, virtus verò, rursum aduersatur vitio, fungens vice cuiusdam pædagogi, nec sinens nos iuxta prauas nostras concupiscentias incedere. ALIO MODO. Aduersatur virtus vitio, ne irritante vitio, protinus dissoluta, frenóque carens voluntas carnalis, præcipitanter ad vitium feratur. Rursum aduersatur virtuti vitium, ne virtutis labor facilis omnino sit, & mercede careat, ac velut ex natura & necessitate consequutus, & tanquam sola cogitatione sine omni studio, aut certamine in opus de- C

D ductus. Ipse autem breuiter hoc ait, *Vt non quæcunque volueritis eadē faciatis*, neque mala, inquit, facilè & nullo prohibente: neque bona facilè, & omnino negligēter: Nam quę ita fiunt, ne bona quidem esse possent. *Quòd si spiritu ducimini*. Si, inquit, iuxta voluntatem sancti spiritus ambulatis non errabitis. Qui autem in nullo labitur, non eget lege, aut consilio quod à lege petatur. Cui verò lege non opus, neque sub lege est: quod etiam alibi dicit, Iusto non est lex posita. *Porrò manifesta sunt*. Tanquam diceret, Ex ipsis fructibus cognoscetis prauam & malam conuersationem. Rursum autem Carnis dicit, id est, corruptæ cogitationis, & terrenæ ac carnalis vitæ. *Opera carnis*. Manifestum est ergo quòd Carnem, dicat carnalem sensum, hoc est, inclinationem animæ ad deteriora, spiritum verò datam gratiam. *Immunditia, lasciuia*. Immunditiam ac lasciuiam dicit turpes stupri modos. *Inimicitiæ*, iniustæ videlicet: nam sunt & iustæ inimicitiæ, quæ propter fidem sumuntur. Si posibile est, inquit, quantùm in vobis est, cum omnibus in pace viuite: ita vt manifestum sit, interdum non esse possibile. *Aemulationes*. Neq; enim oportet æmulari, siue inuidere, sed gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. *Concertationes*. Hoc est, contentiones à lite ortæ. *Cauillationes*. Est autem κωμωδεῖν (vnde κῶμος, id est, cauillatio deriuatur) cum ebrietate aliorum opiniones cauillari. *Regni dei hæredes non erunt*. Regno interim omnes excident: erit tamen & suppliciorum diuersitas.

1.Tim.1.

E

Rom.12.

F

Contrà, fructus spiritus est charitas, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Aduersus huiusmodi nō est lex. Hi autem Christi carnem crucifixerūt cum affectibus, & concupiscentiis. Si spiritu viuimus, spiritu etiam incedamus. Ne efficiamur inanis glorię cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes.

Fructum dixit, & non opus, vt ostendat dei opus esse auxilio ad fructificandum. *Spiritus*. id est, ipsius paracleti: aut spiritualis, ac probæ vitæ. *Gaudium*. Gaudere in deo, est bonā habere conscīetiam: tales enim gaudent. *Aduersus*

*huiusmodi non est lex.* Siquidem qui talia operatus est, non opus habet legis moderatione, est enim sublimior, quàm sit illa. *Hi Christi carnem* Deinde ne dicant, Et quis ista facit? ait: Hi sunt qui hæc agunt, qui carnem Christi, id est proprium corpus (caro enim CHRISTI est nostrum corpus) crucifixerunt, & veluti mortificauerunt ab affectibus carnalibus. Nec solùm corpus quantum ad affectus attinet crucifixerunt, verumetiam affectus ipsos quantum ad hoc vt ab eis expleantur, crucifixerunt. Iuxta hanc interpretationem tanquam parelcon interponitur δὲ, id est autem. AVT ALIO MODO. Et quid singulatim, inquit, virtutum species recenseo? Sunt enim quidam qui seipsos crucifixerũt quoad affectus, & affectus quoad seipsos. Iuxta hanc interpretationem δὲ non est parelcon, sed sensus est οἱ δὲ τοῦ χριστοῦ, id est, qui verò tendunt ad Christum suam carnem crucifixerunt. Ita interpretatur Clemens quinto informationum libro. Potest etiam οἱ δὲ intelligi vt significet Hi autem, Hi autem sunt quos dixi qui Christi carnem crucifixerunt, &c. *Si spiritu uiuimus.* Debemus igitur & nos iuxta spiritus voluntatem viuere vt semel crucifigamus carnem nostram. *Spiritu etiam incedamus.* Hoc est sufficiat nobis data à spiritu sancto gratia & non quæramus per legem saluari. *Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Id enim omnium est causa malorum. *Inuicem nos prouocantes.* Ad lites videlicet & contentiones. *Inuicem inuidentes.* Ab inani gloria oritur inuidia, ab inuidia verò innumera mala.

A B Pho. C

Cap. 6.

Fratres etiam si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi in spiritu mãsuetudinis, cõsiderans temetipsum, ne & tu tenteris. Inuicem alii aliorum onera portate, & sic complete legem Christi.

Multi ambitiosa principatus affectatione deuicti, affectũ explebant in proximorum circa vitia obiurgatione: quod corrigit dicẽs: Si quis correptus fuerit à peccato. Nam hoc est quod ait προληφθῇ, id est occupatus fuerit. *Vos qui spirituales estis.* Qui iuxta spiritũ viuitis. *Instaurate.* id est emendate talem. Deinde eiecta ambitione honorum ait. *In spiritu mansuetudinis*: hoc est, in mansuetudine quæ est donum san-

D ęti spiritus. *Consyderans temetipsum.* Deinde ne is qui emẽdat extollatur, ait, Consydera quoque tu, & obserua teipsum, ne similibus capiaris. *Inuicem alij aliorũ onera portate.* Quandoquidem enim non contingit hominem esse absque peccato, admonet ne exactè fiat inquisitio aduersus proximi peccata, tanquam sciens, inquit, ꝙ & tu peccata habeas, & oportet nos inuicẽ tolerare. *Et sic complete legem Christi.* Vt quod mihi deest alius compleat tolerando me: & ita dum vnusquisque porrigit proximo manum, cõplentur præcepta Christi. Lex enim Christi talis per opera demonstrata

Pho. est: ipse nāq; peccata nostra suscepit & morbos portauit. Et

Iesa.53. Mat.8. est hyperbole, quia & crucem & passionem pro nobis susce-

Oecum. pit. Aut ꝙ inuicem alios aliorum onera & pondera portare, secundum hoc legis Christi cõpletio est, quatenus ex di-

E Rom.13. lectione fit. Porrò dilectio, legis diuinæ completiua est.

Nam si quis sibi videtur aliquid esse quum nihil sit, suum ipse fallit animum. Opus autem suum probet vnusquisque, & tunc ad semetipsum tãtùm gloriationem habebit, & non ad alium. Vnusquisque enim propriam sarcinam baiulabit. Communicet autem qui instruitur sermone ei qui se instruit in omnibus bonis.

*Nam si quis sibi uidetur aliquid esse.* Ob id solùm nihil est quod sibi aliquid esse videatur. Itaque quum nihil sit, suum

F ipse fallit animum. *Opus autem suum.* Nam si quis propriũ opus ꝓbaret, ac seipsum exactè scrutaretur, in semetipsum potius gloriationem haberet, & nõ aduersus alium, hoc est, aduersus semetipsum habebit gloriationem, siue semetipsum condemnabit, & non alium: hoc est, ipse seipsum inferiorem ac egẽtem intuens, seipsum accusabit, & ab aliorum condemnatione abstinebit, quum semetipsum nouerit non semper conuersationem rectè obseruantem, sed interim etiam ab hac decidẽtem. *Probet unusquisque.* Inquirat vnusquisque sua ipsius quæ ipse in vita peregit. Hoc enim faciẽs seipsum ad meliora præparabit. Non est autem hoc statuentis, sed demittentis. Etenim non oportet, inquit, gloriari:

Luc.18. Sin minus, saltem non vt pharisęus, ait, aduersus proximum

glorieris, ſed aduerſus temetipſum. ALIO modo. Quòd A
ſi omnino gloriari velis, inquit, tuam ipſius vitam circun-
ſpice: & ſi irreprehenſibilem inueneris, apud teipſum illam
iactita, ſi hoc ſanè te facere oporteat. *Vnuſquiſque enim pro-
priam ſarcinam.* Cur enim aduerſus proximum gloriaris? Et
tu & ille propriam ſarcinam baiulabitis. Et tunc vniuſcuiuſ
que opus probabitur. *Communicet autem.* Iubet vt hi qui
ſpiritualibus fruuntur, elargiantur carnalia. *Qui inſtruitur
ſermone.* Is, inquit, qui docetur, partiatur docenti ſe alimē-
ta, beneuolētiam & honorem. Nam hoc ſignificat quòd ait,
In omnibus bonis. Rectè autem dixit Communicet, & non
Largiatur: eſt enim res iſta communicatio quædam: ille ſpi-
ritualia confert, tu verò carnalia.

Ne erretis, deus non irridetur. Quicquid enim B
ſeminauerit homo, hoc & metet. Nam qui ſeminat
per carnem ſuam, ex carne metet corruptionem:
ſed qui ſeminat per ſpiritū, ex ſpiritu metet vitam
æternam. Bonum autem faciendo ne defatigemur.
Tempore enim ſuo metemus non defatigati. Itaq;
dum tempus habemus operemur bonum, quum ad
omnes, tum verò maximè erga domeſticos fidei.

*Deus non irridetur.* Non ſeducitur, non illi imponitur: nō
rependit bono mala, aut rurſum malo bona. Neceſſe ſiqui-
dem eſt meſſem reſpondere ſementi: & nullus ordeum ſemi
nans poteſt metere triticum. *Nam qui ſeminat per carnem.* C
Quid autem ſeminat quiſpiam per carnem? Ebrietatem, de-
litias, gaſtrimargiam, laſciuiam. Talis ex carne ſiue propter
carnem quæ deliquit, habebit in futuro ſupplicium. Quòd
enim ait Ex carne, idem eſt ꝙ peccata in carne ſeminata.
*Sed qui ſeminat per ſpiritum.* Quid autem ſeminat quis per
ſpiritum ſanctum? Quid aliud quàm eleemoſynam, tempe
rantiam, omnémque virtutem. *Ex ſpiritu metet uitam æternā.*
Quemadmodum enim varia ſunt ſemina carnis & ſpiritus,
ita & varia eſt meſsis, ibi corruptio, hîc autem vita æterna.
*Ne defatigemur.* Ne laſſeſcamus neq; diſſoluamur, eo quòd
retributiones ſint repoſitæ in futuro ſeculo: erit enim tēpus
quod omnino veniet, quando recipiemus proſpera & com-

D moda, & metemus quæ nunc à nobis ſeminata ſunt bona. Deinde quoniam meſsis fecit mentionem, hæc autem opus habet labore ac fatigatione, addidit: N*on defatigati.* Acſi diceret, Qui metit, tunc non laborat, nec defatigatur, vt in hoc mundo accidit. Ne ergo audita meſſe adhuc etiam vos tũc laborare exiſtimetis. In ſenſibilibus etenim rebus, & ſeminatio laborem habet, & meſsis tempus ſimiliter. Frequenter nanque metentes diſſoluit, & ipſum metere & calor temporis: at non tale eſt illud meſsis tempus: eſt enim à labore ac ſudore liberum. Nam hoc ſignificat, Non defatigati. Aut non defatigati, hoc eſt, non torpentes, neque à bona operatione deſiſtentes. His ſiquidem corona datur, qui ad finem vſque certant. D*um tempus habemus.* Nam in hac vita tem-
E pus eſt operandi, in futuro verò non ita. B*onum erga omnes operemur.* Erga Iudæos & erga Græcos, potiſsimùm tamen erga credentes.

CAPVT XII.

*Auerſio ab his qui trahunt ad circunciſionem, & exhortatio ad nouam vitam quæ ſub ſpiritu degitur.*

VIdete quibus literis ſcripſerim vobis mea manu. Quicunq; volunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt vos circuncidi: tantùm ne ob crucem Chriſti perſequutionem patiantur. Nam qui circunciduntur, ne ipſi quidẽ legem ſeruant, ſed vo-
F lunt vos circuncidi, vt in veſtra carne glorientur.

Quibus, non magnitudinem literarum deſignat, ſed characterum deformitatem. Acſi diceret, Quúmq; non noſſem rectè pingere, coactus ſum tamen propria manu epiſtolam exarare, vt propriũ confeſsionis meæ chirographum deponeretur, ꝙ circunciſionem non prædicem, veluti dicunt calumniatores. Q*uicunque volunt iuxta faciem placere in carne.* Quicunque, inquit, volunt apud homines laudari, hi cogũt vos circuncidi. Apud quos homines? aut apud Iudæos? tanquam patriæ legi adhærentes: aut apud externos, ꝙ vobis tanquam diſcipulis vtantur. Nam in carne, hoc eſt, in hominibus vel apud homines. V*os circuncidi.* Volunt habere & alios circunciſos, ne propter crucem ac fidem exagitentur,

ac persequutionem sustineant. Quod si sit διοικῶνται gubernentur, tunc ita intelliges. Omnia faciunt & hominibus placere volunt, solùm ne per fidem regantur ac gubernentur. A
*Nam qui circunciduntur.* Ostēdit ex inani gloria rem omnem illos peragere. Non enim qui circunciduntur, vósque circūcidunt, hoc faciunt vt legem seruent ac custodiant: sed vt habeant gloriandi occasionem, ex eo ꝙ vos circūcidant. Nam hoc est quòd ait, In vestra carne: vt sint, inquit, prçceptores, vósque habeant discipulos.

Ego verò absit vt glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nam in Christo Iesu neque circuncisio quicquam valet, neque præputium, sed B
noua creatura. Et quicunque iuxta regulam hāc incedunt, pax super eos & misericordia, & super Israel dei. De cæterò ne quis mihi molestias exhibeat, ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro fratres, Amen.

Tanquam miserum quippiam deprecatur. Quæ est autem gloriatio? Quòd propter nos indignos voluerit crucifigi. nam id nobis gloriandi est occasio. In cruce igitur Christi liceat mihi gloriari, quæ incredulis videtur etiam esse opprobrium. *Per quem mihi mundus crucifixus est.* Mundum dicit C
res mūdanas, nempe laudem ac gloriam quæ ab hominibus quæritur. Hæc igitur, quod ad me attinet, omnia mortua sunt. Deinde rem exaggerans dixit, Et ego his mortuus sum: dupla mortificatione fugam illorum significans & inutilitatem. *Sed noua creatura.* Noua, inquit, creatura sunt omnia. Nam omnes siue circuncisi siue præputium habentes qui credidimus, noua creatura facti sumus, veteri homine sepulto, nobísque baptismi lauacro regeneratis. *Et quicūque iuxta hanc regulam incedunt.* Quotquot, inquit, hac regula & doctrina contenti fuerint, nempe quòd noua creatura sint omnia, nec se legi subdiderint *Et super Israel dei.* Israel fidelis est populus quasi videns deum. Itaque cui in-

D credulus fuerit, etiamsi ex Iaacob descẽdat, cognatione quę ad ipsum est eiicitur. *De cætero ne quis mihi molestias exhibeat.* Hoc autem non ait detrectans: Absit: sed volens statutas à se leges firmas esse, quasi ipse deinceps nihil additurus sit aut sublaturus. *Ne quis mihi molestias exhibeat.* Ne quis me ad defensionem eorum quæ ago impellat: habeo enim etiam tacens defensionem maiorẽ, quæ sita est in operibus. Nam stigmata Christi, hoc est, plagæ ac cicatrices quas pro Christo tolero hæc clamãt & quẽ pro ipso susceperim cursum ac zelum, & quomodo absq; omni simulatione cum omni puritate nullo repressus timore prędicauerim. AVT, *Ne quis mihi molestias exhibeat.* Quousque, inquit, dum fluctuatis, afflictiones ac molestias mihi exhibetis? Flectamini ac

E persuadeamini, si non ob aliud, saltem vel ob stigmata Christi, quæ propter vos ac prædicationem erga vos in corpore circumfero. Dicens autem Christi stigmata, simul etiam ad memoriam reducit q̃ ille pro nobis passus sit. Omni itaque modo conuenit à lege separari, & in fide firmari. *Stigmata Christi.* Stigmata dicit plagas & vulnera propter dominum & propter prædicationem inflicta. *In corpore meo porto.* Tanquam diceret, Nemo me velut hypocritam apud vos calumnietur. Hæc enim vulnera & plagæ domini caussa inflictæ attestantur q̃ sine vlla fictione conuerser. Patiebatur enim calũniam quasi omnia fictè ac simulatè ageret: alibi quidem circuncisionem prædicans, alibi verò non. *Cum spiritu uestro.* Cum mente. Optat animæ gratiam contingere.

F

MISSA FVIT AB VRBE ROMA.

## ARGVMENTVM EPISTOLæ ad Ephesios.

HAnc ab vrbe Roma mittit quum nondum quidem eos vidisset, iam tamen de ipsis audisset. Occasio verò epistolæ hæc fuit. Quum credidissent Ephesij in dominum nostrum Iesum Christum, ingenuam erga ipsum habebant fidem, & erga omnes sanctos dilectionem: volebántq;

à Paulo

à Paulo confirmari. Quum ergo id cognouisset Paulus, scribit ad eos hanc epistolam tanquam informatiuam. Et primũ quidem ostendit non nouum esse mysterium quod erga nos actum est, sed ab initio & constitutione seculi hoc fuisse dei beneplacitum, vt Christus pro nobis pateretur. Postmodum de Gentium vocatione disserit, vt ostendat eos meritò credidisse: & ostendit nostram vocationem non per hominem fuisse factam, sed per Iesum Christum qui est filius dei: vt ex hoc quoque discant quòd non hominum cultores facti sint quum in Christum crediderint, sed veri cultores dei. Significat & seipsum ob id missum fuisse, quo euangelium prædicaret, quódque hæc illi curæ erant. Deinde exhortatorios sermones viris ac mulieribus, patribus ac filiis, dominis ac seruis in epistola apponit: & vniuersaliter omnes confirmat aduersus diabolum & ipsius dęmones, dicens aduersus illos nobis esse luctam, & tanquam bonus athletarum præfectus, omnes sermonibus inungit aduersus diabolicam efficaciam, & ita concludit epistolam. A B

## THEODORETI.

EPhesus Asiæ metropolis erat, colebat autem Dianam: adeóque vehemens erat huius dæmonis cultus, vt etiam Ephesum Dianæ æditùum prædicarent, sicut in Actis scriptum est. Acto .19. In ipsa autem Epheso Iohannes euangelista post relegationem multo tempore versatus est, in qua etiam obiit. Et Timotheum Paulus episcopum ibi ordinauit. C Philosophi verò qui per Asiam florebant, Ephesi potissimùm versabantur: ideo magno studio vsus est quum ad eos scriberet, & profundiores sententias eis scribit, quæ etiam in fide instructis sint sublimes. Scribit autem ab vrbe Roma epistolam, quum esset in vinculis.

D

# EPISTOLA AD EPHESIOS.

## CAPVT I.

*De nostri per dominum electione & introductione ac perfectione.*



Aulus apostolus Iesu Christi per voluntatem dei, sanctis qui agunt
E Ephesi & fidelibus in Christo Iesu, gratia vobis & pax à deo patre nostro & domino nostro Iesu Christo. Benedictus deus & pater domini Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cęlestibus per Christum: quemadmodum elegit nos per ipsum ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem.

F *Per uoluntatem dei.* Animaduerte διὰ, id est, per, de patre dictum. *Omnibus sanctis qui agunt.* Consydera quanta fuerit tunc virtus, quòd mundanos homines appellet sanctos ac fideles. *Gratia uobis.* Meritò à gratia incœpit: nam & per gratiam deus est pater hominum, & per gratiam filius semetipsum dedit redemptionem pro nobis. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali.* Hoc ad distinctionem Iudaicæ benedictionis additum est: illa enim magis erat carnalis, nostra verò spiritualis. Et rectè ait, In omni. Siqui-
Pho. dem factus es immortalis sine peccato, filius ac frater, cohæresque dei, ita vt primitiæ tuæ à Cherubim adorentur. Benedixit, per filium elegit, per filium: charos effecit, per filium. Quomodo autem per filium? ô rem admirandam, Per sanguinem ipsius, inquit. Vides diuitias gratiæ? magis autem exuberantem & ineffabilem misericordiam? Neque

ſolùm hæc, verumetiam notum fecit nobis myſterium vo luntatis ſuæ. Per quem hoc? hoc quoque per filium. Omnia per filium, accedente beneplacito quoque patris: neque enim in aliquo diuiſa eſt paterna voluntas à dilecto filio. Quoniam autem notificatum nobis eſſe myſterium aſſeruit, rurſum adoptionis meminit, dicens: Per quem etiam in ſortem aſciti ſumus. Nam qui in filios adoptantur, etiam digni habentur vt in accipiendam adoptionis ſortem vocentur: quæ adoptio facta ac præfinita eſt per filium, accedente ſimul beneplacito ac voluntate paterna. Hoc autem factum eſt, vt nos quoque ita conuerſaremur quo reſultaret in laudem gloriæ ſuæ, hoc eſt, vt ad collaudandam vitam ſuam, & vita noſtra & conuerſatio grata ab omnibus conſpiciatur. A

Vt videant (ait dominus in euangeliis) veſtra opera bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Benedixit enim nos non ſolùm in omni ſpirituali benedictione, verũ etiam in ſpiritualibus rebus ac ſupercæleſtibus. Per quem? per Ieſum Chriſtum. Quonam modo? ſicut elegit nos ante conſtitutionem mundi: adeò vetus eſt noſtra electio ac benedictio. Studioſè nos elegit vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles, id eſt, venerandi ac puri in vita. Vnde ad hoc motus eſt? Ex ſola charitate. Quare hoc factum eſt? vt nos ſibi ipſi per Chriſtum adoptaret: nam & hoc præordinauerat. Ex quo bono opere noſtro? ex nullo omnino niſi propter beneplacitum voluntatis ſuæ. Beneplacuit enim ipſi ac voluit hoc, quum nos nihil omnino contuliſſemus. Quomodo enim contuliſſemus, qui ne principium quidem ipſius eſſe aliquo modo adhuc acceperamus? Et quod inde lucrũ? Laus immenſa emergit & encomium glorificatæ ſuæ gratiæ qua charos nos reddidit. Per quem? Vtique manifeſtum eſt quòd etiam hoc per dilectum filium ſuum. Quomodo? quia ipſe fecit noſtri redemptionem. Eramus enim captiui propter peccata noſtra: dato autem ſanguine ſuo in redemptionem pro nobis, à tyrannide nos redemit in qua detinebamur. Et quomodo tremendũ hoc myſterium factum ſit dici nõ poteſt, niſi quòd diuitiæ ſunt gratiæ, exuberantia & excellẽtia gratiæ: aliud dici nequit. Hoc autem ineffabile erga nos myſterium non ſolùm operatus eſt, verumetiam ipſum nobis manifeſtauit. Quomodo? ad mentem reuocando, & inſtruendo

B Mat 5. Eiuſdem

C

D ad sui susceptionem. Omnia beneficij ipsius fuerunt, quod circa nos ineffabile illud mysterium operatus sit, quódque rursum illud nobis manifestauerit. Nā & hoc magni, & ineffabilis amoris ac prouidentiæ erga nos fuit, manifestasse nobis arcanum voluntatis suæ, tanquam reconditam ac intimam cordis sui voluntatem. Vides quibus nos dignatus fuerit bonis? Et hoc erat arcanum voluntatis suæ præordinatum, vt in filio suo siue per filium suum fieret. Meritò autem rursum dixit, Iuxta beneplacitum, & quòd propositum erat vt per filium fieret. Quandoquidem enim quum idem circa initia dixisset rationes tamen interim rationibus connectens, auditorem à sermone auocauerat, rursum tanquam illum ad memoriam reducens ac repetens quòd omnia per
E filium facta sint patris beneplacito, conuenienter hoc coniungit & addit. Hæc autem ad dispensationem dicit: Hoc est propter ineffabilem prouidentiam & dispositionem temporum consummationis seculi, id est, rerum quæ circa consummationem erunt. Quæcunque enim facta sunt, propter gloriam quæ tunc nobis reuelabitur facta sunt. Ideo etiam Christus tunc rerum exitu manifestatur summatim instaurans omnia in seipso. *In cælestibus per Christum.* Siquidem per Christum est nostra benedictio & non per aliquem prophetarum, quemadmodum Iudæis contigit per Mosen. Rectè autem addit, in cælestibus, nempe rebus: nihil enim
F apud nos terrenum sicut apud Iudæos. Ibi enim contingebat & terra fluens lac & mel: & bona terræ commedere: &, Benedicet dominus terræ tuæ: hic autem omnia de regno cęlorum. *Quemadmodum elegit nos per ipsum* Quemadmodum benedixit nos deus & pater per Christum, ita & elegit nos per ipsum, & per fidem quæ in ipsum est. Quòd autem addit ante constitutionem mundi, significat quod hoc rursum definitū erat, vt qui in terra sunt, salui fierent per fidē quæ in Christum est. Quod autem mundi constitutionem vocat καταβολὴν à καταβάλλεσθαι, id est, deiicere, significat ꝙ ab altitudine quadam diuinæ potentiæ iacta sint mundi fundamenta. *Vt essemus sancti.* In hunc, inquit, finem nos elegit vt in fide sancti essemus, in vita irreprehensibiles. Coram illo, inquit. Sunt enim quidā qui hominibus videntur irreprehensibiles. at non hoc dicit, sed Coram illo. Hoc autem

fecit propter charitatem,inquit,quam erga nos habuit. A

Qui prædestinauit nos ad adoptionem per Iesum Christum ad ipsum, iuxta beneplacitũ voluntatis suæ, vt laudetur gloria gratiæ suæ qua charos reddidit nos per dilectum. Per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionẽ peccatorum, iuxta diuitias gratiæ suæ, de qua vbertim nobis impartiuit in omni sapientia & prudentia.

Magnum quidem est,in filium dei adoptatum esse: maius est autem, id per ipsum filium mediatorẽ adeptum esse. Ad quam autẽ adoptionem? Ad eam,inquit,quæ ducit ad ipsum deum. B *Iuxta beneplacitum uoluntatis suæ.* Consueuit enim diuina scriptura voluntatem ac propositum ad benefaciẽdum, vocare beneplacitũ. *Voluntatis suæ.* Hæc autem omnia erga nos ob aliud nihil operatus est, nisi quia voluit ac vehemẽter concupiuit per gratiam saluos facere eos qui sunt in terra, vt ex hoc laudaretur ac glorificaretur sancta gratiæ ipsius gloria. *Qua charos reddidit nos.* Charos autem reddidit, primùm quidem coram oculis suis,deinde amabiles angelis reddidit, archangelis, supernis potestatibus, & his qui sibi placent sanctis. Nam concupiscet,inquit,rex decorẽ tuum. Psal. 44. Hanc gratiam per dilectum Christum his qui in terra sunt tribuit,ipse enim mediator est. *Per quẽ habemus redẽptionem.* Per quem,inquit, habemus remissionẽ quæ per sanguinem C ipsius nobis contigit. Admirandum est enim nõ solùm quòd pro inimicis,verumetiam ꝙ omnino filium dederit,idq; ad mortem per sanguinem : nam hoc maximè stupẽdum est inter dona. *Iuxta diuitias gratiæ suæ.* Hæc autem fecit,inquit, iuxta diuitias, id est per diuitias gratiæ suæ. *De qua ubertim nobis impartiuit.* Vbique exuberantiæ sunt,& ꝙ diuitiæ datæ sint,& dei diuitiæ,& gratiæ diuitiæ, & ꝙ vbertim impartiuit,hoc est exuberare & abundare fecit. *In omni sapientia & prudentia.* Aut ꝙ sapienter & prudenter notificauit nobis,aut quòd sapientes & prudentes reddens, ita demum patefecit nobis arcanum voluntatis suæ. Ac si diceret: Quæ in corde suo erant patefecit. Quid enim huic mysterio æquale,nempe quòd filium pro inimicis dederit?

D Quum aperuisset nobis arcanum volũtatis suæ, iuxta beneplacitum suum quod proponebat in ipso, ad dispensationem plenitudinis temporum, vt summatim instauraret omnia per Christum, & quę in celis sunt & quæ in terra per eundẽ: per quem etiam in hæreditatẽ asciti sumus, prędestinati secundum propositũ eius, qui omnia operatur iuxta decretum voluntatis suæ: vt simus nos ad laudem gloriæ ipsius, qui priores sperauimus in Christo.

E Quum aperuisset nobis arcanum, iuxta consilium suum, quod consilium proponebat nobis vt in ipso nempe Christo compleret. Et simpliciter, inquit, hoc proponebat, hoc volebat pater, primitias nostræ massæ ad dexteram suam collocare. Aut quòd non solùm prędefinitum erat id fieri, vt mysterium circa nos exhiberetur per filium iuxta patris beneplacitum, verumetiam vt nos id disceremus, similiter per filiũ nobis datum est iuxta patris beneplacitum. Omnia itaque filius fecit & passus est vt in filios adoptaret, & adoptauit, ac reuelauit ꝙ adoptasset. Sed in omnibus quoque his cõplacitum est patri, ídq; voluit. Aut ergo vt primo scriptum fuit intelligendum est quod rursum diuinus scripsit Paulus, arcanum voluntatis suæ iuxta beneplacitum, &c. aut sicut nunc explicitũ est. Neutra enim interpretatio ab eo dissidet quod vero simile est. *Ad dispensationem plenitudinis temporum.* Hoc autem beneplacitum quare proponebat? Quare? Ad dispẽsationem, inquit, hoc est ad cõmodam & vtilem admodum gubernationem finalium tẽporum. Nam in nouissimis temporibus dispẽsatio facta est salutaris incarnationis. *Vt summatim instauraret omnia.* Vt coniungeret, vniret, vnum caput angelis & hominibus exhiberet Christum. Diuisi erant angeli & homines, cõiunxit ergo illos & vniuit per Christum. ALIO modo. Summariam instaurationem siue recapitulationem vocat succinctã rerum sparsionem. Nam per dispensationem quæ secundum Christum est, & hominum natura resurgit & incorruptionem induit: ac visibilis creatura corruptione liberata assequetur incorruptionẽ; & inuisibilium turmæ in lętitia degent: quãdoquidem fugit dolor & luctus

Pho.

F

Pho.

ac gemitus. His verbis hoc docuit diuinus Apostolus. Non enim dixit simpliciter cælum & terram: sed Et quæ in cælis sunt & quæ in terra: ac dispensationis mysterium ostendens subiunxit, Per ipsum, hoc est per Christum: per quem etiam in hæreditatem asciti sumus (nam quum dicit ἐν αὐτῷ & ἐν ᾧ: propositio ἐν. i. in, capitur pro διά. i. per) Per quẽ, inquit, Christum etiam in hæreditatẽ asciti sumus. Sed quoniã hæreditas sortis est magis quàm virtutis, corrigit illud & ait: *Prædestinati*. Non fuissemus autem prædestinati si indigni essemus. Qui enim cælitus nos prędestinauit, ad hanc vitam nos elegit, qui omnia facit quęcunque vult. Docet autem apertius ad quã prædestinati simus hæreditatem. *Secundum propositum eius qui omnia operatur*. Secundũ mentem ac voluntatem dei qui omnia & in cęlo & in terra operatur. *Iuxta decretum uoluntatis suæ*. Deinde non contentus dixisse prædestinati, & secundũ propositum, subiugit: Iuxta decretum voluntatis suæ. Vult enim ostendere ꝙ non ex consequenti vocatæ sint Gentes eo quod resilierunt Iudæi, sed hoc cælitus prædestinatũ & primitus definitum erat. Siquidem quũ exhortando Iudęos Christus dixerit, Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Et rursum: In viam Gẽtium ne abieritis: nititur nunc diuus Paulus ostendere ꝙ exhortationis gratia & attractionis Iudæorum illa dicta sint: vt hoc verũ ac firmum maneat, quod ante sæcula definita est vocatio Gẽtium. *Vt simus nos*. Nos, quinam? Qui priores sperauimus in Christo ait, hoc est fideles. Ex effectu enim erga nos maximè glorificandus est deus, quòd adeò alienatos à se saluauerit. *Ad laudem gloriæ ipsius*. Omnes enim intuentes eos qui in dominum crediderunt, Christum collaudant horum autorem bonorum.

A B C

*Matth. 15. & 10.*

In quo & * vos speratis qui audistis sermonem veritatis euangelium salutis vestræ, in quo etiam posteaquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitę possessionis in laudem gloriæ ipsius.

** Quanquam nostrũ exemplar tã in textu q̃ in cõmẽtario habuerit ἡμεῖς p. i-*

*In quo & nos*. id est, per quẽ Christũ. Sic & ad Hebręos:

*ma persona, nos tamen tum ex literæ contextu, tum ex omnibus Græcis exemplaribus reddere ausi sumus ὑμεῖς secunda persona.* Pho.

D Loquutus est nobis, inquit, ἐν υἱῷ, id est, per filium. *Sermonem ueritatis.* Non est enim figura quemadmodum apud Iudæos, sed ipsa veritas. *Euangelium salutis.* Est quidem salutis euangelium, & tanquam ad legis differentiam, & ideo quod credentes saluet. *In quo etiam posteaquam credidistis.* Per quod euangelium & fidem quæ in ipso est, signati estis spiritu promissionis, aut qui promittit innumera bona: aut, vt per sigillum hoc assequamini promissiones. Siquidem tanquam seruos suos faciens deus, signat eos spiritu sancto. *Signati estis.* Velut sigillum quoddam, spiritus donum accepistis. Promissiones verò, eo quòd promiserit dominus se missurum esse spiritum sanctum. *Qui est arrabo.* Arrabo rem omnem confirmat. Adoptionem igitur, innumeráque

E bona confirmans deus, arrabonem dedit cælestis hæreditatis, spiritum sanctum. *Qui est.* Ipsum dicit spiritum. Fecit autem mutationem articuli (assumens ὅς masculinum, quum præcesserit πνεῦμα neutrum) non referens ad πνεῦμα quod expressum erat, sed ad sensum quo intelligebatur θεός, id est deus. Quoniam enim dixerat πνεύματι, id est, spiritu, hic autem est deus, subiungit, propriè & grauiori modo coordinans ὅς ἐστιν ἀῤῥάβων, qui est arrabo, &c. *Acquisitæ possessionis.* Acquisitam possessionem nos vocat, quòd acquisierit nos deus. Igitur arrabo, inquit, ad hoc etiam est vt remitteretur acquisita eius possessio. Ibi autem pura erit redemptio, quando non solùm redimentur sancti à peccatis, verumetiam à cohabitatione cum peccatoribus. *In laudem gloriæ suæ.* Hoc continuè subiungit, confirmans quòd omnino contingent

F quæ promissa sunt. Acsi diceret, Siquidem nostri causa hæc promisisset, fortassis relinqueretur hæsitatio: verùm si ideo promisit vt admirationi ac venerationi haberetur gloria ipsius, quis deinceps contradicet?

## CAPVT II.

*Precatio pro cognitione bonorum erga nos per Christum inductorum.*

PRopter hoc & ego quum audissem eam quę in vobis est fidem in domino Iesu, & charitatem quam habetis erga omnes sanctos, non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in

precibus meis, vt deus domini noſtri Ieſu Chriſti, A
pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis per agnitionẽ ſui, illuminatos oculos mentis veſtræ: vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ipſius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis illius in ſanctis, & quæ ſit excellens magnitudo potentiæ illius erga nos, qui credimus ſecundum efficaciam roboris fortitudinis eius quam exercuit in Chriſto, quum ſuſcitauit eum ex mortuis, & ſedere fecit ad dexteram ſuam in cæleſtibus.

*Propter hoc & ego.* Propter bona quę his repoſita ſunt, qui B
rectè credunt ac viuunt: & quia vos inter eos ordinati eſtis qui ſalui erunt. *Eam quæ in uobis eſt fidem.* Supra omnia enim ob fidem deo agẽdæ ſunt nobis gratiæ, quòd mẽtem ad credendũ nobis dederit. *In domino Ieſu.* Per hyperbaton, fidem, inquit, in domino Ieſu quam vos nacti eſtis. Semper autem fidei coniungit charitatem, pulcherrimã efficiens copulam. *Quam habetis erga omnes.* Nõ quę ſit erga vos ſolos. *Vt deus.* Quid autem precaris & quã facis mentionem? *Vt deus*, inquit, *domini noſtri.* Hoc diuiſim poſuit, Eũdem enim eiuſdem & deum vocauit & patrem: deum quidem tanquam hominis: patrem verò tanquam dei. Gloriam enim nominauit diuinam naturam. Deus domini noſtri: Hoc propter carnem dicit. *Pater gloriæ.* Deûm ſemper iuxta ſubiectam ma- C
teriam appellat: deum miſericordiarũ vocans, & deum pacis & deum virtutum: nunc autem ipſum patrem gloriæ vocat. 2. Cor. 1.
Maximam enim gloriam & honorem donauit generi huma- & 13.
no: quæ omnia nobis tradita generali nomine appellat glo- Pſal. 23.
riam, per vocabulum apud nos magnificentius. Huius itaq; gloriæ dicit ipſum eſſe patrem, & velut opificem. *Det nobis ſpiritum ſapientiæ.* Vtique ſapiẽtia nobis opus eſt, vt cognoſcamus quæ nobis à deo donata ſunt: Animalis enim homo 1. Cor. 2.
non accipit ea quæ ſunt ſpiritus, ſtultitia ſiquidem ipſi ſunt. *Illuminatos oculos.* Nam qui deũ vt oportet, cognouit, nequaquam de alio quouis quod à deo factũ eſt, ambigere poterit, quaſi hoc ipſi poſsibile ſit, illud autẽ impoſsibile. Om-

D nia enim diuinæ naturæ possibilia sunt. Hanc autem cognitionem nullo alio modo habere quisquã poterit nisi per spiritum sanctum. Nam spiritus cũcta scrutatur etiam profunda dei. *Vt sciatis.* Alio enim modo non datur deum cognoscere nisi illuminet mẽtis oculos. *Quæ sit spes uocationis ipsius.* Quoniam enim hoc futurũ est, spirituali opus est reuelatione. Vocationem autẽ dicit sperata bona ob quæ vocati sumus. Manifestum est autem ꝙ ob adoptionem & hæreditariam possessionem regni cælorũ, & vt Christus fieret caput nostrum. *Et quæ diuitiæ gloriæ.* Papę quàm excellẽtia verba: diũitiæ, gloria, hæreditas dei. Hęc autem erũt in sanctis. Nam qui talibus digni habẽtur, sancti sunt. Et hoc ergo spirituali eget gloria. *Et quæ sit excellẽs magnitudo.* Dixit quęnam futura sunt, dicit etiam quod factũ est, vt ex hoc etiam illa confirmet. Quod est autem hoc? nempe quòd nos crediderimus: verè enim maximum potentiæ dei indicium est, ꝙ nos qui adeò ferini eramus, deo crediderimus, ac cælestia philosophemur. Nam immẽsa magnitudo ineffabilis potentiæ ipsius etiam in nos credentes demõstratur. Quomodo? Quia nos quum in affectibus omnes sensus mortuos haberemus, & ipsam rationem in his sepultam & cõfusam, resuscitauit & viuificauit, vt nos susciperemus fidei ipsius splẽdorem ac claritatem. Verè hoc robur fortitudinis eius. Ideo quoque precatur vt hoc intelligant per sapientiam spiritus. Si enim intellexerimus beneficiũ quo affecti sumus, & illud magis amplectemur, & erga benefactorẽ grato magis animo affecti erimus. Ait autem, *Secundum efficaciam.* Quam exercuit in Christo: aut quòd eiusdẽ sit fortitudinis & efficaciæ resuscitasse nos à morte animæ, & Christum ac deum nostrum à morte corporis. Aut secũdum efficaciam dicit, caussam reddens excitationis nostræ, nẽpe per quam credidimus, & per quam resurreximus à morte animæ. Efficacia enim quam exercuit in Christo is qui excitauit eum &c. hęc fuit causa qua crederemus, ac resipisceremus à priori errore. Surrexit nãque, quia mortuus: mortuus est autẽ, quia incarnatus est: suscepit verò carnem, vt nos in filios adoptaret. Et hæc omnia efficaciæ sunt illius, qui excitauit eum à mortuis. Ait ergo, Secundum efficaciam: quasi dicat, Propter efficaciã roboris fortitudinis eius. Nam secundũ illam,

Marginalia: Ibidem. (beside "ritum sanctum"); E (beside "rituali eget gloria"); Pho. (beside "stia philosophemur"); F (beside "ritus. Si enim")

& propter illã,& credidimus,& seruati sumus. Aut per hoc quod ait, Et quę sit excellens magnitudo illius erga nos qui credidimus: hoc dicit, quòd primitias nostras, supra omnem principatum,& virtutem,& potestatem, ac dominationem, nempe Christum suscitatũ, in dextera sua collocauit. Quãquam enim ex tota humana massa verbũ, ac deus assumptionem nostram accepit, ipse tamen credentium tantùm est primitiæ, & eorum qui ipsum subsequuntur: quemadmodum etiam primogenitus est inter multos fratres, nempe fideles, sed non inter omnes: non enim etiam inter infideles. Ita ergo intelligendo, Et quæ sit excellens magnitudo, &c. (hoc enim excellenti etiam modo magnitudinem suam maximè commendat, quòd terrenam naturam supra cælestes sublimauerit, & ab incorporeis ordinibus adorandam præbuerit) ita inquam intellecta huius dicti sententia, consequens & manifesta etiam erit intelligentia eorum quæ sequuntur. Nam ex efficacia quam exercuit resuscitans Christum, factum est vt & nostræ primitiæ patri consederent, & nos fideles per hoc vehementer honestaremur & ornaremur. *Erga nos qui credimus.* Factum est, inquit, idque secundum efficaciam roboris fortitudinis eius. Si enim non exercuisset eam erga nos, nequaquam credidissemus. *Quam exercuit.* Quam autem efficaciam dicis eũ exercuisse erga nos vt crederemus? quam exercuit, inquit, & in Christo, quum suscitauit eum ex mortuis. Manifestum est autem, quia frequẽter dictum est, quòd etiam seipsum suscitauerit.

A

Rom. 8.

B

C

Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, ac dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, verumetiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedes illi⁹: & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

*Super.* Nec tamen dico ἄνω super, sed ὑπεράνω, quod vehementem superlationẽ designat. *Omnem principatũ.* Non super hunc quidem, at nõ super illum, sed super omnem incorpoream potestatẽ. Hæc autem post incarnationis dispen-

D nia enim diuinæ naturæ possibilia sunt. Hanc autem cognitionem nullo alio modo habere quisquã poterit nisi per spi
Ibidem. ritum sanctum. Nam spiritus cũcta scrutatur etiam profunda dei. *Vt sciatis.* Alio enim modo non datur deum cognoscere nisi illuminet mẽtis oculos. *Quæ sit spes uocationis ipsius.* Quoniam enim hoc futurũ est, spirituali opus est reuelatione. Vocationem autẽ dicit sperata bona ob quæ vocati sumus. Manifestum est autem ꝙ ob adoptionem & hæreditariam possessionem regni cælorũ, & vt Christus fieret caput nostrum. *Et quæ diuitiæ gloriæ.* Papę quàm excellẽtia verba: diuitiæ, gloria, hæreditas dei. Hęc autem erũt in sanctis. Nam qui talibus digni habẽtur, sancti sunt. Et hoc ergo spi
E rituali eget gloria. *Et quæ sit excellẽs magnitudo.* Dixit quęnam futura sunt, dicit etiam quod factũ est, vt ex hoc etiam illa confirmet. Quod est autem hoc? nempe quòd nos crediderimus: verè enim maximum potentiæ dei indicium est, ꝙ nos qui adeò ferini eramus, deo crediderimus, ac cælestia
Pho. stia philosophemur. Nam immẽsa magnitudo ineffabilis potentiæ ipsius etiam in nos credentes demõstratur. Quomodo? Quia nos quum in affectibus omnes sensus mortuos haberemus, & ipsam rationem in his sepultam & cõfusam, resuscitauit & viuificauit, vt nos susciperemus fidei ipsius splẽdorem ac claritatem. Verè hoc robur fortitudinis eius. Ideo quoque precatur vt hoc intelligant per sapientiam spi
F ritus. Si enim intellexerimus beneficiũ quo affecti sumus, & illud magis amplectemur, & erga benefactorẽ grato magis animo affecti erimus. Ait autem, *Secundum efficaciam.* Quam exercuit in Christo: aut quòd eiusdẽ sit fortitudinis & efficaciæ resuscitasse nos à morte animæ, & Christum ac deum nostrum à morte corporis. Aut secũdum efficaciam dicit, caussam reddens excitationis nostræ, nẽpe per quam credidimus, & per quam resurreximus à morte animæ. Efficacia enim quam exercuit in Christo is qui excitauit eum &c. hęc fuit causa qua crederemus, ac resipisceremus à priori errore. Surrexit nãque, quia mortuus: mortuus est autẽ, quia incarnatus est: suscepit verò carnem, vt nos in filios adoptaret. Et hæc omnia efficaciæ sunt illius, qui excitauit eum à mortuis. Ait ergo, Secundum efficaciam: quasi dicat, Propter efficaciã roboris fortitudinis eius. Nam secundũ illam,

& propter illã,& credidimus,& seruati sumus. Aut per hoc quod ait, Et quę sit excellens magnitudo illius erga nos qui credidimus: hoc dicit, quòd primitias nostras, supra omnem principatum,& virtutem,& potestatem, ac dominationem, nempe Christum suscitatũ, in dextera sua collocauit. Quãquam enim ex tota humana massa verbũ, ac deus assumptionem nostram accepit, ipse tamen credentium tantùm est primitiæ, & eorum qui ipsum subsequuntur: quemadmodum etiam primogenitus est inter multos fratres, nempe fideles, sed non inter omnes: non enim etiam inter infideles. Ita ergo intelligendo, Et quæ sit excellens magnitudo, &c. (hoc enim excellenti etiam modo magnitudinem suam maximè commendat, quòd terrenam naturam supra cælestes sublimauerit, & ab incorporeis ordinibus adorandam præbuerit) ita inquam intellecta huius dicti sententia, consequens & manifesta etiam erit intelligentia eorum quæ sequuntur. Nam ex efficacia quam exercuit resuscitans Christum, factum est vt & nostræ primitiæ patri considerent, & nos fideles per hoc vehementer honestaremur & ornaremur. *Erga nos qui credimus.* Factum est, inquit, idque secundum efficaciam roboris fortitudinis eius. Si enim non exercuisset eam erga nos, nequaquam credidissemus. *Quam exercuit.* Quam autem efficaciam dicis eũ exercuisse erga nos vt crederemus? quam exercuit, inquit,& in Christo, quum suscitauit eum ex mortuis. Manifestum est autem, quia frequẽter dictum est, quòd etiam seipsum suscitauerit.

A

Rom. 8.

B

C

Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, ac dominationem,& omne nomen quod nominatur non solùm in seculo hoc, verumetiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedes illi⁹:& eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

*Super.* Nec tamen dico ἄνω super, sed ὑπεράνω, quod vehementem superlationẽ designat. *Omnem principatũ.* Non super hunc quidem, at nõ super illum, sed super omnem incorpoream potestatẽ. Hæc autem post incarnationis dispen-

D sationem intellige dicta esse à Paulo. Nam ante incarnationem manifestum est ꝙ verbum tanquam deus æqualis erat potestatis cum patre, sicut & nunc est cum incarnatione. *Et omne nomen quod nominatur.* Hoc est, omne nominatum ac celebre: non solùm quod hìc nominatur, verumetiam ꝙ in futuro possit dici ac nominari. Nam super omnes est filius, etiamsi sit incarnatus. *Non solũ in seculo hoc.* Sunt itaque angelicarum potestatũ nomina, nunc quidem nobis innominata, tunc verò cognoscenda. *Verumetiam in futuro.* Si quid, inquit, est in cælo, super omnes sedit. *Et omnia subiecit sub pedes illius.* Deinde ne audiens ꝙ eum super alia sedere fecit, existimes eum tantùm præhonorari, ostendit ꝙ etiam dominum vniuersorum fecit illum: vehementem &
E qua maiorem non est dare subiectionem ostendere volens, dixit, Sub pedes illius. *Et eum dedit.* Et ecclesiam potestate collocauit cum Christo in illum thronũ: vbi enim est caput, ibi & reliquum corpus. *Caput.* Postquam Christum caput dixit credentium, postquam credentes corpus dixit ipsius, & complementum eius, multaque benignitatis, ac dispensationis erga nos beneficia, subiungit etiam diuinitatis illius, & immortalis substantiæ exemplum. Sed cuius estis, inquit, corpus? cuius complementum? Cuius? Eius qui adimplet omnia: non in aliqua efficacia & administratione, sed in omnibus ipse creauit omnia, ipse spiritum dedit viuentibus, ipse conseruat, ipse prouidet, ipse omnia in omnibus rebus implet & gubernat. Huius ergo talis ac tanti, qui
F in omnia & in omnibus suas adimplet actiones, nos corpus & complementum vocari digni censemur. At si ita hoc intelligatur, πληρουμένου capiẽdum erit pro πληροῦντος (passiuum videlicet pro actiuo) Qui adimpletur, pro, Qui adimplet. Erit ergo magis consequens ad ipsam dictionem, sicut in-
Oecum. tellexerunt, qui nos præcesserunt. *Super omnia ipsi ecclesiæ.* Aut super angelos, inquit, & archangelos ipsum filium dedit caput. At eum qui est super omnia quæ videntur, quæq; intelliguntur, nempe Christum. Aut super omnia bona hoc fecit, vt filium daret caput. *Quæ est corpus illius.* Hyperbole quædam est. Ne enim audito capite principatum aliquẽ, aut potestatẽ intelligas, Corporaliter, inquit, loquendo nostrum est caput, & ecclesia complementum est Christi: ip-

ſum nanq; corpus adimplet, ac perfectum facit caput, quẽadmodum & caput complementum eſt reliqui corporis. A
*Complemẽtum.* Omnem mouet lapidem Apoſtolus, vt oſtẽdat cognationem ac vnionem noſtrã ad Chriſtum: ideo ait, Qui quoad omnia in omnibus adimpletur (vt ſit alius intel lectus) oſtendens non ꝙ communiter Chriſtus egeat eccleſia ad hoc vt compleatur, ſed vnoquoq; homine fideli. Niſi enim eſſemus, hic quidem pes ipſius, iſte autem manus, ille verò aliud quoddam membrum, nõ compleretur corpus ipſius. Meritò ergo quiſque noſtrum neceſſarius eſt ad complementum corporis eius. Tunc ergo complebitur, quando fuerimus omnes vniti. Eccleſia igitur complementum eſt capitis, hoc eſt, Chriſti. *Qui quoad omnia in omnibus.* Qui, inquit, Chriſtus quoad omnia membra per omnes homines completur. B

## CAPVT III.

*De Gentium ac Iudæorum familiaritate erga deum per Chriſtum ob ſpem ſecundum gratiam.*

ET vos quum eſſetis mortui per delicta ac peccata, in quibus aliquando ambulaſtis iuxta ſeculum mundi huius, iuxta principem poteſtatis aeris, & ſpiritus nunc agentis in filiis contumacibus: in quibus & nos omnes conuerſati ſumus aliquando, nempe in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes quæ carni ac menti libebant: & eramus natura filii iræ, quemadmodum & cæteri. Cap. 2. C

*Et uos quum eſſetis mortui.* Non corporalem dicit, quæ ex Adam exordium habuit mortificationem, ſed ipſius animæ ex peccatis procedentem. Reſpondet ſermo poſt multã verborum ambagem. Et vos, inquit, quũ eſſetis mortui per delicta: deinde multis circuitibus impleto ſermone vnà cum eiuſdem dicti repetitione, putà Etiam quum eſſemus mortui per delicta, paulatim reddidit, Conuiuificauit nos vnà cum Chriſto. Multus eſt autẽ ipſi huius ſchematis vſus. *In quibus aliquando ambulaſtis.* Aut per remiſsionem intellige, ꝙ videlicet in præſenti vita ambulaueritis in peccatis. *Iuxta ſeculum mundi huius.* Seculum mundi huius dicit vitã per-

D uersam,& quæ agitur in peccatis, eo ꝙ præsens vita peccatis abundet. Principem verò potestatis vocat Satanam, propterea ꝙ multi nostrū nosipsos vltrò dediderimus sub illius potestatem. Neque enim à deo, sed à nobis constitutum est, vt dominaretur. Principem itaque dicit ipsum ad præsentia respiciens. *Potestatis.* Dominatur enim & potestatem habet Satanas circa aereos,& prauos spiritus. Secundum quē, siue iuxta cuius consilium & voluntatem, nos qui ambulauimus,& mortificati fuimus,& filij irę fuimus, copiosa dei misericordia,& incredibili amore suscitati,& viuificati sumus. *Aeris.* Manifestè nos docuit, ꝙ olim quidem diabolo concredita fuerit aeris potestas : at vbi propter prauitatem ab hac excidit, factus est impietatis ac malitiæ magister: nec ta-
E men omnibus dominatur, sed his duntaxat qui diuinis iussis non acquiescūt. Nam hos dixit filios contumaces: Ephesiis diuinum beneficium ad memoriam reducens ꝙ iam peccato mortuos, & sub potestate diaboli redactos, salute dignatus sit. ALIO MODO. Rectè addidit aeris. Quāquam enim nos ipsum principē constituerimus sub cęlo, tamen est eius principatus, non super cælum. Qui verò sub cælo est, aut in terra est, aut in aere: hic autem quum sit spiritus, est in aere. Naturalis enim est spiritibus aerea conuersatio. Vide autem subiectam illi regionem, Iuxta principem, inquit, potestatis. Quemnam? Aeris principē, hoc est, aereum principem: neq; enim ipsi aeri dominatur, sed aeris. Deinde rursum idem explanans, ait, Spiritus. Est enim Satanas spiritus,
F tanquam nostri comparatione incorporeus. Aut ꝙ princeps sit ipsius spiritus aeris, hoc est, ipsius spiritus qui est in aere, nēpe aereorum prauorum spirituum. Quum enim in ipsos haberet principatum priusquam caderet, habet quoque & 
Oecum. post casum. Iuxta hunc itaque intellectum quem magis diuus quoque Iohannes suscipit, princeps quidem est eorum, qui vnà cum eo ceciderūt: nobis autem non dominatur, neque vnquam dominatus est: sed solùm agit, quum liceat nobis eius non suscipere actionem. *Nunc agentis.* Vides ꝙ non dixerit Cogentis, aut Violentiam inferentis, sed Agētis? atqui si verè dominaretur,& non ex nostra socordia, ac prauitate constitutus esset, potestatem vtique etiam cogendi haberet. Quòd enim nunc Agentis dicit, designat ꝙ vo-

luntariè ipſum ſuſcipiamus. Et quia hoc eſt, ſubiũgit, Filiis A
contumacibus, hoc eſt, deo quidem non obtemperantibus, ab illo verò non coactis. Deinde ſubdit, *In quibus & nos omnes conuerſati fuimus*. Quoniã enim mentionem fecit peccatorum ipſorum: veriſimile autem erat eos propter illa pudefieri, ſeipſum quoque ſocium facit: nec tantùm ſeipſum, ſed & omnes: hoc etiam modo Chriſti redemptoris potentiam prædicans. Carnem autem dicit carnalia deſyderia. *Quæ carni ac menti libebant*. Acſi diceret: Et corpore & animo peccantes. *Et eramus natura filij iræ*. Quemadmodum filij perditionis ac gehennę dicti ſunt, qui digna perditione ac gehenna operantur: ita & filij iræ qui ea faciũt, quæ iram merentur. Sic & Iudas filius perditionis, ꝙ perditionis opera feciſſet. Quòd autem ait, Natura, hoc eſt, Verè, legitimè. B
*Sicut & cæteri*. Nemo enim erat, qui ab huiuſmodi liber eſſet.

Sed deus qui diues eſt in miſericordia propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos, etiã cùm eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà cum Chriſto. Per gratiam eſtis ſeruati: ſimúlq; reſuſcitauit, & ſimul ſedere fecit inter cæleſtes per Chriſtum Ieſum, vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus eminentem opulentiam gratiæ ſuę, benignitate erga nos per Chriſtum Ieſum.

C
Pho.
Non vtcunque miſericors, ſed diues in miſericordia. In his enim qui Chriſto obtemperant, inefficax eſt, nec quicquam poteſt, aut poteſtatem vllam habet. Qui verò ſeipſos filios ac hæredes inobediẽtiæ illius reddiderũt, in his operatur, & poteſtatẽ habet: & eramus nos ſub poteſtate illius. Quomodo? In eo ꝙ faceremus volũtates eius. Sed deus ſua copioſa miſericordia & eximia charitate nos inde liberauit, & mortuos reſuſcitauit. *Propter nimiã charitatem ſuam*. Hoc autem à multa miſericordia prouenit: quomodo enim cùm eſſemus filij iræ, dilecti fuiſſemus? *Etiam quum eſſemus mortui*. Mortui quantùm ad boni alicuius operationẽ. Hoc autem factum eſt, inquit, propter delicta noſtra. *Cõuiuificauit nos unà cum Chriſto*. Rurſum Chriſtum in mediũ adducit.

D rem ipsam reddens fide dignam. Si enim primitiæ viuunt, ex consequenti etiam nos, qui corpus eius sumus, viuificauit. Nunc quidem potestate, postmodum verò efficacia.

Oecum. *Per gratiam estis seruati.* Non labore, non propriis bonis operibus. Nam quum oportuisset punire eos, qui facti erant filij iræ, hos sola gratia seruauit. *Simúlque resuscitauit, & simul sedere fecit.* Queadmodum enim excitatis primitiis nostris, & capite Christo, nos etiam per ipsum excitauit: ita ipso sedente consequens etiam est, vt corpus sedeat. Ideo ait, Per Christum Iesum. Nā ἐν, id est, in, capitur pro διὰ, id est, per. Quòd autem sedeant qui digni sunt, audi Christum loquentem discipulis, Sedebitis super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Et rursum, Sedere autem à dextris aut à sinistris non est meum dare, sed iis continget quibus paratum est à patre meo. Interim ergo paratum est. Rursúmque, Volo vt vbi sum ego, ibi sint & ministri mei. *Vt ostēderet in seculis.* Ne quis incredulus esset his quę dicta sunt, vide quomodo illud reddat credibile. Vnde ait, Hæc autem non tantùm propter dilectionem erga nos, quantùm vt ostenderet eminentem opulentiam gratiæ in seculis superuenientibus. *Benignitate erga nos per Christum Iesum.* Hoc est, non in Christo duntaxat hæc perstiterunt, sed per ipsum ad nos quoque perueniunt, tanquam in principio ad totum quod reliquum est corpus. Quid est autē quod peruenit? nempe vnà viuificari, & vnà sedere.

Mat.19. & 20.

E

Iohan.12. & 17.

F Gratia enim estis seruati per fidem, idque non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nā ipsius sumus opus conditi per Christum Iesum ad opera bona, quæ præparauit deus, vt in eis ambularemus.

*Gratia.* Quæ videlicet est per fidem. *Idq; non ex uobis.* Ex nobis quidem est fides, verùm ipsius quoque occasio est deus. Nisi enim incarnatus fuisset, quomodo potuissemus credere? Nam quomodo, inquit, credēt, nisi audierint? Ideo donum dei vocat fidem. Aut etiam propterea donum, quia neq; fides per seipsam saluare potuisset, nisi deus per ipsam saluare voluisset. Donum itaque dei est, quòd nos crediderimus, & quòd per fidem saluemur, donum etiam dei est.

Non ex

*Non ex operibus ne quis glorietur.* Non ꝙ nollet ex operibus A
saluare, sed quòd nullus potuerit ex operibus saluari, nisi
per fidem. Quia ergo nullus potuit ex operibus saluari, non
etiam gloriabitur. *Non ex operibus.* Ne quis arrogantiæ Poh.
ansam accipiat, quasi ex propriis operibus factus sit saluus.
Atqui licèt cótingeret ex operibus saluũ fieri, nec sic oporteret, inquit, in arrogantiam ac iactantiam decidere. Quamobrem? Quia dei opus sumus: neque id tãtùm, verumetiam ad hoc códiti, vt bonum operaremur. Itaque etiam si ex bonis operibus saluaremur, vtique iustum esset caussam in deũ referre, eíque gratias agere, quòd ipse nos ad id condiderit, & non ad nosipsos ea quæ arrogantiæ sunt firmare. Quando verò ad bona opera conditi, non solùm nihil boni operati sumus, sed in contrarium potius delati sumus: & delati, nõ ex B
nobisipsis conuersi sumus, sed gratia & dono dei, quanta debetur à nobis deo gratiarum actio? Quod autem ait, Ad opera bona conditi, simul & adhortantis est, & ad bonas actiones excitantis, ac si diceret: Debitores estis ad operandum bonum, & vetus est debitum: ad hoc enim conditi estis: sed multis vsuris debitum hoc aggrauastis & auxistis, nihil reddentes aut soluentes, sed transgresione potius superaddentes. Opus est igitur multo studio, ac diligentia ad hoc vt debita exoluatis. *Conditi per Christum Iesum.* Deinde ne audientes, quòd non ex operibus saluati sumus, sed ex gratia, segniores efficiamur, ostendit quòd post fidem necessaria sunt bona opera. *Nam ipsius* (inquit) *sumus opus conditi per*
*Christum Iesum.* Non primam nostram creationem dicit, C
sed secundam quæ est in baptismate. Conditi autem sumus, inquit, ad opera bona, quæ pręparauit deus ad ambulandum in illis. Possunt autem & de prima creatione intelligi. *Quæ præparauit deus.* Quæ etiam ante baptisma, inquit, præparauit deus. *Vt in eis ambularemus.* Habitum ad hæc denotat, qui nunquam quiescit.

Quapropter mementote quòd vos quondam gentes in carne vocabamini præputium ab ea quæ vocatur circuncisio in carne, quæ circuncisio manibus fit: quòd eratis inquam in tẽpore illo sine Chri-

D sto abalienati à conuersatione Israel, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, deóque carentes in mundo. Nunc autem per Christũ Iesum vos qui quondam eratis longinqui, facti estis propinqui per sanguinem Christi.

*Quapropter mementote.* Quoniam igitur omnino ad opera bona conditi sumus, memẽtote. Etenim moris est his, qui à multa abiectione ad sublimitatem subitò ascenderunt, non meminisci priorum. Vult dicere: Vos præputiati eratis prioribus temporibus, alieni à deo, & promissionibus: nunc autem qui tunc eratis alieni & longinqui, facti estis propinqui: Ostendit autem ex hoc Christi gubernationem, quia
E eos qui abalienati, & spe carentes erant, saluauit. Consydera verò quomodo ingeniosè deprimat circuncisionem ostẽdens solo sermone, & non opere illam præclarè se habere, tanquàm aliquid excellens supra præputium. Vos enim, inquit, qui eratis Gentes in carne, sed non in spiritu, & qui dicebamini (neque enim eratis iuxta spiritualem sermonem) præputiũ. ac si diceret: In carne & in sermonibus est, si quid vobis minus erat, nequaquam in spiritu. Deinde rursum de circuncisione loquens, ait: Ab ea quæ dicitur, & quæ manibus fit: indicans solùm eum primatum, qui in sermonibus est, & in carne. *Quòd eratis.* Quid illud est quod opus est, vt
F meminerimus? Quòd eratis, inquit, in tẽpore illo sine Christo. hoc ait miserũ erat: Nam esse præputiũ, erat carnis dũtaxat & nudi nominis. Deinde ꝗ etiã abalienati eratis, & hoc malum erat. Nam quanquã indigni videbãtur, qui erãt ex Israel, attamen illi deum nouerant. *Et extranei à testamentis.* Aut à lege, aut à promissione, quæ ad ipsos facta fuerat. Nõ dixit autem Separati, sed Abalienati: neque rursum Non participes, sed Extranei: quę multam ostendũt alienationem, *Spem non habentes.* Iudæi licèt propter indignitatem frustrati erant, attamen spem ex promissione habebant. Quid ad vos, inquit, Gẽtes, quæ spem non habebatis? *Deóque carentes in mundo.* Atqui deos adorabant, sed non erant dij: vos igitur, inquit, deo carebatis. Nam Iudæi licèt offendebant, ac resistebant, deum tamen nouerant. *Deóque carentes in mundo.* Hoc est in conuersatione vestra & cultu, quã-

tum ad præsentem vitã: nam quantum ad futuram etiam inuiti deum cognoscent. Non solum autem hoc, verumetiam iuxta præsentem vitam, tanquam dei opera, & ab eo gubernata, sine deo nõ erãt: quo modo ergo deo carentes propter conuersationem secundum mundum propter cultum, propter impurã mentem, ac voluntatem. *Nunc autem per Christũ Iesum.* Quum ostendisset ꝙ Gentes Iudæorum cõparatione multùm ac vehemẽter à deo alienatæ erant, ostendit ꝙ propter solam dei benignitatẽ propinquę factæ sint. Hunc autẽ sermonẽ omnẽ mouit, vt ostẽderet dei erga Gentes prouidẽtiã. Nã quãtò magis hi qui longinqui erãt, facti sunt propinqui, tantò magis ostenditur dei erga ipsos prouidentia. Facti estis propinqui. ἐγγὺς & μακρὰν, id est prope & procul, voluntatis ac mentis sunt, & non loci. Qui ergo longinqui eratis à conuersatione Israel, quæ est secundum deum, facti estis propinqui. Hoc autem significat quod sequitur, Qui fecit vtraq; vnum. Primùm tamen etiã rectè dictum erat. Per sanguinẽ, inquit, Christi, hoc est per suum sanguinẽ. Ipse enim qui sanguinem effudit pro nobis, & per hũc soluit peccatum, omnes in propinquum adduxit: nam ipse, inquit, est pax nostra. Siquidem ante incarnationem abominandi eramus, & angelis, & Iudæis, non solùm inimici.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum: & interstitium macerię diruit, nempe simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, vt duos conderet in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem: vt reconciliaret ambos in vno corpore deo per crucem, quũ peremisset per eam inimicitiam: & veniens annuntiauit pacem vobis, qui procul aberatis. & iis qui propè. Quoniam autem per illum habemus aditũ vtrique in vno spiritu ad patrem.

*Qui fecit utraq; unũ.* nẽpe Iudæos, ac Gẽtes. Hoc autẽ dicit, non ꝙ nos ad Iudæorum conuersationem, ac politiam duxerit, sed ꝙ illos & nos à paternis separatos moribus, ac traditionibus, mutuóq; coniunctos, ad suam fidẽ duxerit Christus. Nos tamen Gẽtes tantò magis gratias agere debemus,

D quātò magis extranei eramus. *Et interstitium maceriæ*. Interstitium marceriæ dicit simultatem erga deum, & nos ac Iudæos, quæ ex nostri proueniebat delictis, sicut etiam ipse dicit per prophetam: Nonne iniquitates vestræ diuisionem fecerūt inter vos & me? Quale autē interstitiū? simultatem, inquit, erga deū. *Per carnem suam*. Nā ἐν pro διὰ capitur, id est In, pro per. Nisi enim mortuus esset pro nobis, nequaquam solutū esset peccatū, quod nos à deo separabat. Duplex nāq; simultas erat, & duplex interstitiū, imò potius etiā triplex: quandoquidē etiam aduersus angelos bellū humana natura gerebat: nunc tamen de duabus interim disserit, putà quā habebant inter se mutuò qui ex Iudæis erant, & qui ex Gentibus, & quam vtriq; habebant aduersus deū vniuersorū, sed vtranq; simultatem, & vtrunq; interstitium soluit Christus deus noster. *Legem mandatorum*. Quandoquidem legē dederat, quæ nos muniret, nos autē homines illam transgressi sumus, soluit & ipsam legē. Quemadmodū si quis quum puero dederit pædagogum, quia non audit pædagogum, liberū esse permittat etiam à pædagogo, quum punire oporteret. Abrogans autē, ait, legem in decretis sitam: aut propter fidem, aut propter ea quæ ipse tradebat: Ego autem, inquit, dico vobis. *Vt duos conderet*. Vides ꝙ Græcus non sit factus Iudæus, sed & hic & ille ad meliorem statum venerint? Cōderet, ait, ostendens regenerationem. Omnes enim in vnum conditi sunt nouum quendam & fidelem hominem, ac alienum à vetustate peccatorum. *In semetipso*. Hoc est, per semetipsum, nō per angelos, aut alias quasuis potestates, sed per seipsum. Aut dicit quòd hoc primùm fecerit, typum ac specimen prębens. *Et reconciliaret*. Homines erga deum. Neque enim reconciliari vnquam deo poterant manentes Iudæi, aut Græci. Quòd enim ante hoc vehementer dissiderēt à deo, ostendit emphasis dictionis ἀποκαταλλάξῃ reconciliaret. *In uno corpore deo*. Hoc est factos vnum corpus, cuius ipse est caput. Per hoc quod dicit In vno corpore ostendit conciliationem, quæ facta est inter se mutuò. Per hoc autem quod ait, deo, amborum reconciliationem erga deum. *Per crucem quum peremissent*. Quomodo autem reconciliauit deo? Quum peremisset, inquit, inimicitiam per eam. Per crucem enim soluto morte sua peccato, etiam soluit

Margin notes: Iesa.59. — Pho. — E — Matth.5. — F — Pho.

Inimicitiam. Nihil autem maiorem habet emphasim, quàm A
ἀποκτείνας, id est, quum peremisset, denotat enim firmitatem solutionis. Quomodo ergo nunc adhuc peccamus? dicet aliquis. Alia producentes peccata: nam priora perempta sunt. *Et ueniens annuntiauit.* Nullo misso, sed sibiipsi factus minister. Procul autem fuisse dicit Gentes, & prope Iudæos. *Habemus aditum.* Reconciliationem & pacem quæ est erga deum. Non enim ex nobisipsis profecti sumus, sed à Christo adducti sumus. *In uno spiritu.* Nō illi quidem quòd prope essent, maiores habiti sunt: vos autem quòd procul distaretis, minoris. Per spiritum nanque factos amabiles vtrosque, B
adduxit ad patrem: & quia per seipsum, etiam per spiritum adduxit.

Iam igitur nō estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorum, ac domestici dei, superstructi super fundamētum apostolorum & prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo: in quo quęcūque structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum dei in spiritu.

*Iam non estis hospites.* Quum enim olim non potuerint C
nancisci spē cælestium, hospites erant & incolæ. *Sanctorum.* Nunc autem, inquit, eandē habetis cum sanctis ciuitatem: nempe cælestem Ierusalem. Consydera verò ꝙ nō dixerit Iudæorū, sed sanctorum, Abraham, inquit, ac similium. *Ac domestici dei.* Nam quod illi habebant, inquit, innumeris laboribus, hoc vobis per fidem donatum est. Volens autem vehementem significare vnionem Gentium ad prophetas, & apostolos, Superstructi ait, ac si diceret: In fundamētum positi sunt prophetæ & apostoli, vos reliquam structuram completis: vt omnes in vnum efficiamini templum dei: quod est veluti super prophetas & apostolos ædificari. *Apostolorum & prophetarum.* Vide ꝙ primi sint apostoli. *Summo angulari lapide.* Ipse enim & fundamentum & structuram continet ac complectitur. Animaduerte autem quòd interdum ipsum desuper complecti dicit, vbi videlicet caput illum nominat: interdū verò inferne, vt est Summo angulari

D lapide. Alibi verò etiam fundamentum dicit Christum. *In quo quæcunque structura.* In quo angulari lapide. *Coagmentatur.* Ostendit diligentem & studiosam structuram: simul indicans quod non alio modo crescet in templum sanctum, aut omnino saluabitur, nisi per vitã studiosam. *Crescit in templũ.* Hæc enim structura vbi crescit & cõpletur, in templum dei perficitur. Nam inhabitabo, inquit, in illis. Siquidem & generaliter deus in ecclesia habitat, & priuatim in vnoquoq; eorum qui digni sunt. *In domino.* Hoc est per dominum. *Et uos coædificamini* Primam structuram dixit vniuersalis ecclesiæ, hanc autẽ eorum qui Ephesi erant. *In spiritu.* Aut per spiritum, aut in spirituali structura.

Leui. 26. 2. Cor. 6.

E

CAPVT IIII.

*De data sibi diuina sapiẽtia ad Gẽtium illuminationem & dæmonum confutationem.*

Cap. 3. HVius rei gratia ego Paulus vinctus sum Christi Iesu pro vobis Gẽtibus. Siquidem audistis dispensationem gratiæ dei quę data est mihi in vos quòd secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium, quemadmodum antè scripsi paucis: ex quo potestis legentes intelligere cognitionẽ meam in mysterio Christi, quod in aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis per spi-
F ritum: vt sint Gentes cohęredes & eiusdem corporis, consortésque promissionis eius in Christo per euangelium.

*Huius rei gratia ego Paulus uinctus sum Christi Iesu pro uobis Gentibus.* Contingit enim esse vinctum Christi, hoc est propter immutabilem in ipsum fidem vinciri ac puniri, & non etiam pro Gentibus, hoc est propter doctrinam & prædicationem qua prædicat quispiam inter Gentes, quemadmodum multi martyrum. Neque enim supplicio afficiebantur quòd docerent Gẽtes, sed quòd Christum non negarẽt: Paulus verò propter vtrunque, nempe & propter Christum & propter Gentes: *Vinctus sum Christi Iesu.* Quandoqui-

dem, inquit, deus meus talia in nos exhibuit, necesse est & me iuxta vires aliquid in medium conferre. *Vinctus.* Scripsit enim quum esset in vinculis. Simul autem & hoc significat: Dominus meus crucifixus est, ego verò interim vinctus sum pro vobis Gentibus. *Siquidem audistis.* Vaticinium ait quod ad Ananiam dictum fuerat, nempe: Vas electum est mihi iste vt portet nomen meum coram Gentibus. *Dispensationem gratiæ dei.* Dispensationem gratiæ dicit reuelationem quòd non ab homine didicisset, sed ita dispensauit & ordinauit dei gratia, vt mihi de cælo reuelaretur. Gratiæ enim fuit quòd vocaretur ac luce perfunderetur, quo facilius persuaderetur & crederet. *Quæ data est mihi in vos.* Nam ipse mihi dixit: Ad Gentes procùl mittam te. *Quod secundum reuelationem notum fecit mihi mysterium.* Siquidem verè mysterium erat Græcos qui lapides colebant, ad tantam sublimari gloriam ac generositatem, quod ipsum etiã ei reuelatum erat. *Quemadmodum ante scripsi paucis.* Dispensationes dicit quæ antea prædictæ sunt, nempe quod vocatæ sint Gẽtes quum procùl essent, ac superstructæ sint, & quæcunque sunt huiusmodi. Paucis, vt ἐν, id est in, capitur pro διὰ, id est per, aut ἐν ὀλίγῳ, id est paulò antè. *Ex quo potestis legentes intelligere.* Papæ: non ergo scripsit quæ oportuit, sed quæ licebant intelligere. Cognitionem autem dicit quomodo mysterium cognouerit, quomodo illud intellexerit. Nam cognitio est peritia vel sciẽtia, seu intellectio quæ est de mysterio Christi. *Quod in aliis ætatibus non innotuit.* Quod mysterium, inquit, aliis ætatibus non innotuit. Hæc autem omnia Christi mysterium perficient, incarnatio, passio, resurrectio, sessio à dextris patris, vocatio Gentium, salus quæ est per fidẽ, eiectio Iudæi secundum carnẽ, coniunctio duorum populorum in vnum Christi corpus, sic dicta, imò quæ re ipsa talis est, secundus aduentus, ac retributio iuxta cuiusque meritum & quæcunque sunt huiusmodi. *Quemadmodum nunc reuelatum est.* Quid ergo? an olim prophetæ non nouerunt? Quomodo ergo dicit Christus, Moyses & prophetæ hæc de me scripserunt? Rursumque ait de scripturis: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me? Et dicimus. Vel hoc dixit quòd non omnibus hominibus innotuit. ait enim, Coram filiis hominũ: nunc siquidem

A — Act. 9. — Act. 22. — B — C — Luc. 22. — Iohan. 5.

D post incarnationem omnes homines ipsum intuiti sunt. Aut quòd neq; prophetę nouerunt sicut nunc visum est, hoc est, corporaliter. Aut quòd de Gentibus nulli ita innotuit: nempe quòd hæ cohæredes essent, & eiusdem corporis ac participes promissionis. *Et prophetis per spiritum.* Nam & nunc per spiritum est talis reuelatio. Certè qui spiritu priuantur, etiam nunc errant. Etenim quòd vocandæ essent Gentes, nouerant prophetæ, quòd autem cohæredes forent & comparticipes, non nouerant. *Et eiusdem corporis.* Vt vnum haberent cum Christo corpus eo quòd essent mẽbra eius. *Promißionis eius in Christo.* Regnũ etenim promissum est à patre: per Christum autem & fidem quæ in ipsum est, Gentes sunt huiusmodi promissionis participes. *Per euangelium.*
E Euangelium, inquit, conciliat & deducit eos ad fidem.

Cuius factus sum minister secundum donum gratiæ dei, quod datum est mihi secundum efficaciam potentiæ illius. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, vt inter Gentes annuntiem imperuestigabiles diuitias Christi, & in lucem proferam omnibus quæ sit dispensatio mysterii quod erat absconditum à seculis in deo, qui vniuersa condidit per Christum Iesum.

Factus sum, inquit, euãgelii minister, accepto hoc in donum gratiæ: nullum enim opus meum contuli ad hanc gra-
F tiam. Animaduerte quòd Paulus hæc dicat qui quotidie moriebatur. *Secundum efficaciam potentiæ.* Nec solùm data est mihi, inquit, hæc gratia, sed præter donum etiam efficaciter agit in me potentiam, vt potens sim ad ministerium euangelii. *Mihi minimo.* Consydera excellentem animi mode-
1.Cor.15. stiam. Alibi quidem sese non esse idoneum dicebat ad apostolatum, nunc verò etiam omnium sanctorum minimum dicit. Mihi ergo, inquit, data est gratia hæc. Et meritò gratia, si minimo, vt ait, sanctorum omnium commissa est prędicatio Gentium. *Mihi omnium minimo.* Deest ✠, id est enim: vt dicatur, Mihi enim. Aut potius nihil deficit, sed vt ei quod præcessit respondet, nempe Huius gratia, vt dicatur, Huius gratia mihi omnium sanctorũ minimo, &c. Consydera verò

quòd quum periodum iuxta rectum ſchema inchoaſſet, ad hoc declinauit, vt ei quod pręceſsit reſponderet ſermo, figurata vtens ſermonis reſponſione ad typum circuitionum. Ita & Thucydides & Demoſthenes multis in locis. Huius autẽ gratia, inquit, nempe vt vos coædificemini in habitaculum dei data eſt mihi gratia hæc. Quænam gratia? prædicandi, ait, in Gentibus. *Imperueſtigabiles diuitias.* Si diuitiæ ipſius ſunt imperueſtigabiles, quid oportet circa eius eſſentiam curioſum eſſe? *Quæ ſit diſpenſatio myſterij.* Siquidem quòd vocandæ eſſent Gentes, nouerant aliqui per ſpiritum: quòd autem ad talia vt ipſarum primitię fieret deus verbum, non nouerant. Hoc igitur dicit myſterium reuelatum. *A ſeculis.* Itaque non recens eſt quod circa Gentes actum eſt, ſed ſuperioribus temporibus datum fuerat. Meritò autem omnibus ignotum erat quòd Gentes talibus dignæ habẽdæ eſſent. Nam ſi in deo abſconditum erat, quiſnam eſſet qui reuelaret? *Qui uniuerſa condidit.* Pater nanque qui per ipſum vniuerſa condidit, hoc etiam per ipſum reuelauit. A B

Vt nota fiat nũc principatibus ac poteſtatibus in cæleſtibus per eccleſiam vehemẽter varia ſapientia dei, ſecũdum propoſitum ſeculorum, quod fecit in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quem habemus libertatẽ & aditũ cum fidutia quę eſt per fidẽ ipſius. Quapropter peto ne deficiatis ob afflictiões meas quas pro vobis tolero, quæ eſt gloria veſtra. C

*Vt nota fiat nunc.* Siquidem quòd facta eſſet pars domini populus Iaacob, nouerant: Et quòd ſaluaturus eſſet populum ſuũ, dixit Gabriel loquẽs de Iſrael: quòd autem ad hæc vocandæ eſſent Gentes, non nouerant. Si verò principatus & poteſtates non nouerant, manifeſtum eſt quòd neque angeli & archãgeli. *Principatibus ac poteſtatibus.* Neque enim inuiſibiles poteſtates nouerant myſterium, ſed per diſpenſationem factam circa eccleſiam, didicerunt ineffabilem dei ſapientiam. Ait autem, *Secundum propoſitum ſeculorum:* hoc eſt, Iſta quidem ante ſecula propoſuit, re autẽ ipſa exhibuit per diſpenſationem quæ facta eſt circa dominum Chriſtum. *In cæleſtibus.* Principatibus ac poteſtatibus quæ ſunt

Deute.32. Luc.1.

D in cælestibus. *Per ecclesiam.* Quando enim nos didicimus, tunc & illi per nos, videntes ecclesiam ex Gentibus, & per
Oecum. illam ad cognitionem ducti. *Vehementer varia* Ante tempora incarnationis saluatoris nostri simplicem cognoscebant cælestes potestates dei sapientiam, quam ex sola potentia assequebantur. Siquidem instinctu propriæ voluntatis deus omnibus rebus esse dederat, & quæ condita erant incomprehensibili potentia, vt permanerent, conseruabat: nec quicquam varium erat, sed quale videbatur, tale etiam erat. Nunc autem per dispensationem erga ecclesiam & humanũ genus, iam non solùm simplex, sed & vehementer varia cognita est dei sapientia, quę contraria per contraria efficeret: per mortem, vitam: per ignobilitatem, gloriam:
E per crucem, trophæum: per omnia abiecta, ea quę deum decerent. Per dispensationem ergo circa nos quæ facta est in incarnatione, cognita est vehementer varia dei sapientia & potentia cælestibus potestatibus. Ita habet diuus Gregorius octaua homilia interpretationis Canticorum. Non solùm varia, sed & vehementer varia, inquit, secundum propositum seculorum: hoc est, secundum præcognitionem & præscientiam & prædispositionem. Præfinitiones enim vocauit proposita. Nunc siquidem facta sunt, inquit, prius autem ita videbantur.
Pho. tem ita videbantur. ALIVD. *Secundum propositum seculorum nota fiat vehementer varia dei sapientia.* Hæc enim etiam
F ante secula proposita & præfinita fuerat, quanquam in postremis temporibus per ecclesiam cognita fuerit. Quòd autem ait, Quod fecit, vult quòd & hoc per Christũ & proposuit ante secula & præfiniuit. Nihil enim absque filio aut voluit aut definiuit aut fecit. *In Christo Iesu.* Per ipsum enim fecit & secula. *Per quem habemus libertatem.* Adducti ergo sumus ad deum & patrem per Christum. Sumus autem adducti non tanquam captiui, neque tanquam rei veniam peccatorum accepturi, sed cum libertate, inquit. Nec simpliciter cum libertate, sed cum audacia quadam & confidētia. Nam qui nos proprio sanguine sanctificauit, confidentes adduxit deinceps vt accederent per fidē ad ipsum. *Quapropter peto.* Ideo inquit, peto ne deficiatis, neque conturbemini ob afflictiones meas, quę pro vobis & propter vos mihi contingũt. Quo modo? Quia in tantũ nos dilexit deus vt & filiũ suum

daret, & seruos suos ad affligendum, quo vos saluaremini. A
An nō ergo gloria est, ita à deo diligi? Quapropter peto ne Pho.
deficiatis ob toleratas pro vobis afflictiones meas. Est enim per hyperbaton ordo literæ. *Ob afflictiones meas.* Quandoquidem, inquit, tot Gentes mihi creditæ sunt, necesse est etiam vinctum esse ab his qui prædicationi aduersantur.

CAPVT V.

*Precatio pro ecclesia apud potentiam & charitatem dei.*

HVius rei gratia flecto genua mea ad patrē domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à communi patre cognatio in cælis & in terra nominatur, vt det vobis iuxta diuitias gloriæ suæ: vt fortitudine corroboremini per spiritum suum, ad inhabi- B
tandum Christum internum hominem per fidem in cordibus vestris, fixis in charitate radicibus, iactóque fundamento.

*Huius rei gratia flecto genua mea.* Quoniā adeò dilecti fuistis à deo, precor, inquit, pro vobis. *Ex quo omnis à cōmuni patre cognatio.* In terra quidē πατριὰς, id est, cognationes vocat genera, vnde & patres appellantur: in cælo verò vbi non est hic ex hoc, & ille ex illo, cognationes dicit cōgregationes: idem enim & supernas tribus condidit & infernas. *Vt fortitudine corroboremini.* Animaduerte quanta cum excusatione precetur illis bona. Fortitudine, inquit, corrobore- C
mini, ne circunferamini. Id autem quomodo erit? *Per spiritum sanctū.* Corroborari verò, velut aduersus afflictiones intellige. *Ad internum hominem inhabitādum.* Ad inhabitandum, inquit, Christum in internum hominem: vt det vobis quo inhabitet Christus internum hominē, vt tēplum dei efficiamini: nec vtcunq; efficiamini, verumetiam in cordibus vestris. Nihil ait superficiale. Nam interior homo & corda, profundam inhabitationem & tanquā connaturalem, & quę fixas habeat radices designant. *Per fidem.* Quomodo autem erit hoc? Per fidē, inquit, & si fixis in charitate radicibus iactóque fundamento, à nullo moueamur. *Fixis in charitate radicibus.* Quòd ait Fixis radicibus iactóque fundamēto, aut Pho.

D ſcriptoris lapſus eſt ꝙ per nominatiuum legatur ἐρριζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι quum per accuſatiuũ dicere oportuiſſet: aut ſi non hoc recipiatur, more veteris ordinationis literæ, vſus eſt diuus Paulus participiali nominatiuo pro accuſatiuo. Frequens eſt autem & apud externos ſcriptores huiuſmodi ſchema, & præſertim apud Thucydidem. Quòd ſi etiam oporteat nominatiuum ad nominatiuum accipere, & non per antiptoſim, hoc quoq; modo conſequutio ſeruabitur, ſi reddamus literæ ordinem per hyperbaton: quo etiam ſchemate maximè vſus fuiſſe deprehẽditur diuus Paulus, putà vt hoc modo ordinatum ſit dictum: Vt in charitate fixas habentes radices iactúmque fundamentum, valeatis aſſequi cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, &c.

E Vt valeatis aſſequi cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & profunditas, & ſublimitas: & cognoſcere excellentem cognitionis charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinẽ dei. Ei verò qui poteſt cumulatè facere ſuper omnia quæ petimus aut cogitamus, iuxta vim agentem in nobis, ipſi ſit gloria in eccleſia in Chriſto Ieſu in omnes ætates ſeculi ſeculorum, Amen.

Hæc autem vobis, inquit, precor vt valeatis aſſequi. Multum autem laborem oſtendit per hoc quod ait, vt Valeatis & Aſſequi. *Quæ ſit latitudo & longitudo.* Corporalibus de-
F liniat figuris myſterij magnitudinem quod pro Gentibus diſpenſatione quadam factum eſt. Cuiúſnam eſt illa latitudo & longitudo & profunditas ac ſublimitas? aut myſterij, vt dictum ſit per defectum: aut etiam ſine defectu, ſed per hyperbaton: vt valeatis, inquit, aſſequi quæ ſit latitudo ac longitudo & ſublimitas ac profunditas cognitionis Chriſti, & cognoſcere excellẽtem erga nos charitatem ipſius. Eſt autem Chriſti cognitio manifeſtatio diſpẽſationis ipſius circa nos: charitas verò Chriſti quòd illud ipſum admirandum opus, ipſe & non alius pro nobis operatus ſit: quódque ipſe dux ſit ad hanc cognitionem, & quòd per ipſam potiſsimùm cognouerimus Chriſtum. Sed hæc quidẽ cognitio Chriſti eſt, eius autem longitudo eſt ipſam ante ſecula definitam fuiſſe

Latitudo verò, quòd ad vniuersos eius beneficentia extendatur: ad eos qui fuerunt ante legem, in lege & post legem, ad viuos & mortuos, ad Iudæos, ad Græcos, ad Barbaros, ad omnes gentes, ad cælestia ac terrena, pacem nanq; inter ipsos operatus est Christus, quum primùm dissiderent inter se mutuò angeli & homines. Precatur ergo ipsis vt hæc assequantur: & non hæc tantùm, sed & profunditatem eius ac sublimitatem: quoniam vsque ad inferni penetralia ineffabilem suam potentiam & beneficentiam exhibuit, illo quidem euacuato & captiuitati subiugato, captiuis autem redemptis ac libertati restitutis. Deinde etiam sublimitatem, quoniam is qui descendit ipse est & qui ascendit: quoniam super cælos subduxit primitias nostras, quoniam super omnem principatum ac potestatem & virtutem ac dominationem. Vides ineffabilem sublimitatem dispensationis Christi & cognitionis ipsius. Hæc precatur eis Paulus vt intelligant, hæc assequantur. Quòd si hæc assequuti fuerint, quidnam erit? tunc cognoscent excellẽtem erga nos charitatem. Et quid si hãc nouerimus? Quis contradicet quin debeamus impleri in omni plenitudine dei, nempe vt totum ipsum operibus suscipiamus qui nos ita dilexit. Per latitudinem autem, factæ dispensationis magnitudinem significauit, quoniam hæc sunt magnitudinis significatiua. *Et sublimitas.* putà mysterij. Et *cognoscere.* A communi sensu subaudito Vt valeatis: acsi dicat, Vt valeatis adipisci & cognoscere. *Excellentem cognitionis charitatem*: aut charitatem excedentem cognitionem τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην. Et vt cognoscatis, inquit, charitatem Christi excedentem omnem humanam cognitionem & quæ est veluti super cognitionẽ. Siquidem super cognitionem est, ait: attamẽ vos cognoscetis, si Christum inhabitãtem habeatis, vt ex hoc impleamini in omnẽ plenitudinem dei. Plenitudo verò dei est aut nosse quod in patre & filio ac spiritu sancto adoretur à nobis Vnus deus: aut vt sitis, inquit, repleti omni virtute qua plenus est deus. *Qui potest.* Deo qui potest non solùm iuxta id quod dicimus, verumetiam exuberanter facere omnia: nec solùm omnia, sed & super omnia: ipsi, inquit, gloria, Amen. Animaduerte autem duas hyperboles: putà super omnia facere quæ dicta sunt, & cumulatẽ ac exuberãter facere

A

Infra 4.

B

C

D quæ facit. Poſſet enim etiam plura ſummatim faciens quàm petita ſint, non abundè ac ſplendidè omnia facere. *Iuxta uim agentem.* Et ꝙ exuberanter ad ea quæ petimus, ac intelligimus potens ſit facere manifeſtum eſt ex agente in nobis vi ipſius. Quis enim hoc expectaſſet de Gentibus, ꝙ qui tãtùm à deo abruti & diſtracti erant, inter adoptatos inuenirentur? *Ipſi ſit gloria in eccleſia.* Quandoquidem oportet eũ qui tanta gratis dedit glorificari. Itaque glorificatio indiciũ eſt magnitudinis bonorum quæ in nobis acta ſunt ſuper omnem ſpem & expectationem humanam. Rectè autem gloria eius eſt in eccleſiis. Quia enim ipſæ continuè permanent, in his, inquit, ſit gloria dei, vt à nobis cõtinuè glorificetur: idque ad omnes perueniat ętates. Aut quòd ipſi eccleſię precatur vt obſeruet ſemper dei glorificationem, & nunquam ab ea auertatur. Quòd autem ait, In Chriſto Ieſu, aut intellige, Cum Chriſto Ieſu: aut ſi intellexeris per Ieſum Chriſtum, propter carnem hoc dictum eſſe cognoſce.

E

Oecum.

## CAPVT VI.

*Exhortatio pro charitate unitiua, quamuis dona diuidantur ad communem utilitatem.*

Cap.4.

** quãquã hoc loco haberet noſtrũ exemplar ἡμῖν ſecũda pſona, id tamẽ librarij ſeu typographi factũ eſſe uitio facilè ex hoc deprehenditur, ꝙ in cõmẽtariis &*

F

HOrtor itaque vos ego vinctus in domino, vt ambuletis ita vt dignum eſt vocatione qua vocati eſtis, cum omni ſubmiſsione ac manſuetudine, cum longanimitate, tolerantes vos inuicem per charitatem: ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus per vinculum ſpiritus, quemadmodum & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus dominus, vna fides, vnũ baptiſma: vnus deus & pater omniũ qui eſt ſuper omnes & per omnes, & in omnibus nobis.*

Vinctus, inquit, propter dominum. Papę quanta dignitas vinctum eſſe propter Chriſtũ. Papæ quãta dixit beatus Iohannes in laudem catenæ Pauli. Nam & ipſe apoſtolus hanc in medium profert tanquam per eam flectens ipſos. *Vocatione qua uocati eſtis.* Magna enim eſt vocatio & ad magna: vt habeant caput Chriſtum, vt ſint filij dei. *Cum omni ſubmiſsione.* Hoc eſt, in omni re, & ad omnem perſonam. Ita e-

nim contingit ambulare vt dignum est vocatione, nempe cũ submissione ac mansuetudine ac longanimitate tolerando inuicem. Vbi enim est charitas omnia facilè tolerantur. *Studentes seruare unitatẽ spiritus*, Per hoc ꝙ mutuò pacificè colligemini secundum vnum corpus & secundum vnum spiritum. Id enim est vnitas spiritus qua ille vos vniuit, & ita vocati estis. Aut studentes inuicem seruare & custodire vnum corpus & vnum spiritum secundum vnitatem spiritus, sicut etiam vocati estis. Huiusmodi autem vnionem seruat vinculum charitatis. Verũ si priori modo intelligatur, defectiuus tantùm erit sermo, deficiente prępositione κατά. i. secũdum, hoc est, secundum vnum corpus, & secundum vnũ spiritum: si verò iuxta posteriorem modum, tres habet tropos: nempe hyperbaton, & A communi sensu subintellectionem cum zeugmate, ac tertiò Eclypsim siue defectum, deficiente etiam hic eadem præpositione, nempe secundum vnitatem. A communi autem sensu subintelligendo cum zeugmate, accipiendo Inuicem: subaudietur enim Inuicem. Porrò hyperbaton manifestum est. † *Vnitatem spiritus*. Quemadmodum enim in nostris corporibus est noster spiritus agens in omnibus mẽbris & omnia continens: ita & spiritus sanctus nobis datus est, eos qui genere & modo ac moribus differebant, vniens: & faciẽs nos vnum corpus. Hanc seruabimus vnitatem quæ nobis per spiritum sanctum data est. Quę fit, inquit, per vinculum pacis. *Vnum corpus*. Ita simul vniamini, ait, ita inuicem curate: nam ex hoc quoque vnum habebitis spiritũ, hoc est, similem gratiã spiritus. Aut quia contingit vnum corpus habere, non tamen eũdem spiritum, sicut quando hæreticorum quispiam amicus fuerit. Aut ꝙ hoc dicat. Quum vnum acceperitis spiritũ, non debetis dissidere, sed vnum esse corpus. Aut quia spiritum hoc loco vocat animi promptitudinem. Aut quasi vnus sitis spiritus, & vnum corpus: ita enim vocati estis. *In una spe*. Deus, inquit, nos ad eadem vocauit, nulli amplius distribuẽs: omnibus immortalitatem, omnibus vitam promisit æternam, omnibus gloriã immortalem, omnibus fraternitatem, omnibus hæreditatem: cõmuni modo omniũ factus est caput: omnes congregauit & consedere fecit. Si ergo in spiritualibus, inquit, tantam habetis cõmunicationem, debetis & vnum es-

A *repetit & interpretatur* ὑμῖν *prima pso na. Et ita legisse uidetur qui uulgatam dedit æditionẽ: & similiter Cõplutensis æditio.* B *Eã igitur lectionẽ & nos restituim⁹.*

† *Iuxta has datas* C *interpretatiões sumenda essent nomina* ἓν, σῶμα *et* ἓν πνεῦμα *accusandi casu, id est unũ corpus & unũ spiritũ apud Græ*

*cos e-nim utra-q; dictio neutro genere effertur parem habens nominatiuũ cũ accusatiuo.*

D se corpus in charitatis commixtione. *Vocationis uestræ.* Nam omnia quæ dicta sunt, communis vobis spes est ex vocatione proueniens *Vnus dominus, una fides.* Ecce & alia communicatio: vnus nobis est dominus, vna fides, vnum baptisma: non oportet ergo nos dissidere. *Vnus deus & pater.* Ecce & alia communicatio & amoris occasio, q̃ sit nobis vnus pater deus. *Et super omnes.* Nam ἐπὶ pro ἐπάνω capitur. *Et per omnes.* Hoc est, prouidentiam agens per omnes nos. *Et in omnibus nobis.* Hoc est, inhabitans in omnibus nobis.

*Psal.67.*

Verùm vnicuique nostrum data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quapropter dicit, Quum ascenderet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Cæterùm illud

E ascendit quid est nisi q̃ etiam descenderat prius in infimas partes terræ? Qui descendit, idem ille est qui etiam ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia. Et idem dedit alios quidem apostolos, alios verò prophetas, alios autem euangelistas, alios verò pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationẽ corporis Christi, donec perueniamus omnes in vnitatem fidei, & cognitionis filii dei, in virum perfectũ,

F in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Si omnia vt dicis communia sunt, vnde prouenit vt hic quidem maiorem, ille verò minorem haberet gratiam? nam hoc potissimùm ipsos ad inuidiam ducebat: & ait, Vnicuiq; data est gratia, id est, donum iuxta mensurã donationis Christi: acsi diceret, Si ipse mensus est, omnino rectè mensus est, omnino & vtiliter. Et si doni est, quicquid illud est quod accepisti, pro eo gratias age: pro eo verò quod non accepisti, ne inuideas: donum enim est: tanquam diceret, Nouit qui distribuit ac donauit, quomodo rectè & vtiliter hoc fecerit. Alia siquidem communiter proponuntur, dona verò data sunt iuxta proportionem puritatis vniuscuiusque. *Quapropter dicit, Quum ascenderet in altum.* Et q̃ gratia, inquit, do-

num sit

num sit Christi, & ipse distribuendo dederit, audi Dauid. A
Quod autem ait, Quum ascenderet in altum, alibi dicit: Ele Psal. 8.
uata est magnificentia tua super cælos. Quem autem duxit
captiuum? nos videlicet, pulchram & vtilem captiuitatem.
Quum enim spirituali bello vicisset diabolum, nos tulit captiuos, non vt seruituti subiiceret (Quomodo enim hoc fecisset quũ iam olim serui essemus?) sed vt ab amara illius peruersi tyrannide liberaret. Quidam verò de cruce hoc intellexerunt, Quum ascēderet in crucem, captiuam duxit. Captiuum quidem duxit diabolum: loco autem supplicij dedit dona & gratias his qui captiui fuerant detenti. *Et dedit dona.* Christi itaque dona sunt: quid igitur indignaris quòd multùm non habeas aut inuides habenti? Et hic quidem ita est. Cæterùm vlterius descendendo ostendit, quòd ad vtilitatem ecclesiæ quisque donũ acceperit, & qui magnum accepit & qui non tale, & non propter propria opera, neque quòd dignus esset quispiam ad accipiendum. Quis ergo inuidere poterit ei qui propter aliquam caussam & ad aliorum commodum accepit? Quantò enim maius est donum, tantò exactius erit reddenda ratio. *Et dedit dona.* Nam qui fidem accepit reddit gratiam. *Cæterùm illud ascendit quid est?* Nihil, inquit, necesse fuisset prophetæ dicere Ascendit, nisi nouisset eum prius descendisse. Nam de eo qui prius descenderat solet quispiam dicere, Ascendit. Quoniam is qui ascendit aut in eo quòd ascendit, initium sumit vt in loco superiori sit: quemadmodum vbi incipit quispiam ascendere, quum ab initio non esset in superiori loco. Aut non nunc accipit ascensus initium, sed ab initio quidē in loco superiori erat: quum autem inde descendisset, nunc rursum ascendit. Itaq; vbi dixit, Quum ascenderet, interpretatur quomodo intelligere oporteat Quum ascenderet: quòd non quasi nunc ascendere inceperit: erat enim ab initio in sublimitate diuinę dignitatis ac paternæ gloriæ: sed quòd à sui iuxta dispensationem demissione & descensu vsque ad inferos, in decentem diuinæ sublimitatis manifestationem rursum ascendēs, dicitur, inquit, quòd ascendit. *In infimas partes terræ.* Post quem videlicet locum non sunt aliæ inferiores. Dicit autem infernum veluti ad communem loquēdi modum respiciēs. Ita enim dicere consueuimus. Propterea Iaacob quoque ait:

Pho.

B

Pho.

Pho.

C

D Et deducetis senectutem meã cum dolore ad inferos. Et Da
Gene.42. uid, Et assimilabor descendentibus in lacum. Infimas enim
Psal.142. partes terræ mortem vocauit. *Idem ille est qui etiam ascendit.*
Hoc Nestorij deiicit blasphemiam. Idem, inquit, est qui descendit & qui ascendit. Descendit siquidem ad incarnationem tanquam deus, ascendit autem tanquam homo. Rursum descendit quidem ad infernũ vt homo, resurgit verò vt deus: Nec id solùm, verumetiam supra cælos collocatur: nec id vtcunque, sed super omnes: per quietem quæ ibi est & cathedram designans nostram assumptionem. Suprà omnes cælos. Hoc, ait, quod nihil illi ad ascensum fuit impedi-
E mento ipsa ad infima descensio. Itaque quantò, inquit, etiã nostrum aliquis magis se submiserit, tantò magis sublimatur. *Vt impleret omnia.* Etenim nuda quoque diuinitate olim omnia implebat, & incarnatus vt omnia carne impleret, descendit & ascendit. Et idem dedit. Qui non recusauit, inquit, propter nostram salutem ad infima descendere, idem ipse distributionem fecit charismatum siue donorum. Non oportet itaque ob diuisionem indignari. Si enim ipse dedit, quare contradicis? Alibi verò dicit spiritum dare dona: Om
1.Cor.12. nia, inquit, hæc operatur vnus idémque spiritus: Alibi pa-
& 3. trem dicit, vt quum ait: Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus incrementum dedit: hoc loco filium. Nam omnia san
F ctæ ac beatæ trinitati sunt communia. *Alios quidem apostolos, alios uerò prophetas.* Apostoli nanque etiam prophetiam habebant, qui verò tunc prophetę dicebantur non habebant apostolatum. *Alios autẽ euangelistas.* qui euangeliũ conscripserunt. *Alios uerò pastores ac doctores.* Episcopos dicit quibus creditæ erant ecclesiæ, qualis erat Timotheus, qualis Titus. *Ad instaurationem sanctorum.* Vides causam cur data sint dona? Ad instauratione͂, inquit, hoc est, ad perfectionem, ad completionem, vt in his ministrare͂t ecclesię ipsamque ædificarent. Quantò igitur quispiam maius accepit donum, tantò maius sustinet onus. Hæc autem eis dicit qui inuidia maiorum donorum ab ecclesia amputati erant, ostendens quòd omnium opus ad vnum respicit finem, nempe ad instaurationem sanctorum. Quid igitur inuidia opus est? Sanctorum autem, id est, fidelium. *Perueniamus.* Nam καταντήσωμεν. i. occurramus, capitur pro φθάσωμεν. i. peruenia-

*mus. In unitatem fidei.* Hoc est, donec omnes vnam fidem habeamus vnusquisque laborat, & vnusquisque ministrat: vnitas enim fidei est non disidere circa dogmata. Id nanque cognitio est filij dei, vt de eo non disideamus. Virum autem perfectum, mensurámque ætatis dicit perfectam erga Christum dilectionem & de ipso notitiam. *Plenitudinis Christi.* Plenitudinem Christi dicit perfectam de Christo cognitionem ac fidem, vt quòd ex virgine carnem acceperit, quòd ex diuinitate & humanitate in vnã côuenerit personam. Ne enim audito viro perfecto & mensura ætatis, corporalem intelligas ætatem, subiunxit Plenitudinis Christi: ac si diceres: Donec ad perfectionem veniamus perfectę in Christum fidei & cognitionis. Non enim quiuis efficitur pars totius plenitudinis siue corporis Christi: sed qui in virum perfectum cognitionis eius peruenerit, & in mensuram dignæ ætatis plenitudinis Christi.

A

Oecum.

Pho.

B

Vt non amplius simus pueri qui fluctuemus omni vento doctrinæ per versutiam hominum, per astutiam ad insidias deceptionis: sed veritatem seruantes in charitate, crescamus in illum per omnia qui est caput, nẽpe Christum: à quo totum corpus, quod coaptatur & compingitur per omnem tactũ subministrationis, iuxta efficaciam ad mensuram vniuscuiusque partis incrementum corporis facit ad ædificationem suiipsius per charitatem. C

*Vt non amplius simus pueri.* Ostendit ipsos olim ita fuisse affectos, & per modum narrationis corrigit eos ac seipsum coniungit ne odiosus fiat sermo. Pueros autem dicit fide. *Et circumferamur.* Re vera enim puerorum est circumferri qui firmi & stabiles non sunt. *Omni uento.* Quum præmisisset Qui fluctuemus, in tropo permansit, subiungens & vẽtum doctrinæ. *Per versutiam hominum.* Versuti in verbis dicuntur, qui interdum quidem hoc, interdum verò illud docent, & vafricie sua semper ab hoc ad illud transeunt. Huiusmodi sunt hæretici. Huiusmodi autem etiam astuti, inquit, ad inueniendum semina & occasionem deceptionis, omnia machinantur vt fallant ac imponant. κυβείαν autem

D dicit verſutiam & aſtutiam. Factum eſt autē nomē à κυβεύειν
.i. taxillis ludere: quòd ibi verſutis familare ſit calculos hàc
& illac tranſmutare. *Sed ueritatem ſeruantes in charitate.* Si-
quidem illi de quibus ſermo eſt adulterina & falſa docent,
nos autem veritatem ſeruantes in dogmatis & vita ac ſer-
mone, in charitate alioquin enim non contingit ſeruare ve-
ritatem, creſcamus & ædificemur in Chriſtum caput noſtrū,
per omnia noſtra & vitam & ſermones ac dogmata. *Ex quo
totum corpus.* Quemadmodum in noſtris corporibus ſpiri-
tus vitalis à cerebro per neruos deſcendēs, nō æqualiter o-
mnibus membris inſpirat virtutem: ſed huic quidem am-
plius potēti ſuſcipere, plus tribuit, ei autem quod minus
E poteſt, minus elargitur: ita & Chriſtus. Tanquam enim mē-
bris animarum noſtrarum ex ipſo & in ipſum pēdentibus,
ſpiritualis eius virtus ac donorū diuiſio, iuxta proportio-
nem cuiuſque ipſius membri applicata, augmentum efficit
ſpiritualis ætatis. *Per tactum ſubminiſtrationis.* Hoc eſt per
aptam ſubminiſtrationem quæ fit in contrectatione & ve-
lut in ſcrutatione. Spiritualis enim illa virtus quæ à Chriſto
deſcēdit cuique membro ipſius ita vim exerit, ſicut quódq;
inuenerit aptum ad ſuſceptionem. ac ſi diceret: Nos homi-
nes qui membra Chriſti ſumus, iuxta propriam ſpiritualis
menſuræ proportionem, ſuſcipiētes quæ à Chriſto eſt ſub-
miniſtrationem, augemur. Spiritus nanque ſupernè à Chri-
F ſto influens abundè & ſubminiſtratus, omnibus adaptatus
qui in Chriſti membra perficiuntur, iuxta proportionem
virtutis vniuſcuiuſque facit augmentum. Animaduerte
Oecum. quid & mihi viſum ſit: neque enim eò progreſſus ſum vt cō
ſyderarem ac intelligerem quæ ipſius ſancti ſunt. A quo
Iohan. Chriſto omne corpus eccleſiæ quod ipſi coaptatur & com-
pingitur, hoc eſt, conglutinatur ei & ad eum vnitur tanquā
ad proprium caput: ab ipſo enim habemus vt ei adhærea-
mus ſiue adglutinemur: adhærens autem per omnem tactū,
hoc eſt, ſenſum ſubminiſtrationis, iuxta efficaciam ad men-
ſuram vniuſcuiuſque partis, hoc eſt, per ſubminiſtratio-
nem ſancti ſpiritus quæ eſt iuxta efficaciam Chriſti, fitq; ſe
cundum menſuram & virtutem ad ſuſcipiendum quæ eſt
in vnoquoque membro Chriſti, facit augmentum corporis
Chriſti, id eſt, eccleſiæ: augmentum autem nempe ſpiritua-

le. Nam per subministrationem spiritus sancti crescit eccle- A
sia ad perfectam mensuram spiritualis ætatis: siue per dona,
siue per cognitionem, siue per fidem. *A quo omne corpus.* Pho.
siue fideles, quod coaptatur & compingitur, augmentũ pro
prium facit ad propriam ædificationem & perfectionem, &
non cuiuspiam alterius gratia: sed per Charitatem, ait, quia
nullum omnino bonorum absque charitate consistit ac per-
ficitur, maximè autem vnio & adoptatio quæ fit per fidem.
Sed quomodo coaptantur & compinguntur inter se fideles?
per omnem tactum, inquit: vt non hic quidem illum contin
gat, iste verò illum, sed singuli contingant omnes. Nam per
omnem contactum fit commune totius corporis augmen- B
tum. Vnde autem oritur hic tactus & contactus? Submini-
strationis est Christi ait. Subministrationis inquam, nam in-
ter alia ipsius beneficia etiam mutuum contactum ipse sub-
ministrat. Ait autem: Iuxta efficaciam seu operationem: ne-
que enim solùm conuenienter dispositum esse ad cõtactum,
verumetiã ipsum contingere, est subministrationis eius. Di
cit autem, Ad mensuram vniuscuiusq; partis, ne audito
quòd ipse nos mutuò coaptat, ac ipse subministrat contactũ
iuxta efficaciam, doniq; ac subministrationis eius sint vni-
uersa: ne tu inquam, ista considerans, ad segniciem declines
quasi omnia inde gratias habens: addit hæc, quòd licèt gra
tis subministrentur, sit tamẽ distributio iuxta mensurã prõ-
ptitudinis vniuscuiusque recipientium. *Ad ædificationem sui-* C
*ipsius.* Augens enim Christus ecclesiã spiritualiter ac sen-
sibiliter, seipsum ædificat, quandoquidem proprium auget
corpus, sicut caput membra. Et rectè addit per charitatem:
Nisi enim hęc nobis addatur, nihil horum nobis continget.
Aut per charitatem qua ipse nos diligit: nam quia nos, in-
quit, diligit, ideo hæc facit. Et rectè addit, Per charitatem.
Sine hac enim ad nullum descendet spiritus sanctus. Oecum.

## CAPVT VII.

*De prudentia ac Iustitia, quæ nos deo conformes reddit.*

HOc itaq; dico, & testor per dominũ, ne post-
hac ambuletis, quemadmodum & reliquę Gen
tes ambulant in vanitate mentis suæ, obtenebrati

D mente, abalienati à vita dei, propter ignorantiam quæ eſt in illis, propter excæcationem cordis eorũ: qui vbi dolere deſierunt: ſemetipſos tradiderunt laſciuiæ, ad patrãdum omnem immunditiam cum auiditate.

Oportuit non ſolùm exhortando, ſed & terrendo, & deo tradendo, doctrinæ operam dare. Teſtor, inquit, per dominum, hoc eſt teſtem inuoco dominum, quod dixerim quid vos oporteat agere, & animaduerte ſapientiam. Non dixit, E Ne poſthac ambuletis ſicut ambulabatis: hoc enim modo foriiſſet eos: hoc tamen indicauit, ſed ab aliis duxit exẽplum. *In uanitate mentis ſuæ.* Vt non occupetur circa vana mens veſtra. Intelligentes & credentes ac ſuſcipientes, non quæ Pho. veritatis ſunt, ſed quæcunque mens ipſorum vanè commenta fuerit, ac excogitauerit. Quid enim eorũ quæ recta ſunt cogitare poſſet, qui mentem habet obtenebratam? *Obtenebrati mente.* Multitudo nanque mundanorum peccatorum aciem mentis obtenebrans non ſinit intueri ſolem iuſtitiæ Chriſtum, vnde obſtinatio oritur cordis, quod in progreſſu dicit tanquam cæcitas quędam & inſenſibilitas. Obtenebratio enim inſenſibilitas eſt. *Propter ignorantiam quæ eſt in illis.* Si igitur ignorant dicet quiſpiam, etſi excæcati ſunt reprehendi non merentur, nec puniri, ſed magis doceri. Verùm a-F nimaduerte quomodo veniam ab eis, aufert. Qui, inquit, vbi dolere deſierunt ſemetipſos tradiderunt laſciuiæ ad patrandum omnem immunditiam. Oſtendit nanque ꝙ ignorantiæ, ac cęcitatis cauſa ipſis fuerit vita, porrò vita ex propria ſegnitie prouenit, & indolentia, ſiue ſtupore. Nam ſemetipſos ait tradiderunt. Quum igitur in eum epiſtolæ ad Rom. 1. Romanos locum incideris, Tradidit eos deus in reprobam mentem, iuxta præſentẽ declarationem illud intellige: permiſit enim deus ipſos tradi, quandoquidem ſeſe dignos reddiderãt. *Propter excæcationem* Propter inſenſibilitatem. Siquidem lucis obtenebratio adfert ſenſus carẽtiam, eo quòd non habeant in ſeipſis dei timorem. *Qui ubi dolere deſierunt.* Poſtquam in vitam iniquam, & diuinarum legum cõtemptricem impegerunt, paulatim ægrotantes ad indolentiam, ac ſtuporem deuenerunt. *Vbi dolere deſierunt.* Hoc eſt

insensibiles sunt effecti, posteaquam præ segnitie laborare noluerunt ad recti inuentionem. *Semetipsos tradiderunt lasciuiæ.* Quomodo enim is qui in lasciuia degit, posset deum cognoscere? Causa itaque ignorantiæ lasciuia est, qua secũdum mentem quis errat. *Ad patrandum immunditiam.* Sic vt opere, inquit, lasciui esse decreuerint, & auidi. An non poterant non esse lasciui & auidi? Vtique manifestum est quod sic. Vides quòd in manu eorum fuerit cæcitas? *Cum auiditate.* Aut quòd duabus sese tradiderint affectionibus, nempe lasciuiæ, & habendi auiditati, quæ magis in prõptu sunt, quàm cætera vitia: aut ꝙ lasciuiam & immunditiam simpliciter cum auiditate, hoc est vltra modum, & omni cum desiderio & auiditate perpetrarunt. A

Vos autem nõ sic didicistis Christum: siquidem illũ audistis, & in eo docti fuistis, quẽadmodum est veritas in Iesu deponere iuxta priorẽ conuersationem veterem hominem, qui corrũpitur iuxta concupiscentias deceptionis: renouari autẽ spiritu mentis vestræ, & induere nouũ hominem, qui iuxta deũ conditus est per iustitiam & sanctitatem veritatis. B

*Vos autem non sic didicistis.* Non in hunc, inquit, finem, vt illis similia perpetraretis. Quòd autem ait, Siquidem illum audistis, diuus Iohannes pro confirmatione accepit, quemadmodum illum audistis, inquit. Potest tamen quispiam, & per dubitationem illud accipere, quo magis ipsos feriat: ac si diceret: Hæsito enim num is qui Christũ audiuit, & in eo doctus est, huiusmodi operetur. *Quemadmodum est ueritas in Iesu deponere.* Nam hoc docti fuistis, & hæc est veritas in Iesu deponere iuxta priorem conuersationem veterem hominem, qui est in peccatis. Non enim veterem hominẽ appellauit naturam, sed peccati efficaciam & operationem. *Qui corrumpitur iuxta concupiscentias.* Aut iuxta cõcupiscentias, ponitur pro eo quòd est Per concupiscentias. Per eas nanq; corrumpitur homo, sicut lana per ipsas, quas gignit tineas. Corrumpitur autem & in gehenna, & in præsenti vita. Intemperantiæ enim ac lasciuiæ non animæ solùm, sed & corporis corruptiuæ sunt. Aut quemadmodum, inquit, concu- C

D piſcentiæ corrumpuntur, ídque & morbo, & tempore, ac tandem morte, ita & ipſe homo qui concupiſcentias producit. Rectè autem peccatum, quod ex concupiſcentiis perficitur, deceptionem vocauit. Siquidem error eſt, & non propriè voluptas. *Renouari autem ſpiritu.* Renouari autem per ſpiritum ſanctum, qui eſt in mente veſtra. Spiritus enim veteres non fert actiones. Rectè autem huiuſmodi renouationem dicit in ſpiritu fieri: corporaliter enim nõ efficimur alij ex aliis, ſed per ſpiritum eſt renouatio, ducatum præbente pœnitentia, & peccatorum vetuſtatem abradente. *Et induere.* Docti fuiſtis deponere, renouari & induere: Nam à communi ſenſu ſumendum eſt, Docti fuiſtis. ALIO MODO. Inducere dicit in baptiſmate: induere & per

E pœnitentiam, & per bonam conuerſationem. *Nouum hominem.* Vides quòd voluntarium ſit opus, magíſq; in prõptu? Nouũ autem dicit qui in virtute degit, queadmodum vetus in peccatis. *Qui iuxta deum conditus eſt.* Qui enim in virtute viuit, iuxta deum conditus eſt, & iuxta deum conuerſatur. Iuſtitia verò dicitur virtus vniuerſalis: ſanctitas autem eſt puritas. *Et ſanctitatem ueritatis.* Erat & apud Iudęos iuſtitia & ſanctitas, ſed figuralis: nam circa corporis purificationem occupabantur: verùm non hanc, ſed quæ in anima eſt ſanctitatem, ac iuſtitiam induite: Hæc enim veritatis eſt. Aut iuſtitiam veritatis dicit ad diſtinctionem eius, quæ eſt in ſimulatione & hypocriſi.

Quapropter depoſito mẽdacio, loquimini veri-

F tatem quiſq; cum proximo ſuo, quoniã ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & non peccetis. Sol ne óccidat ſuper iram veſtrã: ne detis locũ diabolo. Qui furabatur, ne amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum eſt, vt poſſit impartiri ei qui opus habuerit. Omnis ſermo ſpurcus ex ore veſtro ne procedat, ſed ſi quis eſt bonus ad ædificationem negotii, vt det gratiam audiẽtibus.

Vniuerſaliter dixerat veterem hominem: cæterùm etiam ſpecialiter ipſum deſcribit. Et primò mendacium eius amputat, velut à propriis membris, acſi diceret, Nũquid ocu-

lus vbi feram intuitus est, nō dat pedibus operam vt fugiāt? A
aut manus mali quippiam contrectans ludificat cætera membra? Ita, inquit, & vos oportet affectos esse. *Irascimini, & non peccetis.* Dixit, Ne mentiamini. Quoniā ergo frequenter quispiam mentiendo iræ ansam præbuit, idcirco ait, Pulchrum quidem est omnino non irasci: verùm si id non cōtingat, saltem ne ad peccatum exagitemini, neque diutius permaneat apud vos irę affectus. Contingit enim vt dicit quispiam, iusta ira ad horā impleri: solue autē ipsam ante Solis occasum, & ne Sol super indignos ortus fuisse dicatur, & ne nox cogitationibus infeliciorem efficiat flāmam. Quosdam ita audiui interpretātes. Vna, ait, inculpata ira est, nēpe quæ Oecum.
erga dæmones & affectus concitatur. *Ne detis locum.* Aut cum superiore coniūgitur sententia, Ne óccidat, inquit, Sol B
super iram vestrā, vt non detis locū diabolo per cogitationes nocturnas amplius vos inflāmandi aduersus fratres. *Diabolo.* Inuicem ergo pugnare, est dare locum diabolo aduersus nosipsos. *Qui furabatur, non amplius furetur.* Ecce membra veteris hominis. Vbi autem nunc sunt qui sordibus oppleti, seipsos tamen puros dicunt, non suscipientes pœnitentiam? Ecce enim manifestè audiunt, Qui furabatur, non amplius furetur, *Magis autē laboret.* Neq; enim satis est à peccatis cessasse eum qui resipiscit, sed & priori contraria incedendum est ipsi via. Dicens autem, Laboret, operis difficultatem significauit. Quod bonū est, inquit. Siquidē operatur etiam is qui furatur, sed quod malū est. *Omnis sermo spur-* C
*cus.* σαπρὸν dicit, aut otiosum, & vanū, aut putridum, & graueolens. Quid enim magis putridū est, aut grauius olet, quā conuitiū, detractio, obscœnum verbū, aut dicacitas? *Ad ædificationem negotij.* Cuius negotij? præsentis, inquit, de quo est disceptatio. Oportet enim virū spiritualem omnem propositā disceptationem cōuertere ad ædificationē eorum qui conueniunt. *Vt det gratiā audientibus.* Vt det, inquit, dei gratiam audientibus, aut vt dei gratiam tibi referant ob ea quę loqueris: aut vt spiritualiter gratus illis fiat. Erit autem hoc si de temperantia, de iustitia, de eleemosyna loquatur.

Et ne cōtristetis spiritum sanctum dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Omnis ama-

D rulentia, & tumor, & ira, & vociferatio, & maledicentia, tollatur à vobis cum omni malitia.

Pauendum quiddam dicit. Ostēdit enim, quòd omnis qui spurcum sermonem loquitur, spiritum sanctum contristat. Deinde etiam ex beneficio spiritus sermonē magis tremendum reddit: ait enim, Per quem obsignati estis. In baptismate nanque nos obsignauit, tanquam manifestum efficiens, quòd dei populus simus: siquidem hic dies redēptionis fuit. *Omnis amarulentia.* Amarulentiam vocat vehementiam in dicendo, & præparationē ad iram: tumor autem iræ generatiuus est, ex ira verò procedit vociferatio, & ex hac maledi-
E centia, siue conuitium. Hæc igitur omnia tollantur à vobis. Non dicit, Cohibeantur, aut Puniantur, sed omnem eorum significans ablationem, tollantur, inquit, cum omni malitia. Quandoquidem enim nonnulli sunt homines more canum clàm mordētes, qui neque vociferantur, neque manifestam faciunt iram, sed in animo eam seruantes, data occasione vlciscuntur se de eo qui contristauit, vult latentem quoque intus malitiam tolli, & exterminari.

Sitis autem inuicem comes alius in alium, misericordes, donantes vobis inuicem, quemadmodum
Cap.5. & deus per Christum donauit vobis. Estote igitur imitatores dei tanquam filii dilecti, & ambulate in
F dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, ac victimā deo in odorem bonæ fragrantiæ.

Neque enim sufficit sola à malis abstinentia, vt liberetur quis à supplicio, nisi etiam bonum operetur. Et hoc indicāt
Matt. 25. qui à sinistris sunt, qui de nullo prauo opere accusantur, sed quòd non pauerint, potum non dederint, non operuerint: quæ sunt bonorum operationes. Necessaria est itaque nobis bonorum quoque operatio. Ideo postquam praua abstulit Paulus, ad bonorū operationem exhortatur. *Comes.* Tanquam ad oppositam iræ distinctionem. *Misericordes.* Veluti ad distinctionem oppositam amarulentię. Posuit autem, *Donantes vobis inuicem,* hoc est, clementes ac faciles estote,

ad oppoſitam correſpondentiam malitiæ & maledicentiæ. A
*Quemadmodum & deus per Chriſtum.* Maxima quidem exhortatio ad donãdum inuicem eſt dixiſſe Chriſtum, Remittite & remittetur vobis. Luc.6. Sed quoniam multi non admodum credunt his quæ futura ſunt, ab his quæ præceſſerunt facit admonitionem. donantes, inquit, vobis inuicem, quemadmodum & deus per Chriſtum donauit vobis. Quid eſt per Chriſtum? hoc eſt, cum periculo & damno filij ſui, per cædem & paſsionem eius. Et tu quidem ſine periculo, inquit, donabis, deus autem cum morte vnigeniti ſui donauit vobis, Vides præeminentiam ac excellentiam. *Eſtote igitur imitatores dei.* Satis eſt ad mercedem ei qui donat vt ſit dei imitator. *Tanquam filij dilecti.* Ecce & alia ad condonandum B exhortatio, magis autem neceſsitas. Neceſſe eſt vobis, inquit, vt imitemini patrem veſtrum. Deinde quia non omnes filij patrem imitantur, addidit dilecti: talibus enim ex neceſſitate quadam incumbit imitatio. *Et ambulate in dilectione.* Ecce omnium bonorum radix: nam ſi hæc adſit, & fuga malorum, & operatio bonorũ facilè attinguntur ac ſubſequuntur. Sicut, inquit, Chriſtus dilexit nos. Atqui nulla eſt similitudo inter Chriſti dilectionẽ & noſtram. Ille nanq; quũ inimici eſſemus dilexit nos, tu verò hoc ſaltem erga proximũ exhibe. Chriſtus quidem ſeipſum in mortem tradidit, tibi verò abſque periculo & dãno erit erga proximum dilectio. Quòd ſi inimicos ad Chriſti imitationem dilexeris, eris tu deo victima & oblatio in odorem bonæ fragrantiæ reputata. Ita Chriſtus factus eſt, ita & nos erimus ſi voluerimus. C

Cęterùm ſcortatio & omnis immũditia aut auaritia ne nominetur quidẽ inter vos, ſicut decet ſanctos, aut obſcœnitas, aut ſtultiloquium, aut vrbanitas: quæ non conueniunt, ſed magis gratiarum actio. Nam hoc ſcitote cognoſcentes ꝙ omnis ſcortator aut immundus aut auarus qui eſt idolorum cultor, non habet hæreditatem in regno Chriſti & dei. Ne quiſquam vos decipiat inanibus ſermonibus. Propter hæc enim venit ira dei in filios inobedientiæ. Ne ſitis igitur conſortes illorum. Eratis e-

D nim quondam tenebræ:nũc autem lux in domino.

De iracundiæ dixit affectu, excandescentia & ira ac amarulentia:venit deinceps ad concupiscentiæ affectionem quę est ad scortationem. Siquidem lex quoque primùm dixit Non occides,quod ad affectũ spectat iracũdiæ:deinde subiunxit, Non committes adulterium,quod à concupiscentię
Exod.20. affectu procedit. Quemadmodum enim amarulentia & vociferatio ac maledicentia sunt ex affectione iracũdiæ:ita cõcupiscentiæ sunt scortatio, adulterium, immunditia, auaritia, quæ quãquam non corpora, diuitias tamen concupiscit. N*e nominetur quidem*. Nouit enim eos qui de his rebus fiũt sermones, fomitem & exhortationem fieri ad opera. *Sicut decet sanctos*. Ita nanque decet eos qui sancti esse student.
E E*t obscœnitas*. Quemadmodum antea vociferationem abstulit tanquam vehiculum ad iram, ita & nunc obscœnitatem & vrbanitatem ac stultiloquium, ꝙ fomes sint ad scortationem. Q*uæ non conueniunt*. Ne odiosus sermone videatur, ꝙ etiam vrbanitatem amputauerit, causam subiungit. Quæ non cõueniunt, inquit. Quid enim hęc ad nos pertinent? nihil nobis cum his commune est. Neque enim risus aut vrbanitatis seu facetiarum nunc tempus est, sed passionis ac certaminis. Acsi diceret: Vrget vndique diabolus stridens dentibus aduersum nos ac rugiens, & tu ludis ac faceta loqueris? & quomodo ab eo liberaberis? Difficile nanque est certantem ab eo liberari, quãtò magis ludentem. *Sed magis gratiarum actio*. Pro eo enim ꝙ aliena à te non loqueris, deo
F gratias age. Nam hoc scitote. Erant fortassis inter eos nonnulli qui dicerent deum tanquam terrere volentem hæc vetuisse quo perfectos redderet: aut etiam parui ducebant huiusmodi, quasi non satis essent vt in gehennam coniicerent:
Mat.5. quemadmodum & nunc quoque accidit. Nam quàm absurdum est, inquiunt, si is qui dicit fatue, reus erit gehennæ? & quomodo auaritia est idololatria siue idolorum cultus? Hos itaq; designat Apostolus. Nam hoc manifestat il quod subiungitur. Ne quisquam vos decipiat inanibus sermonibus. Inanibus autem vt qui non habẽt terminum qui ab ipsis expectatur, neque ad opus perueniunt. N*e quisquam uos decipiat*. Deceptio itaque est loqui huiuscemodi. P*ropter hæc enim uenit ira dei*. Nempe propter scortationem, immundi-

tiam, & cætera: aut propter huiuſcemodi ſermones. Inobedientię autem filios dicit eos qui non parent ſimilibus dogmatis. *Eratis enim quōdam tenebræ.* Ad memoriam ipſis reuocat priorem conuerſationem. Tenebræ, inquit, eratis. Dicit autem tenebras vitam quæ in errore agebatur. Ne igitur rurſum curratis ad tenebras. A

CAPVT VIII.

*Quòd uiuere debeant decenti modo iuxta ſanctificationem arguentes uitia operibus non ſermonibus, repleti ſpiritu per pſalmos non uino.*

VT filii lucis ambulate. Nā fructus ſpiritus ſitus eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate, probantes quid ſit acceptum domino. Et ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius etiam arguite. Nam quæ ſecretò fiunt ab iſtis turpe eſt vel dicere: ſed omnia dum probantur à luce manifeſta fiūt. Quicquid enim manifeſtum redditur lux eſt. Quapropter dicit, Expergiſcere qui dormis & ſurge à mortuis, ac illuminabit te Chriſtus. B

*Vt filij lucis.* hoc eſt, honeſtè. In luce enim quiſque honeſtatem procurat. *Nam fructus ſpiritus.* Huiuſmodi fructus profert ſpiritus ac ſpirituales: alij ergo fruct⁹ ſunt Satanæ. *In omni bonitate.* Hoc veluti ad iracundos & ad amarulentos refertur. Quòd autem addit Iuſtitia, ad auaros: veritate verò tanquam ad eos qui falſam voluptatem proſequuntur, quæ eſt in laſciuia & peccato. *Probantes quid ſit acceptum domino.* Cætera itaque reproba ſunt, mentíſque puerilis. *Et ne commercium habueritis cum operibus.* Opera dixit tenebras generali vocabulo nominans omne peccatum. Quare autem non recenſui, inquit, nominatim ſingulas ipſorum actiones? Quia etiam in ipſo actu recenſendi illas turpitudine oppletur etiam is qui recenſet eas. AVT hoc modo. Arguite, inquit, comparatione propriæ vitæ: neq; enim dico vt arguatis eos recenſendo ipſis, ac improperando ſuas actiones. Scio nanque ꝙ probis vel etiam minimam facere C Pho.

D illarum mentionem, turpitudo dicatur. Siquidē non minus, inquit, virtutibus vestrorum operum refulgentibus arguētur, quàm si quispiam ipsos sermonibus detegeret: quin magis potius cuncta illorum opera luce vitæ vestræ arguuntur ac deteguntur & manifestantur: manifestata verò illuminātur, & ad melius traducuntur ac commutantur. Occultorū enim per vitam probam manifestatio ad illorum condemnationem prouocat, fitque principium conuersionis: hæc autem in virtutis operationē desinit, quæ est lux tanquam cōciliatiua lucis inde suborientis. Rursumq; lux dicitur, quia dum prius circa affectiones cæcutiretis, vbi hæc mentē illustrauit, ipsam conspicere facit eam quæ in peccato est turpitudinem & obscœnitatem ac deformitatē. Id autem, Quic-

E quid enim manifestum redditur lux est, aut accipiendum, vt dictum est, aut vt confirmatiuum sit ꝙ possint probi sua vita arguere prauorum conuersationem. Siquidem manifestatur, inquit, probi hominis vita, manifestata verò lux est, porrò luce splendente arguūtur tenebræ quæ sunt vitia prauorū. *Infrugiferis.* Quis enim fructus, aut quæ ab illis vtilitas? mors profecto. Tenebras verò dicit hominum vitam, qui in errore ac peccatis versantur. Et quid dico, Ne commercium habueritis? magis, inquit, etiam arguite, instruentes eos per reprehensiones. Hoc autem non est contrarium

Mat. 7. ei quod dicitur, Ne iudicetis. Hoc enim loco Arguite ponitur pro Instruite: ibi verò tantundē est acsi dicatur Ne con

Pho. demnetis. AVT hoc modo. Arguite vosipsi per lucidam

F ac probam vitam vestram: neq; expectetis illos, donec seipsos annuntient ac sua reprehendant & in medium proferāt, sicque meliores reddantur. Quanquam enim perpetrent ea quæ fas non est, à naturali tamen notitia suam cognoscentes turpitudinē pudefiunt. Atqui oporteret suam reuelare turpitudinem. *Sed omnia dum produntur.* Hoc est, si vos probi sitis, non possunt occultari mali, sed ipsa vita vestra etiā ante sermones vestros accusator est, & argumentum illos conuincens. Nam si occultati fuerint, incorrecti manent: manifestati verò corrigentur. *Quicquid enim manifestum redditur lux est.* Aut hoc dicit quòd peccata vbi manifestata fuerint lux fiunt, hoc est, in iustitiam conuertuntur per pœnitentiam: aut quòd proba vita non potest occultari, ideo arguit

& conuincit tenebras, hoc eſt, malos. Quòd ait Id quod manifeſtum redditur ac detegitur efficitur lux, ex ipſo rerum vſu ſumit teſtimonium. Dicit enim Expergiſcere qui dormis: hoc eſt, excitare à reclinatione & aſsiduitate in ſolitis affectibus. *Et ſurge à mortuis.* Sine ipſa mortua ac obſcœna veluti re vera ſunt, manifeſta fieri. Quòd ſi hæc ita fiant, illuſtrabit ac illuminabit te Chriſtus, tibique illuceſcet. Itaque quod manifeſtatur lux efficitur & illuminatur. *Expergiſcere qui dormis.* Dormientem ac mortuum eſſe dicit eum qui in peccatis eſt. Etenim expergiſci non poteſt ad id quod bonũ eſt, veluti mortuus: variáque imaginatur, ſicut is qui dormit: rurſumq́; deformis eſt ac graui odore plenus, veluti mortuus. *Et illuminabit te Chriſtus.* Quòd autem is qui verſatur in peccatis ſit tenebræ, audi quomodo ipſum ſcriptura dormientem ac mortuum vocet: & ꝙ nequaquam alio modo poſsit illum illuminare Chriſtus, niſi ceſſet à peccato. Expergiſcere enim, hoc eſt, ceſſa, quieſce, Hęc & ad infideles, & ad credentes qui in peccatis ſunt aptantur. Illuminabit autem, id eſt, illuſtrabit. Pho. A B

Videte igitur quomodo circunſpectè ambuletis: non vt inſipientes, ſed vt ſapientes: redimentes tempus, quòd dies mali ſint: Propterea ne ſitis imprudentes, ſed intelligentes quę ſit voluntas domini. Et ne inebriemini vino in quo laſciuia eſt: ſed impleamini ſpiritu, loquentes vobiſipſis per pſalmos & hymnos & cantiones ſpirituales: canentes ac pſallentes in corde veſtro domino, gratias agentes ſemper de omnibus in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti deo patri. Subditi viciſsim alius alii cum timore dei. C

*Videte igitur.* Oues eſtis in medio luporum, ideo multa cautione opus eſt ne ſuſcipiatis inimicitiã niſi propter prædicationem. *Non ut inſipientes.* Sapientes enim norunt quomodo oporteat ambulare. Omnia nanque largiri oportet, idq́ue nobis comparare ne circa fidem naufragium faciamus. AVT hoc modo. Non eſt nobis tempus ſtabile: Oecum.

D aduenæ enim sumus, eme ergo ipsum & facito proprium. Quomodo autem hoc erit? Per hoc quod in ipso placeamus deo. Tunc nanque illud efficitur proprium, quādo bonæ actiones in eo factæ consequuntur, quæ in futuro seculo glorificant, sicut malæ condemnant. *Quòd dies mali sint.* Non quòd horæ quæ in ipsis sunt aut tempora sint mala, Absit: sed ob mala quæ in ipsis fiunt à nobis, dies vocauit malos. Quēadmodum nos dicimus, Bonum aut malum diem transegi: non hoc dicentes quòd ipsa diei natura bona sit aut mala, sed ex his quę nobis contingunt ita diem nominantes. Pro-

Mat.6. pter hoc & Christus ait, Sufficit diei malum suum, id est, mala quæ in ipso contingunt. Propterea ne sitis imprudētes. Quia, inquit, malitia floret ac principatum tenet in prę-

E senti vita & diebus, ne sitis imprudentes, vt ab ipsa capia-

Pho. mini. *Sed intelligentes.* Intelligentes ambulate: Nam hoc à communi sensu sumendum est: quemadmodum impleamini, rursum idem à communi sensu reponitur ad Loquentes & Canentes ac Psallētes & Gratias agētes, itémque ad Subditi. *Quæ sit uoluntas domini.* Voluntas domini est vt præsens tempus redimamus. E*t ne inebriemini uino.* Vinum enim ad lætitiam datur, non ad inebriationem. I*n quo lasciuia est.* Animosos facit ac temerarios & ad lapsum faciles & procliues ad lasciuiā. *Sed impleamini.* Vis, inquit, impleri, &, vt ita dicam, inebriari? hoc fac per spiritum sanctum, illo impletus. Hoc autem erit per psalmos & cantiones: cantiones, inquam, spirituales. Sunt enim & diabo-

F licæ. I*n corde uestro.* Non solùm in labiis, verumetiam secundum cor. I*n nomine domini nostri.* Nam per Christi nomen omnia nobis contingunt. *Subditi uicißim.* Quando enim quisque cuique subditus fuerit, idque non ob rem aliquam mundanam aut absurdam, sed propter Christi timorem: quid reliquum erit in medio malum?

CAPVT IX.

*Descriptio munerum propriorum tam his qui gubernantur, quàm qui gubernant secundum Christum.*

VXores, propriis viris subditæ sitis, veluti domino: quoniam vir est caput vxoris, quemadmodum & Christus est caput ecclesiæ: & idem est qui

salutem

ſalutem dat corpori. Sed ſicut eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & vxores ſuis viris ſubditę ſint in oīb⁹. A

Nam ſi hi pacem inter ſe habuerint, tota domus pacē habebit, & omnes vtilitate fruentur quæ inde ſubſequitur. *Veluti domino.* Papæ quanta ſubiectionis intenſio, Quomodo ergo dicit Chriſtus: Niſi quis ſeparatus fuerit ab vxore aut à viro non poteſt me ſequi? † Et dicimus ꝙ dictio ὡς nō omnimodam deſignat ſimilitudinē. aut hoc dicit: Veluti ſcientes ꝙ in hoc ſint ſubditæ Chriſto. *Et idem eſt qui ſalutem dat corpori.* Et idē eſt vir. Etenim caput ſalus eſt reliqui corporis, omnes penè ſenſus in ſe cōtinens: proinde & vir, vxoris. Animaduerte autem quomodo principatū ac prouidentiam viro diſtribuit, ſubiectionē verò vxori. *Sed Quemadmodū eccleſia ſubdita eſt Chriſto.* Hoc eſt tota multitudo. nam inter ſingulos is etiam continetur qui inobediens eſt. B

*† Scripturā citat ex memoria modo ſatis diuerſo quàm habeatur Luc. 14. eodem tamen propemodum ſenſu.*

Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret & mundatam lauacro aquæ per verbum: vt adhiberet eam ſibiipſi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam aut quicquam eiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & irreprehēſibilis. Sic debent & viri diligere ſuas vxores vt ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam vxorem ſeipſum diligit. Nullus enim ſuam ipſius carnem vnquam odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut & dominus eccleſiam. Quoniam membra ſumus corporis ipſius, ex carne eius & ex oſsibus eius, Myſteriū hoc magnum eſt: verùm ergo loquor de Chriſto & de eccleſia. Quanquam & vos ſingulatim hoc pręſtate vt ſuam quiſque vxorem diligat tanquam ſeipſum, vxor autem vt reuereatur virum. C

Vis vxorem tibi ſubditam eſſe veluti domino? dilige eam ſicut Chriſtus eccleſiam: & ſi quid pro ip ſa pati oporteat. ſiue etiam mori, ne detrectes. Siquidem tu fortaſsis hoc erga eam quę tibi ſubdita eſt téque diligit id exhibebis. Chriſtus

D verò id egit erga eam quæ inimica erat & auersa ac fugiens ab ipso. *Vt illam sanctificaret*. Non erat itaque sancta, sed impura & immunda, & talis vt quamcunque accipias, non sis adeò impuram accepturus in vxorem. At non improperauit Christus ecclesiæ quòd talis fuerit, neque igitur tuæ exprobres vxori. *Mundatam lauacro*. hoc est baptismate, abluit enim eius immunditiam. *Per uerbum*. Quod verbum? Quod ipse dixit apostolis, Baptizātes, inquit, eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. *Gloriosam ecclesiam*. Non vtcunque puram, sed gloriosam. Quemadmodum igitur Christus cunctorum est causa bonorum: ita & tu iuxta vires tuæ esto vxori. Et sicut ipse corporis non requirit pulchritudinem sed
E animæ, ita & tu. Nam si tu pulchritudinem animæ requiris, & ipsam ad hoc direxeris: & deo & tibiipsi pulchram reddes. *Maculam aut rugam*. Per hoc animales designat affectus, quæque interiorem hominem deformem efficiunt. *Vt sua ipsorum corpora*. Nō tanquam ad maius veniēs subiecit proprij corporis exemplum. Excedit nanque id quod in Christo est erga ecclesiam: sed tanquam ad magis proprium ac vicinius. Nam ex hoc rem etiam debitam ostēdit: Si enim corpus tuum est vxor, nam ex duobus, inquit, fiet vna caro, ex debito prouidebis ei vt carni tuæ. *Qui diligit suam uxorem seipsum diligit*. Quod enim vxor sit caro viri, audi Adam dicē-
Mat.19. Gene.2. tem, Hoc nunc os ex ossibus meis & caro ex carne mea. *Sicut & dominus ecclesiam*. Christi exemplo continuè vtitur, ex hoc viros ad vxorum dilectionem exhortans. *Quoniam*
F *membra sumus corporis ipsius*. Ac si diceret: Verè ex ipso sumus. Siquidem quia ossa & corpus figuram dant homini, propter veritatem dixit nos ex ipsis esse. Ex ipso autē quatenus nostri principium est, secunda formatione, quemad-
Oecum. modum ex Adam sumus propter primam. *Ex carne eius*. Exactā vnionem ac dilectionē significat. *Et adhærebit*. Ecce & alterā dilectionis confirmationem, quòd inuicem mutua sibi sint corpora. *Mysterium hoc magnum est*. Quomodo magnum? Quia quum Christo in propria gloria manere licuisset, seipsum assumpta humanitate demisit vt adhæreret ac adiūgeretur ecclesiæ, factique sunt duo vnus spiritus. Nā qui adglutinatur siue adhęret domino, vnus spiritus est. *Quanquam & uos*. Ac si diceret: Sublimis intelligentia nominis ac spi-

ritualis enarratio non euertunt propriam: potest enim & spiritualiter & propriè declarari. *Singulatim hoc praestate.* Nempe quisque hominum: quę enim iuxta anagogen intelliguntur ad communitatem respiciunt, hoc est, ecclesiam. *Vxor autem ut reuereatur uirum.* Nouit enim æqualitatem in honore fieri confusionis ac seditionis occasionem: propterea vnicum iubet esse principatum penes virum. Quamobrem verò quum multa de dilectione disseruisset, non ita fecit de reuerentia siue timore? Quoniam dilectionem potissimum ad esse oportet, nam ita sequetur & reuerentia. φοβῆται ergo intelligit non seruorum more timere, sed vt vxórem decet reuereri ac solicitam esse ne maritum offendat. A B

Filii obedite parentibus vestris in domino. Nam id iustum est. Honora patrem tuũ & matrem: quod est præceptum primum in promissione, vt bene tibi sit, & eris longæuus in terra. Patres ne ad iram prouocetis liberos vestros, sed educate eos in erudítione & admonitione domini. Cap. 6.

De primo dixit principatu qui est penes virum, nunc de secundo dicit qui est penes parentes. Siquidem vxor viro, filij verò etiam vxori subduntur. *In domino.* Hoc est secundum dominum: nempe in his in quibus nihil nocumẽti suscipit pietas. Quid enim si filiam prostituere velit pater, aut turpe docere artificium, aut ad paganismum ducere? Huiusmodi sanè non sunt in domino. *Quod est præceptum primum:* Atqui non est hoc primum: nam prius sunt Non occides. Non committes adulterium. Sed vide quid addiderit, *In promissione.* Priora siquidem illa non habent promissiones: nam separationes sunt à malis non operationes boni. Hoc igitur primum est in sermone promissionis: nam est operatio boni, *Et eris longæuus in terra* Vide sapientiam. Quoniam ad infantes loquitur (nam ad filios ei sermo erat) ipsam positam retributionem adiunxit: & nihil sublime non de regno cęlorum, non de imitatione Christi quod in viro & vxore fecit: Quid enim pueris iucũdius longæuitate? Nam Iudęis quoque tanquam mente infantibus hæc sancita sunt: perfecta enim audire non poterant. Patres ne ad iram prouocetis liberos. Non dicit. Diligite: nam id ab ipsis etiam C Mat. 9.

D inuitis natura exposcit:sed, Ne ad iram prouocetis:hoc est, Ne hæreditate priuetis, ne abdicetis, ne grauia & quæ seruos decent præcipiatis,aut semper erga ipsos indignemini. *In eruditione & admonitione domini.* Hoc exhortationis est caput.Quum enim spiritualia adhibentur etiam carnalia sequentur,Nam hoc potissimùm efficit ipsos obedientes.

Serui obedite his qui domini sunt iuxta carnem cũtimore ac tremore,in simplicitate cordis vestri, non ad oculum seruientes,velut hominibus placere studentes:sed tanquam serui Christi,faciẽtes quę vult deus ex animo cum beneuolentia seruientes
E domino & non hominibus: illud scientes quod vnusquisque quod fecerit boni hoc reportabit à domino,siue seruus fuerit siue liber.

Seruos posuit nouissimos:quandoquidẽ tales sunt etiam in dignitate vel honore.Iam autem cum eis non vt cum pueris disserit, sed perfectè & absolutè. Dominis ait iuxta carnem, hoc est, temporalibus: & ex hoc etiam ipsos consolatur. *Cum timore ac tremore.* Si enim liberos,inuicem vnum alteri subiicit,quantò magis hos? Huiusmodi autem timorem non expetit ab vxoribus,quandoquidem non sint ancillæ,sed subditæ & obedientes.Rectè autem addit,*In simplici-*
F *tate cordis.* Contingit enim cum timore seruire,& ex beneuolentia,sed malo ac subdolo animo. *Non ad oculum seruiẽtes*.Nõ vt,quum adsunt domini ac vident,sed etiam quum absunt,faciant ea quæ decent.*Sed tanquam serui Christi.* Itaque qui studet hominibus placere , non est seruus Christi. *Ex animo cum beneuolentia.* Contingit etiam in simplicitate dolosè operari non quantum potest,sed tantum quod definitum est.*Domino & non hominibus.*Non coactè,sed ex voluntate libera.*Hoc reportabit à domino.* Quoniam verisimile est quòd plurimi dominorum seruis non rependebant vices ac beneuolentiam,in futuro promittit eis retributionem.

Et vos domini eadẽ facite erga illos, remittentes minas:sciẽtes quòd & vester ipsorum dominus est

in cælis:nec personæ respectus est apud illum. A

Eadem,quænam? Cum beneuolentia seruite,non velut hominibus placere studentes. Sed hæc non apertè dicit quanquam ea intelligit,Etenim domini quoque seruiunt seruis. Siquidem quando illo dormiente ac stertente, dominus de alimentis,ac vestimentis illius curam habens nō dormit,an non ipse seruit? Potest autem Cum timore & tremore, etiã dominis aptari,nempe erga deum. *Remittentes minas*. Non graues,inquit, & molesti eis sitis. *Scientes quòd & uester, ipsorum dominus est*. Qua enim mensura metimini,remetientur alii vobis:ne & tu audias, Serue scæleste totum debitũ illud remisi tibi,& quæ deinceps sequuntur. *Nec personæ respectus est apud illum*. Ne existimes quòd perpetrata in seruos mala propter personæ abiectionem despiciet. Non est apud deum seruus aut dominus.

Mat.7. & .18.

B

CAPVT X.

*De potentia quæ secundum Christum est,per modum & habitũ armaturæ.*

QVod superest fratres mei,confirmemini in domino,& in potentia roboris illius.Induite panopliam(id est,totam armaturam)dei,vt possitis stare aduersus assultus diaboli: quoniam non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus,aduersus potestates,aduersus mundi dominos tenebrarum seculi huius,aduersus spiritualia malitiæ in cælestibus.Quapropter assumite panopliam dei,vt posìtis resistere in die malo & omnibus deuictis stare. C

Postquam,inquit, data sunt decentia præcepta,hoc consequens ac reliquum est,vt fortes sitis in domino, hoc est,spe quæ in ipsum est. E*t in potentia roboris illius*. Nam per illius auxiliũ contingit nos in eo separare. Est enim fortis,inquit, & sufficiens,qui omnia prosperè exequatur. *Induite panopliam dei*. postquam omnes suo ordine disposuit,deinceps etiam armat ipsos tanquam ad bellum. *Aduersus assultus diaboli*. Non dixit Pugnas,sed Assultus, quod miserius est,

D hoc est aduersus insidias, aduersus fraudes, aduersus dolos. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Hæc dicit ostendens q sobrietate ac vigiliis opus sit ad bellum, non terrere volens. Nam qui inimici docet potentiam, suos reddit securiores. *Aduersus principatus.* De dæmonibus di-
Luc.10. cit quos nobisipsis constituimus principes, vltro ipsis subiecti: neq; enim sortiti erãt vt dominarentur nobis. Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super serpẽtes & scorpiones. *Aduersus potestates, aduersus mundi dominos.* Potestates dicuntur, vt qui per solos affectus aduersum nos habent potestatem: mundi autem domini, vt qui præualẽt aduersus
E eos qui mũdana sentiunt. Neque enim locum habebit vltra
Iohan.15. mundum. Mundũ solet appellare scriptura prauas actiones. Sic & Christus ad discipulos, Vos nõ estis, inquit, mundi huius: Atqui erant, sed prauas intelligens actiones ita loquutus est. Mundi ergo dominos dicit dæmones, tanquam prauarum duces actionum. *Tenebrarum seculi huius.* Ne formides audiens eos mundi dominos, subiunxit cui præsideant: malitiæ, inquit. Tenebras enim seculi huius, prauas dicit actiones. *Aduersus spiritualia malitiæ.* Hoc est dæmonia quæ sunt Malitiæ, id est diaboli: nam eius instinctu perficiuntur: aut prauarum actionum magistri. *In cælestibus.* Tanquam diceret: Est autem nobis aduersus hos lucta nõ de paruis quibusdam rebus, sed pro rebus quæ sunt in cælestibus: hoc est pro regno cęlorum & adoptione. Idcirco sobrios esse ac vigilare oportet. Est autem propria dictionum correspõden-
F tia. Propter cælestia, inquit. Nã ἐν, id est in, capitur pro διὰ, id est propter. *Quapropter assumite.* Quoniam, inquit, periculosi sunt hostes. *In die malo.* Diem malum vocat præsentem vitam, propter prauas actiones quæ in ea sunt: ostendẽs breue esse belli tempus, etiã hoc modo promptum illis addens animum. *Et omnibus deuictis stare.* Omnibus nempe affectionibus, cõcupiscẽtiis. *Deuictis.* Nam κατεργασάμενοι capitur pro καταπολεμήσαντες, hoc est confecto bello ac deuictis hostibus stare, tanquam hi qui victoriam reportarũt, & trophæo clari sunt. Multi enim postquam vicerunt, rursum ceciderunt. Sed vt in victoria persistatis.

State igitur lumbis vestris circuncinctis baltheo per veritatem, & induti thoracẽ iustitiæ, & calceati

pedibus, vt parati sitis ad euangelium pacis. super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: galeámq; salutaris accipiẽdo, & gladium spiritus quod est verbum dei, in omni deprecatione & obsecratione. A

Ad bellum exhortans, primùm admonet cõposité ac debito ordine in acie stare. Deinde consequenter armat: ac primò cingit militem diffluentem ac diffusum cõcupiscentiis, & habentem cogitationes in humum detractas, ac reprimit spirituali hoc baltheo. *Lumbis uestris*. Quemadmodum in nauibus carina quæ loco fundamenti cuiusdã est, ædificium omne continet, ita & lumbi in vobis. Itaque qui labore defatigati sunt, frequenter appositis ibi manibus tanquã ad fundamentum quoddam, requiescunt. Nostrum igitur principium primò constringit, tanquã animæ vigorem qui in nobis est quod figuratè lumbos appellauit, hos veritate circũcingit. Porrò veritas ad multa intelligitur: veritas dogmatum, veritas vitæ Christi separatæ ab hypocrisi siue simulatione, veritas sermonum fraudulentiam ac dolum abnegãtium, veritas cogitationis quę nihil habet adulterini aut fucati dæmonum seminis. Potes autem tanquam ad Christum referre qui verè veritas est. Ego sum, inquit, veritas: quem etiam indui non circuncingi datum est hominibus. Nam quotquot, ait, in Christum baptizati estis, Christum induistis. *Thoracem iustitiæ*. Vitam dicit vndiquaq; probam. Est autem thorax ferrea tunica. *Et calceati pedibus*. Aut hoc dicit quòd oporteat pedes nostros paratos esse ad prædicandum euangelium. Ait enim: Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem. Aut quòd prompti esse debemus, vitámq; habere sicut hortatur euangelium. Præparationem cordis eorũ, ait Propheta, audiuit auris tua. *Euangeliũ pacis*. Nam euangelium pacẽ quidem erga deum facit, bellum verò aduersum dæmones. *Super omnia assumpto*. Oportet enim illa præcedere. Fidem autem dicit synceram ac feruentem, de qua ait dominus: Si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi: & transibit. *Iacula mali illius*. Iacula vocat Cõcupiscentias, cogitationes, tentationes. Et re-

B

*Iohan.* 14.
C
*Gala.* 3.
*Iesa.* 52.
*Psal.* 9.
*Matth.* 17

D ctè ait, Ignita. Tales enim sunt absurdæ concupiscētiæ. *Galeámque salutaris.* Salutis nostræ, hoc est spei. Quòd autem ait, *Suscipiendo*, hoc est, accipiendo & gestando in capite. *Et gladium spiritus.* Aut periphrasi dixit spiritū ipsum, propter incisionem seu diuisionem cōtrariorum spirituum: aut spiritualem vitam ac conuersationem, quę velut gladius efficaciam habebit aduersus spirituales inimicos: aut spiritualia inquit dona, quæ sunt per verbum ac iussum dei. AVT, Quod est verbum dei, iungendum est sequentibus: vt sit sensus, Quod est verbum ac præceptum dei, hoc facite. Quodnam illud est? vt sitis orantes per omnem deprecationem & orationem. Aut in eo quod est efficaciam habere, ac secare spiritualia dona, verbum est dei: est enim verbum dei diuisiuum: Ita potius intelligit quoque beatus Iohannes. Nam per verbum dei perficiebantur dona. Siquidem quicquid petieritis per nomen meum dabit vobis, ait Christus.

Oecum.

*Iohan.16.*

E

Orantes omni tempore in spiritu, & ad hoc ipsum vigilantes cum omni sedulitate & deprecatione pro omnibus sanctis & pro me, vt mihi detur sermo in apertione oris mei: vt cum libertate notum faciam mysterium euangelii, pro quo legatione fungor in catena, vt in eo liberè loquar sicut oportet me loqui.

Postquam armauit, regem consequenter vocat vt det manum. *In spiritu.* Non in battologiis, aut verborum multiloquio. *Et ad hoc ipsum uigilātes.* Nihil, inquit, segne aut neglectum. *Et pro me.* Etenim Petrum quoq; ecclesiæ oratio soluit à vinculis. *In apertione oris mei.* Rectè ait, in apertione. Neq; enim præmeditabatur quid loquuturus esset, Christo obtemperās: sed ex proximo & in eo ipso quo os aperiret, sermo procedebat. *Vt cum libertate notum faciam.* Aut vt cum libertate pro me caussam dicam, aut vt prædicē euangelium. *Pro quo legatione fungor.* Pro quo euangelio legatione fungor ad homines, vt ipsi & his quæ in eo habentur, reconcilientur. Nam pro Christo, inquit, legatione fungimur *Vt in eo liberè loquar.* In vinculis erat, & pro se respōsurus. Vt igitur cum libertate, inquit, me purgem, & ita vt

F

*Acto.12.*

*Luc.21.*

*2.Cor.5.*

oportet eum qui huiusmodi de rebus caussam dicturus est. A

Vt autem sciatis & vos quæ ad me pertinet quid agam, de omnibus certiores vos reddet Tychicus dilectus frater, & fidelis minister in domino: quem misi ad vos in hoc ipsum vt cognosceretis de rebus nostris, & cõsolaretur corda vestra. Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre & domino Iesu Christo. Gratia sit cum omnibus diligẽtibus dominum nostrum Iesum Christum cum syncerit ate, Amen.

Quæ exhortationis erant & dogmatum scripsit: quæ verò ad se pertinebant, epistolam perferenti loqui permisit. *Et fidelis minister.* Si fidelis itaque etiam veritatem loquetur. B *Vt cognosceretis de rebus nostris.* Hoc & dilectionis Pauli signum erat & illorũ, velle omnino ab illis ea in quibus erat cognosci. *Et consolaretur corda uestra.* Siquidem quia in vinculis erat præceptor, discipulis opus erat consolatione, ne exciderent. *Pax fratribus.* Precatur eis pacem & charitatem cum fide: ne erga eos pacem habeant qui aliis adhærent opinionibus, sed erga solos credentes: aut quòd nullum adferat charitas lucrum, nisi fides quoque adsit. *Qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum cum synceritate.* Amor enim in Christum incorruptus & integer, imò potius cumulatior indies esse deberet.

Finis, diuino fauente auxilio, epistolæ ad Ephesios. C

Scripta est ab vrbe Roma per Tychicum.

## ARGVMENTVM EPISTOLAE ad Philippenses.

HAnc scribit ab vrbe Roma, quũ iam ipsos vidisset simul & docuisset. Occasio autem epistolæ fuit hæc: Quum misissent Philippenses Paulo ministerium: & quidam circuirent ac inficerent aures simplicium prætextu vmbræ legis ac circuncisionis, qui sine hac dicerent nullum posse iustificari: quum hæc audisset Apostolus, scribit Phi-

D lippensibus. Et primùm quidem eorum collaudat fidem, ac significat se ipsorum facere memoriam. Deinde narrat quomodo Romæ pro se responderit: quódque nonnulli graues ipsi fuerint in vinculis inuidiam ei mouentes. Post hæc illos exhortatur vt se mutuò diligant, referens Saluatoris benignitatem, qui quum deus esset, propter nos homo factus est. Deinde de circuncisione ac lege differens, ostendit posthac otiosam factam esse circuncisionem, exemplum à seipso sumens ac dicens, Hæc omnia propter Christum duxi esse detrimentum. Ideo etiam vbi perstrinxit eos qui adhuc circuncisionem docebant, & volebant ipsos seducere, dixítque illos esse Christi hostes, Philippenses commendat propter donum cõmunicationis erga ipsum: rursumque eos ad mo-
E res exhortatus, concludit epistolam.

## THEODORETI.

PHilippenses partis erant Macedoniæ, Metropolim habentes Thessalonicam. Multa autem bona Paulus de ipsis testatur: Quum ergo in vinculis esset, scripsit epistolam. Nam post primam sui defensionem, cuius meminit in epistola ad Timotheum, rursum ligatus est. Miserant autem ipsi Philippenses, quæ ipsi necessaria erant per Epaphroditum: simul etiam vt cognoscerent quæ circa ipsum erant. Quoniam verò turbabantur audientes præceptorem suum
F esse in vinculis, hoc ipsum scribit eis, quòd vincula non turbationem conciliarent, sed potius gaudium adferre deberent, eo quòd propter Christum tolerarentur. Obiurgat autem & Iudæos, qui sub Christianismi fuco prædicationem corrumpebant. Apparet autem cum honore scribere Philippensibus, nam probi erant, ac virtuti dediti. In hac ciuitate erat purpurarum venditrix. Hoc etiam loco Archisynagogus credidit. Hìc verberatus est cum Sila Paulus à magistratibus, qui vbi raptum ipsum verberassent, tãdem cum excusatione ipsos absoluerunt. Hìc custos carceris postquam credidisset cum familia sua baptizatus est. Hęc omnia refert Actorum liber. Testatur autem de fide ipsorum, & periculis pro ipsa susceptis, & quòd ad beneficentiam propensi sint: propter quæ omnia videtur ipsos vehementer amare.

# EPISTOLA AD PHILIPPENSES.



Aulus ac Timotheᵘ serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis vnà cum episcopis ac diaconis, gratia vobis & pax à deo patre, & domino Iesu Christo. Cap.1.

Hac epistola tanquam ad eos scribens, qui pari erant in honore, suam non ponit dignitatem, nempe apostolatum, sed communi omnium nomine vsus est. Seruus, inquit, Iesu Christi. *Sanctis in Christo Iesu.* Erant enim & Iudæi, dicentes se esse sanctos, sed illis ait, qui sunt in Christo Iesu. *Cum episcopis & diaconis.* Quam ob caussam hic clero scribit, quum id pro more non habeat? Quia & illi ex clero erant, qui Epaphroditum cum rebus ad sumptus necessariis miserant. *Cum episcopis.* Non quòd in vna ciuitate multi essent episcopi, sed episcopos vocat presbyteros: tunc enim nominibus adhuc communicabant: & episcopi vocabantur diaconi ac presbyteri, rursumque presbyteri dicebantur episcopi. B

## CAPVT I.

*Gratiarum actio pro Philippensium uirtute, & oratio pro perfectione.* C

GRatias ago deo meo in omni memoria vestri semper in omni prædicatione mea pro omnibus vobis, cum gaudio precationem faciens ob vestram communicationem ad euangelium à primo die vsque ad hoc tempus.

Quoniam ad virtutem profecerãt cum gratiarum actione ad deum faciebat ipsorum memoriam. *In omni memoria uestri.* Quandocunque, inquit, memini, gratias ago, semper autem memini. *Cum gaudio.* Contingit enim cum mœrore meminisse, vt est de his qui probi non sunt. Ait enim alibi,

2. Cor. 2. Ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi vobis. Itaq; D cum gaudio memoriam habere, signum erat virtutis illorũ. *Precationem faciens*. Et precationem faciens ob vestram cõmunicationem siue eleemosynam. Quare, inquit, gratias ago deo? ob communicationem vestram. Magnum quiddam & apostolicum opus de eis testatur. Ait enim, A tẽpore quo credidistis vsque ad hunc diem omnia facitis, vt in euangelio communicetis, mihi semper præsentes, inquit, mittẽtes quæ necessaria erant. *Communicationem*. Quam? Quæ fuit, inquit, à primo die quo credidistis vsque ad hoc tempus.

Pho. *Ob vestram cõmunicationem ad euangelium*. Quòd autem ait à primo die, aut sensus est ꝙ à primo die quo credidistis vsq; E ad hoc tempus gratias ago, pro omnibus vobis cum gaudio precationem faciens: aut ob vestram communicationem ad euangelium, quæ subministratur à primo die vsque ad hoc tempus. Videtur autem id quod sequitur, magis consonum esse priori expositioni. Nam quomodo à principio gratias agebas, nondum confirmatos ad communicationem intuitus? Confidens, inquit, ꝙ is qui talem animi promptitudinem, ac initium feruore plenum indiderat, ipse quoque hoc ad operis perfectionem perducturus esset.

Confidẽs hoc ipsum ꝙ his qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsq; ad diẽ Iesu Christi: sicut ęquum est mihi, vt hoc sentiam de omnibus vobis, propterea ꝙ habeam vos in corde, & in vinculis F meis, & in defensione & confirmatione euangelii: quum sitis omnes mihi consortes gratiæ.

Gratias autem ago deo ob vestram cõmunicationem, hoc confidẽs ꝙ is qui cœpit facere in vobis bonum opus, etiam hoc perficiet, & complebit vsq; ad consummationem. Animaduerte autem quomodo omnia ad deum retulerit, ne cristas erigant. Quanquam etiam hoc modo magna laus est, ꝙ omnino deum potuerint attrahere, vt eis esset auxilio. Nam hoc sine magna virtute nequaquam esset. *Vsque ad diem Iesu Christi*. Non de vobis, inquit, solis confido, verumetiam de iis qui à vobis descendent. *Sicut æquum est*. Confidens hoc ipsum sicut æquum est, hoc est, quandoquidem æquum est vt ego qui exactè omnia noui, quæ apud vos sunt, hoc

sentiam de omnibus vobis. Quidnam? Quòd is qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet ipsum vsque ad diē Iesu Christi. *Vt hoc sentiam de omnibus uobis.* Sentit enim ac arbitratur bona, & magna perficere discipulos, qui magnum studium, & curam erga eos remisit. Aut æquū est mihi hoc arbitrari, qui talem habeā erga vos affectum, vt neque in vinculis meis vestri obliuiscar, sed animo intimos semper circumferam. Quæ est autē caussa, ꝙ animo intimos, & nequaquā obliuioni traditos habeat? Quia sunt mihi, inquit, vnà cōsortes gratiæ: aut suppeditato ipsis per fidē spirituali dono, quod tunc vario modo vim in ipsis exerebat: Aut simpliciter gratia per baptismi regenerationem & adoptionem cōmunicata. Aut dixi, inquit, me vos in corde habere, ꝙ vos vnà mihi consortes sitis in vinculis meis, & in defensione ac cōfirmatione. Gratiæ verò. i. per gratiā. Nā sine diuina gratia, nullus dignus habetur huiusmodi cōsortio. *Propterea ꝙ habeā uos.* Caussam dixit ob quam esset ipsi æquum, vt hoc sentiret, ꝙ deus qui cœpisset, etiā perficeret: propterea, inquit, ꝙ in corde vos habeam. *In corde.* O eximia laus esse in corde Pauli: neque enim hoc vulgare erat. Quòd autem ait Et in vinculis, & in defensione maius adhuc erat. *Et cōfirmatione euāgelij.* Confirmationē euāgelij dicit tētationes & afflictiones ac vincula. Quomodo? Quia hæc eligebat. Et quidem quum ei licuisset hæc non sustinere confirmabat resurrectionem, ac communem retributionem. Nam hæc, inquit, nequaquam sustinere potuissem, nisi vera essent, quę à me prædicata sunt. Neq; enim solùm mortui resuscitati, leprosiq; mūdati, sed & nos vincti, euangelium cōfirmamus. Qualiter autē, aut quonam modo? Quoniam innumera passi, nec remissiores, sed prōptiores effecti, sufficientem præbemus demonstrationem, ꝙ veritatis prædicatores simus, & diuina potentia in nobis sit, quæ hæc omnia demulceat, nec sinat afflictionum multitudinem deuincere prædicatores. Non est enim humanæ potētię per tot impedimenta superiores euadere. Neque aliis solùm hæc sunt euangelij cō firmatio, sed & nobisipsis: nam probatiores nos reddūt, magisq; fortes ad despiciendas insidias. *Mibi unà consortes gratiæ.* Quare autem testor de vobis hæc, & quamobrem habeo vos in corde meo? Quoniam, inquit, vnà consortes mi-

D hi estis gratiæ: aut apostolatum dicēs, aut afflictiones. Nam
2. Cor.12 potentia mea, ait, per infirmitatem perficitur. Simul enim cum ipso affligebantur, tanq̃ cum preceptore, ac patre spirituali. Animaduerte autem ꝙ non simpliciter dixerit κοινωνοὺς socios aut participes, sed συγκοινωνοὺς, id est, vnà consortes, ostendens ꝙ & ipse particeps sit. Alibi enim ait, ipse vt particeps euangelij efficiar, hoc est, vt cum his qui euangelium annuntiant, in bonis promissis participem.

Testis enim mihi est deus, quàm desiderem vos in visceribꝰ Iesu Christi. Et illud oro, vt charitas vestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omníq; intelligētia, vt probetis quæ sunt prestātia,
E vt sitis synceri, ac tales vt nulli sitis offendiculo in diem Christi, impleti fructu iustitiæ, qui contingit per Iesum Christum ad gloriam & laudem dei.

*Testis enim mihi est deus.* Non tanquam fidedignus non esset, testem deum inuocat, sed ꝙ maximè verum sit quod dicit, & ꝙ vehementer omnes diligat: omnes enim probi erant. *In visceribus.* Dilectionis intensionem per viscera significauit. *Iesu Christi.* Hoc est, in dilectione quæ est per Christum, quia fideles estis. Hoc autem dicit ne existiment ꝙ ideo amentur ab ipso, quia necessaria ipsi miserant. Aut ꝙ cupiam vos, datis mihi à Christo visceribus. *In visceribus Iesu Christi.* Hoc est, non humanis, neque humano more af-
F fectis, sed omnino secundum Iesum Christum. Magnū quidem est desyderari à Paulo: in visceribus autem, maius: porrò in visceribus Iesu Christi, nullam relinquit excellētiam. *Vt charitas uestra.* Adeò dilectus ab eis optat adhuc magis ac magis diligi, nullus enim terminus est dilectionis secundum deum. Aut etiam de aliis loquitur, vt & illos diligant. *In agnitione omnique intelligentia.* Hoc est, vt non simpliciter omnes diligatis: sed cum probatione & scientia: ne quo modo dilectio erga hæreticos vobis noceat. Nam si ita, inquit, diligitis, potestis quod vtile est probare: putà quos oporteat diligere, quia fideles: & quos non, nempe infideles & hæreticos. Quomodo ergo alibi ait, Quantum ex vobis
Rom. 12. est, cum omnibus hominibus in pace viuite? Et dicimus ꝙ

aliud est in pace viuere, & aliud diligere. Præstantia verò di- A
cit vtilia. *Vt sitis synceri.* Vt nullū dogma adulterinum occasione charitatis ad vos influat, Synceri quidē, quo ad deū: sine offensione autem, quoad homines. Multos nanque offendit videre fidelem cum infideli, aut hæretico habentem amicitiam. Porrò alicui esse offendiculo, suppliciū promeretur. *Impleti fructu iustitiæ.* Nam pręter dogmatum rectitudinē, vitæ quoque habenda est cura. Non simpliciter autem dixit Vt sitis iusti, sed vt in hoc impleti sitis. Fructū verò dicit, qui est per Christum Iesum. Est enim quædam apparens iustitia, sed non secundum Christum, qualis est Græcorum, qui ob inanem gloriam, aut vt hominibus placeant, eius quod iustum est curam habere videntur. Quòd si tales
vt prædixi estis, in gloriam dei negotium redundabit, non B
ad gloriam meam. Siquidem non vt ego præceptor glorificer, hæc admoneo, aut exopto. Nā quod succedit, ad dei laudem & gloriam cedit, qui etiam in hoc auxilium præbet.

## CAPVT II.

*Narratio suæ in certamine conuersationis, promptiq; animi.*

SCire autem vos volo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectū euangelii euenerunt: ita vt vincula mea manifesta facta sint in Christo in toto prætorio ac cæteris omnibus: vtque plures
ex fratribus in domino freti vinculis meis, vberiùs C
auderent impauidè sermonem loqui. Nōnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli verò & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Alii quidem ex contentione Christum annuntiant non purè, existimantes sese afflictionem addere vinculis meis: alii rursum ex charitate, scientes quòd in defensionem euangelii constitutus sim. Quid enim? Attamen quouis modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntiatur, & in hoc gaudeo, quinetiam gaudebo.

D Verisimile erat ipsos quum didicissent, quod ligatus esset turbatos esse, tanquam impedita per hoc prædicatione. Id igitur ait, ostendens quod non solùm vincula non sint facta euangelij impedimẽtum, sed illud magis promouerint: & caussam dicit: *Quòd quæ mihi acciderunt.* Amantis erat, significare quæ sibi contigerant. *Ita ut uincula mea.* Neque enim vincula mea quæ pro Christo sustineo occultata sunt, inquit, sed manifestata sunt & in prætorio, id est, palatio, & in cęteris locis. Et quid inde consequit? Quòd ex hoc accreuit audacia fidelibus, & via ad conuersionẽ multis infidelibus. *Facta sint in Christo.* Aut quod vincula fuerint in Christo, id est, propter Christum, vt per hyperbaton sit compositio: aut vĩcula dicit facta in Christo manifesta, hoc est, per Christi
E beneplacitum, & dispensationem manifestata. Etenim nihil fuisset quod patiebatur, & rectè operabatur Paulus, nisi ad Christum retulisset. Aut illorum in Christo vincula manifestantur, qui nihil ad ostentationem agunt, sed ita agunt, vt prosint aspicientibus & glorificent deum, qui in cælis est. *Vtq; plures ex fratribus in domino.* Quoniam dixit vincula audaciam præbuisse, magnum autem id videbatur, subiungit In domino, id est, propter dominum. *Freti uinculis meis.* Sumpserunt enim audaciam confirmati ad fidem per Pauli vincula. Nam aiebant, Nisi diuina esset prædicatio, neque Paulus sustineret pro ipsa vinciri. Hoc etiam superiùs dixit, In confirmatione euangelij. Siquidẽ prædicationis confirmatio erant vincula. *Vberiùs auderent.* Etenim etiam an-
F tea loquebantur, nunc autem ampliùs. *Nonnulli quidem per inuidiam.* Quoniam captus erat Paulus, multi increduli volentes ad iram prouocare Neronem, vt omnino Paulum occideret, prædicabant Christum, vt dum audiret Nero dispersam prædicationem, huius autorem Paulum interimeret. Aut, quòd ipsi in pretio haberi vellent (magnus siquidẽ erat Pauli honor) etiam quum increduli essent, prædicabãt Christum. *Nonnulli uerò & propter bonam uoluntatem.* Propter fidem, propter charitatem, propter bonam mentem, ac sanam intentionem. *Alij quidem ex contentione.* Pertinacia, inuidia, rixa. *Non purè.* Hoc est, Non ex puro corde, existimantes sese ad maius periculum, & afflictionem ex hoc ipsum deducturos, iuxta ea quæ superiùs scripta sunt.

*Existi-*

*Existimantes afflictionem.* Non enim ita contigit vt arbitrabantur: nam ob hæc ego amplius gaudebam. *Alii rursum ex charitate.* Alij, inquit, ex amore quem erga dominum, & erga me gerebant. *Scientes* (ait) *quòd in defensionem euangelii constitutus sim.* Sciunt quòd præceptum à deo acceperim vt euangelium prædicarem, quódque rationem illi daturus sim: leuior autem redditur mihi hæc ratio, si multi instruãtur, & discurrat prædicatio. Hoc igitur illi sciẽtes, vt rationem mihi reddendam apud deum leuiorem efficerent, multos instituunt prædicantes sermonem. *Quid enim?* Aut, Quid enim aliud quàm hoc: hoc est, quid aliud, nisi in defensionẽ euangelij constitutus sum? Quid enim multa loquor? Quid mihi curæ est, quo quis scopo prædicet, qui interim rectè prædicat? *Siue per occasionem.* Propter inuidiam aduersum me. *Siue per ueritatem Christus annuntiatur.* Ex his, nõnulli insipiẽtes suspicati sunt, q̃ omnibus hęreticis accessum dederit Apostolus, quia dixit: Siue per occasionẽ, siue per veritatem Christus annuntiatur. Verùm animaduerte, primùm quidem nõ dixit Annũtietur, vt hoc statuere putaretur, sed Annuntiatur, narrans quid accidat. Deinde quanquã etiam vt statuens dixisset (nam multi quoq; hæreticorum scripturam deprauarunt, tanquã habentẽ, Christus annuntietur) ne ita quidem accessum dedisset hæreticis. Quomodo? Quia hi de quibus dicit non adulterina dogmata prædicabant, sed fidẽ quidẽ rectè tradebant, mente tamen praua. tanquàm cupientes, aut honorari, aut Apòstolum in maius periculum coniicere. Hæretici verò præter hoc quòd mentem habent peruersam (Siquidẽ plures quoq; id habent) dogmata quoque introducunt adulterina. Alii quidẽ deum non fatentur fuisse crucifixũ, alii autem duas fuisse asserunt personas post vnionem: rursum alii quasi carnem non accepisset eiusdem substantiæ cum nostra, hi verò minorem patre filium, etiam quatenus est, & intelligitur deus: nõnulli quoq; confusionẽ in sancta triade portentosè mentiuntur. *Et in hoc gaudeo.* Illi quidem vt me cõtristent, hæc agunt, ego autem gaudeo. Et quid dico, gaudeo? gaudebo, inquit, perpetuo gaudio.

Noui enim quòd hoc mihi cedet in salutem per vestram deprecationem & subministrationem spi-

D ritus Iesu Christi secundum expectationẽ & spem meam ꝙ nulla in re pudefiam: sed cum omni libertate vt semper, ita nũc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitã siue per mortem.

Hoc, aut alligatum esse, aut ab ipsis prædicari Christum, aut etiam insidiis appeti ab illis. *In salutem.* Salutem autem dicit, quòd nondum pateretur martyrium. *Per uestram deprecationem.* Vide autem quantum sese demittat. Quum ob innumera præclara facinora deberetur sibi salus, ait: Per vestram deprecationẽ. Si vestras, inquit, deprecationes adeptus fuero, erit mihi abundantia, & veluti accrementum spiritus. *Secundum expectationem.* Expectationem dicit vehe-
E mentem, & intensam spem, qua quis etiam capite ipso moto obseruat, ac circunspicit. *Et spem meam.* Ex his docet non oportere in solis aliorum precibus confidere, nisi etiam à seipso aliquid cõferat. Itaque & ego, inquit, spem simul adfero, qua nihil maius est. Spes enim, dicit alibi, non pudefa-
Rom.5. cit. Et, Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmo-
Psal.32. dum sperauimus in te. *Quòd nulla in re pudefiam.* Quia superiores non erunt insidiatores: nã si occiderint, in hoc maximè vicero. *Sed cum omni libertate.* Hoc est perspicuè, apertè, non obtecto modo. *Nunc quoque magnificabitur Christus.* Semper in Paulo magnificabitur Christus, & quando ipsum
Pho. tradebat, vt vinculis ac flagellis miserè affligeretur, & quan
F do educebat eum, ac liberabat. Per illud nanque confirmabatur, virésque sumebat prædicatio: dum hi qui Pauli vincula & afflictiones intuebantur, id apud se cogitabant, quòd nisi diuina esset, ac verissima eius prædicatio, nequaquam gaudens innumeris seipsum exponeret malis, quum liceret cessando liberari. Ideo meritò magnificabatur Christus, cõfirmato euangelio. Rursum autem dũ extrahebat, ac eripiebat ipsum è periculis, etiam inde magnificabatur. Nisi enim
Act.16. diuina quædam, & super hominem esset gratia, quæ Paulum liberaret, quomodo soluta fuissent vincula? quomodo aperta ostia? quomodo innumera illa facta fuissent miracula? Testimonium itaque ferebat Christus Paulo, ex eo ꝙ è periculis liberabat: rursumque Paulus ex eo quòd constans erat in afflictionibus, testimonium ferebat prædicationi: &

vtroq; modo Christus magnificabatur. Ita ergo & nūc ait: A
Siue liberet me Christus à morte, siue non, in me magnificabitur. Ego enim & viuens à prædicandi libertate non discedã: & si mori me oporteat, cũ hac moriar. *In corpore meo.* Illi per hoc quòd Christum ex contentione prædicabant, arbitrabantur ipsum tollere: id autem non ita erit, inquit, sed magnificabitur Christus in corpore meo, vt qui semper me eripiat, atque redimat, prout ipsi moris est. Deinde vbi prima defensione absolutus, rursum tentus esset, etiam in hoc magnificatur, ait, Christus. *Siue per uitam.* Quoniam eripuit me de ore Neronis. *Siue per mortem.* Quoniam vires mihi præstitit, vt despicerem mortem. Hoc autem dicit, B
non tanquam confestim moriturus: sed ipsos confortans, ne vbi hoc accideret, turbarentur.

Nã mihi vita Christus est, & mors lucrũ. Quòd si cõtingat viuere in carne, ea res mihi fructus est operis, & quid eligam ignoro. Coartor enim ex his duobus, desiderans dissolui, & esse cum Christo, quod multò longéque melius est. Cæterùm manere in carne magis necessarium propter vos. Et hoc persuasus scio, quòd mãsurus sim, & cum omnibus vobis permansurus ad vestrum profectum & gaudiũ fidei, vt gloria vestra exuberet per Christum Iesum C
in me, per meum iteratum ad vos aduentum.

Alibi ait: Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij dei qui dilexit me & hoc nunc quoque dicit, ipsum habeo vitam: neque enim qui mundum despiciebat, mundanã viuebat vitam, sed Christi, id est, quam Christus volebat. Lucrũ verò dicit mori, vt sit cum Christo, & coronas assequatur. *Quòd si contingat uiuere in carne.* Dixit mori esse lucrum. Ne quis autem existimet, ꝙ vitam suam accuset, vide quid dicat: Quòd si contingat viuere. Quandoquidem, inquit, viuere in carne fructus operis est (Siquidem potest quis hac vita vti ad fructum bonorum operum. Ait enim, Fructificantes & crescentes) Quoniam ergo ipsum quoque viuere ad fructificandum conducit, nondum mihi decretum est, neque

*Gala.2.*

*Colos.1.*

D satis noui quid malim,aut quid eligam,an viuere ac fructi-
ficare deo,an mori & esse cum Christo .Animaduerte autem
ꝙ in manu sua esse ostenderit,aut viuere aut mori . *Coartor*
*enim ex his duobus*. Quoniã igitur quid eligam,ignoro,me-
ritò coartor ex his duobus, nẽpe aut dissolui,aut manere in
vita.At interim ô Paule quum adeò Christũ diligas,an om-
nino dubitas,ac hæsitas quid te eligere oporteat?Atqui in-
dubitatum tibi esse deberet quod melius est, nẽpe dissolui
& esse cum Christo.Noui,inquit,hoc & ego,desideriũ cer-
tè habens dissolui,& esse cum Christo:quúmq; hanc partem
E scirem multò longéq; esse potiorẽ,dixi ꝙ è duobus coarter:
quare autẽ hoc?propter vestram,inquit,salutem & propter
vos,vestrúmque commodum,quam rem magis necessariam
duco:quandoquidem nõ quod meum est,intueor,sed quod
vobis expedit. Vides animum præponentem discipulorum
vtilitatem suo proprio commodo?Permanens enim,eos qui
primùm instructi fuerant,confirmabat,& alios assumebat.
*Magis necessarium propter uos*. Etiam ex alio magis necessa-
rium est:quia plures per fidẽ deo adducere, magis domesti-
cum facit ipsum Christo.*Et hoc persuasus*.Cum fiducia noui,
Pho. inquit,quòd magis necessaria est in carne permanentia . *Et*
F *hoc persuasus scio*. Hoc est,& hoc certò ac indubitãter noui?
Quid est autem quod certò,& indubitanter nouit? ꝙ magis
necessarium est propter vos manere in carne . Deinde scio
ꝙ mansurus sim,& cum omnibus vobis permansurus. Nam
à communi sensu repetendum est Scio. Aut etiam vt totum
à communi sensu sumatur,nempe persuasus scio non solum
ꝙ magis necessarium sit me in carne permanere, sed ꝙ etiã
mãsurus sim,& cũ omnibus vobis permansurus.Quũ enim
arcanis ac cælestibus mysteriis initiatus esset,nouerat vitam
suam non in ambiguo esse sitam,sed ꝙ nũc adhuc superstes
permansurus esset . Potest autẽ quis alio modo hac scientia
ordinata,ita promptius intelligere, Permanere,inquit, ma-
gis necessariũ est propter vos:deinde, Et ad hæc persuasus,
inquit, ꝙ magis necessariũ sit scio, ꝙ mansurus sim,simúlq;
cum omnibus vobis permãsurus. *Et cum omnibus uobis per-*
*mansurus*. Scio,inquit,quòd mansurus sim, & cum omnibus
vobis permansurus.Quãdoquidem enim persuasus sum ma
gis necessarium esse manere,scio ꝙ mansurus sim,non solũ

in vinculis, verumetiam vnà vobiscũ, & vos visurus sim. Ma A
nebo autem, ait, ad vestrum profectum & gaudium fidei. Cõtingit enim in fide procedendo, magis in ea confirmari, & gaudere spirituali gaudio. Hoc autem etiã est obiter terrentis. Nam si propter vos mansurus sum videte, inquit, ne vos meam perseuerantiam pudefaciatis. *Vt gloria uestra*. Quomodo autem poterit gloria exuberare? Per hoc quòd sint in fide confirmati, & rectè videlicet viuant. *Per Christum Iesum in me*. Quoniam dixit suam permanentiam ad illorum fieri profectum, vult nunc ostendere, quòd ipsorum profectus in suum ipsius vergat commodum: ne grauare eos videatur quòd propter ipsos proprium despexerit commodum. Nam vestra, inquit, gloria etiã in me exuberat. Si enim vos probati fueritis, gloria ad me quoque præceptorem recurret. B
*Per meum aduentum*. Pauli enim aduentus ac præsentia omnium erat vtilitas. Ostendit autem quòd rediturus esset.

## CAPVT III.

*Exhortatio ad conuersationem secundum deum uitámque diuinam.*

TAntùm vt dignum est euangelio Christi cõuersemini: vt siue quum venero & videro vos, siue absens sim, audiam de rebus vestris, quòd stetis in vno spiritu, vna anima, certantes vna cum fide euangelii, nec in vllo terreamini ab aduersariis, quæ illis quidem est ostensio perditionis, vobis autem salutis: & hoc à deo, quia vobis donatũ est hoc à Christo, non solùm vt in eum credatis, verùm etiam vt C
pro illo partiamini.

Tantùm vt dignum est. Itaque ego simul permanebo ad profectum vestrum, tãtùm, inquit, hoc agite, vt dignum est euangelio conuersemini: hoc est in virtute crescite. *Et uidero uos*. Subaudito, Gaudeam. *Siue absens sim*. Non hoc ait quasi commutans reditum, sed dixit quid contingeret. Nam si vt euangelio dignum est, inquit, conuersemini, quum venero & videro vos, gaudebo (hoc enim, vt diximus, subaudiendum est) & priusquam veniam si absens audiero, etiam gaudebo. *In uno spiritu*. In vno charitatis & concordiæ do-

D no. *Vna anima.* Adeò charitate colligati, vt vnam visi habere animam, inuicem adiuuetis in certaminibus ac periculis. *Nec terreamini.* Non dico, inquit, ne excidatis, sed nec animo cõsternemini, hoc est in nullo turbemini: quanquam mortem minitentur aduersarij, licèt exprobrent vobis mea vincula. *Quæ illis quidem est.* Si ab aduersariis non fueritis territi, insurrectio ipsorum aduersus vos conuertetur ipsis ad ostensionem perditionis. Hoc est, aut quòd per vestram firmitatem ostendentur & manifestabuntur quæ sunt perditionis & à vana gloria suisque studiis discedent, & ex hoc maior erit vobis redundantia salutis, vt qui aliis quoq; causa fueritis vt effugerent perditionem & salutem lucrifacerent. Aut ergo ita intelligẽdum est, aut simplicius, quòd inuasio & pugna eorum aduersum vos, quum non terremini, nihil aliud illis exhibebit aut conciliabit, quàm propriam perditionem, vobis autem loco nocumenti dicetur salutis argumentum & occasio perfectioris virtutis. *Ostensio perditionis.* Quæ ipsorum inuasio erit eis indicium perditionis, si vos stetis imperterriti. Quo modo? Nam si motis omnibus modis insidiarum, non dico non deiecerint vos, sed neque in vllo turbauerint: cognoscent quòd res vestræ veræ sunt ac diuinæ, & salutem conciliantes: illorum verò falsæ & caussa perditionis. Loquitur autem de quibusdam incredulis, qui prædicationi aduersabantur. *Quia vobis donatum est.* Vide quòd non nouerit differentiam voluntatis patris à voluntate filij. Quum enim dixisset quòd hoc quoque à deo sit, subiungit: Quia vobis donatum est à Christo. (Nam ὑπὲρ capitur pro ἀπὸ, id est à) rem ponens quæ commune sit donum patris ac filij. *Hoc à Christo.* Maius ac dignius reddens molestias ferre ab his qui prædicationi aduersantur, dicit à deo hoc ipsis datum esse, tum vt in Christum crederent, tum vt cum ipsis afflictionibus decertare possent.

Idem certamen habentes quale vidistis in me, & nunc auditis in me. Si qua igitur consolatio in Christo, si quod solatium, si qua communio spiritus, si qua viscera ac miserationes, complete meum gaudium vt similiter affecti sitis, eandem charitatẽ

(Margin notes: "pho." beside line 3; "E" beside "sa fueritis"; "F" beside "natum est"; "Cap.2." beside "& nunc auditis in me.")

habentes, vnanimes idem ſentientes, ne quid fiat per contentionem aut per inanem gloriam, ſed per humilitatem animi alium quiſque ſe præſtãtiorem exiſtimet, ne ſua quiſque ſpectetis, ſed vnuſquiſque quæ ſunt aliorum. A

Papæ, quantum eſt habere idem cum Paulo certamen. Factus eſt enim Paulus ipſis exemplar quum Philippis certaret, quomodo oporteat pro fide certare. *Si qua igitur conſolatio.* Si qua, inquit, vobis mei ratio habetur, & ſi quam in afflictionibus mihi dare vultis conſolationem, & ſi quod ſolatium moti ex charitate, complete meum gaudium. *Si qua communio ſpiritus.* Si habetis, inquit, mecum cõmunicationem in ſpiritu ſancto: & ſi quid in vobis eſt viſcerum ac miſerationum, complete meum gaudium, inuicem diligendo. B Ac ſi diceret: Si quam mihi remunerationem dare debetis ob meos erga vos labores, in hoc mihi exoluite vt inuicẽ diligatis. *Vt ſimiliter affecti ſitis.* Et quid eſt quod pro his omnibus exhiberi tibi cupis à nobis? Vt ſimiliter, inquit, affecti ſitis, & nullus aduerſus alium ſeditionẽ agat, aut diſſentiat. Vel etiã de dogmatis loquitur, petens pro omnibus, vt vnanimes ſint in fide. *Eandem charitatem habentes.* Non hic multam & ille paruã, ſed æqualem & eandem omnes. *Vnanimes.* Effecti videlicet. Et rurſum geminat ac iterat quod dixit, Similiter affecti ſitis. *Ne quid fiat per contentionem.* C Deinceps etiam docet quomodo contingat eſſe vnanimes. Nihil, inquit, faciẽdo per contentionem, hoc eſt, æmulationem ſiue rixam, neque per inanem gloriam. *Sed per humilitatem animi.* Papæ, quid ait? Per humilitatem, inquit, animi alium quiſque ſe præſtantiorem exiſtimet, & illum per omnia eſſe ſe maiorem. Magnum ſiquidẽ eſt, vt vel altera pars hoc ducat, putà Ille me præcellit. Nam ſi hoc exiſtimauerit, etiam honorabit ac reuerebitur & amabit, nec inuidebit: quod enim excellens eſt, ſuperat inuidiam: inuidia nanque exerceri cupit erga æqualem æmulum. Quòd ſi fuerit hæc opinio ex vtraq; parte, vide quanta pax ſequetur. Animaduerte autem quòd non dixerit, Quiſque ſe maiorem: ſed quod plus eſt, Præſtantiorem. *Ne ſua quiſque.* Quum enim quiſque propria vtilitate relicta ad fratris vtilitatẽ ſeſe ac-

D commodauerit: vt tu quidē meam vtilitatem ſpectes, ego verò tuam: huiuſmodi iam non humana, ſed angelica vita eſt.

Is enim affectus ſit in vobis, qui fuit & in Christo Ieſu: qui quum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt vt æqualis eſſet deo: ſed ſeipſum exinaniuit, forma ſerui ſumpta in ſimilitudine hominum conſtitutus, & forma repertus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediēs vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Pho. De animi modeſtia ſermonem facturus eſt. Quis enim in E Chriſto & per Chriſtum affectus ſumitur niſi extrema modeſtia & animi humilitas? Vultis noſſe quòd animi modeſtia nihil vobis nocet, neque damno afficit, neque deprimit accedentem ſublimitatem, imò potius eius efficitur oſtenſio ac demonſtratio? Chriſtum, inquit, conſyderate. Maximè enim in hoc oſtēditur quòd natura deus ſit ex hoc quòd ſeſe demiſerit, ac humanitatem geſtauerit. Nouerat enim quòd ex hac humiliatione nihil detrimenti ſuſciperet ex natura ſibi conueniens diuinitatis ſublimitas. Si verò hanc factitiam habuiſſet, timuiſſet vtique ſeipſum humiliare, ne à dignitate vix dum ſibi acquiſita excideret. Humilitas ergo demonſtratio fuit ſublimitatis diuinitatis eius, quæ ex natura ipſi conueniebat. Si quis igitur virtute excelſus ac magnus cupit eſſe, humiliet ſeſe: Humilitas enim eſt quæ oF ſtendit, ac teſtatur virtutis ſublimitatem: imitetur Chriſtum, nihil perdet qui ſe humiliat, magis autem magna lucrifaciet. Qui virtute pauper eſt nō poteſt humiliari: veretur enim ne excidat à fictitia & ſimulata ſublimitate. Qui diues & excelſus eſt virtute, humiliet ſe: nam in hoc magis ſeipſum oſtendit quòd verè ſit excelſus, quia non timuit humiliari & nouit quòd firmus ſit. *Qui quum in forma dei eſſet.* Animaduerte quomodo ex his paucis verbis ſpiritus, omnes euertātur hæreſes. Primùm ſiquidem dicens, Quū eſſet, coęternum patri ſignificauit, & Arium deiecit: deinde etiam Marcionem Ponticum. Si enim in forma dei erat, quomodo tu dicis quòd à Maria eſſe cœperit? Cum hoc & Paulus Samoſatenſis euertitur qui dominū aſſerebat eſſe nudum ho-

minem formatũ à deo. Etenim poterimus ipsi dicere, Quẽadmodum forma serui, natura est serui & non factura vel opus, ita & forma dei, natura dei est & non effectus. Nestorius quoque qui eadem sentit, simul euertitur. Cum his & Marcellus Galates & Sophronius ac Photinus euersi sunt. Vide autem & concidentem Sabellium. Non rapinam, inquit, arbitratus est vt æqualis esset deo. Aequalitas enim de vna persona nõdicitur, sed de duabus aut pluribus. Quomodo ergo tu nuda dicis esse nomina patris & filij ac spiritus sancti quæ de vna dicuntur persona? Vide rursum feriri Arium. Nam poterimus ipsi dicere, Quid sibi vult formã serui accepit? manifestum est idem esse quòd homo factus est. igitur qui & formam dei habere dicebatur, deus erat: nam in vtroque dicitur Forma. Sed quid Arius? Ita, inquit, minus habet filius, quia non rapuit vt ęqualis esset deo magno: illud enim rapit, quispiã quod non habet. Sed quid nos illi? Primùm quidem scripturæ nequaquam paruũ aut magnum inducunt nobis deum. Deinde qui iuxta vestrum sermonem paruus est, quomodo rapuisset vt magnus fieret? neque enim potuisset etiam si voluisset. Adhæc Paulus deiectionis animi exemplum induxit. Itaque non dixit, Quoniam paruus non insurrexit in magnum deum debetis inuicem submittere: sed cùm patris & filij ostendisset æqualitatem, dixit quòd ex animi humilitate carnẽ gestauit. Nam in maiorem non insurgere quænam est animi humilitas? impotentiæ potius fuisset ac imbecillitatis: sed eum qui æqualis erat & æquè potens, vltro humiliari & hominem fieri, hoc modesti est animi. Animaduerte autem ipsam libri scripturam. Nam hic velut in ęnigmate scriptum est, Non rapinam arbitratus est, hoc est, esse secũdum rapinam. *Vt æqualis esset deo.* Vbi quid aliquis rapuerit, nõ vult illud deponere, veritus ne sibi pereat. at vbi quis naturale habuerit & proprium, libens illud deponit: nouit enim ꝙ vbi libuerit, rursus ipsum accipiet. Quid ergo ait? Filius dei non timuit à dignitate descẽdere: non enim rapinã existimauit esse diuinitatẽ suam: hoc est, nouit siquidẽ quòd ex rapina non haberet vt esset æqualis patri, sed naturali diuinitate. Propter hoc seipsum exinaniuit vsque ad serui formam in similitudine hominũ factus. Quid est autem similitudo hominis? sanè alius homo. Qua-

D re autem dixit similitudinem hominis? Quia aliqua habuit super hominem, nempe quod deus etiam esset, quódque etiam sine commixtione genitus esset. Ex eo autem quod sequitur, Habitu inuentus vt homo, dicunt Eutychianistæ: Ecce non erat natura homo. Sed dicimus hoc dictum esse ne diuinitas existimaretur commutata esse in humanitatem. Habitu autem siue figura, hoc est in carne. Siquidem carnis proprium est figuratum esse vt homo. Neque enim vnus è vulgo erat, verùm diuersa etiã habebat. Aut vt homo, id est, vtpote homo. Etenim de rege quoque cum gloria procedẽte dicimus, Egressus est tanquã rex. Ait autem & Euangelista, Vidimus

Iohan.1. gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, hoc est, vtpo-

Pho. te vnigeniti. Nam deus & Christus noster non ad id quod

E suum est, respexit, sed ad id quod omnibus vtile est & salutare, propterea seipsum humiliat per incarnationem, & nos omnes exaltat per suam humiliationem. Qui ergo seipsum humiliat, Christi fit imitator. Atqui ipse, quũ natura deus esset & excelsus per essentiam. Qui autem inter homines excelsi sunt, ex rapina & ex auaritia nacti sunt inter eos celsitudinem. Quandoquidem cõmunis natura est æqualis & eiusdem honoris omnium hominum. Si ergo is qui natura deus est, & natura excelsus, seipsum propter nos humiliauit: nos qui natura æquales sumus, & æqualiter humiles & abiecti, an non debemus inuicem humiliari, & propriæ mẽsuræ conscij esse? Quòd si nosipsos humiliauerim⁹, superexaltat nos

F deus gratiosè largiens quę oculus non vidit, nec auris audi-

1. Cor.2. uit, nec in cor hominis ascenderunt. Beati, inquit, pauperes

Matt.5. spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cælorum. Atqui etiam si hoc nõ esset, inde celsitudo est & magnitudo quod digni habeamur vt Christi simus imitatores. *Sed seipsum.* Vbi sunt qui dicũt quod ex necessitate & patris subiectione inuitus est incarnatus? *Exinaniuit.* Quoniam enim non ex rapina se habere nouit vt æqualis esset deo, sed à natura & coæternitate dignitatis, propterea confidenter exinaniuit semet ipsum, hoc est humiliauit, & factus est homo, nõ abiiciendo quod deus esset. Quasi dicat, Si nouisset se ex natura habere quod deo ęqualis esset, nunquam incarnatus fuisset, veritus ne deprimeretur. *Forma serui sumpta.* Considera Pauli certum loquendi modum. Siquidem de diuinitate loquens, ait, Quum esset,

coæternitatem significans: de humanitate verò, Sumpta: & Factus, ostendens ꝙ aduentitia esset. *Inuentus ut homo*. Vtpote homo. Vide autem inferiorem annotationem. *Humiliauit semetipsum*.. Quòd si nudus homo erat, vt videtur hęreticis, quomodo humiliabatur factus quod erat? Rursum autem ꝙ ait Semetipsum, voluntariam deiectionem nobis significat. *Factus obediens*. tãquam filius, non tanquam seruus. Propter hoc enim potissimùm ostendit ꝙ naturalis esset filius, quia obediuit. Nã propterea dixit, Humiliauit semetipsum, ne quid seruile cogites: ob id autẽ ait, Obediẽs, vt ostẽdat honorem quem patri tanquam suo principio deferebat. *Vsque ad mortem*. Multæ sunt humiliationis excellentiæ: hominem fieri, mori, idque per crucem. A

Quapropter & deus superexaltauit illũ, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cælestiũ & terrestriũ ac infernorũ: omnisque lingua confiteatur ꝙ dominus sit Iesus Christus ad gloriam dei patris. B

Vbi incarnationem complexus est Apostolus, omnia deinceps impauidè proloquitur, quum caro admittat humilia. *Ac donauit illi nomen*. De carne hæc accipito, nequaquã personam diuidẽs. Quodnam est autem nomen quod donatum est? Christus, Filius, Deus. His enim nominibus etiam cum carne appellatur. Si post incarnationem propter obedientiam, nomen quod erat super omne nomen pater filio qui deus erat donauit, & omnis lingua dominum confessa est: ante incarnationem verò neque nomen quod est super omne nomen habebat, neque confessionem ab omnibus quòd dominus esset, maior fuit igitur post incarnationem quàm antea esset, quod absurdum est. Huiusmodi est autẽ & illud, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ad incarnationem igitur, & non ad diuinitatem hæc referre oportet. *Omne genu se flectat*. Ad adorationem videlicet. *Cælestium & terrestrium*. Angelorum & hominum ac dæmonum. Dęmones siquidem & cognouerunt, idcirco dicebant, Nouimus te quis sis, nempe sanctus ille dei, & cognoscent quando vt iudex descenderit. Aut quia & iusti & peccatores. *Omnisque lingua confiteatur*. Quid confitebitur? Quòd do-

Basilij. C Mat. 28. Mar. 2.

D minus sit Iesus Christus ad gloriam dei patris. Est enim patris gloria talem habere filium omnium dominum, & conditorem ac deum, & cui se flectat omne genu, & omnis lingua confiteatur.

Proinde dilecti mei, quēadmodum semper obedistis, non tāquam in præsentia mea solùm, sed nūc multò magis in absentia mea cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem operemini. Nam deus est is qui agit in vobis & vt velitis, & vt efficiatis pro beneplacito.

E Quoniam exhortationes cum encomiis faciliùs quisque admittit, ideo ait, *Quemadmodum semper obedistis.* Acsi diceret: Vosipsos nunc quoque imitemini, & quæ faciebatis facite. *Non tanquam in præsentia mea solùm.* Etenim tūc fortassis videbamini ob mei pudorem omnia facere: nunc verò si auxeritis virtutem, videbimini propter deum fecisse quæ oportet. *Cum timore ac tremore.* Non enim contingit sine reuerentia & timore ac tremore aliquod bonum operari. Quomodo autem contingit tremere? Si consyderauerimus ꝙ vbique adest deus, omniáque audit & intuetur: quódque graues exiguntur rationes ac pœnæ. Seruite, inquit, domino in timore, & exultate ipsi in tremore. Rectè: Siquidem oportet timere ac tremere, dum quisq; propriam operatur salutem, nequando fraude circunuentus ab hac excidat. Va-

Psal.2. Pho.

F riæ sunt tentationes & afflictiones, multíque insidiatores: vbi sanè in quibusdam ipsam quoque exercere virtutem, contrarium accepit euentum: dum factum est argumentum arrogantiæ ac superbiæ. Ob hęc oportet quosque timentes ac trementes suam operari salutem. Nisi enim deus videns certamen studiúmq; cum timore, adiuuet: nec ipsum velle, finem bonum sortietur, nec ipsum operari bona actio iudicari poterit. Voluit nanq; Cain sacrificium deo offerre, rem volens quæ tunc maximè laudabilis ęrat: & executus est, sacrificauit enim: sed neutrum deo acceptum fuit, siquidem non erat cum timore ac tremore. Ideo neque diuinum accepit auxilium, neque hæc in commodum finem illi processerūt. Meritò autem deum ait operari: siquidem ipse est au-

Gen.4.

xiliator noster, ipse qui perficit & veluti formam addit nostræ & voluntati & operationi. Potest quoque illud, Deus est is qui agit,&c. dictum esse vt agantur sine murmurationibus ac disceptationibus. Quid enim murmuras, inquit, quasi labore pressus? Deus est is qui cūcta operatur, & quid disceptas de virtutis difficultate? Deum habet auxiliatorē, *Nam deus est is qui agit in uobis*. Quoniam dixerat cū timore ac tremore,ait,At ne ob hoc terreamini.Deus enim est is qui agit in vobis, & vt velitis & vt efficiatis, hoc est, vt operemini bonum: itaque vos tantùm oportet piam adferre mentem, & bona velle cum timore ac tremore. Nam vbi id fuerit,consequenter & ipsum velle deus augebit,ac efficiet vt bona in opus deducantur. Aut quod Paulus ob multam animi gratitudinem ipsum quoque velle dicit à deo effici, sicut quādo sua egregia facinora frequenter dona appellat: non liberum tollens arbitrium. Absit:sed vehementer gratus, omniáque in deum referens: vt nos etiam pro his quæ operamur,deo gratias agamus. *In uobis*. In vobis qui vestram salutem cum timore & tremore operamini: eos nanq; qui tales sunt adiuuat. *Pro beneplacito*. Vt compleatur in vobis beneplacitum ac voluntas ipsius. A B

Omnia facite sine murmurationib⁹ ac disceptationibus,tales vt nemo de vobis quæri posit, synceríque filii dei, irreprehensibiles in medio nationis prauæ ac tortuosæ, inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo, sermonem vitæ continentes: vt gloriari posim in diem Christi, ꝙ nō in vanum cucurrerim,nec in vanum laborauerim. C

*Sine murmurationibus*. Nam qui murmurat,deo ingratus est:qui verò ingratus est,maledicit.Disceptationes verò dicit hæsitationes. Proposito enim dei præcepto non oportet ambigere,vtrum facere oporteat an non facere, sed omnia facere. *Vt nemo de uobis quæri poßit*. Vt sitis, inquit, absq; fuco & offendiculo ac reprehensione. *In medio nationis prauæ*. Ostendit quòd multi erant impugnantes, & ad murmurationem inducentes. Sed hoc, inquit, præclarum est vt is qui vellicatur non murmuret, neque in dubium aut hæsita-

D tionem cadat. *Inter quos lucetis*. Inter quos prauos ac tortuosos tanquam luminaria lucetis. Siquidem quemadmodũ luminaria in tenebris lucent, ita & vos in mediis peccatorũ illorum tenebris lucetis *Sermonem vitæ continẽtes*. Hoc est, subsidia ac semina vitæ habẽtes. Acsi diceret, Sciẽtes ꝙ vos ex illis estis qui vita immortali viuent: nam illi ex illis sunt qui morte immortali moriẽtur. Vides etiam hinc statim retributiones virtutis. *Vt gloriari poßim*. Id enim non vobis tantùm, sed & mihi gloriationem adfert ꝙ tales docuerim. *Quòd non in uanum cucurrerim*. Quam habes gloriationem, ô beata anima? Quòd non in vanum, inquit, cucurrerim neque laborauerim. Hoc est, quòd non vanum & inutile mihi fuerit ꝙ vos docuerim. Sed si immolor, hoc est, quanquam
E moriar, & veluti victimam meipsum sim oblaturus Christo, (nam pro Christo mori, est seipsum victimam offerre Christo) gaudeo, ait. Non dixit autem hoc ꝙ nũc sit moriturus, sed quod postmodum futurum est prænuntiat, & antea discipulos consolatur, ostendens ꝙ non oporteat cõtristari ob mortem ipsius, qui tanquam sacrificium & oblatio offertur Christo, sed potius gaudere.

Quinetiam si immolor super sacrificio & oblatione fidei vestræ, gaudeo & congaudeo omnibus vobis. Ob idipsum autem & vos gaudete ac congaudete mihi.

Pho. Particula hæc aut intelligenda est sicut maiores nostri in-
F terpretati sunt, aut hoc etiam modo, Quinetiam si immolor super hostia sacrificióq; fidei vestræ, quam in sacrificiũ obtuli deo, gaudeo re vera: nam præceptoris gaudium est perfectio discipulorum: congaudeo verò ꝙ & vos perfecti maximo fruamini gaudio. Itaq; ego quidem propter hoc gaudeo & congaudeo vobis. Et vos autem gaudere debetis, ꝙ in perfectione sitis, & congaudere mihi, ꝙ prçceptorem exhilaraueritis. Fortasis autem dictum illud, Quinetiam si immolor, beneuolentiam præ se ferre videtur: ꝙ si non ob sacrificium ipsorũ immolatus fuisset, certè cõtristatus fuisset. Nam hoc subindicat series sermonis. Et dicimus ꝙ hoc absurdum non est. Si enim ipse prædixit se magis necessariũ ducere, vt in carne permaneret propter profectum & per-

fectionem discipulorum, omnino sanè contristatus fuisset, A
si immolatus fuisset prius quàm perfectos eos reddidisset: neque fidem ipsorũ tanquam victimã & oblationem Christo offerre potuisset. Præterea & alio modo. Non simpliciter immolari elegit, nisi quia probus & feruens fidei prædicator erat: & quia discipulos adeò perfecerat, vt posset ipsorum fidem tanquam sacrificium ac oblationem deo offerre. Nam qui propter hæc immolatur, hic verè gaudet & exultat immolatus. Nullus enim frustrà eligit iugulari. Potest autem & hoc modo dici, Immolor nunc afflictionibus. Siquidem alibi ait, Quotidie morior. Sed quãquam afflictio- 1.Cor.15.
nibus, inquit, immolor (nam vinculis constringebatur) attamen ob sacrificium & oblationem fidei vestræ gaudeo, &c. Aut hoc quoque modo: At certè ob sacrificium, id est, propter vos & prædicationem erga vos, gaudeo, &c. *Super sacrificio*. Quanquam moriar, inquit, & immoler, gaudeo & cõgaudeo super sacrificio & oblatione fidei vestræ: hoc est, gaudeo ꝙ etiam vos tanquam sacrificium & oblationem offeram Christo: imò potius non vos, sed fidem vestram tanquam sacrificium & oblationem offeram. Gaudeo ergo ꝙ ego immoler, congaudeo autem & vobis ꝙ fidem vestram tanquam sacrificium & oblationem Christo sim oblaturus. Gaudete & congaudete mihi. Ob fidem vestram gaudete: quia verò offerendus sum, congaudete mihi.

## CAPVT IIII.

*De Timotheo & Epaphrodito, quos misit ad illos.*

SPero autem in domino Iesu me Timotheũ breui missurum vobis, vt & ego læto sim animo, cognito statu vestro. Neminem enim habeo pari mecum animo præditum, qui germanè res vestras curaturus sit. Nam omnes quæ sua ipsorum sunt, quærũt, non quæ Christi Iesu. Porrò probationem eius nostis, ꝙ mecum veluti cum patre filius seruierit in euangelium. Hunc igitur spero me missurum mox vbi videro mea negotia. Confido autem in domino, ꝙ & ipse breui venturus sim.

D Ipſam quoque Timothei miſsionem volũtati Ieſu Chriſti attribuit. *Vt & ego læto ſim animo.* Quemadmodum,inquit,vos lęto eſtis animo,cognitis quæ circa me aguntur,ꝙ ad profectum venerit euangelium, & quòd inimici pudore affecti ſint, ſubdolis eorum commentis ad bonum mihi cõmutatis:ita & ego læto ac alacri ſim animo,cognitis quæ circa vos aguntur. *Neminem enim habeo pari mecum animo præditum.* Poteram,inquit,& aliũ mittere, attamen qui ita vos adiuuet & curet quæ veſtra ſunt,nulllũ habeo alterum.Pari enim animo erat vt Paulus, & ſimiliter ipſorum curam habebat etiam Timotheus. *Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt*: hoc eſt,propriam quietem. Nullus enim , inquit, ad id quod Chriſto gratum eſt vobiſque expedit, facilè ve-
E lit tam longa mitti prædicatione vſque ad vos . Hoc autem dicit non vt alios vituperet , ſed vt Timotheum collaudet, nóſque doceat ne in paria incidamus. Animaduerte tamen ꝙ is qui requiem quærit , aut propriam tantùm vtilitatem , is non quærit quæ Chriſti ſunt. *Quòd mecum ueluti filius cum patre.* Non eſt, inquit, vobis opus vt à me diſcatis : præter hoc enim ꝙ mihi ſubiectus fuit , etiam ad prædicationem ſeruiuit. Meritò autem ipſum commendat : idque ideo vt ipſum in honore habentes,magis audiant, magíſque illis proſit. *Mox ut uidero mea negotia.* Confeſtim,inquit, vbi videro quem ſortientur res meæ terminũ. *Confido autem in domino.* Non idcirco Timotheũ mitto quaſi non ſim ipſe venturus, ſed vt interim læto ſim animo , cognito ſtatu veſtro.
F Conſydera verò quomodo omnia ad deum referat , & nihil à ſeipſo loquatur.

Sed operæpretium arbitratus ſum Epaphroditum fratrem & adiutorem ac commilitonem meum , veſtrum autem apoſtolum ac miniſtrum in neceſsitate mea mittere ad vos. Quãdoquidem deſyderabat omnes vos,anxius animi ꝓpterea ꝙ audiſſetis ipſum infirmatum fuiſſe. Siquidem ita infirmus fuit , vt vicinus eſſet morti : ſed deus miſertus eſt illius:& non illius tantùm,ſed & mei:ne mœrorem ſuper mœrorem haberem.

Hunc

Hunc etiam cum laudibus mittit quemadmodum & Timotheum, propter scriptam ibi caussam. *Ac commilitonē meū.* Hoc magis est quàm esse adiutorem. Contingit enim vt etiam in minimis sit adiutor, commilito verò in periculis & afflictionibus adiutor est. *Vestrum autem apostolū ac ministrū in necessitate mea*: nam per ipsum necessaria miserant: ideo apostolum illorum, ac ministrum suæ necessitatis appellat. *Quandoquidem desiderabat.* Charitatem illius in commendationem proponit. *Anxius animi.* Anxius, inquit, animo erat sciens quòd à vobis amaretur, & propterea cognoscens ꝙ mœrore afficeremini ob illius ęgritudinē. *Siquidē ita infirmus fuit.* Ostendit quòd non negligentia torpuerit, dum nullum ad ipsos mitteret, sed necessitate detentus sit. Nam Epaphroditus ægrotabat, Timotheum, etsi ad eos proficisci potuisset, solùm habebat, quomodo ergo ipsum mittere potuisset? *Sed deus misertus est illius.* Quid dicēt hęretici, qui asserunt malum esse mūdum? Ecce enim apostolus misericordiæ dei fuisse dicit quòd Epaphroditus in vita sineretur. Quamobrem autem præsentem vitam, ait, omnino esse misericordiæ, (nam hoc tanquam apud Christianos quærendū est) si dissolui & esse cum Christo melius erat? Et dicimus, quod ob caussam qua superius dixit, Manere in carne magis necessarium est propter vos, ob eandem nunc quoque istud dicit. *Sed & mei.* Vide quàm reuerendum illum reddat, quum ipsius sanitate dominum sui miserum fuisse dicit. *Ne mœrorem super mœrorem haberem.* Nēpe præter eum qui ortus fuerat ab illius ægritudine, etiā eum qui à morte processisset. Hoc est, ne dolorem qui fuerat ex eius ægritudine haberem vnà cum dolore qui sequeretur ex eius morte.

A B Supra. 1. C

Studiosius itaque misi illum, vt cum videritis illum denuo gaudeatis, & ego magis vacē mœrore. Excipite igitur illum in domino cum omni gaudio & qui eiusmodi sunt, eos in pretio habetote: quoniam propter opus Christi eò accessit vt morti proximus fuerit: non habita ratione vitæ, vt suppleret id quod in vestro erga me officio fuit diminutum.

*Denuo gaudeatis.* Non ex auditu tantùm quòd sanatus sit,

D verùm etiam ex aspectu. *Et ego magis uacem mœrore.* Nam si vos gaudetis, & ego gaudeo:sed non dixit Gaudeo, imò neq; simpliciter dixit, Sine mœrore ero, sed Magis vacem mœrore, ostẽdens quòd propter discipulos nunquam doloris expers erat, qui etiam oriebatur ob bellum aduersus fidem. Nam propter spem semper gaudebat. *Excipite igitur illum in domino.* Illum itaque suscipite aut propter dominum, aut quia dei voluntas est. *Et qui eiusmodi sunt, eos in pretio habetote.* Non propter illos ipsos, sed propter vos qui suscipitis vt exuberet vestra merces. *Quoniam propter opus Christi.*
E Quum hic abiisset ad vrbem Romam, vt quę necessaria erãt Paulo deferret, verisimile est quòd ipsum in magno periculo inuenerit: quum autem ne ad eum quidem accedere cuiquam licitum aut permissum esset, imò & periculum his esset qui assequerentur: Epaphroditus postposito huiusmodi periculo & congressus est, & dedit quæ necessaria erant, ipsique ministrabat: id autem vocat opus domini: quòd enim me, inquit, refocillat, non propter me hoc facit sed propter dominũ. *Propter opus Christi.* Rectè opus Christi vocat. Si
Pho. enim qui discipulos suscipit, ipsum suscipit Christum: ait,
Mat.10. enim, Qui vos suscipit, me suscipit: etiã qui in aliquo disci-
F pulis ministrat, Christo ministrat. Prӕterea & alio modo opus Christi est, quia præcepti Christi est propriam animam pro amicis ponere; quòd si pro amicis, quantò magis pro præceptoribus? *Non habitatione uita.* Quid enim, inquit, & si deus inopinato modo illũ seruauit, ipse tamen vitę rationem non habuit, sed in periculum seipsum coniecit. *Vt suppleret.* Misistis, ait, quę ad meam necessitatẽ opportuna erãt, & mei qui absens eram meministis, & charitatẽ demonstrastis. Reliquum igitur toti operi fuit, vt ego quæ missa erant reciperem, & hoc solùm defuit. Hic itaque reliquum quod obsequio erga me diminutum erat, suppleuit, non habita ratione vitæ. Ostendit autem quòd his etiam qui miserunt merces erit, licèt vt compleretur opus quod secundum deũ erat, Epaphroditus hic suppleuerit. Quum autem dixerit, Quod ex vobis deerat, & Officium, obligationem ostendit imminere his qui in securitate sunt, vt illis mittant qui sunt in periculis. Hoc autem ait, ipsos in officio continens, ac ostendens vt quod debitum est compleatur.

*De spirituali uita quæ non degitur tãquam in carne, quæ est imitatio mortis Christi.* A

QVod superest fratres, gaudete in domino. Eadem scribere vobis, me quidem scribere non piget, vobis autem tutum est. Videte canes, videte malos operarios, videte cõcisionẽ. Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu deum colimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non cõfidimus in carne: quanquam & ego habeo quo in carne confidam. Cap.3. B

Nam si ego, inquit, nunc non moriar, & euangelium ad augmentum veniat, ac inimici pudore suffundantur, gaudere debetis in domino. Nam quę accidũt, ad gloriam vergũt domini Iesu. Prȩterea, si apostolus Epaphroditus vos recreauit, rursumque ad vos missus est, & ego à mœrore ob ipsum sumpto liberatus sum, vestráque diminutio in officio suppleta est, gaudere debetis gaudio spirituali, dignóque domino. Pho. *Videte.* Erant qui non facilè cognosci poterant. Ideo ait: Videte, hoc est, inuestigate, vosmetipsos seruate. *Canes.* Erãt nonnulli ex Iudæis, nempe credentes, qui vnà cum fide Iudaismum etiam commiscebãt, & prædicationem còrrumpebant, quos canes appellat. Canes verò dicebantur interdum ethnici, eo quòd deum ignorarent. Nam & canes in eũ quoque latrant qui aliquid tribuit. Nunc autem hi canes dicuntur (qui enim filium negant, neque patrẽ nouerunt) aut propter impudentiam, aut quemadmodum hi qui ad proprium reuertuntur vomitum, aut eo quòd occultè mordeant. *Malos operarios.* Etenim operantur quidem sed ad malum. Nã quæ rectè plantata sunt euellunt. *Concisionem.* Circuncisos dicit. Sed quoniam nondum facta erat apud Iudæos vera & legitima circuncisio, (Siquidem ea est nunc legitima vt per spiritum anima circuncidatur) concisionem ipsam appellauit: indicans nihil aliud esse circuncisionem, quàm corporis concisionem. Aduenientе enim veritate, necesse est figuras cessare ac otiosas esse. Aut quia hi qui circũcisionẽ prædicant, conantur ecclesiæ corpus concidere *Qui spiritu deum colimus.* Spiritualiter deo seruimus & spiritualiter circũci- C 1. Iohan. 2

D dimur. Nam alio modo non poteſt quiſpiam eum colere. *Et gloriamur in Chriſto Ieſu.* Animaduerte quomodo excellẽtiam oſtenderit. Vtrum enim melius eſt, in Chriſto cõfidere an in carne? Manifeſtum eſt quòd in Chriſto: vera igitur eſt noſtra circuncisio qui in Chriſto confidimus & gloriamur, & non eorũ qui in carne. *Quanquam & ego.* Si velim inquit quemadmodum illi gloriari, magis habeo & ego quo in carne confiderem: hoc eſt, poſſem & ego ſicut illi in circũciſione carnis meę gloriari, & amplius quàm illi. *Habeo quo confidam.* Si apoſtolus ex Gentibus oriundus fuiſſet, poſſet quiſpiam hoc dicere ꝙ Iudæorum circuncisionem eleuaret ſeu attenuaret tanquã carens generoſitate ipſorum. Nũc
E autem ait, Quanquã habeam quo etiam in carne confidam, hæc dico: Non quòd hęc fuerit ipſi gloriatio (Nam hoc indicat πεποίθησις. i. fiducia) ſed propter illos ita loquutus eſt. *Etiam in carne.* Habeo in Chriſto, inquit, ſed & eam quæ videtur eſſe in carne habeo. Non ergo ipſos vitupero quòd caream generoſitate quę ſecundum carnem eſt.

Si quiſquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis: circuncisus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin: Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Phariſæus: iuxta zelum perſequens ecclesiam, iuxta iuſtitiam quæ in lege eſt factus irreprehenſibilis.

F Bene dicit Videtur, aut quòd non haberent illi tantam fidendi cauſam quantam ipſe, aut quòd fiducia quæ in carne eſt non ſit propriè fiducia. Dixit autem Alius, oſtendens ꝙ nunquam ad hos ſermones deueniſſet, niſi alij qui in carne fiduciam habebant, ipſum ad hoc impuliſſent. Animaduerte verò quomodo tacitis eorum nominibus obiurget, veritus ne nimiũ pudore ipſos afficeret. *Circũciſus octauo die.* Quod apud ipſos in pretio erat, primùm poſuit, nempe circũciſionem. Conſydera autem quantam ponat corporalem nobilitatem, ne exiſtiment Iudæi ipſum dixiſſe ea quæ dixit eo ꝙ his careret. Maximè enim pudore afficiebantur dum ea quæ apud ipſos erant vituperabat ille qui cuncta excellenter habebat: & ait, Circunciſus octauo die, oſtendens interim quòd non ſit proſelytus ſiue aduena. *Ex genere Iſrael.*

Oſtendit quòd neque ex proſelytis parentibus. *De tribu* Ben A
*iamin*. Quæ clara habebatur apud Iudæos. *Hebræus ex He-
bræis*. A maioribus, inquit, ex probatis ſum Iudæis (Contin
git enim ex genere Iſrael eſſe & non eſſe Iudæum) *Hebræ-
us*. Quaſi dicat quòd ad cognitionem Hebraicæ linguæ per-
tigerit. Nam poſtquam inter Gentes diſperſi fuerant, ob
multam paternæ linguæ ignorantiam, non exactè nouerant
ſcripturas quæ apud Iudęos erãt, neque legẽ ipſam. *Iuxta le
gem Phariſæus*. Hæc ſecta apud Iudæos clara erat. Conſe-
quenter etiam virtutem refert, quæ ex voluntate eſt: prio-
ra ſiquidem non erant voluntaria. Zelus ſiue æmulatio ex
voluntate eſt, porrò voluntaria, non ſunt circuncíſio, eſſe
ex genere Iſrael, de tribu Beniamin &c. *Iuxta zelum*. Nam
contingit eſſe phariſęum, & nõ æmulatorem. Iuxta iuſtitiam B
quæ in lege eſt. Quoniã ſanè Iudæi quoque perſequebãtur
eccleſiam, non propter zelum dei, ſed propter ambitioſam
principatus affectationem, etiam hac parte ſe munit. Qui e-
nim iuxta iuſtitiam quæ in lege eſt, irreprehenſibilis erat,
quomodo fieri potuiſſet, vt principatus amore perſequere-
tur, & non ex dei zelo.

Sed quæ mihi erant lucra, arbitratus ſum propter
Chriſtum damnũ eſſe. Quinetiam arbitror omnia
damnum eſſe, propter excellentiã cognitionis Chri
ſti Ieſu domini mei, propter quem omnium feci ia
cturam, habeóq; pro reiectamẽtis, vt Chriſtũ lucri- C
faciã, vtq; reperiar in illo non habens meã iuſtitiã
quę ex lege eſt, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti.

Lucrum dicit quæ ſibi à lege collecta erant. Itaq; non de- Pho.
trahit legi, Veluti delirant Marcioniſtæ. Porrò quãquã ip-
ſa propter Chriſtum ducantur eſſe damnum, nõ ſimpliciter
hoc dicit, quod eſſe poſſet improbantis legẽ: ſed damnum,
ipſa vocat collatione ſeu comparatione ad Chriſtum, quòd
magis ad laudem legis tendit, nempe quòd alio modo non
audeat eã vocare damnum niſi collatione, ſeu comparatio-
ne ad Chriſtum. *Hæc arbitratus ſum* Si omnia damnum
eſſe ducis ô Paule, etiam ipſa quæ corporaliter in lege ſer- Eiuſdem
uantur propter excellentiam cognitionis Chriſti: quomodo

D statim dicis, Propter quem omnium iacturam feci. Nam dicere iacturam feci, non est damnum abiicere (Hoc enim potius est lucrum facere, nempe à damno liberari) sed potius quarundam vtilium rerum abiectionem significat. Quomodo ergo quum ea abiicis quæ ducis esse damnum, ais: Iacturam feci? Et dicimus, quòd non simpliciter hæc damnum esse ducebat, sed ad comparationem perfectioris secundum deum cognitionis: quandoquidem in se lucrum ea esse existimabat. Ideo damnum quidem esse arbitror comparatione meliorum: feci autem iacturam in se, & quoad legis naturã. Aut etiam hoc dicere oportet, quòd diuo Paulo cura non erat de elegantia & proprietate Græcorum nominum, sed so-
E lùm intendit significare quod proponitur. Quemadmodum enim alibi potestatem mortis nostræ significare volens nihil accuratè loquutus est: sed quum dicendum fuisset, Ty-
Rom.5. rannidem exercuit, aut Vim intulit: ait, Regnauit, plausibili nomine infaustam illius significans tyrannidẽ: Ita & nunc abiectionem nociuorum quæ fauorabilis est, dictione non fauorabili designauit, dicens: feci iacturam. *Damnum* Dicunt quidam hæretici: Ecce lex damnum est & reiectamenta: quomodo ergo dicitis ipsam à deo datam esse? Sed animaduerte quòd nõ dixerit Damnum est, sed Arbitratus sum damnum esse. Etenim his qui literæ adhærent, & à Christo discedunt damnum cõciliat: non ex propria natura, sed propter illorum inscitiam, qui ipsa malè vtuntur. Siquidem etiam auro & plumbo propositis, vbi necesse sit vnum è duobus eligere, si quis plumbum elegerit, damnum passus est:
F nõ quòd damnum sit ex natura plumbi, sed ob priuationem eius quod melius est. Itaque & lex, si quis ea vtatur vt oportet, lucrum est: nam ad Christum transmittit. Legislator e-
Deut.18. nim Moses de Christo dicens, Prophetam suscitabit vobis deus tanquam me (tanquam me propter carnem, & mediatoris officium) ait oportere ipsum audire: Si verò literæ inhæreat, damni occasio est, Hæc quoq; de eo quod sequitur, Habeo pro reiectamẽtis, intelligere poteris. Et primũ quidem dici potest, quòd non de lege dixerit Reiectamenta, sed de rebus mundanis: quòd si etiam de lege, iuxta sensum qui de damno datus est, intelliges: & hoc pulchrũ est. Nam reiectamenta dicta sunt tritici culmus: sed dum nõdum ap-

paret triticum, necessarius est culmus, tanquam futuri tritici conseruatiuus: vbi vero apparuerit, inutilis est culmus hominibus. Ita & lex: donec incarnaretur Christus, erat vtilis, nam ad ipsum transmittebat: quum autem iam apparuit, superflua est quantum ad hoc quod est corporaliter obseruari quę in ea sunt. Erat autem & alio modo vtilis lex ante Christum. Etenim plus quidem sapientię habebat, quàm Græcorum dogmata, crassior autem erat, quàm philosophia quę in Christo est. Media itaque inter idololatriã, & fidem in Christum interposita iuuabat, sensim ab idololatria subducens, & à crassitie quæ inde erat: & aptiores reddens, vt apparenti Christo crederent. Quoniam ergo quod suum erat, compleuit, & ad Christum transmisit, deinceps inutilis & superflua est ad hoc, vt corporaliter obseruetur: quemadmodum & puero, vbi ad virilem peruenerit ætatem, puerile vestimentum, aut educatio. Potes autem & iuxta aliud intelligere, legem esse reiectamenta. Nam reiectamentum aut palea cibus est iumentorum. Et lex itaque post fidem irrationalibus hominibus in obseruantia est. Verum quare omnino duxisti eam esse damnum, aut reiectamenta ô Paule? Quia ad multum tempus cum damno priuauit me Christo, literę adhærentem: non quòd nunc damno ex ipsa afficeretur, nouerat enim ea spiritualiter vti: sed de dãno illo loquitur quod fuerat ante fidem suam. Etenim postquam pertransiit damnum quod accepimus, reminiscentes ipsius vocamus illud adhuc damnum. Considera enim quomodo securè dixerit, Arbitror ipsam damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi, tanquam diceret: Natura quidem damnũ non est, sed eo certè quòd ipsam seruans non cognoscebã Christum, in damnum mihi facta est. *Quinetiam arbitror.* Quoniam verbum Arbitratus sum, præteriti temporis vim habebat, ait: Nunc quoque arbitror, Etenim multo, inquit, tẽpore me Christo priuauit, nõ propria intentione, vt quis suspicari posset, sed ob meum ad illam affectum nõ secundum scientiam. *Omnia damnum esse.* Nam si quis, inquit, opponat corporalem legis obseruationem ad Christi cognitionem, legem inueniet esse damnum: tanta est cognitionis Christi excellentia. *Propter quem omnium feci iacturam.* Non solùm relicta lege & omnibus quæ in ea sunt. quantum ad hoc

A

B

Oecum.

C

D quod est ipsam, & quæ in ea sunt corporaliter obseruari, verumetiam omnibus quæ in mundo sunt. Nam dicere iacturam feci, hoc est, dimisi, & ipsis priuatus sum. *Non habens meam iustitiam.* Meam ait, id est, quæ est ex meis operibus & laboribus. Siquidem talis neque propriè iustitia est, inquit (Nam quid potest homo efficere?) sed per gratiam & fidem Christi, est propriè iustitia: Si ergo qui habet ex operibus iustitiam, ad eam quæ ex fide est, accurrebat vt saluus fieret, qui neque habet, neque accurrit, quidnam patietur?

Quæ est ex deo iustitia ob fidem cognoscendi ipsum & potentiam resurrectionis illius, & communionem afflictionis ipsius: dum conformis fio morti eius, si quo modo pertingam ad resurrectionem
E mortuorũ. Non quòd iam apprehenderim, aut iam mortuus sim: sed sector, si etiam apprehẽdam in his ob quæ & apprehensus sum à Christo Iesu. Fratres ego meipsum nondum arbitror assequutum esse. Vnum autem, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea quæ à fronte sunt, extendor, iuxta præfixum signum insequor, ad palmam supernæ vocationis dei per Christum Iesum.

*Quæ est ex deo iustitia.* Nam quæ est ex fide Christi, ex
F deo est, non ex lege. *Ob fidem.* Iustitia, inquit, quæ est ex
*Iohan.14.* deo ob fidẽ est, & precedenti voluntate cognoscendi ipsum. Nam qui filium cognoscit, etiam patrem cognoscit, & ediuerso. *Ac potentiam resurrectionis illius.* Nisi enim fides manifestauerit potentiam resurrectionis, quis sermo id præstabit? Et *communionem afflictionis ipsius.* Siquidem quòd oporteat etiam communicare afflictionibus Christi per fidem & cognouimus, & præstamus. Qui enim non credit ꝙ is qui compatitur, etiam vnà regnabit, nunquam compati poterit. *Dum conformis fio.* hoc est assimilor. Quẽadmodum enim ipse pro peccatis hominum, inquit, mortuus est, ita & ego pro hominum vtilitate morior: hoc autem est, & pro Christo mori. *Si quo modo pertingam.* Si quo modo ait. Vides eum post tanta adhuc ambigere? *Ad resurrectio-*

*nem mortuorum.* Gloriosam illam resurrectionem quæ ad ip A
sum, de qua alibi ait, Et semper cum domino erimus. *Non* 1. Thes. 4.
*quòd iam apprehenderim.* Quoniam dixit, Dum conformis fio morti eius: erat autem magnum verbum: non contentus est solùm dixisse, Si quo modo pertingam ad resurrectionẽ: sed etiam ostendens nobis manifestius, quòd is qui etiam conformis est morti Christi, nondum aliquid dignum facit cruce Christi, subiungit, Non ꝙ iam apprehenderim, seu acceperim, inquit, brauium per hoc quòd conformis factus sim morti Christi, aut iam ex hoc perfectus sim. *Sed sector, si etiam apprehendam.* Prosequor autem, inquit, brauium, si fortè ipsum apprehendam. Vide autem quantam habeat em phasim quod ait διώκω, id est, sector, siue prosequor. &, Si
apprehendam: Qui enim sectatur quum tamen incertus sit B
vtrũnam comprehẽsurus sit, nihil aliud intuetur, nihil aliud cogitat, nisi assequi id quod sectatur. *In his ob quæ & appre hensus sum à Christo Iesu.* Hoc est, in ea re qua apprehensus sum à Christo: iam enim fugientem me comprehendit, & fe cit vt crederem. In his ergo ob quæ apprehensus sum, nem pe ad prædicandum & gestãdum nomen eius coram Genti- bus & regibus: ego curro si quo modo apprehẽdam vt talis efficiar, qualis vt fierem electus sum. Aut ἐφ' ᾧ intellige pro Quandoquidẽ: vt hic sit sensus, Sed sector si apprehendam, quandoquidem apprehensus sum, dicens rem quæ in debi- to est. *Ego meipsum.* Simul per exemplum quod circa seip- sum erat, docet etiam illos modestè de seipsis sentire, & non
intumescere, quasi iam apprehendissent. *Nondum arbitror.* C
Tanquam de cursore omnia loquitur. Quid est autem quod non arbitreris te assequutum esse? Scopum, inquit, brauium propter quod missus sum, vt dignus essem apostolatu. Porrò si Paulus quum tantus esset, non apprehẽdit, quid nos dice- mus? Quomodo ergo alibi ait, Certamẽ decertaui, cursum
consummaui? Quoniam tunc resolutioni proximus erat. 2. Tim. 4.
*Vnum autem.* Vnum autem ago, inquit, & in vno duntaxat
totus sum. Quòd ait, Vnum autem, aut per defectũ accipien Pho.
dũ est, veluti maiores nostri acceperũt. Nam & in hoc sche- mate frequẽs est, vt desit Curo, solicitus sum, anxiè cogito. Quidnã illud est? Ea quidem quæ à tergo sunt, &c. Aut hoc ergo modo accipiendum est: aut potius aliter, vt figuræ sub-

D iiciatur, quæ appellatur A communi sensu acceptio. ✝ Nam & in hac frequens est diuus Paulus: vt à communi sensu sumatur hic Arbitror me assequutum esse: hoc est Nihil me arbitror assequutum esse, prę terquam vnum. Quodnam est autem quod me assequutum esse existimo? quòd ea quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea quæ à fronte sunt extendor, iuxta præfixum signũ insequor, &c. Oportebat enim ipsum comprehendisse, ꝙ iuxta præfixum signum insequeretur, ne vanus esset ei cursus. Ideo quoque ait, Sic curro, vt non in incertum: sic pugillem ago, nõ velut aerem feriẽs. Rursumq;, Sic currite vt cõprehendatis. *Ea quidẽ quæ à tergo sunt obliuiscens.* Nam id eum faciebat ad ea quæ à fronte erant eniti, si obliuiscebatur egregiorum facinorum quæ à tergo erant. Ait autem, Ad ea quæ à fronte sunt, veluti ad repositum brabiũ. Semper enim ante me, inquit, illud existimans & longè à me abesse, curro ad ipsum. *Ad ea quæ à fronte sunt extendor.* Continuũ cursum significat dictio Extendor: acsi dixisset, Adhuc in cursu sum, tanquã distante longè brabio. Ille siquidem extenditur, qui pedibus etiamnum currentibus, iam corpore prominet ad scopum, & pedes fermè anteuertit inclinatione reliqui corporis. Hoc autem ex magna animi prõptitudine & feruore prouenit. *Iuxta præfixum signum insequor.* Quod est autem ipsius cursus præfixum signum? regnum cælorum, quod etiam brabiũ seu palmam vocat. Seipsum enim interpretans, Quod est, ait, præfixum signum siue scopus? ipsa, inquit, palma supernæ vocationis. *Per Christum Iesum.* Omnia Christo attribuit. Siquidem per Christum, ait, curro. Nam sine Christo ipsiúsq; auxilio non daretur hunc perficere cursum, etiam si vellemus.

✝ ἀπὸ κοινοῦ.

1. Cor. 9.

E

F

Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sentitis, hoc quoq; vobis deus reuelabit. Attamen ad id quod assequuti sumus, eadem persistamus regula, idem sentiamus.

*Hoc sentiamus.* Quidnam? quod oporteat ea quidem quę à tergo sunt obliuisci, ad ea verò quæ à fronte sunt extendi. Nam hoc perfectos reddit, cogitare quòd absint à palma. *Et si quid aliter.* Si quid alio modo assequuti estis, putantes quòd non absitis à palma, sed illam assequuti sitis, deus vo-

bis reuelabit quod non rectè hoc sentiatis. Qui enim ita sentit, A
efficitur segnior. Ait autem, Hoc quoque quemadmodum & alia omnia. Siquidem propriam doctrinam deo attribuit. *Attamen ad id quod assequuti sumus.* Interim autẽ dum illud, inquit, deus reuelat, in mẽsura stemus ac regula ad quã pertigimus: hoc est, ne pereãt quæ prius peracta sunt, Στοιχεῖν autem (quod Persistere vertimus) est contentum esse, obtẽperare, stare. Aut Canonem seu regulam dicit fidem. Quẽadmodum enim in regula siue abstuleris quippiam, siue addideris, totum perdidisti, ita & in fide. Interim, inquit, donec vobis veritatem reuelauerit, quod assequuti sumus ne Pho.
perdamus. Quomodo autem perditur? Si negligentes effecti, à priori studio & cursu discedamus, sed oportet eadẽ regula incedere, hoc est, idem certamen conseruare, eosdem B
exhibere mores, idem sapere & circa cõuersationem & circa dogmata. Quẽadmodum enim is qui aliquid dogmatum immutauit, etiam vniuersa præcedentia dissoluit: ita & in cõuersatione qui aliquid transgressus & præuaricatus est, non eandem obseruando diligentiam, etiam præcedentia corrupit. Deinde ne rem difficilem & quæ ægrè perfici possit videatur præcipere, nempe vt tota vita exerceantur in virtutibus & pietate, subiungit: Imitatores mei estote. Quod facillimum est, inquit, exigo, nihílque impossibile, quum & ego homo sim similiter affectibus obnoxius. Quemadmodum certãtem me videtis, ita & ipsi certate. τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Eadem persistere regula, idẽ sentire (pro Eiusdem.
quo vertimus, Eadem persistamus regula, idem sentiamus) C
Hæc particula aut exhortationis est aut precationis: verùm si exhortationis sit, deficit Oportet. Oportet, inquit, vos eadem persistere regula, idem sentire: si eadem debetis persistere regula, debetis idem sentire. Si verò precatio est, sumetur à communi sensu Reuelabit, vt sit sensus, Reuelabit vobis vt eadem regula persistatis, vt idem sentiatis. Nouit enim nihil absque diuino perfici auxilio. Idem, inquit, sentire, in eo quod in fide assecuti sumus, non plus, non minus.

Imitatores mei estote fratres, & considerate eos qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro typo. Nam complures ambulant, de quibus sæpe

D dixi vobis,nunc autem & flens dico: inimicos crucis Christi,quorum finis perditio est, quorum deus venter est, & gloria in dedecore ipsorum qui terrestria curant.

*Imitatores mei estote.* Neque enim diuinus hic vir solis docebat sermonibus,sed & pro exemplari ipsis proponebatur in operibus. *Et consyderate.* In superioribus quidē dixit Videte canes,videte malos operarios:nēpe eos qui post susceptā fidem adhuc Iudaismū sectabātur. Nunc autē communem dat eis obseruationē: vt illis,inquit, cōmisceamini qui typum gerunt meæ apud vos conuersationis. *Eos qui sic ambulant.* Ambulare sumit hic simpliciter pro viuere & conuersari. Quandoquidem,inquit,multi ambulant:ad internoscēdum quinam rectē ambulāt & qui non, cōsyderate qui ambulēt iuxta vestigia & typum quo nos ambulauimus & eos sequimini. *Nam cōplures ambulant.* Malè,inquit,& aliter q̄ ego. *Nūc autem & flens dico.* Animaduerte Pauli viscera qui ob aliorum plorat errata. Siquidē quia morbus ipsis protendebatur,luget ipsos. *Inimicos crucis Christi.* Quinam sunt hi quos iubes nos obseruare? Inimicos ait crucis Christi.Erant enim quidā tanquam sanè Christiani, qui tamen in delitiis & quiete degebant: quos dicit crucis inimicos,nam cōtrario modo ad illā,inquit,operātur: ipsa siquidem generosum requirit animū,qui se periculis exponat,& propriū imitetur dominū:hi autem vētri seruiūt. *Quorum finis perditio est.* Rectè finem dixit perditionem, si ad finem vsq; tales permāserint: erat enim verisimile eos quoq; immutandos. *Quorum deus uenter est.* Siquidem ipsum tanquā regem,imò potius tāquam deum colunt. De quibus alibi dicit, Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Etenim ibi quoque de addictis ventri ac gulæ loquebatur. *Et gloria in dedecore ipsorū.* Multi aiunt ipsum per hæc circuncisionem innuisse,at non ita est:sed ob ea, inquit, gloriantur propter quę occultari & pudore affici oportuit. *Qui terrestria curāt.* Nam qui requiem ac delitias requirūt,hi terrestria curant.

Sup.eod. — Pho. — E — F — 1.Cor.15

Nostra enim conuersatio in cælis est,ex quo etiā saluatorem expectamus dominū Iesum Christum,

qui transfigurabit corpus nostrum abiectum, vt ipsum conforme fiat corpori illius glorioso, secũdum efficaciam qua potest etiam subiicere sibi omnia. A

Oportet itaq; quæ in cælis sunt quęrere, vbi nostra est cõuersatio, aut nostræ reip. administratio. Ibi nanque militamus, ibi gubernamur. Ex *quo etiam saluatorem.* E cælo dominum nostrum ac saluatorem expectamus, qui in paterna apparebit gloria in secũdo aduentu cũ sanctis angelis suis. *Qui etiam transfigurabit*, inquit, ac cõmutabit pręsens corpus. Vocauit autem ipsum abiectũ, eo ꝙ subiectum sit corruptioni & passionibus ac doloribus. Et faciet, inquit, simile illi suo corpori quod à dextris sedet patris, & ab incorporeis adoratur potestatibus. Siquidem nostrum quoque corpus in immortalitatem transmutabitur per gratiam dei nostri Iesu Christi. Væ iis qui ab hac excidunt gloria & cum dæmonibus numerantur. *Qui transfigurabit.* Multi existimant aliud suscitandum corpus in resurrectione, & non hoc quo nunc circundamur, propterea ꝙ dictum sit, Transfigurabit corpus nostrum abiectũ in corpus gloriæ suæ. Sed vide quid dicat Methodius libro de resurrectione. Etiam hoc interim corpus nostrum corpus gloriæ erat ante transgressionem, & adeò gloriosum erat vt nunc post transgressionẽ corpus abiectum dicatur. Siquidẽ nisi gloriosum ac inclytũ fuisset, nequaquam nunc abiectum appellaretur. Abiicitur enim & deprimitur per lapsum id quod inclitum fuit. Nam quod semper humile fuit, non posset dici per transgressionem humiliatum. Etenim etiam de eo qui stabat: si cadat, dicimus ꝙ cecidit: de eo verò qui semper iacuit, nullus poterit dicere ꝙ errans ceciderit. Hoc itaque corpus factum humile & gloriosum resurget & non aliud. *Vt ipsum conforme fiat.* Fortem ac indubitatam facit fidem quòd omnino trãsfigurãdum sit corpus nostrum abiectũ (si modo voluerimus) vt ipsum conforme fiat gloriæ ipsius. Si enim ad hoc interuenit, inquit, dominus noster Iesus Christus, quis ambiget quin omnino id erit? Deinde vis & aliam demonstrationem? Subiicere vult sibiipsi omnia. Nã oportet, ait, illum regnare donec subiiciãtur ipsi omnia: &, Quum autem subiecta fuerint ipsi omnia. Si igitur regnat ipse filius donec subiician- B C 1. Cor. 15.

D tur ipsi omnia, & omnino subiicientur ipsi omnia, manifestũ est quòd etiam corpus nostrum abiectum (si modo voluerimus) subdetur ipsi. Subditur autem quum nihil seditiosum & hostile in seipso gestat aduersus eum qui subiecit ipsum, sed consona omnia & conformia, tam in fide quàm in conuersatione. Quando autem ita subditũ fuerit ei corpus nostrum abiectum, transfigurabitur sanè à deiectione siue depressione quæ est ex peccato & corruptione, & efficietur cõforme corpori glorioso ipsius. Vanus itaque est timor. Non oportet autem dicere ꝙ corpori filij filius subiiciet omnia, sed quòd ipse sibiipsi qui dixit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: quemadmodum & Paulus alibi ait, Nam oportet illum regnare donec posuerit omnes inimicos suos sub pedes suos: &, Quum autem subiecta fuerint ipsi omnia. Quum ergo diuina oracula apertè ista dicant, an nõ oportet dicere ꝙ dominus ac saluator noster Iesus Christus ipse est qui & corpus nostrum abiectum transfigurat, & efficit omnium ad se subiectionem? Dum autem filius subiicit, pater quoque subiicit: communia enim sunt quæ patris sunt & filij. *Secundum efficaciam.* Deinde consequenter dat etiam consyderationem rei adeò admirandæ. Est enim admirandum quòd corpus nostrum conforme fiat diuino illi corpori. Nam hoc, inquit, deus & pater faciet ex efficacia, hoc est, secundum illam efficaciam qua potest & potẽs fuit subiicere filio suo omnia. Itaque subdet, inquit, ipsam nostram abiectionem vt in incorruptibilitatem transmutetur. Animaduerte autem quantam nouit esse sanctæ trinitatis conformitatem: quum præmisisset filium efficere corporis nostri mutationem, nunc patrem hoc facere dicit. Vtrum autẽ præsumptuosum erit si ita intelligamus: quòd filius hoc facturus est secũdum illam suam potentiam qua subiecit proprio corpori vniuersa. Verùm si ita intelligamus verendum est ne videamur post vnionem diuidere vnam incarnatam verbi dei naturam.

Mat.28.
1.Cor.15.
E
F

## CAPVT VI.

*Propriæ ad quosdam exhortationes, & communes ad omnes.*

Cap.4. PRoinde fratres mei dilecti ac desyderati, gaudiũ & corona mea, sic state in domino dilecti.

Euodiam obſecro & Syntichen obſecro vt eodem A
modo affectæ ſint in domino. Sanè rogo & te com
par germane, adiuua illas quæ in euangelio decer-
tarunt mecum, vnà cũ Clemente ac cæteris coope-
ratoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitę.

Magna ſunt encomia ꝙ Pauli fratres dicãtur: nec id ſolũ, verumetiã dilecti ac deſyderati: imò ne hoc quidẽ tantùm, ſed & gaudium eius ac corona. *Sic ſtate.* Sic: quomodo? quẽadmodum nunc, inquit, immoti ac firmi in fide Chriſti. *Euodiã obſecro & Syntichen.* Hę vxores erant virorũ admodum proborũ. *Vt eodem modo affecta ſint in domino.* Quẽ B admodũ nunc affectæ ſunt. *Rogo & te.* Quẽadmodum illas, inquit, ita & te obſecro. *Compar germane.* Ex hoc loco ſuſpicati ſunt nonnulli ꝙ Paulus vxorem haberet & ad eam ſcriberet (quia videlicet hæ dictiones σύζυγε γνήσιε poſſunt etiã eſſe fœmininæ) verũ fatua eſt huiuſmodi cogitatio. Qui enim fieri poterat vt ipſam & peregrinã & alienigenam Philippis reliquiſſet, & non in Tarſo vbi natus erat, neque Ieroſolymis vbi fuerat enutritus? Sed dicemus ꝙ hic aut maritus erat vnius ex duabus quarum modò fecit mentionem: aut ꝙ proprium ſit nomen cuiuſdam approbati viri, cui etiã prædictas commendat mulieres. *Adiuua illas.* Cooperare ad ea quæ ſecundum deum ſunt. *Decertarunt mecum.* Pericula deſignat quæ ipſæ quoque vnà tolerarunt. *Et cæteris* C *cooperatoribus meis.* Erant quidem & alij, inquit, cooperatores ad prædicationem: attamen hæ quoque mulieres vnà decertarunt. *Quorum nomina ſunt in libro uitæ.* Quod maximum erat inter ea que dixit dominus ſuis diſcipulis, hoc etiam Paulus de illis dicit. Quid enim ait Chriſtus? Ne gaudeatis quòd dæmonia vobis ſubiiciantur, ſed quòd nomina Luc. 10. veſtra ſcripta ſint in libro vitæ.

Gaudete in domino ſemper: & iterum dico gau
dete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus homini-
bus: Dominus propè eſt, de nulla re ſoliciti ſitis:
ſed in omni precatione & obſecratione cum gra-
tiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant a-

D pud deum. Et pax dei quæ excedit omnem intellectum custodiet corda vestra & sensus vestros in Christo Iesu.

Mat.5. Luc.6. Christus dicit, Beati qui lugent: & væ his qui ridẽt: quomodo ergo ait Paulus Gaudete? Neq; Christus luctum mũdanum præcepit, hoc est, lugere in amisione cognatorum vel affinium: sed spiritualem quod est lugere peccata: Neq; Paulus mũdanum dicit gaudium: Ideo quoq; subiungit In domino. Luctus igitur ille, huius gaudij occasio est. Nã qui propria luget peccata, habebit gaudium in domino vbi hoc modo per luctum propria deleuerit peccata, & cum Christo qui vnà conscius est secundũ deum gaudebit. Quid autẽ sibi E vult ꝙ ita reduplicat. *Iterum dico gaudete?* Erant in mœrore ob tentationes & afflictiones quas sustinebant. Ostendit ergo ꝙ pati ac lugere pro Christo, veri gaudij conciliatiuũ sit. Aut ꝙ dolor sumptus pro Christo à persecutoribus pro-Sup.3. ueniens, ipsum gaudium sit, nempe obscurante expectato gaudio præsentem mœrorem aut dolorem. *Modestia uestra nota sit omnibus hominibus.* Quoniã in superioribus quosdã vituperauit dicẽs, Quorum deus vẽter & gloria in dedecore ipsorum: verisimile erat ꝙ erga illos futurum esset vt hostiliter se gererent fideles: ait ergo, Non tanquam cum hostibus cum eis conuersemini, sed mansuetè: nec id solùm cum ipsis, sed cum omnibus etiam hominibus. *Dominus propè est: de nulla re soliciti sitis.* Cur enim, ait, animo conciditis F propter illorum insidias aut alias afflictiones? Dominus, inquit, propè est: iudiciũ instat: & vos & illi retributiones habebitis. De nulla itaque re sitis soliciti: *Sed in omni.* putà negotio. (Siquidem παντὶ, quum non sit fœmininum, iungi non potest τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει) precatione & obsecratione vtamini. Maxima ergo consolatio est his qui affliguntur, quòd dominus propè sit. Ecce autem & aliud addit pharmacum, precationem cum gratiarum actione: Nam hæc propriè precatio est. Itaque per precationem & obsecrationem cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud deum: tanquam innuat quòd precationes quæ gratiarum actionem non habent ne innotescant quidem. Qui enim gratias non agit de his quæ accepit, quomodo aut petet aut accipiet

cipiet

cipiet quę futura sunt? Sed in omni re precatione & obsecra A
tione vtamini, per quas petitiones vestræ cum gratiarum a-
ctione innotescāt. *Et pax dei.* Pacem dicit dei erga nos recō
ciliationem. Bene autem dixit pacem. Nam eramus facti ip Iohan. 14.
si inimici, sed per sanguinem vnigeniti reconciliauit nos si-
biipsi. De illa igitur loquitur de qua ait Christus: Pacem
meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quū enim dixerit vt
etiam erga inimicos pacem habeant, an non excedit omnem
intellectum? *Quæ excedit omnem intellectum,* Quòd si pax dei
excedit omnem intellectum, quid dicet quispiam de his
qui ipsius substantiam curiosè scrutantur? *Custodiet corda ue
stra.* Ne sub afflictionibus demergamini, aut sub fraude cir B
cumferamini & erretis. *In Christo Iesu.* Aut custodiet vt
in ipso maneatis, & non excidatis ab ipso: aut per ipsum
custodiet.

Quod reliquum est fratres quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni ominis: siqua virtus & si qua laus, hęc cogitate: quæ & didicistis & accepistis & audistis & vidistis in me, hæc facite, & deus pacis erit vobiscum.

Omnia vobis dicta sunt: id nūc restat vt sit qui verba soli-
citet. Vera autem dicit studiosa seu quę virtutis sunt: menda
cium enim vitium est. honesta verò, siue in habitu, siue in C
sermonibus, siue in incessu, siue actionibus. Pura autem, tan
quam ad differentiam eorum qui terrena curant. Amabilia
verò, aut deo aut fidelibus. *Si qua uirtus & si qua laus.* Vult ip
sos ita viuere vt hominibus quoq; placeāt (nullum, inquit,
præbeatis offendiculum) non ad laudem intuentes, sed lau- I. Cor. 10
dabiliter viuētes. *Hæc cogitate.* Viden' quòd beneuolentiam
prauam ex nostris auellere vult animis? *Quæ & didicistis.*
Per doctrinā didicistis & accepistis & audistis, per opera ve-
rò vidistis. Dicens autem, Vidistis in me, ostēdit quòd ipsis
factus fuerit typus & exēplar. Quoniam enim de vniuersis
scribere nō poterat: putà de habitu, de incessu, de verbis, de
risu & quæcunque cætera sunt eiusmodi: vno verbo omnia
hęc docuit, quū ait, Et vidistis in me, *Et deus pacis erit uo-*

D *biscum.* Nam si hæc, inquit, feceritis, absq; metu eritis, in pa-
ce ac securitate. Si enim per virtutem nos pacem habemus
erga deum & erga homines. (Nam ait, Cum his qui oderūt
Psal.119. pacem eram pacificus) deus quoque erit nobiscum: quòd si
deus nobiscum sit, quid de cæteris solicitum esse oportet?

Gauisus sum autem in domino magnopere quòd
iam tandē refloruerītis vt pro me soliciti essetis in
eo in quo & soliciti eratis, verùm deerat opportuni
tas: non quòd iuxta penuriam loquar. Nam ego di
dici his in quibus sum contentus esse, Noui & hu-
E milis esse, noui & exuberare: vbique & in omnibus
institutus sum, & saturari & esurire, & abundare &
penuriam pati. Omnia possum per Christum qui
me corroborat. Attamen rectè fecistis quòd com-
municaueritis meæ afflictioni.

*Gauisus sum autem in domino magnopere.* Propterea magno-
pere, quoniam non carnaliter erat gaudium, sed in domino.
Gauisus est autem non quòd ipse acceperit, sed quòd hi qui
dederunt vtilitatem acceperint. *Quòd iam tandem.* Dicens,
Iam tandem, longum significat tempus quo hoc facere ne-
glexerant, nempe vt ipsi mitterent quæ necessaria erant. Ait
autem Reflorueritis, tanquam de arefactis prius fructuosis
F arboribus quæ rursum germinarunt: ita enim & vos, inquit,
quum extabuissetis in eleemosyna, rursum refloruistis. *Vt
pro me soliciti essetis.* Ostendit quòd in his solùm negligen-
tes erant quæ ipsum concernebant, & non in his quæ cæte-
ros omnes: per quod curat ac temperat reprehensionem. Vt
pro me, inquit, soliciti essetis, hoc est vt mei meminissetis,
quemadmodum semper memineratis. Deinde tanquam res-
pondens pro ea quę aduersus ipsum fuerat socordia, ait: *Sed
deerat opportunitas.* Hoc est, nō præ socordia me neglexistis,
sed occasionem mittendi nō habebatis aut quia nō abunda-
1.Cor.9. batis, aut quia eū qui illa deferret nō habebatis. Quamobrē
autem Paulus qui semper gloriari solet ꝙ nō acciperet (me-
lius est, inquit, mihi mori quàm vt gloriationem meam ali-
quis inanem reddat) nunc tamen accepit? Et dicimus quòd

ibi interCorinthios propter pſeudapoſtolos non accipiebat, A
Vt in eo quo gloriãtur,inquit,inueniantur ſicut & ego,quo niam accipiebat nõ tantùm propter ſuã neceſsitatem quantum propter eorũ vtilitatem qui præbebant. Vnde enim in peregrina terra ali potuiſſet, quũ neq; aliquid importaſſet, neq; manuali operi ſed prædicationi vacaret? *Non quòd iuxta* Pho.
*penuriam loquar*. Quoniã ſcribendo clàm eos obiurgauit,nũc tandẽ,ait: Quę dixi nõ propter ea dixi ꝙ in penuria ſim,ſed ad veſtrã,inquit, vtilitatẽ loquutus ſum,ne ſine fructu ſitis, veluti inferius dicit. Dixi ꝙ gauiſus ſim in domino magnopere ꝙ refloruerítis vt pro me ſoliciti eſſetis: ſed ne me,inquit,hæc dicere exiſtimetis ꝙ in penuria fuerim: Nam ego ait didici,&c. Exercitatus ſum in omnib᷒: & ne egeſtate quidem preſſus indignè fero verumtamen veſtri cauſa gauiſus B
ſum ꝙ rectè feceritis quũ enim participes meæ afflictionis voſipſos feceritis,etiã præmiorum participes eritis: & propterea magnopere gauiſus ſum. Poſtquã dixit, Gauiſus ſum megnopere ꝙ vos rectè feceritis facti participes meæ afflictionis,ſuggerit ꝙ ab exordio hanc gratiam & hoc beneficium ad ipſos retulerit,vt ab eis neceſſaria acciperet,& per hoc eos quoque redderet participes afflictionum propter Chriſtum inflictarum, & præmiorum quæ his reponuntur. Ne exiſtimetis,inquit, quòd nunc eò quòd lõgè abſim & in loco,vbi prædicatio nõ adeò dilatata eſt ſicut inter vos,nec ſunt qui prõpto animo neceſſaria miniſtrẽt,proptereа ſumptum à vobis acceperim,& voluerim vos facere participes meæ afflictionis ac remunerationis. Etenim quũ adhuc pro C
pe eſſem,multóſq; habuiſſem ſi libuiſſet qui ſumptũ ſuppeditaſsẽt, vos pręelegi, Nã & à Macedonia egreſſus & à Theſſalonica, vos dignos duxi qui neceſſaria mihi ſuppeditaretis. Ne exiſtimetis autẽ me hæc dicere & hãc veſtrã actionẽ extollere vt magis ac magis ſuppeditetis. meiſq; neceſsitatibus faciatis ſatis. Tantum abeſt vt propterea hæc dicam, ꝙ ecce recepi omnia,id eſt exemptus ſum circa omnia quę neceſsitatem concernũt: exemptus ſum, inquàm ſic vt iam his non indigeam. Deinde ne mœrore eos afficiat,tanquã repudians: Non,inquit,ſed quòd abundè mihi ſit,&c. *Nam ego didici his in quibus ſum*. Doctrinæ certè hoc eſt, & exercitij. Quid autem didiciſti beata anima? His in quibus,id eſt prę-

D sentibus, esse contentus & sufficientiam habere. *Noui & humilis esse*. Dicet fortasse aliquis: Scire quidem ferre famem, virtutis est: nosse autem saturari, cuius erit virtutis? Maximè etiam virtutis est. Quemadmodum enim angustia, ita & securitas multa nouit parere mala. Complures nanque qui ad abundantiam peruenerunt, segniores facti sunt, nec satura-

Deut.32. tum ventrem ferre potuerunt. Etenim Israel satietatem nō tulit sed recalcitrauit: at non ita Paulus. *Humilis esse*, hoc est, fame premi. *Exuberare*, id est, saturari. Vbique & in omnibus institutus sum. Aut ἐν παντὶ, καὶ ἐν πᾶσι in omni re & in cunctis quæ intercidunt. Institutus sum, id est, omnium habeo experientiam. *Omnia possum per Christum qui me corroborat*. Ne dese iactare videatur: præterea vt etiā gratus sit,

E omnia Christo fert accepta. Quæ dicta sunt, inquit, non meum sunt facinus, sed Christi qui hanc mihi tribuit fortitudinem. *Attamen rectè fecistis*. Ne enim segniores fiant, audientes quòd nullo egeat, alio modo tractat sermonem. Siquidem per præcedentia fastum eorum ad modestiam reuocauit: per hoc verò promptiores facit. Non dixit Dedistis ac refocillastis meum mœrorē, sed quod melius est, Communicastis afflictioni meæ. Quantum est autem socium fieri Pauli, ídque in afflictione pro Christo tolerata.

Nostis autem & vos Philippenses quòd in principio euangelii quum egressus essem à Macedonia,

F nulla mihi ecclesia communicauit in rationem dādi & accipiendi, nisi vos soli. Nam & in Thessalonica quum essem, semel & iterum ad id quod opus erat mihi misistis. Non quòd requiram donum, sed requiro fructum exuberantem in rationem vestram. Recepi autem omnia & abundo. Expletus sum postquam ab Epaphrodito accepi quæ à vobis missa sunt, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam gratámque deo. Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis secundum diuitias suas, in gloria per Christum Iesum.

Pro correptione supradicta qua ait, Iā tandē refloruistis,

nunc occultè respõdet. Ne me, inquit, ea dixisse existimetis A
quòd egeam autẽ exigam, sed ꝙ fiduciam habeã de vobis, vt aut fiduciam haberẽ vos ansam dedistis, qui in principio euangelij necessaria præbuistis. *In principio euangelij*. Antea, inquit, omnino confirmati fuistis. *Quum egressus essem à Macedonia*. Non potest dici, ait, quòd dederistis tanquam ei qui apud vos erat. Quum egressus essem, inquit, non ex vestra tantùm ciuitate, verumetiã ex prouincia. *Nulla mihi ecclesia*. Non ait, Nulla mihi ecclesia dedit, sed Communicauit. Siquidem communicatio negotium est. Dabam enim spiritualia, inquit, & accipiebam carnalia: queadmodum alibi quoque ait: Si nos vobis spiritualia seminauimus, an magnũ est B
si nos carnalia vestra metamus? Quod tamẽ ait, In rationem 1.Cor. 9.
dandi & accipiendi, alio etiam modo condemnationem habet. Non dederunt enim carnalia, sed neq; accipere voluerunt spiritualia. *Nam & in Thessalonica*. Hoc magis adhuc est quòd quum in ipsorum metropoli versaretur, ab his alebatur. Propterea ait, Quod opus erat, id est necessarios sumptus & quæ vsui erãt. *Non quòd requiram munus*. Quoniam sese demittẽdo loquutus est dicens, Ad id quod mihi necessarium erat, ne illi ex hoc efferrentur, ait: Non quòd requiram munus vestrum propterea hæc dico, sed requiro fructũ vestrum qui in rationem vestram non meam exuberat. Vides quòd ipsi iuuabantur ex hoc quòd necessaria pręberent? Ac si diceret: Propter vtilitatem vestram hæc quæro vt vos C
fructum referatis. *Recipit tamen omnia*. Ex hoc rursum prõptiores eos reddit: Recepi, inquit, omnia & abundo: hoc est etiam ea quæ prioris temporis erãt quum non misistis. *Et abundo*. Id est plura quàm suscepta sunt me recepisse duco. *Expletus sum*. Omnia ait quæ mihi debebantur: scit enim hæc sibi deberi. Expletus, inquit, sum posteaquam accepi ab Epaphrodito. Per hunc illi miserant. *Odorem bonæ fragrantiæ*. Odorem bonæ fragrantiæ & hostiam deo acceptam dicit illa esse. Papæ quantum extulit quæ data erãt? Non mihi, ait, sed deo dedistis. Accepi enim, inquit, à vobis quæ erant odor bonæ fragrantiæ & hostia deo. Etenim thymiama & hostia rationalis soli deo offertur: & quæ à vobis missa sunt dona, deo oblata sunt. *Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit uobis*. Quoniam superius dixit, sed de-

D erat vobis opportunitas, hoc est in indigentia constituti eratis: nunc precatur illis sufficientiam quo & aliis possint necessaria ministrare. *Secundum diuitias suas in gloria.* Hoc dixit quod etiam facile sit ipsi dare, est enim diues. Dabit autem vobis in gloria: hoc est vt donum producat ad gloria suam. *Per Christum Iesum.* Nam ἐν capitur pro διὰ, id est, In pro Per. Dabit ergo per Christū Iesum. Qui enim expletus est his quæ necessaria erant, gratias agit ei qui dedit.

Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. E Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, & maximè verò qui sunt ex Cæsaris familia. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

Quoniam dixerat Per Iesum Christum supplebit quicquid opus fuerit vobis, glorificat etiam patrem qui per filium dedit sufficientiam. *Salutant uos qui mecum sunt.* Plures enim cum ipso erant, nisi quòd æqualis erga ipsos animi solus erat Timotheus, sicuti superius dixit. Attamen considera Pauli viscera, quòd etiam hos fratres vocet. *Salutant uos omnes sancti.* Signum erat quòd Paulus apud illos collaudabat Philippenses, ideo etiam ipsos salutant. *Maximè verò qui sunt ex Cæsaris familia.* Recreat ipsos indicans quòd ad regiam familiam peruenerit prædicatio. neque enim Philippenses salutassent nisi credidissent. Ad hæc id etiam docet. Si hi qui in regiis sunt omnia cōtempserunt & in Christum crediderunt, quantò magis vos qui pauperes estis hoc facere oportet? *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis.* Quod ipsi moris est, etiam nunc precatione concludit epistolam.

Supra 1.

F

Finis, diuino fauente auxilio, epistolæ ad Philippenses.

Scripta est ab vrbe Roma per Epaphroditum.

ARGVMENTVM EPISTOLAE ad Colossenses. A

HAnc ab vrbe Roma scribit quum nedum quidem eos vidisset, iam tamen de ipsis audisset. Occasio autẽ epistolæ fuit hæc: Colossensibus quidam imponere volebãt Græcanicis sophismatis aduersus Christi fidẽ, & de cibis legis ac de circuncisione. Hæc ergo quum didicisset Apostolus, hanc ad eos scribit epistolam, tanquã ipsos erudientem. Et primùm quidem deo gratias agens significat ipsos à tenebris trãsisse ad lumen veritatis, quòdq; Christus in quẽ crediderunt imago est & verbum dei per quod omnia facta sunt: & quòd decẽs erat vt is qui creator erat fieret primogenitus creaturæ & primogenitus ex mortuis vt vtraq; coniungeret, & omnia viuificaret. Adhortatur primũ eos vt in fide permaneant significans ꝙ ipse Paulus minister sit euangelij in quo instructi sunt. Deinde etiã de lege & cibis qui in lege sunt, & de diebus & annis cõmemorat, & ostẽdit deinceps otiosa esse vetera: ipsamq; circũcisionẽ. Suadet præterea ne fallãtur ab impostoribus & seducere eos nitẽtibus. Deinde postquam etiam hic parentes adhortatus est ac liberos, aliáq; suasit quæ ad mores faciunt, concludit epistolam: adhortatus ipsos vt vbi lecta fuisset apud eos epistola, curarent ipsam quoq; legendam in cœtu Laodicensium, & quæ Laodicensium erat, vt etiam apud ipsos legeretur. B

THEODORETI.

IN pluribus epistolis significat Apostolus mediationem ad deum ac patrem & reconciliationẽ contigisse hominibus per filium. Vnus enim deus, inquit, & vnus mediator dei & hominum homo Christus Iesus. rursumq.: Per quem reconciliationẽ accepimus. Et dominus seipsum ostiũ & viam appellat. Neq; enim alio modo nisi per ipsum & in ipso contingit cuiquam accessus ad patrem. Propter hoc nãq; quum deus esset, homo quoq; factus est, vt inter deum & homines mediator existeret, qui & hoc & illud esset. Verũ existimabant Colossenses per angelos accessum haberi ad patrem & non per Christũ. Deinde multas habebant Iudaicas ac Græcas obseruationes, dies obseruantes & temporum opportunitates & quęcunque huiusmodi erant, quæ omnia scribendo epistolam corrigit Paulus. C

1. *Timo.* 2
*Iohan.* 10. & 14.

D

# EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap.1.



Aulus apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem dei, & Timotheus frater iis qui ſunt Coloſsis ſanctis ac fidelibus fratribus in Chriſto, gratia vobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto.

Si Ieſu Chriſti ſum apoſtolus, ídque voluntas patris eſt,
E manifeſtum eſt vera eſſe quæ à me prædicantur. Cognoſcite itaque quòd vos à filio adducamini. Per *uoluntatem dei.* Animaduerte Per, de patre dictum eſſe. H*is qui ſunt Coloßis*. Hæc ciuitas eſt Phrygiæ, quæ nunc Chona appellatur. *Sanctis ac fidelibus fratribus in* Ch*riſto*. Si in Chriſto eſſe, facit ſanctos ac fideles, vtiq; per Chriſtum eſt adductio ad patrem & non per angelos.

CAPVT I.

*Gratiarum actio de Coloſſenſibus qui propter ſpem deo familiares effecti ſunt.*

GRatias agimus deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, quum au-
F diſſemus fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & charitatem erga omnes ſanctos propter ſpem repoſitam vobis in cælis: de qua prius audiſtis per ſermonem veracem euãgelii quod præſens eſt apud vos, quẽadmodum & in toto mundo etiam fructificat, ſicut & in vobis, ex eo die quo audiſtis & cognouiſtis gratiam dei in veritate. Quemadmodum & didiciſtis ab Epaphra dilecto conſeruo noſtro, qui eſt fidus pro vobis miniſter Chriſti, qui & expoſuit nobis veſtram dilectionem in ſpiritu.

Ad patrem omnia refert:ne, quum pueri sint & insipien- A
tes, statim ipsis Christus vt deus proponatur. *Semper pro uobis orantes.* Assiduitate significat amorem erga ipsos. *Quum audissemus.* Epaphras Paulo renuntiauerat. *Fidem uestram in Christo.* Ego, inquit, audiui quòd in Christum fidem habeatis. Quomodo autem, quum taliter vos habeatis, adductionem ad deum per angelos fieri creditis? *Et charitatem erga omnes.* Si erga omnes, igitur erga nos. *Propter spem.* Non enim oportet quæ hìc sunt expectare, sed quæ in futuro: nec pigros esse ad præsentes afflictiones. *De qua prius audistis.* Sermonem dicit prædicationis veritatis. Prius, inquit, audistis ante me, ante præsentem epistolam. Non dicit autem Prædicationis, sed euangelii, significans
Christi beneficia. Quis enim euangelizare potuisset nisi bo B
na fuissent? *Quod præsens est apud uos.* Quod efficaciam habet & creditur, inquit. *Quemadmodum & in toto mundo.* Promptiores ipsos reddit circa fidem, ex eo quòd habeant omnes regulas. *Etiam fructificat.* Fructificat autem & augetur quotidie, nonnullis certè ad fidem accedētibus. Nam hoc fructus & augmētum est euangelij vt plures efficiat discipulos. *Ex eo die quo audistis.* Id, inquit, habetis vt & alij ex vobis cognoscant. Est autem laus horum quòd ex eo die quo audierunt, non cessant ad fidem accedere. *Gratiam dei in ueritate.* Non in errore aut vanis sermonibus, sed in veritate. *Ab Epaphra.* Ibi indubiè prædicauerat Epaphras. Dilecto autem dixit & Conseruo, vt virum fidedignum o-
stendat. *Pro uobis minister.* Quum ad ipsum Paulum perue C
nisset, minister pro ipsis factus est. Christi verò ait, quoniā in his quæ Christū concernūt rebus ministrauerat. *Vestram dilectionem.* Quam habetis, inquit, erga me. Dilectionem autem non carnalem, sed spiritualem. nam in spiritu inquit.

## CAPVT II.

*Precatio pro ipsis ut recipiantur ad sapientiam operatiuam, ad uirtutem tolerantiæ cum gratiarum actione familiaritatis quæ est ex purificatione.*

PRopterea & nos ex quo die audiuimus, nō desinimus pro vobis orare & poscere, vt implea-

D mini agnitione volũtatis eius in omni ſapientia, & prudentia ſpirituali, vt ambuletis dignè domino, vt vt p omnia ipſi placeatis, in omni opere bono fru-ctificantes & creſcẽtes in agnitione dei, omni ope-re corroborati, iuxta potentiam gloriæ illius, ad o-mnem tolerantiam, ac patientiam cum gaudio.

Poſtquam, inquit, audiuimus fidem veſtram, & dilectio-nem, non deſinimus orare. Id autem argumentum eſt dile-ctionis Pauli, & illorum occulta condemnatio, quòd preci-bus quoque adiuti, ſeipſos non recuperarint. *Vt impleami-ni.* Clàm indicat quòd nondum ad perfectum peruenerint, E ſed ne eos contriſtet, ait, Impleamini: quum dicendum fuiſ-ſet Confirmemini. Et quòd ait, In omni ſapientia, idem ſi-gnificat. *Voluntatis eius.* Quæ eſt autẽ voluntas patris? vt per filium homines ad ipſum ducantur, & non per ange-los. *Et prudentia ſpirituali.* Non iuxta prudentiam, inquit, ſapientum qui apud vos ſunt. *Vt ambuletis dignè.* Quis eſt autem qui dignè deo ambulat? Manifeſtum eſt quòd is qui bonam habet conuerſationem. Ambulare verò accuratam in bono permanentiã ſignificat. Vt per omnia ipſi placeatis. Nam hoc ſignificat εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, nempe & opere & ſermone, ac dogmatis: ob hoc enim additur, In omni opere bono. *Fructificantes & creſcentes.* Fidem quidem habetis, F inquit: verùm oportet vt fides & fructum faciat & cremen-tum: nempe vitam per bona opera, & abſolutam dogmatum cognitionem. hoc autem manifeſtãtis eſt, quòd ſequeſtrum, ſiue conciliatorem ducat filium, & mediatorem, ac arbitrũ, qui proprio ſanguine reconciliationem perfecit. *Omni ro-bore.* Vt aduerſus afflictiones, ac pericula fidei cauſſa indu-cta reſiſtatis iuxta potentiam gloriæ illius. *Ad omnem tole-rantiam.* Tolerantiam quidem ad oppugnantes exterius, quos nec vlciſci facile eſt: patientiam verò erga eos qui ex vobiſipſis tendunt inſidias, quos etiam vlciſci poſſetis. *Cum gaudio.* Non cum neceſſitate ex timore, ſed cum gau-dio gratias agentes deo. Per hæc autem oſtendit ipſos ma-ximas perferre afflictiones.

Gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad

partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii sui dilecti. A

Dignatus est nos, inquit, per similium tolerantiam parte ac sorte sanctorum, & gratuitò donauit, vt idonei efficeremur, & patiendi & assequendi sortem illorum. Et rectè sortem dicit, veluti hæreditatem quandam ac donum. Neque enim cōdignæ sunt afflictiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur. *Ad partem.* Eandem dicit partē sanctorum, ipsam quam dedit nobis sortem. *In lumine.* hoc est, in agnitione dei. *Qui eripuit nos.* Nam sub diaboli tyrannide eramus, à qua extractos ad regnum dilecti filij sui nos duxit. Hoc est quod ait, filij dilectionis, siue dilecti filij. Est autem magna vis & excellentia in quaque dictione: putà quod hi qui in tenebris erant, & sub diaboli potestate liberati sint: nec id solùm, verumetiam ad regnum filij ipsius trāsierint. Periphrasticè autem dicit τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ filij dilectionis sui, id est, dilecti filij sui. Rom.8. B

CAPVT III.

*De creatione per Christum, & reconciliatione per coniunctionem dei.*

PEr quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, qui est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturę, quod per illum creata sint vniuersa quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per illum & in illum creata sunt. C

Ne vniuersum negotium solius patris esse existimes, cōmunem facit gratiam. Ait enim, In quo filio, id est, per quē filium habemus redēptionem: acsi diceret: pater quidem tradidit, filius autē causam dedit, suo sanguine efficiens remissionem peccatorum. Nisi enim remissa nobis essent peccata, nequaquam in regnum cælorum essemus translati. *Qui est imago dei.* Propter indifferentiam & omnimodam ęqualitatem ac similitudinem, imaginem vocat filium, tanquam

D mini agnitione volũtatis eius in omni ſapientia, & prudentia ſpirituali, vt ambuletis dignè domino, vt vt p omnia ipſi placeatis, in omni opere bono fru-ctificantes & creſcẽtes in agnitione dei, omni opere corroborati, iuxta potentiam gloriæ illius, ad omnem tolerantiam, ac patientiam cum gaudio.

Poſtquam, inquit, audiuimus fidem veſtram, & dilectionem, non deſinimus orare. Id autem argumentum eſt dilectionis Pauli, & illorum occulta condemnatio, quòd precibus quoque adiuti, ſeipſos non recuperarint. *Vt impleamini.* Clàm indicat quòd nondum ad perfectum peruenerint,
E ſed ne eos contriſtet, ait, Impleamini: quum dicendum fuiſſet Confirmemini. Et quòd ait, In omni ſapientia, idem ſignificat. *Voluntatis eius.* Quæ eſt autẽ voluntas patris? vt per filium homines ad ipſum ducantur, & non per angelos. *Et prudentia ſpirituali.* Non iuxta prudentiam, inquit, ſapientum qui apud vos ſunt. *Vt ambuletis dignè.* Quis eſt autem qui dignè deo ambulat? Manifeſtum eſt quòd is qui bonam habet conuerſationem. Ambulare verò accuratam in bono permanentiã ſignificat. Vt per omnia ipſi placeatis. Nam hoc ſignificat εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, nempe & opere & ſermone, ac dogmatis: ob hoc enim additur, In omni opere bono. *Fructificantes & creſcentes.* Fidem quidem habetis,
F inquit: verùm oportet vt fides & fructum faciat & crementum: nempe vitam per bona opera, & abſolutam dogmatum cognitionem. hoc autem manifeſtãtis eſt, quòd ſequeſtrum, ſiue conciliatorem ducat filium, & mediatorem, ac arbitrũ, qui proprio ſanguine reconciliationem perfecit. *Omni robore.* Vt aduerſus afflictiones, ac pericula fidei cauſſa inducta reſiſtatis iuxta potentiam gloriæ illius. *Ad omnem tolerantiam.* Tolerantiam quidem ad oppugnantes exterius, quos nec vlciſci facile eſt: patientiam verò erga eos qui ex vobiſipſis tendunt inſidias, quos etiam vlciſci poſſetis. *Cum gaudio.* Non cum neceſsitate ex timore, ſed cum gaudio gratias agentes deo. Per hæc autem oſtendit ipſos maximas perferre afflictiones.

Gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad

partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii ſui dilecti. A

Dignatus eſt nos, inquit, per ſimilium tolerantiam parte ac ſorte ſanctorum, & gratuitò donauit, vt idonei efficeremur, & patiendi & aſſequendi ſortem illorum. Et rectè ſortem dicit, veluti hæreditatem quandam ac donum. Neque enim cõdignæ ſunt afflictiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur. *Ad partem.* Eandem dicit partẽ ſanctorum, ipſam quam dedit nobis ſortem. *In lumine.* hoc eſt, in agnitione dei. *Qui eripuit nos.* Nam ſub diaboli tyrannide eramus, à qua extractos ad regnum dilecti filij ſui nos duxit. Hoc eſt quod ait, filij dilectionis, ſiue dilecti filij. Eſt autem magna vis & excellentia in quaque dictione: putà ꝙ hi qui in tenebris erant, & ſub diaboli poteſtate liberati ſint: nec id ſolùm, verumetiam ad regnum filij ipſius trãſierint. Periphraſticẽ autem dicit τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ filij dilectionis ſui, id eſt, dilecti filij ſui. Rom. 8. B

CAPVT III.

*De creatione per Chriſtum, & reconciliatione per coniunctionem dei.*

PEr quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſsionem peccatorum, qui eſt imago dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturę, ꝙ per illum creata ſint vniuerſa quæ in cælis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per illum & in illum creata ſunt. C

Ne vniuerſum negotium ſolius patris eſſe exiſtimes, cõmunem facit gratiam. Ait enim, In quo filio, id eſt, per quẽ filium habemus redẽptionem: acſi diceret: pater quidem tradidit, filius autẽ cauſam dedit, ſuo ſanguine efficiens remiſſionem peccatorum. Niſi enim remiſſa nobis eſſent peccata, nequaquam in regnum cælorum eſſemus tranſlati. *Qui eſt imago dei.* Propter indifferentiam & omnimodam ęqualitatem ac ſimilitudinem, imaginem vocat filium, tanquam

D effigiem exemplaris pulchritudinis. Ante omnem, inquit, creaturam, & visibilem & inuisibilem coæternus genitus. *Primogenitus omnis creaturæ.* Hoc est, ante omnem creaturã primogenitus ac vnigenitus natus. Quidam ab imaginibus quæ inter nos sunt decepti, quæ in tabulis aut cera habentur, existimarũt, ita quoque circa filium dei. Quẽadmodum enim illę, inquiunt, seruant quidem speciem, ac similitudinem hominis, at non naturam, ac substantiam, ita & filius patris. Arianica est hæc impietas. Sed iis qui hæc dicunt ediuerso obiiciendum est, ꝙ octauo † Geneseos capite scriptum est, Adam genuit ad imaginẽ suam. Multò enim aptius est, vt illa de imagine suscipiantur, quæcunque ait scriptura de filio & patre hominũ (Siquidem præsens etiam axioma patri ac filio dei conuenit) q̃ ea quæ de lignea ac cerea imagine dicũtur, quæ propriè non est, sed impropriè dicitur imago. *Quòd per illum creata sint omnia.* Nam omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Si autem omnia, igitur etiam angeli: quomodo ergo per angelos existimatis vos habere accessum, & non per filium, qui dominus est angelorum? *Siue throni.* Postquam summatim inuisibilia dixit, rursum veluti singillatim sermone cõmemorat. *Omnia per ipsum.* Quũ superiùs dixisset, per ipsum creata esse omnia, nunc quasi seipsum interpretans, ait, Omnia per illum & in illũ creata sunt: significans supradictam præpositionem ἐν pro διὰ capi, id est, in pro per. *Et in illum creata sunt.* Hoc est, ab ipso pendet omnium con
F sistentia, non solùm ꝙ in esse produxerit quum non essent, verumetiam quòd iam facta contineat.

Oecum.

*† Sequitur hoc loco Oecumenius nescio quã capitũ iuxta Græcos diuisionem: nos aũt habemus id quinto ca.*

E

Et ipse est ante omnia, & omnia per illum consistũt: & ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principiũ, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primas tenens: quoniam in illo cõplacitum est patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eũ reconciliare cuncta erga se (pace facta per sanguinẽ crucis suæ) per seipsum, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis.

*Et ipse est ante omnia.* Non dixit, Factus est ante omnia,

ſed Eſt ante omnia,hoc eſt,quodcunq; ens conceperis, inuenies ipſum præcedentem, & antea productum, perpetuò ſimul cum patre & ſpiritu ſubſiſtentem. Siquidem temporale non eſſe,propriè deo cõuenit. *Per illum conſiſtunt.* Nam per ipſum productionem habent,& ſubſiſtentiam. *Et ipſe eſt caput corporis.* Vbi illius dixit ac demonſtrauit potentiam,dicit conſequenter & benignitatem , quòd quum omnium ſit dominus, inferioribus ſeipſum coniunxerit. *Eccleſiæ.* Generis omnium hominum. *Primogenitus omnium hominum.* Factus,inquit,initium &occaſio reſurrectionis.Primitię verò nempe omnia habens ſe ſequentia.Intelligitur autem primitiæ quod præcipuum eſt,& deo in hoſtiam offertur. Hoc etenim Chriſtus fecit. *Vt ſit in omnibus ipſe primas tenens.* Nã & ante omnia ſecula nat⁹ eſt ex patre,& ante omnes homines ſurrexit ex mortuis , reſurrectione quã nõ ſit iã ſubſequutura mors. *Quoniam in illo complacitum eſt.* Voluntas, inquit,& beneplacitum factum eſt in ipſo , nempe Chriſto, vniuerſam plenitudinem inhabitare diuinitatis : acſi diceret, Si quid erat deus verbum , ibi inhabitabat. *Vniuerſam plenitudinem inhabitare.* Non in modum habitus, ſed ſubſtãtię,ſicut anima in corpore: non anima factus corpori,ſed in corpore,in illo quod animatum erat vnitus, quomodo vnitur anima corpori. Plenitudinem diuinitatis quidam ſanè dicunt , quemadmodum Iohannes dixit , ꝙ de plenitudine eius nos omnes accepimus : hoc eſt, ſi quid erat filius,totus filius ibi habitabat , non vt efficacia quædam, ſeu operatio, ſed ſubſtantia. Nullam autem potes reddere cauſam,niſi dei voluntatem. Nam hoc eſt quod ait,Quoniam in illo complacitum eſt. *Pace facta.* Soluta ea quæ olim erat inimicitia. Deinde ne ipſum in modum miniſtri id facere exiſtimes,ait, Erga ſe,hoc eſt,ipſe ſibiipſi ac patri homines reconciliauit. Siquidem ſoluta veteri inimicitia inter deum & angelos ac homines, pacem fecit. Conſydera verò dictionum emphaſes. Recõciliauit,inquit,ac pacificauit nos per ſeipſum: hoc eſt,non ſermone iubẽs,ſed proprio corpore efficiens. Nec ſimpliciter per ſeipſum , ſed per ſanguinem effuſum : effuſum , inquam , per maximi opprobrij mortem in cruce. Hyperbaton eſt Pace facta per ſeipſum: hoc eſt, non per alios conciliata nobis pace,ſed per ſeipſum effecta. Quo au-

Pho. A B Oecum. Iohan. Iohan.1. C Pho.

D tem modo hanc effecit? Per sanguinem, inquit, crucifixione sua. Crucifixus enim pro nobis pacificauit, ac reconciliauit nos. *Siue quæ in terra sunt.* Siquidem nos quoque aduersus ipsum dissidebamus, & inimicitia erat aduersus angelos inimicos nobis effectos, eo ꝙ illorum dominus esset ab hominibus iniuria affectus. Quomodo ergo pax facta est? Corpus ipsius in cælum subductum abstulit veterem inimicitiam. Apparuerunt autem & in terra angeli, & deinceps facta est pax & amicitia. Quo igitur modo per angelos qui inimici effecti erant vos adduci potuisse existimatis, nisi ipse pacificasset?

CAPVT IIII.

E *De Gentium adductione, quæ facta est in corpore & paßione Christi per fidem.*

ET vos qui quondam eratis abalienati, & inimici mente in operibus malis, nunc tamen recõciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos, & irreprehensibiles, & inculpatos in conspectu suo: si tamen permanetis in fide fundati ac stabiles, nec dimouemini à spe euangelii quod audistis, quod prædicatum est apud vniuersam creaturam quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister.

F Hic ostendit ꝙ etiam quum essent reconciliatione indigni, reconciliauerit. Eratis enim, inquit, inimici & abalienati. Siquidem non solùm eramus sub potestate Satanę, verumetiam erga deum gerebamus hostilem animum. *Et inimici mente.* Hoc est, nõ inuiti mala operati sumus, & subita quadam correptione abducti: sed communi studio, & inimicitiam erga deum cogitationibus antea imaginãtes, adeo ad inimicas ipsi actiones progrediebamur. Idcirco abundans fuit diuina benignitas, ꝙ eos etiam qui eiusmodi essent reconciliauerit, ac susceperit. *In operibus malis.* Non in mẽte duntaxat alienatio erat, neque in sola volũtate, sed etiam operibus inimici eratis, inquit, & quæ inimicorũ sunt operabamini. *In corpore carnis suæ.* Rursum ponit modum re-

conciliationis, sciens ipsum esse diuinum, quia per corpus A
suum reconciliauit: non solùm verberatus, ac alapis cæsus,
sed & mortuus, idque morte maximè probrosa. *Vt exhiberet uos sanctos.* Quòd superiùs dixit, Qui idoneos nos fecit, *Sup. eod.*
hoc etiam nunc designat. Neque enim solùm per reconciliationem à peccatis liberauit, sed & sanctos & irreprehensibiles ac inculpatos exhibuit. *Et inculpatos.* Quasi qui ne ansam quidem peccati dederint. *In conspectu suo.* Donata sanctimonia quæ in conspectu ipsius est. *Si tamen permanetis.* Ne laxos reddat ipsos, & existimet quòd Christi mors rem omnem peregerit, nec deinceps opus sit quopiam nostro opere, addit, Si tamen permanetis in fide spei euangelij. Nec vtcunque permanetis: contingit enim & fluctuantem permanere: sed fundati, inquit, ac stabiles. *Nec dimouemini.* à spe euangelij. Quæ est autem spes euangelij? Christus. *Quod audistis, quod prædicatum est.* Ipsis primùm in testes citatis, postea dixit orbem qui inhabitatur. Non ait autem Quod prædicatur, sed prædicatum est, hoc est, iam creditum est. *Cuius factus sum ego Paulus minister.* Admiratione dignum significat euangelium: Cuius, inquit, minister ego Paulus factus sum. Iam enim magnum erat Pauli nomen. Et bene ait Minister. Nihil, inquit, proprium dico, sed administro deo. B

CAPVT V.

*De doctrina ipsius tradita per labores, reconciliatiua ad exhibitionem coram deo.*

NVnc gaudeo super afflictionibus meis pro vobis, & vicissim compleo quæ desunt afflictionum Christi in carne mea pro corpore ipsius quod est ecclesia: cuius ecclesiæ factus sum ego minister, iuxta dispensationem dei, quæ data est mihi in vos complendi sermonem dei. C

Et adeò, inquit, vera spes est euangelij, quod etiam propter ipsam pati eligo, & patiens gaudeo. Patior autem non pro meipso, sed propter vos, vt vos iuuare possim. *Et uicißim compleo quæ desunt.* Papæ quidnam est quod ait? Si Christus homo factus, illusus, & alapis cæsus, crucifixus ac mortuus,

D quidpiam debens,& obligatus vobis diſceſsit,quum maiora pati debuiſſet,hæc ego viciſsim compleo. Si quid defuit
Pho. quod ille pateretur,ego,inquit,patior. Christus enim alapis cæſus ac illuſus, flagellatus, ac crucifixus pro nobis, non ſimplici modo omnia compleuit, ſed ſupra mentem quoque & ſermone non inueſtigabili expleuit. Omnes itaque debitores conſtituti ſumus ob innumeras illas,& mundum ſaluantes afflictiones, vt ipſi etiam toleremus, viciſſimque ſuſtineamus afflictiones, ac calamitates pro Christo & corpore ipſius, vt viciſsim compleamus, quæ paſſus eſt Christus pro nobis. Atqui viciſsim ipſa complere,id eſt, æquè ac ſimili modo pati, ita vt nihil prætermittatur, omnino impoſsibile eſt: nam quæcunque paſsi fuerimus, dee-
E rit adhuc aliquid ad Christi afflictiones. Quo igitur modo viciſsim compleri poterit, quod dominus pro ſeruo paſſus eſt, per hoc quòd ſeruus patiatur pro domino? neque enim hoc æquale erit aut ſimile, quin potius longò adhuc aberit interuallo. Vtrum enim per hoc quòd ij qui peccatis ſunt obnoxij aliquid tolerant pro eo qui de ipſis bene meritus eſt,nec peccare poteſt, æquale ei redditur quod eſt impeccabilem tanta ſuſtinuiſſe pro peccatoribus & iis qui ipſum offenderant?aliáque ſunt innumera,quæ differentiam oſtendant.Idcirco quęcunque paſſus fuerit quiſpiam viciſsim cõplere volens,defectum ab afflictionibus Christi viciſsim cõplet. Quapropter beatus quoque Paulus, qui pro Christo pluſquam cæteri omnes cucurrerat, qui indies pericula ſu-
F ſtinebat innumera: hoc ſciens ac docens, dicebat. *Pro corpore ipſius*. Quum ſuperiùs dixerit,Pro vobis patior: nunc idem firmiùs ac credibiliùs dicit.Siquidem ne vos, inquit, increduli ſitis quòd ego pro vobis pati ſuſtineo:nã pro vobis patiens,pro corpore dei mei patior.Corpus enim ipſius eccleſia eſt, cuius dignatus eſt eſſe caput, vos autem pars eſtis vniuerſalis eccleſiæ. *Cuius eccleſiæ factus ſum ego miniſter*. Debetis itaque ei parere, qui à deo miniſter effectus eſt. *Iuxta diſpenſationem dei*. Aut hoc, ait, ipſe aſſumptus permiſit vt prædicaremus, ne vos derelictos exiſtimaretis. Aut me plus cæteris omnibus affligi permiſit,vt magis idoneus eſſem prædicator. Aut, quòd Gentes nequaquam ſermonem ſuſcepiſſent abſque dei diſpenſatione. *In vos*. hoc eſt,in

est in Gentes. *Complendi sermonem dei.* Ostendit quòd illi completè adhuc non habebant. A

Mysterium quod reconditum fuit à seculis, & à generationibus, nunc autem patefactum est sanctis illius: quibus voluit deus notum facere, quę sit opulentia gloriæ mysterii huius inter Gentes, quæ in vobis est Christus spes glorię: quem nos annuntiamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu: ad quod etiam laboro, decertans secundum efficaciam eius agentem in me per virtutem. B

*Mysterium quod reconditum fuit.* Hoc inter dei beneficia est, quòd id quod omnibus ignotum erat, & soli deo cognitum: quòd à seculis quidem decretum erat, sed reconditum, hominibus patefecerit: non omnibus, sed iis quos voluit: voluit autem vt qui digni sunt, cognoscerent. *Quæ sit opulentia gloriæ.* Dispensatio, inquit, dei facta est, vt per me notum fieret Gentibus, quę sit opulentia glorię annuntiati mysterij. Dicit autem de incarnatione, pręterea & de vocatione Gentium. *Inter Gentes.* Quòd inter Gentes, inquit, factum est: non quòd inter solas Gentes factum sit, sed quòd hoc magis admirandum fuerit, vt quæ tantùm aberant à deo, aduocarentur. *Quæ in uobis est Christus.* Quæ opulentia mysterij, inquit, est Christus. per ipsum igitur etiã credite vos adduci, vt qui in vobis est per fidem, per quem, ait, æternã vitam consequi speramus. *Admonentes omnem hominem.* Non necessariò, inquit, cogentes sed veluti patres adhortantes. Nã & hoc dei mysterium est, vt iis qui in terra sunt, persuadeatur, trahãtur, & non cogantur. *In omni sapientia.* An enim sapientiæ non est ferinis persuadere Gentibus. *Vt exhibeamus omnem hominem.* Neque enim sancta ipsius anima explebatur, & omnem hominem Christo volebat offerre, atq; ad hoc laborabat, ac decertabat. Nam ita se habebat, etiam erga hostes intellectuales, ac sensibiles. *Secundum efficacim eius.* Deinde quoniam dixerat Laboro, & Decertans, suum laborem, ac certamen ad Christum refert, ac si diceret: Non C

D meum hoc opus est: qui enim me fortem facit, & vt sufficiēs sim ad resistendum aduersariis, Christus est qui operatur in me, vt possim: Per hoc autem exhortatur ipsos, vt sibi pareant, quasi deus ad prædicationem sibi sit auxilio.

CAPVT VI.

Cap.2. *Quòd non oporteat eos qui sapientiam habent in Christo, humana incedere fallaci sapientia.*

NAm volo vos scire quantam solicitudinem habeā de vobis, & his qui sunt Laodiceę & quotquot non viderunt faciem meam in carne, vt consolationem accipiant corda illorum, quum cohæserint in charitate, & in omnem opulentiā certę persuasionis intelligentiæ, & in cognitionem mysterii dei, & patris, & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ recōditi. Hoc autem dico, ne quis vobis imponat probabilitate sermonis. Quāquam enim carne absens sim, spiritu tamen vobiscum sum gaudens ac videns vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christum fidei.

E

Ne quis id quod dicitur, existimet propter illorum dici segnitiem ac imbecillitatem, etiam Laodicenses addidit: & ne ipsos condemnasse videatur, caussam quoq; addidit certa minis, ac timoris pro eis suscepti: quia nōdum, ait, me vidistis. V*t consolationem accipiant corda illorum.* Consequenter hoc ad dogma refert. Decerto, inquit, vt consolationem accipiant corda illorum qui vniti sunt, ac persistunt in charitate. Contingit enim & alio modo videri stare: sed ait, In charitate: Nam hoc est verè stare, *Quum cohæserint.* hoc est vniti fuerint. E*t in omnem opulentiam certæ persuasionis intelligentiæ.* Vt abundè, inquit, certa fiat vestra persuasio per intelligentiam: sine qua nemo abundè certior fieri poterit in fide, & cognitione mysterij. *Mysterij dei & patris.* Quod est autem mysterium patris & filij? Quòd per filium adducantur ad patrem, & non per sanctos angelos. I*n quo sunt omnes thesauri.* Si ergo sunt in ipso omnes thesauri sapien-

F

tiæ, rectè & nunc venit, & olim non venit: nam id impij quidam criminantur *Sapientiæ ac scientiæ*. In quo Christo sunt omnes thesauri: nihil ignorat ipse eorum quę nouit pater. *Reconditi*. Ipse solus nouit. Aduerte quòd hæc differẽtia sit in ordine ad creaturam, non ad sanctam ac beatam trinitatem. *Hoc autem dico*. Hoc, inquit, dixi, ne quis vos decipiat per sermonis probabilitatem, tanquam aliquid sciret: Nullus, inquit, hominum quicquam nouit, solius enim dei est omnia scire. *Quanquam enim carne absens sim*, Cõsequens erat vt diceret, Quanquam enim carne absens sim, spiritu tamen noui eos qui vobis imponunt. Verùm hoc quidem, ne vehementius perstringeret, conticuit: sed in verbum terminauit dilectionis ostensiuum, & in laudem ipsorum. *Vestrum ordinem*. Bonum nempe ordinem. *Et soliditatem*. Non dixit Fidem, sed fidei soliditatem, significans firmitatem, ac stabilitatem. Hoc autem ait, simul quidem collaudans, simul etiam innuens illam propriè esse fidem quæ stabilis est, ac firmiter inhæret.

A B Oecum.

Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum dominũ, ita in eo ambulate, vt radices habeatis in illo fixas, & in eo superstruamini ac cõfirmemini per fidem, sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarũ actione. Videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam, & inanem deceptionẽ, iuxta constitutionẽ hominum, iuxta elementa mundi, & nõ iuxta Christum. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo cõpleti, qui est caput omnis prĩcipat⁹, ac potestatis.

C

Nihil, inquit, nouiter introductum audiatis, sed quod accepistis seruate. *In eo ambulate*. Rectè ait, Ambulate: ac si diceret: Ipse est via quæ ducit ad patrem, & non angeli. *Vt radices habeatis in illo fixas*. Non nunc quidem in ipso, nunc verò in alio ambuletis. *Et in eo superstruamini*, Hoc est crescite super fundamentum Christi. *Ac confirmemini*. Nihil ambiguum sit, neque vacillans. *Sicut edocti estis*. In fide quidem edocti estis: attamen oportet indies in ipsa exu-

D berare, ignitam accipiendo fidem. *Cum gratiarum actione.*
ἐδιδα- Quòd adeò longè distãtes propè fecerit deus. *Videte ne quis*
σκαλία μι *uos deprædetur.* Doctrina interdictũ habet auditores exter-
τὰ παραγ rens. Deprædetur autem à fide occultis, ac latentibus insi-
γελίας. diis. *Per philosophiam & inanem deceptionem.* Quoniã philo-
sophiæ nomen graue ac venerãdum esse videtur, deceptio-
nem adiunxit: inanem verò, ait vanam, aut quę recentiora
quædam, ac dissona doceat. *Iuxta elementa mundi.* Si figuram
vniuersi mundi in medium adducit multò magis elemento-
rum, quæ in ipso sunt. *Et non iuxta Christum.* Iẽ deinceps in-
crepationem exorditur de dierum obseruatione. Elemen-
E ta autẽ mundi dicit solem & lunam, per quæ apud insipien-
tes sunt dierum obseruationes, in aspectibus luce carenti-
bus, & in ecclipsibus. Etiam si ex dimidia tantùm parte, in-
quit, contingeret vos Christo, ac elementis adhærere, ne ita
quidem ferendum esset, nunc verò omni vos à Christo ab-
ducunt. *Quoniam in illo inhabitat.* Quomodo autẽ contingit
& in carne substãtialiter inhabitare deũ verbum, & secundũ
personam ipsi vniri, ac vbique esse non in ipsa conclusum?
Tale quid factum esse intelligamus quod etiam in luce acci-
dit: omnis tamen imago omnéque exẽplum longè abest ab
ipsa veritate. Quomodo enim fieri potest vt sensibilia reprę
sentent diuina? Dicendum tamen est. Quemadmodum lux
F in initio ante cętera producta, quum incorporea & immate-
rialis esset in corpore tamẽ solari cõtinetur & corporea quo
dammodo facta est: attamen etiam quum in ipso est nõ pro-
hibetur neque impeditur quin omnia illuminet. Ita & deus
verbum qui in principio carnem nõ habebat, incarnatus nõ
prohibetur etiam carni vniri secũdum personam sic vt in ip
Iohan, 8. sa non concludatur, sed omnia impleat. Et ob id vt opinor,
Mala. 4. ipse dominus seipsum lucem appellat: & Malachias solẽ iusti
Psal. 57. tię ipsum appellauit. Præterea & Psalmographus qui ait: Ce
cidit ignis super eos & non viderunt solem. *Omnis plenitudo
diuinitatis.* Quicquid est, inquit, deus verbum, in ipso inhabi
tat. Ne tamen ipsum ex hoc esse conclusum intelligas: siqui-
dem totus incarnatus est, & totus est cum patre: quúmque
corpore circumscriptus sit, tamen diuinitate manet incir-
cumscriptus. *Corporaliter.* Hoc est secundum substantiam
& non solo habitu aut figura. Et eo modo, inquit, quo

habitat anima in corpore, ita hæc habitauit in assumpto homine. Quomodo autem habitat anima in corpore? Sanè inconfusè, indiuisè. Quoniam enim dixerat Inhabitat: ne existimes quòd in eo sit operata, sicut & de prophetis dicitur (inhabitat enim in ipsis deus iuxta illud, Inhabitabo in eis & inambulabo) addit, Corporaliter: hoc est, substãtialiter, non solo habitu aut figura, sicut anima in corpore. Ita habet & Cyrillus. Verùm anima etiam à corpore separatur in morte, non autem posthac deus verbum ab assumpta & familiari ac propria sibi affecta carne, animata videlicet per animam rationalem. Aut Corporaliter, intellige incarnationis modo. Neque enim qui inhabitauit, inquit, rursum migrat, sed incarnatus est vnam deinceps cum sua carne habens hypostasim, quanquam ex duobus contrariis consistat. *Et estis in illo completi.* Quoniam igitur plena humanitatis assumptio facta est, & quæ iam dissolui non possit: conuenit vt & vos pleni sitis in ipso & non separemini ad elementa mundi. *Qui est caput omnis principatus ac potestatis.* Caput hoc loco dicit caussam ac principium. Cuiuis enim conditæ naturæ cælesti ac terrenæ Christus caussa est tanquam creator ac effector earum. Nam sine eo, inquit, factum est nihil quod factum est. Conditæ sunt autem cælestes virtutes. ait enim: Qui facit angelos suos spiritus. Itaque per Christũm & à Christo factæ sunt beneplacito patris & cooperatione paracleti spiritus.

A

*Leuit. 26.*

B

Oecum.

*Iohan. 1.*

*Psal. 103.*

C

CAPVT VII.

*Quòd coniunctio ad deum, spiritualiter quoque ea quæ legis sunt continet ad conuiuendum Christo.*

PEr quem & circuncisi estis circuncisione non manufacta, dum exuistis corpus peccatorum carnis, per circuncisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismũ in quo simul etiã cũ illo resurrexistis per fidem operationis dei qui excitauit illum ex mortuis. Et vos, quum essetis mortui per delicta & per præputium carnis vestræ, simul cum illo viuificauit, condonans nobis omnia delicta de-

D leto quod aduersus nos erat chirographo dogmatis, quod erat contrarium nobis, & illud sustulit è medio affixum cruci: exutísque principiis ac potestatibus traduxit palàm triumphans de illis per ipsam.

*Circũcisione non manufacta.* Non enim humana manus, inquit, sed spiritus sanctus vos circuncidit à peccatis vestris. *Dum exuistis.* Vbi autem exuistis? In baptismate videlicet.
Infrà 3. *Corpus peccatorum.* Alibi ait, Veterem hominem, hoc est vitam quæ est in peccatis. *In circuncisione Christi.* Quum e-
E nim Christo credidistis, circuncisi estis circuncisione non manufacta. Animaduerte autem quòd nunc quidem spiritus, nũc verò Christi dicit circuncisionem. Scit enim vnum esse opus & vnam efficaciam sanctæ trinitatis. *Consepulti simul cum illo.* Similitudinem enim dominici sepulchri explemus per baptisma. Vnà igitur sepulti, simul etiam surrexistis, inquit. *In quo.* Per quẽ, ait, etiam resurrexistis & simul excitati estis. Credendo enim quòd operetur & possit deus excitare ex mortuis, excitati, inquit, estis & vos. Potentia nanque excitati sumus, quanquam nondum effectu & operatione. Iam autem rationes quæ de resurrectione erant dissoluit. *Et vos, quum essetis, &c.* Circuncisio quod superfluum est tollit, tanquam præputium superfluum fuerit. Eratis igitur & vos, inquit, superflui, quum ea faceretis quę
F non decerent. Quicquid est ergo præter decẽs, superfluum est. Quum itaque mortui essetis propter inefficaciam ad bonum & propter præputia, circuncisi estis spiritualiter, & vi-
Iohan. 2. uificauit vos. *Simul cum illo uiuificauit.* Christum quidem ex sensibili morte, vos autem ex sensibili simul & ex intelligibili morte peccatorum. Ne verò admireris si patrem dicit viuificasse Christum. Etenim alibi quoque dictum est ꝙ seipsum suscitauerit. Siquidem communia sunt patris & filij ac spiritus opera. *Condonans nobis omnia delicta.* Quæ intellectualem faciebant mortificationem. *Deleto quod aduersus nos erat chirographo.* Deleuit quidem, hoc est penitus è medio tulit. Chirographum verò dicit aut illam veluti propria manu & propria voce factam confessionem qua dixe-

runt ad Mosen: Omnia quæcunque dixit deus faciemus & obedientes erimus: aut eam quæ deo debetur obedientiam: aut præceptum illud quo præcepit deus ipsi Adam: Quocunque die comederis de ligno, morieris. Ex incarnatione igitur solutum est hoc chirographum. Dominus enim susceptis nostris delictis & tanquam propriis sibi factis, pœnas quoque pro eis dedit quæ nobis debebantur, relictis nobis liberis, quum hostile nobis esset & aduersum nos debiti chirographum. Etenim quum transgressi fuissemus quod confessi eramus, obnoxij eramus chirographo. *Dogmatis.* Hoc est fide in ipsum. Satis enim est, inquit, solùm credere, Et baptismate deletur chirographum. *Dogmatis.* Id est per dogmata pietatis. *Quod erat contrarium nobis.* Sermo hic intensionem ac confirmationem veniæ continet. Condonauit, inquit, at metus est ne pœnitudine ductus repetat: Sed etiam deleuit. Atqui hoc ipsum, inquit, quod omnino alibi situm sit, quanquam deletum, timorē nobis incutit: Verùm illud etiam sustulit è medio, non sinens in vlla esse regione, atque discidit. Nam hoc significat quod sequitur Affigere ipsum cruci. *Exutis principiis.* Multas aduersus nos ansas malignus ille habebat, quibus imperium in nos habere quidem cœperat à transgressione Adam, à nobis autem augmentatum erat. Has exuit vnigenitus factus homo, & liberauit nos huiusmodi vinculis. Constricti enim catenis peccatorum nostrorum seruiebamus illi. Itaque remissis etiam nobis peccatis, vincula quoque remisit, & illius soluit tyrannidem. *Traduxit palam.* Siquidem diabolus nunquam ita pudefactus ac victus fuit. Etenim quum ipsum quoq; se habiturum speraret, eos etiam perdidit quos habebat. Triumphans de illis per ipsam. τρίαμβος (quod nos triumphum vertimus) dicitur pompa ac conuentus publicus aduersus deuictos. Triumphauit igitur de illo per crucem, hoc est deuicit & spiritualem triumphum aduersus eum celebrauit. Nihil enim adeò deuicit ac pudefecit diabolum, sicut crucifixum esse dominum, & palàm ac manifestè hoc passum fuisse. Omnia nanque fecisset diabolus persuadere volens ne occideretur nisi manifestè ei repugnatum fuisset. Nisi enim mortuus fuisset, nō resurrexisset: quòd si non resurrexisset, nequaquam assumptus fuisset. Si

[Margin: A; Exo. 24.; Gene. 2.; B; C]

D hęc acta non fuissent, vtique deus non fuisset habitus. Vides quòd à morte omnia dependebant.

CAPVT VIII.

*Quòd legis carnalis typi carnalibus in prætio habentur, nō spiritualibus, qui per uirtutem Christi uiuunt.*

NE quis igitur vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi aut nouilunii aut sabbathorum, quę sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Ne quis vobis palmam interuertat data opera per animi humilitatem & superstitionē angelorū, in iis quę non vidit fastuosus incedens, frustrà inflatus à mente carnis suæ, nec obtinens caput, ex quo totū corpus per cōmissuras & cōpagines subministratum & compactum augescit augmēto dei.

E

*Ne quis igitur uos iudicet.* Hoc est, condemnet tanquam malefacientes, ex eo quòd non obseruetis partes festorum aut nouiloniorū aut cibum aut potum. Etenim partim quidem obseruabant tanquam iudaizātes: partim verò non obseruabant tanquam Christianorum more viuentes: propterea ait, *In parte diei festi:* vnius videlicet, aut in parte horum omnium. *Quæ sunt umbra futurorum.* Futurum dicit nouū testamentum, non quòd nondum sub eo degerent, iam enim sub eo degebāt: sed quòd in ordine ad has figuras & vmbras futurum erat. *Corpus autem Christi.* Alij quidem ita distingunt: Corpus autem Christi, id est, veritas in Christo facta est. Alij verò còrpus Christi iungunt sequentibus, nēpe μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω. Est autem καταβραβευθῆναι (quod palmam interuertere diximus) quando apud alterum quidem est victoria, apud alterū verò brabium. Dupliciter poni potest distinctio: aut post Corpus aut post Christi. *Ne quis uobis palmam interuertat.* Nemo vos condēnet qui Christi corpus suscipitis: hoc enim subaudiēdum est. Volēs, inquit, hoc facere per animi humilitatem, magis autē per superstitionem angelorum. *In iis quæ non uidit fastuosus incedens.* Quidnam est hoc? Erant nonnulli apud ipsos qui in simula-

F

Pho.

tione modesti animi prohibebant ipsos per Christum acce- A
dere, quasi tantis digni nõ essent: & q̃ angeli obsecrandi es-
sent, vt nos ad deũ adducerent, veluti qui etiã primi cõmuni
accessu siue adductione facti sint: maius esse dicẽtes q̃ quod
ad nos pertineat per Christũ adducti: ex hoc inducentes su
perstitiosum angelorũ cultum: quos nunq̃, inquit, viderũt.
P*almam interuertat.* καταβραβευέτω. βραβευτὰς vocant iudices
eorum qui gymnicis in ludis decertant: Nam hi vincenti- Theod.
bus gloriæ suffragium præbent. καταβραβεύειν verò est in-
iustè præmium designare. Quoniam ergo & hi qui legales
obseruationes euangelio permiscebant à melioribus ad de-
teriora ipsos transferebant, meritò ait, Ne quis vobis pal-
mam interuertat. F*rustrà inflatus.* Qui enim superbit qua- B
si magni aliquid concipiens superstitiosum angelorum cul-
tum, frustrà inflatur à carnali cogitatione, inuisibilibus sese
ingerens. N*ec obtinens caput.* Caput enim & hominum &
angelorum Christus est, tanquã factor & creator. Ex *quo.*
Christo totũ ecclesię corpus. Deinde consequenter vbi cor-
pus dixit, quæ propria sunt corporis dicit. Totum igitur ec
clesiæ corpus per commissuras & conglutinationes siue cõ-
iunctiones: Nam id est quod vocat Compagines, submini-
stratum à Christo, per omnem ipsius gratiam: & cõpactum,
hoc est moderatum & in pace cõstitutum ad sese & ad Chri-
stum: augescit augmento secundum deum. Quod est autem
augmẽtum secundum deum? non corporaliter crescere, sed C
bona moderatione ac vitæ regimine.

Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis
mundi, quid quasi viuentes in mũdo decretis tene-
mini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris,
quę omnia ipso corrũpuntur abusu iuxta pręcepta
& doctrinas hominũ: quæ verbotenus quidem ha-
bẽt speciem sapientię per superstitionẽ & animi hu
militatem ac læsionem corporis, non in honore a-
liquo ad expletionem carnis. Si igitur resurrexistis Cap. 3.
vnà cum Christo, superna quærite vbi Christus est
ad dexteram dei sedens. Superna curate, non terre-

D ſtria:ſiquidem emortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in deo.

*Itaque ſi mortui eſtis.* Siquidem per baptiſma mortui eſtis cum Chriſto, vt fiat amputatio & quaſi diuiſio prioris vitæ, quæ in errore erat: & nouam vitam incipiatis, quæ in virtute eſt. Nam quod reliquum eſt, inquit, mortui eſtis à peccaminoſis actionibus & ab elementis, vt deinceps nulla ſit ab his vtilitas, nulláque horum obſeruãtia. *Quid quaſi uiuentes in mundo.* Quare veluti rurſum in ipſis viuẽtes decretis tenemini? Hic, aiũt, aptus dies eſt, & aliquid efficiet, iſte verò ineptus. Tacitè verò etiam innuit quòd ab aliis illuderen-

E tur. Neque enim ait, Dogmata ſiue decreta traditis, ſed illa traduntur vobis, & eis aſtringimini, tanquam diſcipulorum ordine conſtituti, & quibus lex præſcribitur quid facere oporteat. *Ne tetigeris, ne guſtaris.* Aliam quoque dicit ipſorum obſeruationem, quæ circa cibos erat, Iudaica magis: ſicut dierum obſeruatio, Græcorum erat. *Quæ omnia corrumpuntur.* Nam corruptioni, inquit, ſunt obnoxia in ſtomacho & ſeceſſu. *Iuxta præcepta.* Nõ eſt, ait, de his diuina lex. Doctrinæ ac prçeceptiones ſunt hominum. Loquitur autẽ vel de his quæ ſeniores apud Iudæos extra legem præcipiebãt: aut de Græcorum præceptionibus. *Quæ uerbotenus quidem ſpeciem habent.* Speciẽ habent ſapientię non rem, magis autem tenuem perſuaſionis rationem. *Per ſuperſtitionem.* Pieta-

F tem, inquit, & quãdam animi humilitatem, corporíſque cõtemptum per ſuperſtitioſum cultum ſimulant. *Non in honore aliquo.* Deus enim honorando hominem, ſuis formauit manibus, & cibos largitus eſt: hi verò non vtuntur tanquam munere cibis datis ad alimentum carnis, ſed tãquam fugiẽdis ac nociuis. *Si igitur reſurrexiſtis.* Baptiſma enim & mortis & reſurrectionis typum habet: ac ſi diceret, Si credidiſtis Chriſto, & credentes baptizati eſtis, ſuperna quærite. i. quæ in cælis ſunt. Hæc enim terrena ac egena ſunt dogmata. *Vbi Chriſtus eſt.* Magis noſtram extulit mentem, non contentus dixiſſe Superna: ſed etiam Vbi Chriſtus eſt ad dexteram patris ſedens. *Non terrena.* Dictum eſt enim quòd huiuſmodi dogmata, hominum inuenta ſint ac præceptiones. Talia verò eſſe terrena in confeſſo eſt: quoniam &

terreni ſunt homines qui hæc inuenerũt. *Et uita ueſtra abſcondita eſt.* Eorum nanque qui verè Chriſtiani ſunt, eſt futura vita, præſens nãq; potius mortis habet imaginem q̃ vitæ, quando interim mortis meditatio facit vitam. Nam id philoſophiæ finis ac terminus eſt. A

CAPVT IX.

*Exhortatio ad purgationem, ſanctificationem, benignitatem, pietatem, diſcendi amorem, cantum pſalmorum, laudabilem ſecundum deum conuerſationem, & gratiarum actionem.*

QVúmq; manifeſtatus fuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & vos cum ipſo manifeſtabimini in gloria. Mortificate igitur mẽbra veſtra terreſtria: ſtuprum, immũditiam, morbum, concupiſcẽtiam malam & auaritiã quæ eſt idololatria: ob quæ venire ſolet ira dei in filios contumaces, inter quos ambulabatis quondam, quum viueretis in illis. B

*Qvúmque manifeſtatus fuerit Chriſtus,* Manifeſtabitur autẽ omnibus ſecũdo ſuo aduẽtu, quum rediderit vnicuiq; iuxta opera ſua: his quidem vitam, illis autem mortem ſpiritualẽ. *Cum ipſo manifeſtabimini in gloria.* Nũc enim cuiuſq; occulta ſunt opera, tunc autem manifeſtabuntur: horum quidem in gloria, illorum verò in ignominia. *Mortificate igitur.* Quomodo ergo ſuperius dixiſti, Quũ mortui eſſetis, viuificauit vos, & vnà cum Chriſto vitæ reſtituit, ſi rurſum neceſſe eſt mortificare? Et dicimus ꝙ à prima quidẽ mortificatione viuificauit remiſsis in baptiſmate peccatis noſtris: ſed opus eſt nobis alia mortificatione, non vt noſipſos per peccata mortificemus, ſed affectus: ne vim exerant aduerſus nos. *Membra ueſtra.* Hoc eſt, terrenos corporis ac membrorum ſenſus & faſtus. *Stuprum.* Quod naturaliter & quaſi ex ipſo corpore maximè moleſtum eſt, præpoſuit. Deinde pudore repreſſus ne ſingulas impietates nominatim retexeret, ait, Immunditiam. *In filios contumaces.* Nam υἱοὺς ἀπειθείας filios incredulitatis vel inobedientiæ dixit periphraſticẽ, pro eo quod eſt filios imperſuadibiles vel non obtẽperantes dei legibus. *Ambulabatis quondam.* Cũ laude eſt hic ſermo quaſi

Sup. 1. C

Baſilij.

D nunc non viuant in illis: & adeò propter solam commendationem & encomium hoc dixit quoniam in progressu iubet ipsa deponi, nullus autem deponit quod non habet.

Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore vestro. Ne mentiamini alius aduersus alium: qui exuistis veterem hominem cum factis suis, & induistis nouum qui renouatur ad agnitionem iuxta imaginem eius qui condidit illum: vbi non est Græcus & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia &
E in omnibus Christus.

Quemadmodum varia sunt nomina iræ & indignationis, ita quæ sub ipsis significantur plurimùm inter se differunt. Est autem θυμὸς (quod indignationem vertimus) veluti accensio quædã & euaporatio acuta affectionis: ὀργὴ verò (quã iram diximus) immanens dolor ac durans impetus ad repensionem his faciendam qui intulerunt iniuriam, veluti animę appetentis vindictam. Scire igitur oportet ꝙ circa vtrunq; horum affectuum delinquunt homines: aut insanè ac temerè commoti aduersus eos qui irritarunt aut dolosè ac insidiosè appetentes eos qui contristarunt: quæ ambo nobis obseruanda & cauenda sunt, si prius animi modestiam e-
F docti simus. *Turpiloquentiam.* Contaminat enim os quod ad deum laudandum factum est. *Qui exuistis ueterem hominem.* Veterem hominẽ moris est in scripturis appellare inueteratum & iam emarcidum ac languentem per vitam quę in peccatis degitur, & qui nondum per fidem in Christum baptismate regeneratus est ac renouatus: nouũ verò qui renouatus est. Vita enim quæ in virtute agitur semper innouat: & si videatur senescere corporaliter, virescit tamen ac floret spiritualiter. *Iuxta imaginem eius qui condidit illum.* Qui enim talis est, dei purã seruat imaginem qui ipsum condidit, inferioribus characteribus ac erroribus non permixtam. *Vbi non est.* Hoc est, apud Christum, apud fidem. *Omnia & in omnibus Christus.* Siquidem quia omnes vnum

corpus facti sumus, Christum habẽtes caput, meritò omnia nobis est Christus, & saluator & dominus & deus & Caput & Pontifex & Victima. Est in omnibus, inquit, putà rebus, aut actibus vitae nostrae: aut in omnibus nobis. Non est enim, inquit, personae respectus apud deum. A

Sitis igitur induti tanquam electi dei sancti ac dilecti viscera miserationum, comitatem, modestiam, mãsuetudinem, lenitatem, sufferentes vos inuicem, & condonantes vobis mutuò si quis aduersus aliquem habuerit quaerelam, quẽadmodum Chrstus condonauit vobis, ita & vos. Super omnia autem haec charitatem quae est vinculum perfectionis, & B pax dei moderetur in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno corpore: & grati sitis.

Quemadmodum enim veste nudus indecorè se gerit, ita & qui nudus est virtutibus. Aut quia nunq̃ à nobis separari debet virtus tanquã vestis. *Viscera misericordiae.* Non qualemcunque amorem, sed eum qui natura parentibus inest erga filios. *Quaerelam*: siue accusationem & quaestus. *Quẽadmodum Christus condonauit uobis.* Adducto in mediũ Christi exemplo, non tantùm suadet ignoscere, verumetiam diligere ac benefacere his qui nos offenderunt, ipsamque animam pro his qui offenderunt inimicis ponere: nam ita & Christus fecit. *Super omnia autem haec charitatem.* Quoniam contingit etiam eum qui condonat non diligere, exhortatur quoque ad charitatem. Vinculum autem dicit charitatem, significans ea quae dicta sunt statim dissolui, si sine charitate sint. *Et pax.* Atqui quum charitatem dixisset, iam nõ fuit opus pacem consulere. Sed quoniam contingit ex multa charitate semper redarguere, atque hinc dissoluere charitatem, etiam pacem habere admonet. *Dei.* Contingit enim malè pacem habere, quemadmodum & malè pugnare seu dissidere: sed pacem, inquit, quę secundum deum est dico. *Moderetur in cordibus uestris.* Quoniam pugnant frequẽter cogitationes, arbitram vult esse pacẽ in cordibus, ac relegare contrarias cogitationes. *In uno corpore.* Ordinauit nanq; Christus vt pacem habendo omnes vnum corpus effi- C

D ciant, & ipse sit nostrum caput: vt hoc modo mutuum inter nos dissidium fugiamus, & gratias ei agamus qui hanc largitus est coniunctionem.

CAPVT X.

*Quæ ad concordiam erga familiares spectant.*

SErmo Christi habitet in vobis opulentè cũ omni sapientia, docetéque ac commonete vos inuicẽ cantibus & laudibus ac cãtilenis spiritualibus in gratia, canẽtes in corde vestro domino. Et quicqd egeritis sermone aut facto, omnia in nomine do-
E mini Iesu facite, gratias agentes deo & patri per illum. Vxores, subditæ estote propriis viris, sicuti cõuenit in domino. Viri, diligite vxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas. Filii, obedite parẽtibus in omnibus: hoc enim beneplacet domino. Patres, ne prouocetis liberos vestros, ne despondeant animum.

Continget autem doctrinas ac dogmata saluatoris nostri Iesu Christi in magna opulentia habitare in nobis per scripturarum scrutinium. *Cantibus & laudibus.* Primùm dixit ꝙ labore caret, quia iocunditate tollit molestiam, laus verò
F siue hymnus cantu sanctior est: supernæ nanq; virtutes deũ laudant, non canunt. *In gratia.* Per gratiam à spiritu sancto datã hæc facere admonet, ostẽdens non posse sine gratia implere talia. *In corde uestro.* Nõ simpliciter solo ore: nã hoc non est deo canere, sed in aera loqui: neque ad ostentationẽ, sed occulta operatione. *Omnia in nomine domini.* Ipsum saluatorem & auxiliatorem in omni opere ac sermone inuocantes. *Per illum.* Rectè dicitur, Per ipsum & cum ipso, hoc quidem propter ęqualitatem & consubstantialitatem ad patrem: illud verò, quia mediator noster & pontifex fieri di-
Iohan.1. gnatus est, quando verbum caro factum est, iuxta scripturã. *Vxores subditæ estote.* Quum enim ego tibi, túque mihi vicissim subiicimur, quomodo potest quippiam contra voluntatem contingere. Subiectionem autem esse vult non ex fi-

mulatione aut ad placendum hominibus,sed in timore Christi. *Sicuti conuenit in domino*. Hoc est, veluti decens est in domino. Decet autem in domino, vt vxor quidem subdita sit, vir autem ipsam diligat. *Viri diligite uxores*. Eos nanq; qui obedientiam fouere debēt præcipit vt diligant vxores, liberos,seruos: quenque ponens iuxta obedientiæ proportionem. *Et ne sitis amarulenti aduersus illas*. Scit ex multo quoq; amore pugnas oriri: idcirco quum dilectionem proposuisset,subiunxit: Et ne sitis amarulenti. *Parentibus in omnibus*: Exceptis his quæ ad impietatem ferunt. *Hoc enim beneplacet domino*. Legem etiam ponit, quæ obedientiam statuat,filios magis exhortans. *Ne despondeant animū*. Est vbi etiam couniuere debetis,inquit,ne perpetuò tristes reddātur contentiosiores. A

Serui,obedite per omnia dominis secūdum carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, tanquam hominibus placere studentes, sed cum simplicitate cordis timentes deum.Et quicquid feceritis,ex animo operemini, tanquam domino & non hominibus, scientes quòd à domino recipietis mercedem hæreditatis: Nam domino Christo seruitis. Cæterùm qui iniquè agit,referet peccatum suum,& non est personarum respectus. B

Seruos consolatur,dicēs propemodum, Carnis hi domini sunt quod in vobis melius, nempe anima, non subiicitur humano seruitutis iugo. *Non obsequiis ad oculum exhibitis*. Non solùm, inquit, intuente domino facite quæ decent,verumetiam non vidente. *Tanquam hominibus placere studentes*. Facere enim quæ decent,dominis tantùm spectātibus,studij est placendi hominibus,& non timoris dei. Siquidem is qui deum veretur, omnia cum simplicitate facit. *Ex animo operemini*. Non tantùm simulatione ac studio placēdi hominibus vult eos esse liberos, verumetiā otio ac segnitie.Quòd autē ait,Ex animo,hoc est,ex beneuolentia,& omni quæ in vobis fuerit potestate. *Tāquam domino*. A cōmuni sensu supplēdum est Operemini, per metaptosim siue transmutationem. Tanquam domino & non hominibus C

D operātes. *Scientes* ꝙ *à domino*. Et quæ erit retributio seruo ex animo operanti? Primùm quidem merces erit à deo: accidit autem quandoque vt etiam à suo domino. N*am domino Christo seruitis*. Quòd domino Christo operemini, etiā ei manifestum est qui consyderauerit se ab eo retributionem accepturum, & eum qui iniustè operatur, meritam repēsionem. E*t non est personarum respectus*. De dominis magis aptum erat vt diceret de respectu personarum: quare ergo hoc de seruis posuit? Aut quia non miserebitur pauperis in iudicio deus: aut loquitur Christianis seruis, quibus domini erant Græci.

Cap.4. Vos domini, æquitatem & æquabilitatem seruis E exhibete: scientes ꝙ & vos habeatis dominum in cęlis. Obsecrationi instate vigilātes in ea cum gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysteriū Christi, propter quod & vinctus sum, vt manifestē illud sicut oportet me loqui. Sapienter ambulate apud extraneos, tēporis oportunitatem redimentes. Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, vt sciatis quomodo vos oporteat vnicuique respondere.

Aequitas & æquabilitas est vt seruis rependatur merces F laborum, & abundè constituantur eis omnia quæ necessaria sunt. Neque enim eo ꝙ audieris accepturum à domino mercedem, iam eum debito priuare debes. O*bsecrationi instate*. Nouit ꝙ precationi instare conantem dæmones in socordiā ac tædium coniiciunt, ideo subiungit, V*igilantes in ea*. Hoc est, non vacillantes neq; languidiores effecti. Sed quia contingit etiam fieri precationē irrationalium petitionum, docet etiam quid precari oporteat. Cum gratiarum actione, inquit, precatio procedat ad deum. O*rantes simul & pro nobis*. O magnam animi modestiam, vt Paulus horum postulet orationem. O*stium sermonis*. Metaphoricè dixit. Ostium, id est, ingressum & dicendi libertatem. Animaduerte autem Pauli zelum. Quum in tantis esset afflictionibus, non

peti-

petit absolui, sed rursum prædicare, rursumq; afflictiones habere. Communis literæ ordinatio. Vt deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysteriũ Christi sicut oportet me loqui, propter quod & vinctus sum vt manifestem illud. Diuus autem Paulus per hyperbaton sermonem protulit. *Propter quod & uinctus sum.* Quia, inquit, manifestaui illud vt oportebat me loqui. Quomodo autẽ ipsum loqui oportebat? In libertate, ait, & manifestè, nihil veritum, neque vincula timentem. Sapiẽter ambulate erga extraneos. Obseruate, ait, ne quã præbeatis aduersum vosipsos occasionẽ. Extraneos autem dicit Græcos. Et rectè nos erga illos obseruãtes esse admonet. Siquidem fratres non ita nostra omnia etiam minutissima circunspiciunt, calumniarum occasiones inquirentes. T*emporis opportunitatem redimentes.* Breuis est, inquit, præsens opportunitas, lucrifaciamus ipsam. Quomodo autem cõtingit præsentem lucrifacere opportunitatem? Ambulando videlicet in sapientia & obseruatione. Ac si diceret: Non est nostra tẽporis opportunitas, neq; nostrum est tempus ipsum (Siquidem vita nostra abscondita est cum Christo in deo) sed illorũ est: emamus igitur ipsum & veluti lucrifaciamus, per rectam hanc vitam hæreditario iure assequentes quæ futura sunt. *Sermo uester semper cũ gratia.* Inepta, inquit, loquacitas, aut intempestiuus sermo nõ egrediatur ex ore vestro, sed sicut cuique expedit loquimini: siue obiurgare oporteat, siue curare, siue refocillare: cũ gratia, ait, spirituali, cum gratia quæ non emanat in vitæ indifferentiam aut in vrbanitatem. *Sermo uester semper cum gratia uelutisale conditus sit.* Quemadmodum enim nihil ferme eorum quæ corpus alunt absque sale redditur opiparum, & ad alimentum conuenienti condimento debitè in partes distrahitur ita & doctrinæ sermo qui animam nutrit, nisi fuerit gratia conditus, neque nutriet, neque debito modo in partes diuidetur. *Vt sciatis quomodo uos oporteat.* Ad sciẽdum, inquit, quomodo oporteat vnicuique respõdere. Alio enim modo fratribus, & alio modo Græcis loquendum est.

A

Pho.

B

C

Pho.

De omnibus rebus meis certiores vos faciet Tychicus dilectus frater & fidus minister ac cõseruus in domino: quem misi ad vos in hoc ipsum vt co-

gnoſcat quid agatis & conſoletur corda veſtra, vnà
D cum Oneſimo fido & dilecto fratre qui eſt ex vobis. Omnia vobis nota facient, quæ hic agantur. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata. Si venerit ad vos, excipite eum: & Ieſus, qui vocatur Iuſtus, qui ſunt ex circunciſione. Hi ſoli cooperarii ſunt ad regnum dei, qui fuere mihi ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti,
E ſemper anxiè laborans pro vobis in precationibus vt ſtetis perfecti & completi in omni voluntate dei. Teſtimonium enim illi fero quòd multum habeat ſtudium pro vobis, & his qui ſunt Laodiceę & his qui Hierapoli.

*De omnibus rebus meis.* Erant quæ multitudinis gratia ſcribere non expediebat. Præterea oportebat etiam Tychicum habere quæ ore referret, quòd & in vinculis & in afflictionibus fuerit præceptor. *Dilectus frater.* Si dilectus, omnia nouit: nihil enim ipſi occultaui, ait. Si fidus, omnia vera loquetur: ſi conſeruus, particeps nobiſcum fuit & in affli-
F ctionibus. Quicquid Tychicum fide dignum reddebat vndique cōiunxit. *Quem miſi.* Exemplum eſt maximę dilectionis ob id ſolum miſſum fuiſſe Tychicū vt renuntiaret quæ circa Paulum agebātur, rurſumq; Paulo, vbi didiciſſet quid ipſi agerent. *Et ut conſoletur uos.* Id autē oſtendit quòd in afflictionibus eſſent. *Cum Oneſimo.* Conſydera quòd ſeruū appellet fratrem. Addidit autem, Ex vobis, vt non ſolùm ei credant, ſed etiam de ipſo glorientur. *Concaptiuus meus.* Siquidem tanquam captiui ita reducebantur ac ducebantur, & omnibus ad malorum perpeſsionem ſubiecti erant. *Conſobrinus Barnabæ.* Hunc à Barnabæ cognatione commendat: erat enim ſummo in precio Barnabas. *De quo accepiſtis mandata.* Abſque ſcriptura frequenter per aliquos data erant præcepta: cum ſtudio, inquit, & diligentia. *Qui ſunt ex circunciſione.* Probrum erat Iudęorum quòd adeò pauci è Iudæis eſſent Paulo cooperarij, alij verè eſſent ex Gentibus. Coo-

*perarij.* Mecum, ait, operantur in rebus quæ ad regnum cæ A
leste spectant. Si autem concaptiui & participes afflictionum, participes quoque erunt & præmiorum. *Fuere Mihi solatio.* Magna laus esse Paulo solatium. Ex hoc autem significat afflictionum vehementiam. *Epaphras qui ex vobis est.* Et in principio epistolæ & nunc ipsum commendat. *Semper anxiè laborans.* Non vulgari modo deprecans, sed anxiè & cum labore. *Vt stetis perfecti.* Significat ipsos imperfectos esse, nec bonis adhuc expletos. Quoniam igitur cōtingit stare in imperfectione, ait: Vt stetis perfecti. *In omni uoluntate dei.* Rursum insinuat ꝙ per Christum oporteat adduci & non per angelos: Nam hoc dicit voluntatem patris. B

Salutat vos Lucas medicus dilectus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quę in domo illius est ecclesiam. Et quū lecta fuerit à vobis epistola, facite vt etiam in Laodicensiū ecclesia legatur, & eam quæ ex Laodicea est vt vos quoque legatis. Et dicite Archippo: Vide ministerium quod accepisti per dominū vt illud impleas. Salutatio mea manu Pauli. Memores sitis vinculorum meorum. Gratia vobiscum, Amen.

*Salutate fratres qui sunt Laodiceæ.* Coniungit eos & in salu- C
tationibus & iubendo vt præsentis participes sint epistolæ, quod inferius dicit. *Et Nympham.* Magni nominis hic vir erat, nam domum suam fecerat ecclesiam. Et *quum lecta fue-* Pho.
*rit à uobis.* Meo iudicio quædam ibi scripta erant quæ hos quoque audire oporteret, & his maior inde sequebatur vtilitas, quum aliis obiurgatis ipsi propria agnoscerēt delicta. *Vt etiam in Laodicensium.* Erat omnino quippiam inter Pho.
ea quæ scripta erant, quod etiam ad Laodicēsium correctionem dirigeretur. Aut quod futurum erat vt sibiipsis magis cauerent, quum viderent aliorum argui delicta. *Et eam quæ ex Laodicea est.* Quidam aiunt non fuisse Pauli ad eos missam, sed quæ ab ipsis scripta fuerit Paulo. Non enim dixit, Quæ ad Laodicenses est, sed Quæ ex Laodicea est scripta Non quæ fuerit Pauli ad Laodicenses: alioqui enim di
xisset, Et quæ Laodiceę est: sed à Laodicensibus scripta erat Pho.

D ad Paulum. Siquidẽ aliquid omnino in ea erat quod Coloſ-
Pho ſenſibus profuturum eſſet. *Et dicite Archippo*. Quam ob cau
ſam non ſcribit ad ipſum? Fortaſsis non opus erat, niſi ſo-
lam nudam fieri mentionem, quo ſtudioſius curaretur vt hi
maximè ei ſubiicerentur. Neque enim fieri poterat vt eũ
increpantem ipſos, in aliquo accuſarent, quum epiſtolam ac
mandatum omne ipſi accepiſſent: ratio nanq; non exigebat,
vt diſcipuli de magiſtro dicerẽt, ſed os illis obturãs hæc ſcri
bit. ALIVD. De præceptore ſcribit, vt increpãti & admo-
nenti obtemperarent, ſcientes quæ illis ſignificata eſſent ab
Pho. Apoſtolo. Fortaſsis autem epiſcopus ipſorum erat, aut aliud
E ſortitus erat miniſterium animarũ. Ideo ait, Miniſteriũ per
dominum: non enim erat ab homine. *Vide miniſterium*. Ver-
bum hoc terrentis vbiq; eſt, veluti quũ dixit: Videte canes,
Videte ne quis vos deprędetur, Videte ne quo modo pote-
ſtas hæc veſtra offẽdiculo fiat his qui infirmi ſunt. *Quod ac
cepiſtis per dominũ*. Capit rurſum ἐν κυρίῳ, id eſt, in domino,
Philip.3. pro διὰ κυρίου, id eſt, per dominũ, eodẽ ſtudio cõtinuè vſus.
Supra.2. *Salutatio*, Hoc germanitatis & amicitiæ ſignũ eſt, & literas
1.Cor.8. intueri & ad eas quodammodo affici. *Mea manu Pauli*. Ipſam
ſalutationis dictionem potius manu propria ſcripſit, vt ma-
gis quodammodo afficerentur intuentes Pauli manum. *Me
mores ſitis uinculorum meorum*. Papę, quanta exhortatio: nam
hoc ſufficiens erat, vt ipſos ad omnia exhortaretur & robu
ſtiores ad certamina redderet. Itaque & familiariores eos
F effecit & timorem ſoluit. Siquidẽ pręceptor in vinculis erat
ſed gratia ipſum ſoluit. Nã & hoc gratiæ fuit, vt ligari per-
mitteretur. ALIO modo Maxima adhortatio erat vt affli
ctiones ferrẽt viriliter, ſcire ac ſemper memores eſſe, quòd
hic eſſet in vinculis. *Gratia uobiſcum, Amen*. Qua videlicet
Pho. omnia quæ iuſſa ſunt adimpleãt. Nam charitate opus habẽt
vt ſalui fiãt: quid enĩ facere poteſt homo abſq; gratia? Quũ
ab exemplari non integrè inueniſſem beati Iohannis ſcho-
Oecum. lia in epiſtolam ad Coloſſenſes, conſcripſi illa vt potui. Si
quid igitur in ipſis leue aut dignum reprehenſione inuentũ
fuerit, nouerit is qui legit meum eſſe huiuſmodi lapſum.

Scripta eſt ab vrbe Roma per Tychicum
& Oneſimum.

# ARGVMENTVM PRIORIS PAVLI AD Theſſalonicenſes epiſtolæ. A

HAnc ab Athenis ſcribit, quum iam eos vidiſſet prius, & apud ipſos verſatus fuiſſet. Epiſtolæ verò occaſio hæc fuit. Apoſtolus multas paſſus afflictiones Berœæ & Philippis ciuitate Macedoniæ, ac Corinthi: ſimul, & ſciẽs quanta paſſus eſſet: in Theſſalonica, timens ne audientes Theſſalonicenſes, quæ paſſus eſſet in prædictis ciuitatibus, tentarentur ab eo qui tentat, & offendiculum ſuſciperent: audiens præterea quòd etiam vehementer ſuper mortuis lu B gerent, mittit ad ipſos Timotheum cum hac epiſtola. Et primùm quidem eos in fide confirmat, ne ob afflictiones fluctuent, aſſerens nihil eſſe nouum, quòd à Iudæis, paſſi ſint, qui dominum quoque occiderũt. Ait enim Chriſtianis proprium eſſe, vt in hac vita affligãtur. Multis autem ipſos adhortatus, vt quemadmodum ab ipſo acceperant, conuerſentur, ſcribit de his qui vita defunguntur, docétque ne grauiter ferant, quum mors ipſa non ſit perditio, ſed via ad reſurrectionem. Deinde etiam de temporibus ipſos inſtruit, vt diem incertũ eſſe ſcientes, ſemper parati ſint: nec cuiquã de eo referenti animum aduertant, Ita enim ait, fore domi- C ni aduentum, vt qui relinquũtur, & die illo inueniẽdi ſunt. nequaquam eos pręueniant, qui ex mortuis excitandi ſunt. Simul enim futuram eſſe ait, omnium immutationem. Ad hęc docet exhortans, vt meliores reddantur in moribus, & gaudeant in ſpe, ac orent, ſempérque in domino gratias agant, adiurans ipſos, vt legatur hæc epiſtola omnibus fratribus, & ita concludit epiſtolam.

D

# PRIOR AD THESSALONICENSES EPIstola.

## CAPVT I.

*Laus Thessalonicensium in certaminibus, quæ apostolis digna erant.*

Cap. I

E



Aulus, & Siluanus, & Timotheus ecclesię Thessalonicensium in deo patre, & domino Iesu Christo: gratia vobis, & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratias agimus deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris, indesinenter memores vestri, propter opus fidei, ac laborem charitatis, & tolerantiam spei domini nostri Iesu Christi coram deo & patre nostro.

Quare neq; apostolum, neque Christi seruū iuxta suam consuetudinem seipsum hìc nominat? Quia hi recenter instructi erant, & apud eos nō oportebat dignitatis facere mē-
F tionem. Verisimile enim est, ꝙ etiā ex hoc passi fuissent offendiculum. *Et Siluanus & Timotheus.* Quamobrem Timotheo qui adeò probatus erat, Siluanum præposuit? Fortassis Timotheus ex animi modestia id petiuit, in hoc etiam præceptorem Paulum imitatus, qui suis discipulis seipsum connumerat. Quam ob causam autem Timothei hìc meminit, & non in epistola ad Ephesios? Quia ibi cōfestim ad eos profecturus erat, hìc verò nuper ab ipsis venerat ad Paulū. *Ecclesiæ Thessalonicensium.* Quum pauci essent, honorifico nomine vocat ipsos ecclesiam, quæ dictio multitudinis significatiua est. *In deo & domino Iesu Christo.* Quia & Græcorum congregationes erant & Iudæorum, hanc ab illis disterminans, ait: Quæ est in deo patre & domino Iesu Christo. Animaduerte ἐν, id est, in, de patre positū. *Gratias agimus*

*deo semper.* Protinus exorditur procemium ab encomio. A
Nam pro ipsis deo gratias agere, ostendit illos egregia exercuisse opera. Deinde animi modestiam docet, nẽpe quum deus ipsis autor fuerit, quòd rectè sint operati. *Indesinenter memores uestri.* O Pauli charitatem. Pluribus enim ac propemodum omnibus hoc scribit ꝙ indesinenter eorum memor sit. *Propter opus fidei.* Quòd nihil, inquit, vos à fide semouerit, hoc enim est opus fidei. Aut fidei opus dicit nõ sermonibus solùm sed & operibus ipsam ostendere: quòd pro dei charitate aut pro mei, inquit, amore labores & pericula sustinueritis. Nam id verè amare est, omnia pro dilecto pati, sustinere. *Et tolerantiam spei.* Neque enim vna erat tentatio, neque hæ quæ erant, paruæ erant, sed & multæ & magnæ: ideo tolerantiam ait spei, id est quæ facta est propter B
spem domini nostri Iesu Christi: ac si diceret: Non inutiliter laboratis, sed spes est retributionis. *Coram deo & patre nostro.* Aut memores vestri operis fidei coram deo & patre nostro. Aut operis fidei quod est coram deo & patre nostro: tanquam diceret: Omnia videt, nec eum capit obliuio eorum quæ à vobis fiunt.

Scientes fratres dilecti à deo electionẽ vestram quòd euangelium nostrum non fuerit erga vos per sermonem tantùm, sed etiam per virtutẽ & per spiritum sanctum, & per certitudinem multã: quemadmodum nostis quales fuerimus inter vos vestri C
causa. Et vos imitatores nostri facti fuistis, & domini, qui excepistis sermonẽ in afflictione multa cum gaudio spiritus sancti: adeò vt fueritis exemplo omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.

*Scientes fratres.* Quid sciẽtes? Quales fuerimus inter vos vestri caussa, & quòd euangelium nostrum non fuerit erga vos per sermonem tantùm. & electionem vestram. Ad multa enim respicit dictio Scientes. *A deo electionem uestram.* Quoniam nouimus quòd à deo electi sitis ac dilecti, cũ animi promptitudine vobis euangelium prædicauimus. Quis enim promptus non esset erga eos qui à deo diligerentur? *Quòd euangelium nostrum.* Memores, ait, vestri indesinenter

D sumus, scientes quòd euangelium nostrum non fuerit erga vos per sermonem tantùm: non enim solùm prædicauimus, verumetiam signa ac virtutes multas operati sumus in medio vestri, ad magnam vestram certitudinem. Oportuit igitur etsi non ob aliud quippiam, at vel propter eum qui exhibitus est apud vos labor & prædicationis & signorum, indesinenter vestri meminisse. *Et per spiritum sanctum.* Aut per spiritum sanctum prædicauimus, aut spiritum sanctum accepistis, inquit, per prædicationem. *Ac per certitudinem multam.* Signa enim propter certitudinem ipsorum faciebat. *Quemadmodum nostis.* Et quid multa loquor, ait? Ipsi vos testes estis quales fuerimus erga vos. *Vestri caussa.* Pro-
E pter vos, inquit, quoniam vos electi eratis à deo. Acsi diceret, Vestri à deo electio fuit occasio mei erga vos studij. *Et uos imitatores nostri.* Præceptoris erat, recreare ipsos à laboribus quos pertulerant. Ait ergo, Non vos segnes fuistis, quum nos huiusmodi studium inter vos suscepissemus. Sed quid? Etiam vos imitatores nostri facti fuistis & domini. Quo modo? Qui sermonem excepistis in afflictione multa cum gaudio spiritus. Papæ, quidnã est quod dicit? Simul vt sermonem susceperunt, vniuersa supergressi sunt, & imitatores Christi facti sunt. *Nostri facti estis.* Quomodo?
Acto.5. Quia ipsi propter dominum flagellati gaudebant quòd digni essent vt pro nomine eius contumelia afficerentur. *Et*
F *domini.* Quomodo? Quia & ipse alapis cæsus & patiẽs gaudebat. Voluntariè enim passus est, & sciens talia saluos facere salute cælesti. Vnde etiam dicebat, Pater glorifica filium
Iohan.17. tuum, loquens de cruce. *Cum gaudio spiritus sancti.* Quum enim in carnalibus doleretis, in spiritualibus gaudebatis. *Adeò ut fueritis exemplo.* Et quomodo hi facti sunt illis exemplo, quum illi primùm credidissent? Quia adeò clari fuistis, inquit, statim ab exordio, vt etiam his qui iam crediderant exemplo fueritis, ostendẽtes qualia sustinere oporteat propter fidem. *Et Achaia.* Id est, Græcia.

A vobis enim pertonuit sermo domini, non solùm in Macedonia & Achaia, verũetiam in omni loco fides vestra quę est in deum dimanauit, vt non sit nobis necesse quicquam loqui. Siquidem ipsi de

vobis annũtiant qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi fueritis ad deum à simulachris, vt seruiretis deo viuenti ac veraci: & expectaretis filium eius de cælis, quem excitauit à mortuis Iesum, qui liberat nos ab ira ventura. A

A *uobis enim pertonuit sermo.* Aut ꝙ de vobis, fidei caussa, fama vbiq; percurrit: aut ꝙ ingressum & transitum dedistis verbo dei per ea quæ tolerastis. Aut quòd vbique audita est prædicatio propter vestram probitatem. *Verumetiam in omni loco.* Siquidem fidei, inquit, sermone vicinos replestis: nam æmulantes vos accurrerunt ad fidem. Admiratione verò ex eo ꝙ adeò breui tempore tantam fidem, ac certamen præbueritis, vt vniuersum mundum repleueritis. *Vt non sit nobis necesse quicquam loqui.* Nam quæ nos de vobis loqui oportuit, vt & cæteros ad æqualẽ adduceremus zelum, hæc illi præuenientes dicunt. *Siquidem ipsi de uobis annuntiant qualem ingressum,* Putà quòd cum tentationibus & periculis, quæ resistendo pertulimus, ad vos ingressi simus: vos autem neque propter hæc offendiculum passi estis, aut minus credidistis. Etenim digressus Berœæ persequutionem passus est, sicut Acta narrant. Et postquã passus essem persequutionem, inquit, rursum ad vos veniẽs benignè exceptus admodum sum. *Quomodo conuersi fueritis.* Quomodo? Syncerè. Quomodo? Cum vehementi ac feruenti fide. *Et expectaretis filium eius.* Hoc loco per narrationem ac laudem, latenter quoque docet expectare filium illius. *De cælis.* Deinde tanquam per obiectionem: Et quomodo, ait, eum qui mortuus est expectare possumus de cælis? Quem excitauit, inquit, à mortuis. Vide quomodo aditum ad resurrectionem inuenerit. Nisi enim hunc expectaretis, nequaquã tanta sustinuissetis. Qui verò Christum expectat, ab omni sanè prauo opere discedit. *Qui liberat nos ab ira uentura.* Dixit resurrectionem, dicit & retributionem ac vltionem, quam vocat diem iræ. Ipse enim nos ab illa liberauit, remittendo nobis peccata.

B (margin, beside "præbueritis")

Act. 17. (margin, beside "passus essem persequutionem")

C (margin, beside "latenter quoque docet")

Nam ipsi nostis fratres introitum nostrũ ad vos, quòd non fuerit inanis, sed ꝙ antè malis afflicti & Cap. 2.

D contumeliis affecti, quemadmodum scitis Philippis, audacter egerimus in deo nostro ad loquẽdum apud vos euangeliũ dei in multo certamine. Siquidem exhortatio nostra non fuit ex impostura, neq; ex impuritate, neq; cum dolo, sed quemadmodum probati fueramus à deo vt nobis committeretur euangelium, ita loquimur non vt hominibus placentes, sed ex deo qui probat corda nostra.

Vos sanè tales eratis, ait, sed neq; nos humanum aliquid apud vos prædicauimus, sed dei sermones. *Quòd non fuerit inanis.* Hoc est, vana. Non fabulæ, non mendacia, non nugę
E fuerunt nostræ prædicationes. *Sed quòd antè malis affecti.* Vnde hoc patet quòd inanis non fuerit? Quia pericula euadentes quæ fuerãt Philippis, rursum in alia pericula nos cõiicere ausi fuerimus: quod nequaquam ausi fuissemus, nisi nouissemus diuinam esse prædicationem. *Audacter egerimus.* Non formidauimus propter pericula quæ ab aduersariis apud vos imminebant, sed audacter & liberè egimus. Vides quantam de prædicatione sumebãt audaciam? *In deo nostro.* Id ait, rem omnem in deum referẽs: hoc est, propter deum qui nos confirmat, hæc facere ausi sumus. Aut in deo
Oecum. nostro confidentes. *In multo certamine.* Vides quòd apud Thessalonicenses quoque non exiguum fuerit periculum.
F *Non fuit ex impostura.* Quam ob rem, inquit, nos à periculis in pericula coniicere ausi sumus? Quia exhortatio nostra, id est, doctrina nihil seductorium aut dolosum aut impurũ, hoc est, abominãdum aut magicum habet, sed diuina est doctrina. Et huius indicium est quòd ausi fuerimus aduersum pericula. *Sed quemadmodum probati fueramus.* Sed ita, inquit, vobis loquuti sumus, veluti à deo probati fueramus esse idonei vt cõmitteretur nobis euangelium. Tanquam diceret, Deus probauit nos quòd nihil ad hominũ gloriam loquuturi essemus: Ideo etiam cõmisit nobis euangelium. Ita ergo vobis loquuti sumus, sicut probauit & cognouit nos deus: hoc est, sine inani gloria, absque hoc quòd cuperemus vobis placere, absque dolo & impuritate. *Non ut hominibus placentes.* Seipsum interpretatur. Nam qui dolosa docet ac

mendacia, ideo docent vt hominibus placeant: nos autē non ita, inquit, Neque enim mendacium docebamus. Siquidem quoniam ipsos laudauit, ne assentandi suspicio de eo suboriretur, ad hunc venit sermonem. *Qui probat corda.* Non contingit autem ei, qui corda probat, placere illum qui dolos loquitur & vt hominibus placeat. A

Neque enim vnquam per sermonem adulationis versati sumus, quemadmodum nostis, nec per occasionem auaritiæ: deus est testis: neque quærentes ex hominibus gloriam: nec à vobis, nec ab aliis: quum possemus in authoritate esse queādmodum Christi apostoli: sed fuimus paruuli in medio vestri, perinde acsi nutrix foueat suos filios, sic affectu propēsi in vos, vt cupiamus impertiri vobis non solùm euangelium dei, verumetiam nostras ipsorum animas, propterea ꝙ chari nobis facti sitis. B

Pho. *Neq; enim unquā per sermonem adulationis*, quod impostorū proprium est. *Quemadmodum nostis.* Ipsos quidem testes citat, ꝙ non venerit per sermonem adulationis, & meritò. Siquidem ipsi meliùs nouerant q̄ alij quæ circa se acta erant. Quòd autem neque per occasionem aut intentionem accipiendi, deum inuocat testem: incerta sunt enim hominibus, quæ in mente cuiusque sunt studia. Accipere nanque vel nō accipere notum fit hominibus, & de hoc ferunt testimoniū. C Quòd autem nunquam vel accipiendi propositum habuerit, soli deo cognitum est, tempore autem etiam hominibus manifestatur. Qui enim hoc habet propositum, omnino nisi mentem immutet, aliquando tandem accipiet. Paulo verò ne in mentem quidem vnquam venerat, vt lucri occasione prædicaret. Idcirco eorum quæ in mente erāt meritò deum testē vocat. Ipse, inquit, testis est ꝙ neq; gloriam ab hominibus quærentes prædicemus. Rectè autem dicit Ab hominibus: nam illam quæ est à deo & quærebant & accipiebant. Et prudenter admodum ait Quærentes. Quanquam enim glorificabantur ab hominibus, non tamen quærebant aut operam dabant vt glorificarentur. Ideo huius quoque deus

D testis est. Nam à communi sensu illud accipiendum est. *Neque quærentes ex hominibus.* Neque vt à vobis, inquit, aut ab aliis gloriam acciperemus, mēdacia aliqua vobis loquuti sumus. Non enim quærimus eā quæ est ab hominibus. Idq; quum potuissemus, inquit, gloriosi esse, nihil ex hoc delinquentes: sumus nanque Christi apostoli. Quum igitur debitam nobis gloriam renuerimus, quomodo propter indecentem gloriam dolosum aliquid prædicaturi eramus? *Quum possemus in autoritate esse.* Aut in honore & gloria. Aut ἐν βάρει in onere, id est, accipere & ali. *Tanquā Christi apostoli.* Si enim legati qui à rege mittuntur in honore sunt, quantò magis ij qui à Christo? *Sed fuimus paruuli.* Nihil graue, inquit, nihil onerosum, nullum fastum habētes inter vos, hoc E est, non superiori sumpto ordine, sed sicut vnus vestrū fuimus. *Sic affectu propensi in uos.* Adeò vos diligentes & amplectentes, spiritúq; fouentes, quemadmodum nutrix suos quos aluit puerulos. *Vt animo cupiamus impertiri uobis.* Desyderamus vos, & affectu in vos propēsi cupimus ex animo siue volumus & conamur cum prædicatione nostras quoq; ipsorū animas, si fieri posset, dare vobis aut pro vobis. Qui autem id cupit, quomodo tēporalis alicuius rei caussa prędicasset? Quomodo carnalis omnino mentis particeps fuisset? *Propterea* ꝙ *chari nobis.* Et quænam horum caussa est? diceret quispiam. Charitas, inquit, & amor vestri.

Meministis enī fratres, laboris nostri ac sudoris.
F Siquidem nocte ac die opus facientes, ob id ne cui vestrū essemus oneri, prædicauimus apud vos euāgelium dei. Vos autē testes estis, & deus quàm sanctè & iustè ac inculpatè vobiscum qui credebatis versati fuerimus, quemadmodum nostis: vt erga vnumquēq; vestrum, tanquam pater erga filios suos fuerimus affecti, obsecrantes vos & consolantes ac obtestantes, vt ambularetis dignè deo, qui vocasset vos in suum regnum ac gloriam.

*Laboris nostri.* Non dixit Beneficiorum quibus vos affecimus, sed ꝙ longè maioris erat solicitudinis, Laboris no-

ſtri ac ſudoris. *Ob id ne cui ueſtrum eſſemus oneri.* Quum ta A
men poteſtatem haberemus tanquam Chriſti apoſtoli, ſicut ſuperiùs dixit. *Vos teſtes eſtis & deus.* Deus teſtis fide dignus eſt, quomodo enim mentiri poſſet? Verùm quoniã hominibus incertum eſt, num deus in hoc atteſtetur eos etiam vocat in teſtes ad quos ſermo factus eſt. Vos teſtes eſtis Pho.
eorum quæ conſpexiſtis, eorum autem quæ non conſpexiſtis deus teſtis eſt, qui omnia nouit. Ita neque ſuſpicionis anſam eis relinqui voluit. *Quàm ſanctè.* Quòd ſine dolo, ꝙ non fictè, ꝙ non ad placendum hominibus, ꝙ ſine propoſito quicquam accipiendi. *Vobiſcum qui credebatis.* Nam inter incredulos non habebatur inculpatus: multa enim in eo reprehendebant, & præſertim ꝙ exhortaretur ab idolis ſepa- B
rari. *Quemadmodum noſtis ut erga unumquẽque.* Rurſum ipſos teſtes vocat. Quòd & diuitem & pauperem, & abiectum ac potentem & moleſtè ferentem. Papæ, quidnam hoc erat vt neminem in tanta multitudine prætermitteret? *Tãquam pater erga filios.* Quum ſuperiùs dixiſſet, Perinde ac nutrix, nunc, Tanquam pater, ait: quod & dilectionem ſignificat & præſidentiam, quódque omnia ſine faſtu faceret: quis enim aduerſus filios extolleretur? *Et cõſolantes.* Vt viriliter ferretis inſurgentes aduerſum vos afflictiones. *Ac obteſtãtes.* Qui igitur obteſtatur, manifeſtum eſt ꝙ multùm diſsideat ab aſſentando & ſtudio placẽdi hominibus. *Vt ambularetis.* Obſecrabamus, inquit, non vt aliquid nobis cõferretis, ſed vt vos iuuaremini, & opulentum vobiſipſis regnum cælo- C
rum pararetis, dignè ad ipſum gradiẽtes. Animaduerte autẽ ipſum, ꝙ etiam in hoc doceat. Nam ſi dei regnum eſt præmium, oportet omnia prompto ferre animo.

Quapropter & nos gratias agimus deo indeſinenter, ꝙ quum acciperetis à nobis ſermonem auditus dei: accepiſtis, non ſermonem hominum, ſed ſicut eſt verè ſermonem dei: qui etiam agit in vobis credentibus.

Deinde illos etiam commendat. Non enim ita eſt, inquit, vt nos quidem ſine dolo, & ſicut dictum eſt, erga vos conuerſati fuerimus, vos autem aliquid fide indignũ feceritis:

D sed accepistis à nobis sermonem auditus, hoc est, sermonem qui auditus est inter vos, prædicationis videlicet. Aut sermonem auditus dicit, eo ꝙ per auditum suscipitur. Sermonem fidei, ait, excepistis. Quomodo autē excepistis? An vilipēdendo? Nō, inquit, sed ita excepistis, nō vt qui hominis sermonem susciperetis, hoc est, meum, sed vt sermonē dei: deus enim per me loquutus est, inquit. Aut sermonem auditum, aut sermonem per auditum accipientes. *Sermonem auditus*. Rectè profectò. Neque enim omnes spectatores esse ipsi poterant eius quod prædicabatur. Dicebat autem & dominus, Beati qui non viderunt & crediderunt, per auditum videlicet etiam sermonis pietatem accipientes. *A nobis dei*. A nobis quidem accepistis, non autē qui noster esset sermo, sed dei. *Non sermonem hominum*. Non tanquam hominum, inquit, sermonem, sed sicut est verè sermo dei. Aut accepistis non tanquam sermonem hominum, sed tanquam sermonem dei, sicut etiam est sermo dei, inquit. Aut accepistis sicut est & decet accipere sermonem dei, hoc est, cum timore, cum attentione. *Qui etiam agit in uobis*. Aut agit in vobis, hoc est, suam ostendit potentiam, fortasis per signa quædā. Aut agit, id est, crescit per vitam vestram.

Pho.

Iohan. 20

E

Oecum.

Vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarū dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: ꝙ eadē passi sitis & vos à propriis contribulibus, quemadmodum & ipsi à Iudæis, qui & dominum Iesum occi-
F derūt & proprios prophetas & nos persecuti sunt, & deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur: qui obsistunt nobis ne loquamur Gentibus quo salui fiant, vt expleant peccata sua semper: peruenit autem in illos ira in finem.

Et ꝙ tanquam dei sermonem, inquit, acceperitis, inde manifestum est quòd pro ipso tanta pati sustinueritis. Quemadmodum enim ex his quæ ipse patiebatur, confirmabat ꝙ diuina quædam prædicaret: ita quoque ex his quæ ipsi passi erant, confirmabant ꝙ tanquam dei sermonem, susciperēt prædicationem. *Ecclesiarum dei quæ sunt in Iudæa in Christo*. Aptè distinxit. Quandoquidem enim Iudæorum quoq; sy-

nagogæ in deo esse videntur, fidelium ecclesias & in deo & A
in filio eius dicit esse: qui autem filium negat, etiam & patrẽ negat. *Quod eadem paßi sitis.* Etiam hi multa sustinuerant à propriis contribulibus aduersa: quemadmodum credentes ex circuncisione ab his qui in Iudaismo remanserant. *Qui & dominum occiderunt.* Et quid, inquit, admirandum, si proprios contribules Iudæi affligant, quando ipsum quoq; dominum crucifixerunt? Siquidem magnũ aduersus afflictiones solatium sunt ea quæ passus est Christus: ideo quoque semper meminit ipsorum. *Et prophetas.* Fortassis, inquit, dicet aliquis quod dominum ignorantes oeciderunt: sed num ipsos prophetas in quorum libris versabantur ignorabant? attamen ipsos quoque occiderunt. *Et nos persequuti sunt.* B
Et nos, inquit, expulerunt. Oportet igitur aduersitates ferre viriliter intuentes ad eos qui passi sunt. *Et deo non placent.* Quomodo enim illi placerent qui ab ipsis occisus est? *Et omnibus hominibus aduersantur.* Nam si orbi manifestari prædicationem dei, est vt saluus fiat, ipsi verò prohibent loqui, & omnium salutem impediunt, sanè communes sunt orbis inimici hostili more se habentes ad omnium salutem.
*Vt expleant.* Hæc autẽ & olim in prophetis & nunc in Christo & in nobis fecerunt, vt semper explerentur peccata ipsorum. Nam quia semper hæc faciebant, semper explebant peccata sua. Pho.
*Peccata sua.* Vide exaggeratam Iudæorum accusationem, & dignum illis homicidium. Ait enim quòd omnia quæ Iudæi faciebant, proposito peccandi faciebant, id est, sciebant se peccare & peccabant. Nam vt explerent, inquit, peccata sua, hoc est, tanquam debitores essent ad peccandum, ita peccabant. Esto enim quòd dominum ignorantes occiderint, at prophetas quam ob caussam, de quibus sese iactant? Nos quamobrem persequuntur? Quare & vos affligunt? cur Gentes impediunt ne saluæ fiant? Si bonum est Gentes ad Christi fidem accedere, quare non accurrunt & ipsi? Quinetiam accurrentes prohibere conãtur? Quòd si nõ esse bonum iudicant, cur inuident accedentibus? Quare etiã Gentes ipsis curæ sunt? Vides quomodo voluntariè peccẽt, & omnia faciant vt continuè expleãt peccata sua, hoc est, vt nunquam desistant à peccando? Propterea quoque ait, *Peruenit in illos ira in finem.* Semper enim quum peccarent, se-

Oecum. C

D quebatur eos ira, verùm cunctabatur dans locum pœnitentiæ, nunc autem comprehendit ipsos. P*eruenit autem in illos ira.* Nouit ꝙ multos habere aduersitatum socios, non tantùm adfert solatij, quantùm vltionem sumi de inimicis. ἡ ὀργὴ, ipsa, inquit, ira: Articuli additio ostendit ipsam iram quæ iam olim ipsis debebatur. I*n finem.* Non amplius ita vt quandoque sit seruitus & rursum libertas, captiuitas & rursum regressio, & ira dei ac iterum liberatio: sed in finẽ, inquit, durabit ira dei super ipsos, hoc est, vsque ad finem, vt iam non sit solutio malorum.

CAPVT II.

*Quòd ipsos desyderaret, & in eis gauderet ac solicitus esset ut perficerentur.*

E CAeterùm nos fratres orbati vobis ad tempus horæ, aspectu non corde, vehementiùs studuimus videre faciem vestram cum multo desyderio. Quapropter voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus & semel & iterũ, & obstitit nobis Satanas. Nam quæ est nostra spes aut gaudium aut corona gloriationis, an non & vos in conspectu domini Iesu Christi in eius aduẽtu? Vos enim estis gloria no

Cap.3. stra & gaudium. Proinde cùm non ampliùs ferremus, visum est nobis vt Athenis desyderemus

F soli.

Superiùs dixit ꝙ tanquam pater cum filiis conuersatus sit, nunc tanquam filius patres quærebat. Nam hoc est quòd dicit Orbati, hoc est, orphani relicti à vobis. Vides quantus mœror solitudinis? Id autem propter vehementem erat dilectionem. A*d tempus horæ.* Non potest, inquit, dici ꝙ diuturnitas separationis tristitiam intenderit, sed dilectio: nam ad tempus horæ, hoc est, ad breue spatium temporis separati fuimus. A*spectu non corde.* Et neque corde separati fuimus, sed solo aspectu: & tamen adeò contristati fuimus. Vides quanta dilectio? Angebatur ꝙ vel ad horam aspectu separaretur. In corde nostro, inquit, habemus vos. V*ehementiùs studuimus*, quàm verisimile sit eos qui ad horam dere-

licti

lićti sunt. Intuere sanè amorem. Propter nihil aliud, ait, acce- A
dere volo quàm vt videam vos. *Quapropter uoluimus uenire.*
Aspice ipsum de amore propemodũ gloriãtem. Omnes, inquit, qui mecum erant venire festinabant, ego verò semel atque iterum tentaui. *Et obstitit nobis Satanas.* Promptum, inquit, animum cohibebant superuenientes afflictiones: has autẽ cõmunis hostis mouere solet, vt prohiberet profectionẽ ad ipsos. Quid ais? Obstitit Satanas? Profectò, inquit: neq; enim dei opus erat vt in tentationes & afflictiones inciderẽ, quo etiam prohiberer ad vos proficisci: Nã hoc dicit Satanæ obstaculũ. Ad romanos quidẽ dicit, Deus me prohibuit: ad Corinthios verò, Spiritus operatio fuit ne venirẽ: hìc autẽ quoniam in afflictiones incidẽs præpeditus est, Satanę dicit B
illud esse opus diuina factum permissione. *Nam quæ est no-* Rom. 1.
*stra spes.* Quanti amoris sunt hęc verba. Matres cõtinuò hęc 15.
erga sua pignora loquũtur. *Corona gloriationis.* Satis erat di- 2. Cor. 1.
cere Corona, vt ostẽderet vehementiã ac gloriationem quã erga eos gerebat: at ob maiorũ demõstrationẽ addidit Gloriationis. Tanquã diceret: In vobis magis quàm in corona glorior. *An non & uos?* Quid ergo, Num Thessalonicẽses sunt tua spes ô beata anima? Non hi soli, inquit, ideo etiam adiunxit, Et, ostẽdens quòd alij quoq; sint. *Vos enim estis gloria nostra.* Quomodo nanque putas ipsum affectũ fuisse, qui tantam fidelium ecclesiam à se plantatam adduceret ad Christum. *Visum est nobis.* Elegimus, inquit, ac sustinuimus.

Ac misimus Timotheum fratrem nostrum & mi- C
nistrum ac adiutorem operis nostri in euangelio Christi vt confirmaret vos & cõsolaretur vos de fide vestra: ne quisquam demulceretur ac turbaretur in afflictionibus his. Nam ipsi nostis nos in hũc vsum positos esse. Etenim quum apud vos essemus, prędicebamus vobis fore vt afflictionẽ pateremur, quemadmodum etiam euenit & nostis. Quapropter & ego non amplius ferens, misi ad hoc vt cognoscerem de fide vestra: ne quo pacto tẽtasset vos ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster.

D Huiusmodi est istius sancti ratio docendi, vt quũ per afflictiones ac vim quæ sequitur, nõ posit ad aliquos discipulorum proficisci, alios mittit, & per ipsos medios conuenit illos & cum eis conuersatur. Hoc ad Philippenses facit, hoc ad Corinthios, misso eodem Timotheo, & per ipsum mediũ cum eis conuersatur, eósque alloquitur. *Fratrem nostrum ac ministrum dei.* Hoc ait non tantũ extollens Timotheum, quãtũ ostendens studiũ erga ipsos. Talem, inquit, vobis misi. *Ac adiutorem operis nostri.* Tanquam diceret: A tali opere ipsum abstraximus ob dilectionem erga vos. *Vt confirmaret uos.* Tanquam fluctuantes, eo quòd præceptor in afflictio-

E nibus esset. Verè enim magna sequitur discipulos turbatio, si prçceptor aduersitates patiatur. *Et consolaretur uos:* Nam facta est consolatio, ne in fide concuterentur. *Ne quisquam demulceretur ac turbaretur..* Hoc est, terreretur. Sumpta est metaphora in verbo σαίνεσθαι, à canibus caudam motantibus, id est ne moueretur, aut à prima voluntate ac proposito resiliret. *In afflictionibus his.* Frequentes siquidem erant tunc afflictiones, sicut ipse etiam dicebat: Et obstitit nobis Satanas. Non oportet autem vos turbari, ait, aut offendi ob ea quæ ego patior. Quare? Nam & vos ipsi, inquit, no-

1. Cor. 12 stis quòd positi simus vt affligeremur: hoc est ad hoc electi

2. Cor. 4. sumus, ad hoc conscripti. Alibi quoq; ait: Quapropter pla-

F ceo mihi in necessitatibus in afflictionibus. Rursumq; apostolos dicit morti destinatos. *Nos in hunc usum positos esse.* Etiã de futuris afflictionibus ipsos consolatur: necesse enim erat vt in hunc vsum positi essent quo semper affligerẽtur. *Prædicebamus uobis fore.* Magna discipulis est consolatio ꝙ prædixerit futurum vt affligerentur: postmodum enim nõ

Iohan. 14 turbabantur tanquam ad rem improuisam. Propterea quoque dicebat Christus: Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt quum factum fuerit credatis. *Quemadmodum etiam euenit & nostis.* Testes estis, ait, & vos. Non latuit vos ventura afflictio. *Quapropter & ego non amplius ferens.* Nónne prædixisti eis quòd affligendus esses, & quòd non oporteret eos ex afflictione turbari? quid rursum mittis? Ex multa, inquit, dilectione. Qui enim amant, etiam de his quæ secura sunt suspicantur: Et quia tantæ erant aduersitates vt & Paulus timeret, Animaduerte autem quòd non dixerit, Dubitans de

vobis,ſed ꝙ magni amoris indicium eſt, Non amplius ferens,ait.*Miſi ad hoc ut cognoſcerem*. Hoc loco quærunt nõnulli quam ob cauſam is qui ad tertium vſque cęlum aſcenderat,& arcana audierat verba,dixerit, Ad hoc vt cognoſcerem de fide veſtra.Quid enim, an ignorabat quo pacto affecti erant, is qui Chriſtum habebat in ſeipſo loquentem? Et dicimus quòd non omnia nouerant apoſtoli, ſed quædã etiam ignorabant. Hãc autem ignorantiam in veteris quoque teſtamẽti prophetis poterit quis inuenire.Nam & Eliſſæus ignorans mortem filij Somanitidis dicebat ad Giezi: Et dominus abſcondit à me. Ignorabant verò ob tres potiſſimùm cauſas.Primùm vt faſtum ipſorum prohiberet. Datus eſt mihi,ait,angelus Santan. Secundùm ne homines maiores ipſos exiſtimarent quàm iuxta humanam naturam.Tertiùm vt ſciremus omnes ꝙ quum ſimiliter vt nos,homines eſſent tacti affectibus, ſuis laboribus ac virtute peregerũt quæ operati ſunt,nec ſemper diuina fruebantur inſpiratione, ne putarent eos gratia & non virtute tales eſſe quales erant. *Ne quo pacto tentaſſet uos ille qui tentat*.Non enim ſuſpicati ſumus,ait,vos concuſſos,ſed tentatos ſolũ eſſe.Certè in aduerſitatibus turbari,à diabolo procedit,idque maximè quum alij patiuntur offendiculum eò ꝙ alij affligantur. *Et inanis factus eſſet labor noſter*,Quamobrem? Licèt enim auerſi eſſent,num id tua cauſa factum eſſet? Nõ, inquit, ſed tamen hoc etiam modo timui,propter vim amoris.

A Iohan. 2.Cor.12 4.Reg.4. B NOTA. 2.Cor.12 C

Nuper autẽ quum ad nos veniſſet Timotheus à vobis, & lætè annuntiaſſet nobis fidem ac dilectionem veſtram,quódque habeatis memoriam noſtri bonam ſemper,deſiderantes nos videre,quemadmodum nos quoque vos. Idcirco conſolationẽ accepimus, fratres per vos, ſuper omni afflictione & neceſsitate noſtra,per veſtram fidem.Quoniam nunc viuimus ſi vos ſtatis in domino. Quam enim gratiarum actionem poſſumus deo repẽdere de vobis ſuper omni gaudio quo gaudemus propter vos in conſpectu dei noſtri, nocte ac die ſupra modum orantes, vt videamus faciem veſtram & ſupplea-

D mus ea quæ desunt fidei vestræ.

Vides immodicam ipsius lætitiam. Neque enim simpliciter dixit, ἀπαγγείλαντος, id est, qui annuntiasset: sed εὐαγγελισαμένου, hoc est, qui fausta & prospera annũtiasset. *Quódque haberetis memoriam nostri.* Nam quum firma sit fides, necesse est & memoriam erga nos esse firmam. *Quemadmodum nos quoque uos.* Cum encomio hæc dicuntur. Ita, inquit, amatis quemadmodum etiam amamini. *Iccirco consolationem accepimus.* Itaque, inquit, timebamus ne tentationẽ passi essetis, & dolebamus: postquam autem renuntiauit Timotheus quæ renũtiauit, nõ solùm à dolore quieuimus, verumetiam gaudio impleti sumus. *Super omni afflictione.* O sancta deóque dilecta anima. De vobis, inquit, vestrâ-
E que fide consolationem ac solatium accepimus: ac si diceret: nullus nobis doloris sensus fuit reliquus propter gaudiũ quod de vobis accepimus. *Per uestram fidem.* Hæc enim quum inconcussa permanserit, consolationem in nobis operata est. *Quoniam nunc uiuimus.* Non dixit Animum recepimus, aut Respirauimus à malis, sed quod maius erat, Nunc viuimus, ait, vitam ducens firmitatem fidei illorum, & mortem, dimoueri ab ipsa. *Si uos statis in domino.* In domino autem stant, qui fidem ipsius immobilem custodiunt, ac vitam fidei æqualem præstant. *Quam enim gratiarum actionem.* Et tantum est, inquit, acceptum propter
F vos gaudium, quòd ne inueniamus quidem quomodo dignè gratias agamus. *In conspectu dei nostri.* Meritò in conspectu dei gaudemus, ipse enim nobis gaudij huius caussa est, & ipsius donum est. *Supra modum orantes.* Inhiantes, inquit, ad huiusmodi orationem, & vehementius orantes quàm verisimile sit eum orare qui discipulos videre cupit. *Et suppleamus.* De his qui fide vacillabant dicit Cõfirmare: de illis verò qui fide quidem cõfirmati erant, verùm nonnihil ad doctrinam eis deerat, ait, Supplere, hoc est, explere. *Ea quæ desunt fidei uestræ.* Atqui superius testatus est de eis quòd starent: nam hoc etiam Timotheus, vt dixit, testatus fuerat: quomodo ergo ait, Ea quę desunt fidei vestræ? Et dicimus quòd deerãt eis ad doctrinam ea fortassis quæ de resurrectione erant, aut aliquid huiusmodi. In fide itaque erga Christum firmi erant, non auersi per tentationes & affli-

ctiones. Oportebat autem eos & reliqua discere de dogmate quod apud nos est. A

CAPVT III.

*Precatio ad deum de aduentu suo & cremento ac confirmatione Thessalonicensium usque ad aduentum Christi.*

IPse verò deus & pater noster & dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. Vos autem dominus abundantes & exuberantes faciat mutua inter vos charitate & in omnes quemadmodum & nos in vos, vt confirmat corda vestra, irreprehensibiles in sanctimonia coram deo & patre nostro in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. B

Hoc loco per precationem suas quoque partes tuetur. Nō fuit, inquit, mea negligentia quòd non venerim: nam ipse precor vt veniam. Tanquam diceret: deus obsistat Satanæ, qui vbique nobis impedimento est per suas tētationes: quo recto ad vos itinere veniamus. *Abundantes faciat.* Vide quantam vult esse charitatem, quòd etiam precatur vt abundent & exuberent in charitate. *Mutua inter uos & in omnes.* Hoc enim Christianorum est, vt non tantùm fratres diligant, verumetiā omnes homines, & credentes & incredulos. *Quemadmodum & nos in uos.* Nostra enim dilectio iam adest, vestram verò fieri optamus. *Vt confirmet.* Vt charitas, inquit, confirmet corda vestra. Nam si ipsa exuberet, cōfirmatio efficitur eorū qui ipsam nacti sunt. Corda vestra, ait. Hæc enim nata est vt interiorem quoque hominem confirmet. Siquidem prohibet ne prauę cogitationes ex ipsa egrediātur. Beatus Basilius libro ad Amphilochium, vbi de diuino disserit spiritu, ait Paulum nunc precari spiritum sanctum. Quis enim est, inquit, qui corda ipsorum in charitate confirmare potest coram deo in pręsentia filij? Sanè spiritus. Quis autē alium precatur quàm deum? Vota mea, inquit, siue preces meas domino reddam. Ibi animaduerte. *Irreprehensibiles in sanctimonia.* Sufficiebat quidem dicere, irreprehensibiles, nunc autem addidit etiam in sanctimonia, hoc est, in

C — Oecum. — Psal. 115.

D puritate. Non dicit autem de sola pudicitia, sed & de omni virtute:nam id verè sanctimonia est, ab omni sorde purum esse. *Coram deo.* Aut hoc ait, In sanctimonia corā patre.hęc enim verè sanctimonia est,habere ipsam oculis dei comprobatam. Aut iudicante Christo, quod iudicium fit coram patre. Vbi nanque posset abesse qui omnia replet pater?

CAPV IIII.

*Exhortatio ad temperantiam,iustitiam, fraternum in iudicio amorem, & laborem in proprio opere.*

Cap.4.

QVod superest igitur fratres, rogamus vos &
E adhortamur per dominū Iesum,quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat nos versari & placere deo, vt abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta dederimus vobis per dominū Iesum. Hæc enim est voluntas dei sanctificatio vestra,vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisq; vestrum vas suum possidere cum sanctificatione & honore,non cū affectu concupiscentiæ,sicut & Gẽtes quæ non nouerunt deum:ne quis trāsgrediatur ac fraudet in opere fratrẽ suū: propterea ꝙ vltor sit dominus de omnibus his,quemadmodum etiā antè
F diximus vobis & testati sumus. Non enim vocauit nos deus immunditiæ caussa,sed ad sanctificationẽ. Proinde qui reiicit,nō hominem reiicit, sed deum, qui dedit spiritum suum sanctum in vos.

*Quod superest igitur fratres.* Quod superest,putà vt ad exhortationem accedat. Aut,quod superest,id est,sufficienter est. *Rogamus uos.* Nam ἐρωτῶμεν & παρακαλοῦμεν idem sunt,eiusdémq; potestatis. *Per dominum* Iesum. Vide animi modestiam. Neque ad obsecrationem seipsum fide dignum aut idoneū esse existimabat,sed Christum assumit.Per Christum,ait,vos obsecro. *Quemadmodum accepistis.* Accepistis, non de verbis tantùm est,verumetiam de rebus. Nam ex vi

ræ suæ operibus, discipulis exemplar erat. *Vt abundetis.* Et A
amplius, inquit, aliquid facite quàm acceperitis. Siquidem tanquam paruulis, inquit, non præcepi quæ perfecta erant. Promouentes autem in fide, promouete etiam in conuersatione. *Nostis enim quæ præcepta.* Ipsa illorum memoriæ inscripta relinquit. *Sanctificatio uestra.* Voluntas enim dei, inquit, est pudicitia vestra. In vnaquaque autem epistola pudicitiæ potissimùm magnam habet rationem. Nouit enim tyrannidem affectuum ac operis difficultatem. *Vt abstineatis à scortatione.* Quæ est autē sanctificatio? Vt vos, inquit, abstineatis ab omni scortatione. Multa sunt enim impudicitiæ genera. *Vt sciat unusquisque uestrum.* Itaque exercitij ac disciplinæ est, castum esse. *Suum uas.* Vas dicit corpus. Si ergo ipsum in sanctificatione habuerimus, nos ipsum possidebimus: si verò in scortatione, iam peccatum pos- B
sidebit ipsum. Quidā Suum vas, de vxore interpretati sunt: ego verò arbitror cuiusque corpus ipsum eo vocabulo appellasse. Neque enim legem solis illis ponit qui vxores duxerant, verumetiam innuptis ac viduis. *Non cum affectu concupiscentiæ.* Quisnam autem est affectus concupiscentiæ? Fomites ipsius, quales sunt cibus, diuitiæ, segnities, otiū. Nam hæc sunt affectus cōcupiscentiæ: ac si diceret, potestas ac robur ipsius. *Gentes quæ ignorant deum.* Siquidem Gētes quæ deum ignorant, ne spem quidem habent retributionis: itaq; omnia ad voluptatem faciunt. *Ne quis trāsgrediatur ac fraudet.* Deus, ait, vnicuiq; distribuit vxorem ac terminum posuit, cōmixtionem putà ad eam vnicam. Mixtio igitur ad a- C
liam, transgressio quædam est ac fraudulentia. *In opere:* hoc est in cōmixtione. Hoc enim loco de adulterio loquitur, superius autem de omni scortatione. *Propterea quòd ultor sit.* Primùm obsecrauit, deinde pudefecit, dicens Sicut & Gētes: postmodum à cogitationibus suasit, vocans fraudulentum: deinceps exterret. Non enim sine vltione, inquit, hæc facitis. Vlciscitur enim deus & eū qui fraudatus est & seipsum. Nam seipsum vlciscitur is cui non paretur. *Non enim uocauit nos deus.* Seipsum quoq; vlciscitur deus sumptis pœnis de eo qui in hoc fraudulentus fuit. Iuxta hoc vocati sumus ab ipso puritatis caussa. Qui igitur prēter vocationem agit, quum hic aspernetur, magis afficit iniuria eum qui vocauit,

D quàm eum qui fraudatus est. Hoc autem dixit, ostendens quòd non solùm vbi frater iniuria affectus fuerit, fugere oporteat adulterium, verumetiam si infidelis sit: deus enim iniuria afficitur, qui te purum esse vult, & non auditur. Siquidem teipsum inquinas etiam si non cum fratris, sed cum increduli vxore adulteriũ perpetres, aut cum ancilla, aut aliqua earum quæ publicè prostitutæ sunt. *Qui dedit spiritum.* Ipse, inquit, spiritum sanctũ dedit nobis, & nos illum persequimur impuritate nostra: an non ergo & dantẽ & eum qui datus est iniuria afficimus?

Cæterùm de fraterno amore non necesse habetis vt scribam vobis. Ipsi nanque diuinitus docti estis vt diligatis vos inuicem. Nam & facitis hoc erga cũctos fratres qui sunt in tota Macedonia. Obsecramus autem vos fratres, vt abundetis, & in hoc incumbatis vt quieti sitis, & agatis res proprias ac operemini propriis manibus vestris, sicuti vobis præcepimus, vt vos honestè geratis erga extraneos, & nulla re vobis sit opus.

E

Non loquitur nunc de dilectione erga quemuis, sed de ea quæ est erga fratres. Ex eo autem ꝙ prætermittebat, duo efficit. Ita, inquit, necessarium ac vtile est vos mutuò diligere, vt nihil necesse sit me hoc scribere, quum vos hoc sciatis. In his enim quę admodũ manifesta sunt, ne suadere quidem necesse est. Et quia existimat ac persuasus est ipsos id efficere, eósque qui non pręstant magis ad hoc inducit, † veritus ne quo modo talis sparsa de ipsis fama ac gloria, à vero aberraret. *Diuinitus edocti estis.* O ingens pręconiũ. Deum fecit illis præceptorẽ. Hoc & Propheta dixit, Erunt, inquit, omnes edocti à deo. *Nam & facitis hoc.* Propterea enim non necesse est nobis scribere, quia nõ opus est vt de hoc admoneamini, sed facitis illud. *In tota Macedonia.* Siquidem Tessalonica ciuitas metropolis est Macedoniæ. *Vt abũdetis magis.* Facite quidem, sed tamen inter faciendum abundate & munifici sitis. Obsecramus (pauperes autem erãt, ereptis ipsorum facultatibus, quẽadmodum superius dixit) vt operemini & tribuatis. *Quieti sitis.* In hoc incũbatis. Ad quid?

F

*Fortàßis φοβȣμένȣς. i. ueritos legẽdũ esset in accusatiuo plurali.*

Vt quieti sitis, & agatis res proprias. Quemadmodum si dicas, Ne pudeat vos ꝙ pauperes propter deum facti sitis, sed gloriȩ loco hoc ducatis ꝙ quieti sitis, & res proprias agatis, &c. Aut φιλοτιμεῖσθαι dicit fratrib⁹ beneficia præstare, & humanè suscipere. Deinde si dicāt, At pauperes sumus: verū per hoc quòd quieti sitis ac ꝓprias res agatis, facultas vobis erit ac potestas vt illis quoq; largiter impertiri ac beneficia prȩstare posſitis. Et *agatis res proprias.* Quomodo autem cōtinget vobis qui pauperes estis, vt munifici sitis? Ex eo ait, si quieti sitis, & proprias res agatis. Deinde interpretās, ait, *Operemini propriis manibus, ut uos honestè geratis* Ne præter decorum agatis, inquit, mendicando. Hoc nanque indicat, quanquam honestioribus verbis id expresserit. Nam si nos fideles videntes eos qui sani sunt mendicantes, offendimur: quòd quum operari posſint, otiosi circumeant, quantò magis increduli? quos vocat extraneos, putà à fide. A B

CAPVT V.

*Doctrina de mortis resolutione, ac manifestatione Christi circa mortuos ac uiuentes.*

CAeterùm nolo vos ignorare, fratres, de his qui obdormierunt, ne mœreatis sicut & cȩteri qui spem non habent. Si enim credimus ꝙ Iesus mortuus est & resurrexit: ita & deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo. C

Sunt enim quædam quæ ob ignorantiam mœrorem efficiunt, cognita verò sedant dolorem. *De his qui obdormierūt.* Animaduerte ꝙ non dixerit Morientibus, sed His qui obdormierunt, ostendens etiā esse resurrectionem. *Qui spem non habent.* Spem, nēpe resurrectionis. Talium nanq; proprium est dolere ob eos qui moriūtur. *Si enim credimus.* Si enim, quandoquidem enim. Aut hoc modo: Si enim omnino, ait, credimus & non sunt infatuatȩ animȩ nostræ. *Ita & deus,* putà sicut dominum, ex morte excitabit. Consydera verò sermonis certitudinem. Siquidem de domino, eo quòd iam facta sit eius resurrectio, confidenter dicit, Mortuus est. De nobis verò quum adhuc futura sit resurrectio, ait, Eos qui obdormierunt, ostendens etiam quòd sit resurre-

D ctio. Num qui obdormit, inquit, non addet vt resurgat? *Eos qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo.* Aut per Iesum adducet, quòd filius caussa sit resurrectionis, & vt videamus faciem patris. Aut qui obdormierũt per Iesum, hoc est eos qui in fide Iesu obdormierunt, adducet, ait: putà ante faciem suam, aut ad hoc vt resurgãt. Quid igitur, dicat aliquis, tanquam ad secundam hanc enarrationem, an partialis erit resurrectio, vtpote incredulis non resurgentibus? Non hoc erit, sed omnes quidem resurgent, verùm non omnes adducentur. Nam adduci significat raptum & inductionem vndique in nubibus cum honore ad iudicem. Etenim credentes, & qui hoc nomen in nullo fucatum habent,
E in nubibus obuiam Christo rapientur: increduli verò deorsum expectabunt ipsum venientem, indigni qui occurrant. Quare enim non dixit, Vt pœnas detis tanquam qui nõ confitemini resurrectionem? Aut tanquam id quod in confesso erat, hoc prætermisit: & ait, Vt non cum futuro supplicio etiam de præsentibus lugeatis. Aut quòd de resurrectione quidem non diffidebant (& hoc indicat quòd ipsi de temporibus ambigebant, quod inferius ait) sed solùm grauiter angebantur ob eos qui morerentur.

Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, ꝙ nos qui viuimus, qui relinquimur in aduẽtum domini, nequaq̃ preueniemus eos qui obdormierũt. Quo-
F niam ipse dominus in iussu & in voce archãgeli, ac in tuba dei descendet de cęlo, & mortui in Christo resurgẽt primùm; deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum domini in aera: & sic semper cũ domino erimus. Proinde cõsolemini vos mutuò in verbis his.

Magnum dicturus erat mysterium, & propterea vt fides adhiberetur, obseruauit. Non noster, inquit, sermo est, sed domini. *In uerbo domini.* Fortaßis etiam hoc vnum erat
1.Cor.12. arcanorum: non autem omnia eloqui licitum erat, sed bene istud. *Quòd nos.* Non de seipso hoc dicit, neque enim vsque ad id tempus corporaliter victurus erat, sed suam personam verbi caussa profert. *Qui uiuimus.* Viuere dicit ani-

mas, dormire verò corpora. Nequaquam igitur anteuertẽt animæ, ſed primùm excitabuntur corpora, vt animæ illa reſumant: quas etiam relinqui dicit propter immortalitatem. Niſi enim de animabus loquutus eſſet, nequaquam dixiſſet, Nos qui viuimus qui relinquimur, quum etiam moriturus eſſet. Ait ergo, Nos animæ viuẽtes nequaquam corpora anteuertemus in reſurrectione, ſed vnà cum ipſis reſurrectione fruemur. Ita habet diuus Methodius libro de reſurrectione. *Qui relinquimur.* Siquidem qui tunc viui reperientur, in puncto temporis, in momento oculi immutabuntur, quemadmodum in priore ad Corinthios epiſtola dicit. *Nequaquam præueniemus.* Nam φθάσωμεν ſumitur loco compoſiti προφθάσωμεν, id eſt, anteuertemus. Quoniã enim prõptius videbatur, vt ij qui ad id tempus vitam produxiſſent, in momento oculi immutati raperentur, quàm hi qui iam in cineres eſſent redacti, dicit quòd viuẽtes nequaquã præuenient eos mortuos, tanta erit potentia reſuſcitantis, *Quoniam ipſe dominus.* Cauſſam dicit cur non ſint præuenturi eos qui prius mortui erant. *In iuſſu.* Simul vt ipſe iuſſerit, & archangelus vocem emiſerit, ac tubæ ſonuerint, deſcendet. Iubet quidem dominus, & voce edit archangelus iuſſum dominicum, ſonúmque emittunt cæteri ordines cæleſtes, quos figuratiuè tubas appellat, queãdmodum etiam ſonum edere dicit: ſed dominus quidem, veluti diximus, iubet, archangelus verò dominicum iuſſum nuntiat ſibi ſubditis: porrò hi adminiſtrant ipſum, & vſque ad mundi terminos intonãt: Et mortui quotquot ſunt ex vniuerſo orbe, reſurgunt ac cõgregantur. Animaduerte autem quàm ſcitè ac ſubtiliter deſcribat mortuorum reſurrectionem, quo auditorum mentibus magis imprimatur. *In uoce archangeli.* Vocem dicit archãgeli qua ad cõgregandum ſubiectis pręcipiat angelis, vt omnes paratos reddant, tanquam aduenie̾te iudice. Siquidem vt, quos accepit, terra reddat in immortalitatem commutatos, id Chriſti præceptum efficit: vt autem qui ad poſtrema vſque mundi loca diſperſi ſunt, in vnũ congregentur, angeli perficiunt iubente hoc archangelo. *Ac in tuba dei.* Harum ſanè tubarum typus erant quæ fuerunt in monte Sina. Etenim tanquam appropinquante rege meritò tubæ reſonant. Tubas autem vocat angelicas pote-

A
1. Cor. 15.
B
Pho.
C

D ſtates, ꝙ quemadmodum tuba nihil quod ſuum eſt intonat, ſed quodcunque artifex inſufflauerit: ita & dei tubæ nihil proprium ſonare præſumunt, ſed quicquid communis dominus ac conditor per archangelum eis præceperit. *Et mortui in Christo.* Qui in Christo ſunt, id eſt, fideles primò reſurgent, cæteri verò poſtremi tanquam non rapiendi neque obuiam venturi. *Deinde nos qui viuimus.* Poſtmodū, inquit, quotquot inter viuentes digni fuerimus ſimul cum his qui antea mortui fuerant rapiemur. Ne igitur exiſtimetis mortuos difficiliùs reſurrecturos, ſimul enim erit omnium raptus. *In nubibus.* In dei vehiculo. Siquidē Chriſtum quoque nubes aſſumpſit. Verùm ſi venturus eſt, in quem finem rapientur fideles? Vt occurrant: eſt autē hoc honoris. Quē-

*Pſal. 96. Act. 1.*

E admodum enim dum rex ciuitatem aliquam ingreditur, alij quidem parati occurrunt, alij verò damnati iudicem intus expectant: Ita & tunc iuſti rapientur: peccatores verò, quāquam fideles fuerint, expectabunt. *In aera.* Per nubes nāque in aerem peruenient, hoc eſt, ſublimes. *Semper cum domino erimus.* Deinde addit & fœlicitatis coronidem, nempe ſemper eſſe cum Chriſto. Animaduertes autem ꝙ reſurrectionem deſcribens nullam fecit apertè mentionem eorum qui ad ſupplicium & vltionem reſurgunt. Id autem ob tres, vt opinor, cauſas facit. Primùm quidem ꝙ vt Theſſalonicēſes conſoletur, reſurrectionis meminit: Nolo enim vos ignorare, ait, de his qui obdormierunt, ne mœreatis. Non ergo eum qui conſolationem erat allaturus, triſtia permiſcere oportuit. Qualis enim fuiſſet cōſolatio, ſupplicium & vltio perpetua, tenebræ, vermes & ignis? Itaque ſi ita ſcripſiſſet,

*Pho.*

F mœrorem potius intēdiſſet, & nulla ex parte animabus eorum conſolationem attuliſſet. Secundò autem, quia fidelibus reſurrectionem exponebat. Meritò ergo eorū non meminit qui ſunt in ſupplicium abducendi. Fideles nanque qui iuxta dominica conuerſantur præcepta, nullius pœnæ capiunt experientiam, ſed in perpetuo gaudio ac lætitia degent. Nulla itaque neceſsitas erat alienorum malorum facere mentionem, & inducere afflictionem in parata credentibus gloria & delitiis ac beatitudine, ei potiſsimùm, qui tūc fidelibus ſcriberet. Tertiò verò quia ipſum reſurrectionis myſterium, & propter quid facta ſit, pariter nunc expo-

nit. Etenim resurrectionem fecit deus ad salutem omnium hominum & immortalitatem ac inenarrabilem gloriam & gaudium, æternorúmque fruitionem bonorum. Siquidem supplicium diabolo & angelis eius, quemadmodum dicit etiam in euangelio, præparauit. Quòd si quidam suis nequitiis, pro præparatis sibi bonis ea quæ diabolo sunt præparata eligũt, id non fit iuxta dominicam benignitatem ac prouidentiam. Idcirco diuus Paulus ipsam resurrectionis naturam referens, & propter quid ipsam deus producat, meritò eorum non meminit qui in supplicium abducuntur: neque enim fit propter supplicium, sed propter mercedis retributionem. *Proinde consolemini uos mutuò.* Ne mœreatis sicut & cæteri qui spem non habent.

A

Mat. 25.

B

CAPVT VI.

*Quòd repentè uenturus sit Christus: oportet itaque studiosè paratum esse fide, spe, charitate, honore, pace, longanimitate, discendi amore.*

Cap. 5.

Porrò de temporibus & articulis tẽporum fratres, non est opus vt vobis scribã. Ipsi enim planè scitis, ꝙ dies ille domini vt fur in nocte ita venturus sit. Quum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.

*Non est uobis opus.* Tanquam nullam adferret vtilitatem. Fortasse autem id nouerat Paulus, inter arcana id etiam cognitum habens. *Quòd dies ille domini.* Hoc & de communi consummatione dictum est & de propria cuiusque. *Vt fur.* Quare vt fur? Quia per hoc designat ꝙ occultus sit ac repẽtinus. Et dicimus ꝙ hoc multis modis vtile sit. Primùm quidem. Nam si quis postremum sciret diem, nulla illi virtutis cura esset, sed innumera perpetrando mala extremo spiritu ad baptismum accederet. Secundò, quia multa peccata metu mortis amputantur: ꝙ si manifestum esset alicui se ad certũ tempus non moriturum, omnia intrepidè cõmitteret. Tertiò, quia si sciret quisquam ꝙ omnino tali tempore moriturus esset, in continua viueret animi tristitia: nunc autem ob incertitudinẽ, continuè in bona spe nutrimur. Quartò, quia

C

Nota.

D neq; ob id ſancti præmium haberent ꝙ ſemetipſos in incerta præcipitẽt pericula. Si enim manifeſtum eſſet ꝙ poſt tres annos conſummatio ventura eſſet, nec alio modo poſſet, omnes ſanè pericula deſpicerent, ſcientes ꝙ ab illis nihil nocumenti eſſent accepturi: id autem quæ virtus eſſet? Et hæc dicta ſint eo ꝙ vniuſcuiuſque etiam finis clàm venturus ſit. Dictum eſt enim ꝙ ſententia illa, Dies ille domini vt fur in nocte ita venturus eſt, & communi conſummationi aptatur & propriæ cuiuſque. *Quum enim dixerint, Pax & tuta omnia.* Hoc etiam ad ipſorũ dixit cõſummationem. Neq; enim ob id, inquit, quòd in proſperitate degãt qui vobis moleſti ſunt, exiſtiment non vẽturum eſſe finem: omnino enim veniet. *Tunc repentinus eis.* Ne conſolatione omnino careat

E ſupplicium nocentium & fraudulentorum: & præterea ne præcognito fine planè crudeliter & inhumanè imbecillioribus inſultando qui potentiores ſunt, ad blaſphemiam ac deſperationem compellant. Et quomodo ait repentinum imminere interitum, quum Elias antea venturus ſit & Antichriſtus? Dicimus ꝙ hæc ſigna quidem finis erunt, aduentus autem Chriſti non ita, nam hic repẽtinus erit: ipſe enim

Rom.2. reddet vnicuique iuxta opera ſua. Et rectè exemplum poſuit mulieris prægnãtis. Etenim hæc quoque ſigna quidem partus habet multa, ipſius autem horæ aut diei non ita. Alio verò modo etiam ad doloris terrorem hanc in medium ad-

Mat.24. duxit. Chriſtus autem & deus meus de conſummatione fa-

Luc.17. ciens mentionem, exemplo Lot & Noe vſus eſt. Hæc de cõ-

F muni conſummatione, Nam de propria cuiuſq;, nemini dubium quin hoc modo futura ſit. *Nec effugient.* Laborem ac interitum, qui pacem ac tuta omnia eſſe dicebant. Loquitur autem de peccatoribus.

At vos fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies ille tãquam fur opprimat. Omnes vos filii lucis eſtis, ac filii diei: Non ſumus noctis neque tenebrarum. Proinde ne dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilantes & attẽti ſimus. Nã qui dormiũt, nocte dormiũt: & qui inebriãtur, noctu ebrii ſunt: at nos qui ſumus diei, vigilantes & attenti ſimus, induti thoracem fi-

dei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. A

*Non eſtis in tenebris.* In vita peccatis obtenebrata vt vos dies ille tãquam fur opprimat. Quid ergo? an non ipſis quoque incertus imminet? Vtiq;: verùm nõ eſt dictũ, Tanquam fur, propter hoc ꝙ incertus immineat, ſed ꝙ nõ per inſidias dies ille nobis veñturus ſit, neq; ad malum ac damnum, quẽadmodum fur: nam hic ob malum accedit ad quos accedit. *Filij lucis eſtis.* Quemadmodum enim filij gehennæ dicuntur qui opera digna gehenna faciunt, & filij inobedientiæ, non obtemperantes: ita quoq; filij lucis ac diei, qui iuſta ac illuminata faciunt opera. Non ſumus noctis, hoc eſt, peccati filij. *Ne dormiamus.* Hoc eſt, ne in bonis operibus ſegnes efficiamur. *Et attenti ſimus.* Intenſio vigilantiæ eſt attentũ eſſe. Contingit enim vigilare & nihil à dormiente differre. B Eſt ergo acſi diceret, Attentè bona operemur, & propriam vitam diſpenſemus. *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt.* Dormire dicit eos qui non laborant ad bonorũ operationẽ, id eſt, peccatores. Quia igĩ conſequens eſt vt qui dormiũt, nocte dormiant, vos dormire non oportet qui diei filij eſtis & non noctis: acſi diceret, Peccatores in caligine peccati degunt, qui verò iuſta opera agere elegerunt, non oportet dormire ſiue ab opere virtutis ceſſare: quandoquidem non per noctem peccati ſunt cæteris præſtantiores, ſed per lucẽ virtutis ac iuſtæ actionis. *Et qui inebriantur, nocte ebrij ſunt.* Ebrietatem hic dicit, nõ eam ſolùm quæ ex vino oritur, ſed ex peccatis productam caliginem ac obtenebrationem. *At nos qui ſumus diei.* Putà filij. *Induti thoracem.* Superiùs dixit opus eſſe vigilare & attentos eſſe, nunc addit ꝙ præter hæc etiam armatos eſſe oporteat, quandoquidem ſi diabolus exarmatos inuenerit, impetet ac offendet, etiamſi maximè vigilemus & attenti ſimus. Thoracem verò dicit fidei ac charitatis propter ſoliditatem ac indiuiſibilitatem ipſorum: talem enim oportet eſſe fidem ac charitatem. Ad eum autem qui has habet, acceſſum habere nequeunt diaboli tela. *Spem ſalutis.* Etenim ſpes ſalutis, loco galeæ maximè neceſſaria inter ea quæ in nobis ſunt non ſinit mentẽ ad malum impelli. Siquidem galea tutiſsimè ſeruat caput. Alibi quoque fidem, ſpem & charitatem cæteris præponit virtutibus, & nunc has habere iubet.

C

D Quoniam non constituit nos deus ad iram, sed ad consequutionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus siue dormiamus, semper cum illo viuamus. Quapropter adhortemini vos mutuò, & ędificetis singuli singulos sicut & facitis. Rogamus autem vos fratres, vt agnoscatis eos qui laborant inter vos, & qui præsunt vobis in domino, ac admonent vos, & existimate illos vehementer supra modum esse in charitate, propter opus illorum Pacem habete in vobisipsis.

E Hæc, inquit, habenda sunt nobis arma. Quandoquidem neque deus constituit, neque designauit, neque propterea fecit nos vt iram suam exciperemus, sed vt saluos faceret nos. Quoniam igitur dei voluntas est vt nos salui simus, ipse etiam adiuuat nos ad horum armorum acquisitionem. *Sed ad consequutionem salutis.* Sed sibiipsi acquisiuit nos, & veluti ad possidendum nactus est dato pro nobis pretio, nẽpe inter ea quæ habebat, re pretiosissima: sanguinem enim vnigeniti dedit. Quum igitur habeamus, inquit, argumentum dilectionis dei, fidem habeamus quę ad ipsum est: spem quæ ad ipsum est & ad proximum: spem etiam bonam quòd saluos faciet, quos ad possidendum acquisiuit. *Vt siue vigilemus.* In hunc autem finem pro nobis mortuus est Christus, inquit, vt siue vigilemus, id est, viuamus, siue dormiamus, id est, moriamur (nam alio modo accipit hìc dormire, quàm in superioribus) semper cum illo viuamus. Qui enim dicta arma possident, simul cum Christo viuent ac regnabunt. *Quapropter adhortemini vos mutuò.* Siquidem quia nõ possunt præceptores singulos admonere, committit ipsis, vt se mutuò exhortentur & doceant. *Rogamus autem vos.* siue exhortamur. *Vt agnoscatis eos qui laborant.* Deinde ne existiment ꝙ præceptores ipsorum remouerit ex eo ꝙ ipsis commiserit mutuam gubernationem & adhortationẽ: protinus mentionem fecit præceptorum ipsorum. *Et qui præsunt vobis.* Nam si illos qui apud homines potentes præ-

F

sunt,

sunt, omni dignamur honore, multò magis oportet sacerdotes in honore habere qui apud deum præsunt. Vnde ait. *Qui in domino*, hoc est secundum dominũ siue sub domino præsunt. Et *existimate illos*. Et ducatis illos in charitate vestra debere esse: hoc est ducite ipsos dignos esse qui diligantur: neq; id exiguo modo, sed vehementer supra modum. Magna est autem intensio, in dictione ὑπερεκπερισσοῦ propter geminam compositionem, nempe præpositionum ὑπὲρ & ἐκ. *Propter opus illorum*, quod præstant erga vos. Siquidem hi vobis conferunt baptismum & doctrinam, scientiámque ac mysteriorum participationem. *Pacem habete in uobisipsis*. Vides quòd nouerit inimicitias oriri erga præceptores? Etenim quoniam ea quę praua sunt arguũt, malósque coercẽt, odio habentur quum amari deberent. A B

Obsecro autem vos fratres, monete inordinatos, consolemini pusillanimes, opitulemini infirmis, patientes estote erga omnes. Videte ne quis malũ pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini, tum erga vos inuicem, tum erga omnes.

Hìc ad præceptores sermonem dirigit. Monete, inquit: ne peruicaciter obiurgetis, sed cum mansuetudine admonete. Nam quoniã hi peruersi sunt, obiurgatio ferociores ipsos redderet. Inordinatos autẽ dicit eos qui faciunt præter ordinẽ à deo definitũ. *Consolemini pusillanimes*. Pusillanimis est segnis & languidus, non ferens iniuriam aut afflictionẽ seu persequutionẽ pro Christo. Tales itaq; tanquam eneruatos consolemini. *Opitulemini infirmis*. Affecti sitis, confirmate. Infirmos autẽ siue imbecilles dicit eos qui huiusmodi sunt circa fidem. Neq; enim hos despicere oportet: quemadmodum etiam alibi ait: Eum qui fide infirmus est, assumite. *Patientes estote erga omnes*. Nam hoc præceptori maximè quadrat vt longanimis sit, hoc etiam inflexibiles natum est flectere. *Ne quis malum pro malo*. Quòd si malum malo non est rependendum, quidnam patiemur qui etiam pro bonis mala reddimus? *Sed semper quod bonum est sectemini*. Neq; enim satis est, inquit, non reddere malum pro malo, sed oportet bona quoque rependere. Nam hoc est sectari quod bonum est. Quod autem dicit διώκειν, id est sectari siue perse- C Rom. 14.

D qui, magni conatus ad bona peragenda emphasim habet. *Tum erga uos inuicem*. Fratres per hoc designat. Dicendo verò Omnes, etiam infideles complexus est.

Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas dei per Christum Iesum erga vos. Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mali abstinete.

Semper, inquit, gaudete, siue in tentationes siue in mœrores incideritis. Siquidē cordato hęc omnia gaudium seu palmam conciliant. Gaudendum autem dicit in omnibus optando semper aliquid egregiū præstare. *In omnibus gratias agite*.
E Hoc est in his quoque rebus quę contrariæ videtur & præter scopū. Omnia enim ad id quod vtile est facit deus, quanquā nos dispensationē eius ignoremus. *Hæc enim est volūtas dei*. vt grati sitis erga eū qui semper beneficia præstat. *Per Christum Iesum*. Nam ἐν, id est, in, capitur pro διὰ, id est, per. Ipse nanq; hāc dedit sapientiā, *Spiritum ne extinguatis*. Quoniam enim præsens vita in tenebris peragitur, dedit nobis deus lucernam sancti spiritus quę mētem nostrā illuminet. hāc igitur spiritus gratiam ne extinguatis ait, queadmodū
Matt. 25. fecerunt quinque virgines. Extinguit autem illam redditq; inefficacē impura vita & expers benignitatis. Aut hoc mo-
F do. Erant apud ipsos prophetæ ac pseudoprophetæ, sed quis namverus esset, ante rei euentum incertum erat. Quoniam ergo non nouerat falsos, omnes deinceps mixtim conuersabantur. Ait ergo: Spiritum ne extinguatis: hoc est donum ne exprimatis & prohibeatis, auertendo & nō sinēdo loqui: *Prophetias ne aspernemini*. Dictum est enim quòd occasione pseudoprophetarum, etiam veros contēnebant. *Omnia probate*. Quid igitur faciemus propter pseudoprophetas? Quid? omnia probate, & quòd bonum est, hoc est, veros prophetas tenete, & in pretio habetote. *Ab omni specie mali abstinete*. Potest quidem iuxta consequentiam ad pseudoprophetas etiam hoc aptari, potest autem & ad peccata.

## CAPVT VII.

*Precatio de sanctificatione spiritus & animæ & corporis.*

IPse autem deus pacis sanctificet vos totos:& integer vester spiritus & anima & corpus, modo irreprehensibili, in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocauit vos qui idem efficiet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes cum osculo sancto. Adiuro vos per dominũ vt legatur hęc epistola omnibus sanctis fratribus. Gratia domini nostri Iesu Christi sit uobiscum, Amen. A

Post admonitionem precatur eis, vt ex omni parte securitatem habeant. *Totos.* Hoc est integros & per omnia. *Spiritus & anima.* Spiritum dicit ipsum spiritum sanctum siue gratiam quæ ab eo est, quem ipsis seruari precatur. Nam si splendeat in nobis & permaneat apud nos, salui erimus: nisi enim illum prauis actionibus extinxerimus, iuxta priorem suprapositam enarrationem quam prius scripsimus, seruatur nobis & custoditur, lucidas accedens nostras lampades. Quòd autem ait, Modo irreprehensibili, potest quidem & ad spiritum aptari, vt illum inculpatũ & immaculatũ seruemus. Potest auté maximè ad animam & corpus referri: si enim spiritus à nobis seruetur, hæc erunt irreprehensibilia. *Fidelis est qui uocauit uos.* Vide animi modestiam, Quoniam pro eis orauerat, ait: Ne existimetis quòd meis precibus saluemini, sed ex eius bonitate qui vocauit vos. Nã si ad salutẽ vocauit, & fidelis est, id est, verax, omnino faciet iuxta volũtatem suam & saluabit. *Qui idem efficiet:* ad quod videlicet vocauit, ad salutẽ autẽ vocauit. *Fratres orate pro nobis.* Vide animi humilitatem, si Paulus horum egebat oratione. *Salutate fratres.* Nã quoniam ipse quum absens esset non poterat ore ac præsenti salutare osculo, per alios vult ipsos salutare. *Cum sancto osculo.* Contingit enim & dolosum esse osculum, quale fuit ipsius Iudæ. *Adiuro uos.* Propterea adiurat, vt si etiam ipsum despiciant, saltem propter iuramentum faciant, quod dictum est. *Vt legatur hæc epistola.* Hoc amoris magis est quàm doctrinæ gratia: vt cum illis etiam possim ita miscere sermones. *Gratia domini nostri Iesu Christi.* Vbi autem Christi gratia est, bona omnia comitantur. B C

Scripta est ab Athenis.

D

HAnc ab vrbe Roma scribit. Est autem hoc epistolæ argumentum: Quidam è Thessalonica otiosi ac inordinati circũeundo subuertebãt fratres, quasi iam imminente domini aduentu. Seducebant autem fratres, tanquam hoc Apostolus significasset & à spiritu audissent. His igitur auditis Apostolus scribit epistolam. Et primùm quidem fidem eorum veluti augmentatam commendat, & quòd in ipsis gloriaretur, eo quòd afflictiones propter Christũ viriliter ferrent: eósque consolatur, ostendens futuram à deo vltionem aduersus illos qui ipsos iniuria afficiebant. Deinde eos de saluatoris aduentu docens, hortatur ne cuiquam

E credant, neque turbentur, ne propter spiritum quidem, neque si quis dicat ipsum scripsisse: neç omnino existiment illum iam adfore. Non enim prius aderit, inquit, nisi defectio primùm venerit, & post ipsam Antichristus filius perditionis, cuius aduentum cum signis & prodigiis mendacibus futurum secundum operationem satanę significat. Deinde adhortatus ipsos vt stent viriliter ac teneant traditiones quas ab ipso edocti erant, præcipit vt nullam habeant communicationem cum inordinatis, quin potius illos eiiciant: indicat enim curiosè degere eos qui eiusmodi sunt. Et vniuersaliter præcipit vt qui ipsius sermonibus non obtemperauerit, extra cõgregationem abiiciatur. Demúmq, pacem illis

F precatus concludit epistolam, salutatione propria manu scripta, quod signum esse singularum epistolarum significauit.

## THEODORETI

QVoniam in priore epistola scripsit tanquam ad ipsos omnino profecturus esset, & quæ eis deessent impleturus, ac multa quędã dilectionis signa, nec tamen profectus est: ideo hanc addit epistolam loco sui aduentus, Quòd autem ad ipsos non sit profectus hinc coniici potest, Quum in priore epistola de temporibus aduentus domini scribere distulisset, tanquam de re quæ nihil ipsis adferret vtilitatis, nunc de hoc scribit: non id facturus si ipse profectus fuisset ad eos. Ob hanc autem caussam scribit de temporibus. Seductores quidam dicebant iam adsi-

ſe aduentum domini: quòd ſi id verum eſſet, Chriſtus A
mendax inueniretur. Nam ipſe in euangeliis ſigna ſui dedit aduentus quæ nondum contigerant. Cogitur itaque & ipſe diſſerere de ſignis quæ ante aduentum contingent, & de Antichriſti aduentu, per omnia declarans vera eſſe domini vaticinia.

# POSTERIOR AD THESSALONICENSES epiſtola.

B



PAulus & Siluanus ac Timotheus ecclesiæ Theſſalonicenſium in deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto: gratia vobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Cap. 1.

Ita quoq; in priore epiſtola ſumpſit exordium, & animaduerte que ibi annotata ſunt. *In deo patre noſtro.* Contingit enim eſſe eccleſiam non in patre & filio veluti ſunt Græcorum eccleſiæ ac aliorum multorũ hæreticorum. *Gratia uobis & pax.* Scit enim quòd magna ſit gratia & pax dei, & quòd alleuiationem in afflictionibus o- C
peretur, ideo has continuè exoptat.

## CAPVT I.

*Gratiarum actio de fide Theſſalonicenſium & charitate ac patientia ad illorum honorem & affligentium ultionem: & precatio pro ipſorum perfectione glorioſa ad Chriſti gloriam.*

GRatias agere debemus deo ſemper de vobis fratres vt par eſt, quòd vehementer augeſcat fides veſtra, & exuberet mutua omniũ charitas cuiuſque in alterum: adeò vt noſipſi de vobis gloriemur in eccleſiis dei de tolerantia veſtra & fide, ſu-

D per omnibus persequutionibus & afflictionibus quas sustinetis, documentum iusti iudicii dei, in hoc vt digni habeamini regno dei pro quo etiam patimini.

Duo ipsos docet: & quod afflictiones quæ in ipsos inciderunt non luctum sed gratiarum actionem mereantur, & quod pro his quæ ipsi patiuntur ac sustinent deo sint referendæ gratiæ. Si deo sint agendæ gratiæ pro bonis operibus ab aliis peractis, quid nam illos pati oportet qui erga bene operantes inuidia tanguntur? *Vt par est.* Aut intelliges quòd dicat id iustum esse. Aut subaudiendū est Magnificè, vt sit sensus: Magnificè vt par est ei gratias agere debemus qui magna contulit. *Quod vehementer augescat.* Nam in verbo ὑπεραυξάνει, præpositio ὑπὲρ excellentiæ ac vehementiæ significatiua est. Quomodo autem contingit fidem augeri? Quando tentationibus & afflictionibus quispiam motus non fuerit. *Et exuberet charitas.* Itaque ad ferendas quoque afflictiones plurimùm cōducit mutuò diligere ac coniunctos esse. Nam per hæc significauit quòd omnium mutua charitas æqualis esset, nec vllus in ea plus, aut minus haberet. *De uobis gloriemur in ecclesiis dei.* In priore epistola dixit, Non necesse est vt ecclesiæ à nobis discant quæ apud vos fiunt, nam sciūt ea: quomodo ergo nūc ait, Gloriamur de vobis? Non dixit Docemus, sed Gloriamur. Contingit autem gloriari etiam apud illos qui sciunt. Si ergo egregia facta vestra nobis etiam gloriandi materiam tribuunt, quare vos ob afflictiones quæ egregia præstant opera, mouemini ac lugetis? *De tolerantia uestra.* Ostendit quòd etiam longo tempore afflictiones sustinuerint. Nam hoc significat dictio ὑπομονὴ, id est tolerantia. *Super omnibus persequutionibus uestris.* Tolerantia nanque etiam est sustinere dilationem præmiorum, sed maior & admirabilior est in ferendis afflictionibus. *Documentum iusti iudicij dei.* Documentum dicit exhibitionem & argumentum: hæc enim sustinetis ad demonstrandum iustum dei iudicium, & vt digni habeamini regno cælorum: ac si diceret: Propterea permittit vos deus esse in afflictionibus, vt quū retribuerit vobis regnum cælorum, ostendat, & velut argumentum & demonstrationem ac experimētum exhibeat sui

Pho. E F

iusti iudicij. Animaduerte autem quòd pro Christo pati, ex iusto iudicio tribuat regnum cælorum & non ex gratia. Plurimùm autem ex hoc eorum mentes in sublime euexit, suasitque vt afflictiones contemnerent. *Pro quo & patimini.* Cuius, inquit, iusti iudicij gratia. A Nota.

Siquidem iustum est apud deum reddere his qui vos affligunt afflictionem, & vobis qui affligimini relaxationem nobiscum, quum reuelabitur dominus Iesus de cælo cũ angelis potentiæ suæ, per ignẽ flammæ qui infligit vltionem iis qui non nouerunt deum, & qui nõ obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi: qui pœnam luent interitum æternum à facie domini & à gloria fortitudinis illius, quum venerit vt glorificetur in sanctis suis, & admirãdus fiat in omnibus credentibus. B

Siquidem iustum est. Nam εἴπερ intelligendum est pro ἐπείπερ vel ἐπειδήπερ, id est quãdoquidem aut quoniam, per affirmationem aut confirmationem. Aut iuxta quandam interrogationem, tãquam dixisset: Si certè iustum ducit deus quòd videlicet omnino iustum ducat. Id enim dicere solemus: Si odit deus peccatores, quasi manifestum sit ꝙ oderit. *Relaxationem nobiscum.* Quoniam dixit Relaxationem, ne dicant Quid ergo, donec malorum solutionem inueniamus permanebunt quæ nos circunstant mala, retributio autem nequaquam? adiungit nobiscum, vt socios sumat ipsos & certaminis & coronarum apostolicarum. *Quum reuelabitur dominus.* Reuelationem dicit aduentum. Per hoc autem quòd secundum Christi describit aduentum, plurimùm facit vt expectent & gaudeant de ipso aduẽtu etiam ante præmia. *Cum angelis potentiæ suæ.* Tanquam dixisset: Cum angelis præstantibus potentia ipsius. Vel angelis qui potentes sunt, hoc est cum potentibus angelis eius. *Per ignem flammæ.* Quum reuelabitur dominus Iesus quod fiet per ignem flammæ. Nam de hoc ait etiam Dauid: Ignis corã ipso præcedet & inflammabit per circuitum omnes inimicos eius. Aut per ignem flammæ dicit supplicij genus, designans C Psal. 96. Pho.

D quo pœnas dabunt qui deum non nouerunt, neque obedierunt euangelio Christi. Aut per flammam ignis designãs ipsum dominicum aduẽtum, quod videlicet erit cum igne inflammante: ita enim ante nos quoque interpretati sunt. *His qui non nouerunt deum.* Hic quoque aliud dicit quo probat daturos omnino pœnas eos qui ipsos affligũt. Quoniam enim superius dicit, iis qui vos affligunt, ne animum despõdeant si certè propter ipsos puniturus est deus persequutores ipsorum, ait quòd licèt nõ propter vos, propter seipsum puniet eos: infligit enim supplicium his qui eum non nouerunt, & his qui non obedierũt euangelio ipsius. Quòd si his infligit, multò magis his qui alios etiam prohibẽt obedire,
E quales sunt ij qui nunc vos affligũt, inquit. *Interitum æternum.* Vbi ergo sunt qui aiũt non duratura in æternũ supplicia? *A facie domini.* Non enim ad hoc, inquit, opus est magno quodã labore. Siquidem ex sola Christi persona, id est manifestatione ipsius, hi quidẽ in supplicio, illi verò in honore erunt: qui erit cum gloria fortitudinis illius, tanquam diceret, Simul vt manifestata fuerit ipsius facies, simúlque gloria fortitudinis illius, continuò in supplicium abrepti erunt peccatores. *Quum uenerit ut glorificetur.* Quòd ait, Vt glorificetur, duobus modis intelligitur: & quòd ipsi gloria sit multos esse sanctos quibus traditurus sit bona sua. Quẽadmodum enim ipsius diuitiæ sunt nostra salus, ita & gloria
F ipsius est vt multi in gloria inueniãtur: & quòd à sanctis glorificabitur, qui ipsum intuebuntur sedentem in paterna gloria deum ac iudicẽ vniuersorum. Potest & tertio modo intelligi quòd sancti efficient vt glorificetur ab incorporeis virtutibus intuentibus quanto præmio illos dignabitur. *In omnibus credentibus.* In omnibus, id est, per omnes. Quemadmodum enim sancti ansam dabunt vt glorificetur, ita quoq; vt admirandus fiat, quòd eos qui in præsenti vita adeò viles & abiecti videbantur, vt ab omnibus persequutionem paterentur & occiderentur, tantis ac talibus dignetur bonis.

Quòd fides habita sit testimonio nostro erga vos in die illo: ad quod etiam oramus semper pro vobis, vt vos dignos habeat ista vocatione deus noster, & cõpleat omne bonũ propositum bonitatis,

& opus fidei per potentiam vt glorificetur nomen domini noſtri Ieſu Chriſti per vos, & vos per illũ, iuxta gratiam dei noſtri & domini Ieſu Chriſti. A

Admirandus habebitur deus quòd fides habita ſit noſtro erga vos teſtimonio ac prædicationi. Et quomodo ex eo ꝙ ipſi crediderint prædicationi eorum, admirandus habebitur deus? Quia niſi nos, inquit, audiſſetis, nequaquam tanta bona accepiſſetis: porrò non accipientes ea bona, nequaquam anſam dediſſetis vt glorificaretur, & admirationi haberetur Chriſtus ob ea quibus vos glorificaſſet. I*n die illo*. In eo qui tunc erit die, manifeſtum fiet quòd credideritis: nũc enim multi quoque fidem ſimulant. A*d quod etiam oramus*. In hoc ipſum, inquit, precamur, vt etiam in vobis glorificetur, & admirationi habeatur deus. V*t uos dignos habeat iſta uocatione*. Quid enim, an non erant iam vocati? vtique: omnes nanque vocati ſumus, ſed non omnes ingredimur: idq; manifeſtant quinque virgines, & is qui ſordida habuit veſtimẽta. Vocationem itaque dicit eam quæ etiam ingreſſum haberet adiunctum. Precamur autem, ait, vt compleat deus omne bonum erga vos conſilium. Conſilium verò ac propoſitum dei eſt vt omnes homines ſalui fiant, & æterna aſſequantur bona. Complebit autem & opus fidei in vobis per propriam potentiam. Nam ex hoc illud quoque ſubſequitur. Si enim cõpleat opus fidei vos perficiens, omnino ſuum etiam propoſitum complebit. Animaduerte autem quòd nõ dixerit, fidem, ſed opus fidei. V*t glorificetur nomen domini*. Si enim hæc fiant, inquit, ſicut in ſanctis ſuis glorificabitur deus, quemadmodum ſuperius dixit, ita & in vobis: glorificatur enim, veluti quoque ſuperius diximus, quum talia bona impartit ſeruis ſuis: Ipſis verò etiam gloria erit huiuſmodi bonis donari. Aut hoc modo intellige: Si impleuerit opus fidei veſtræ per potentiam, hoc eſt, per tolerantiam afflictionum, glorificabitur in vobis quòd potentes ad hoc fecerit, & neruos ad hoc tribuerit: & vos in deo, quòd voſipſos dignos exhibueritis diuino amore & auxilio. I*uxta gratiam dei noſtri*. Hæc enim omnia Chriſti gratia eſt. Siquidẽ non ſumus, ait, ad hæc idonei aut digni, ſed gratia eius per nos omnia efficit.

[Margin: B — *Matt. 22. & 25.* — C]

D

CAPVT II.

*De fine qui erit post Antichristum mittẽdum ad Iudæorum redargutionem qui Christo non crediderunt.*

Cap.2. ROgamus autem vos fratres, per aduẽtum domini nostri Iesu Christi, & nostri congregationem in ipsum, ne citò dimoueamini à mente, ne turbemini, neque per spiritum, neque per sermonẽ, neque per epistolam tanquã nobis autoribus, quasi instet dies Christi.

O laus eximia sanctorũ. Ostendit enim quòd & ipsi cum Christo congregabuntur vt etiam ipsi simul cum eo appareant, & vnà cum eo conueniant. *Ne citò.* Quid autem rogamus vos & exhortamur? ne citò, inquit, à mente dimoueamini, hoc est, terreamini ac timeatis ex ignorantia & timore mentis. Sciendum enim quòd corruptores quidem apparuerunt apud ipsos qui dicerent instare diem secundi aduẽtus Christi, & turbabant, ac terrebant eos. At Paulus sanè non dicit interim, quando erit: sed non nunc saltem instare significat, signa dicens aduentus. *Neque per spiritum.* Pseudoprophetæ enim hæc dicebant. Spiritum verò ait, hoc est, charisma & donum: vt enim pseudoprophetas vnà comprehenderet, vniuersaliter dixit, quòd licèt quispiam donũ habens prophetiæ hoc dixerit, ne credatis. Aut spiritum dicit impurum. Nam per spiritum impurum loquebantur pseudoprophetæ. Huic secũdæ interpretationi assensit diuus Iohannes. *Neque per sermonem.* Quodam enim persuasibili sermone suadebant instare diem domini. *Neque per epistolam.* Nam & epistolas tanquam ex Pauli nomine fingebãt, & hoc sanè manifestat.

E

F

Ne quis vos decipiat vllo modo, quoniã nisi venerit primùm defectio & reuelatus fuerit homo ille peccati filius perditionis, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur deus aut numen, adeò vt in templo dei tanquam deus sedeat, ostentans seipsum esse deum.

Quoniã dixit non instare, ipsius deinceps appropinquationis signa dicit, & magnũ reuelat mysterium. *Vllo modo.* Neque per spiritum, inquit, neque per sermonem, neq; per epistolam. *Nisi uenerit defectio.* Defectionem dicit ipsum Antichristum, ꝙ multos separaturus esset à Christo. Aut apostasiam siue defectionem ait ipsam à deo separationem, & rẽ ipsam quæ per nomen significatur. *Et reuelatus fuerit.* Extinguetur enim error qui orbem occupat, cessabítq; idolorum seductio, & tũc reuelabitur iniquus ille. Nam & hoc dixit dominus, Prędicabitur euãgelium in omnes terminos terræ ad testimonium illis, & tunc veniet consummatio. *Homo ille peccati.* Quisnã iste est? vtrúmne Satanas? nequaquam, sed homo aliquis qui vniuersam eius accipiat operationem. Ad imitationem saluatoris venturus est Satanas in toto homine. ALIO MODO. Hominem peccati dicit ipsum Antichristum. Neque enim Satanas erit Antichristus, sed homo obsessus ac directus à Satana. Hominẽ autem peccati ipsum vocat, ꝙ & ipse plurimùm delinquet, & alios ad hoc compellet. Filium verò perditionis eum appellat, eo ꝙ perdat multos & ipse perdetur: Hominem autem quẽpiam Hebræum dicit ipsum, in cuiusuis magiæ ac veneficij sciẽtia prouectum. *Qui est aduersarius & effertur.* Aduersabitur nãq; & extolletur sua superbia non solũ aduersus deum vniuersorum, verumetiam aduersus idola. Neq; enim ad idololatriam ducet homines, sed vt ipsum tãquam deum adorent. Propterea dicit ꝙ efferetur aduersus omnem qui dicitur deus aut numen. *In tẽplo dei.* Non dicit tẽplum quod erat Ierosolymis, sed ecclesias dei. *Ostentans.* Non ait, dicens, sed Ostentans, hoc est, operibus, signis ac miraculis nitens ostendere ꝙ sit deus. Extrinsecus autem subaudiendum est, Nequaquam veniet aduentus domini.

A

Theod.

Mat. 24.

Iohan. 4.

B

Seueria.

C

An non meministis quòd quum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad hoc vt ille reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam peragitur iniquitatis: solùm est qui modo retinet donec è medio tollatur: & tũc patefiet iniquus ille, quem dominus conficiet spi-

D ritu oris sui,& abolebit claritate aduentus sui.

Multa itaque non scripta tradebat mysteria,& non solùm per epistolas: tanquam diceret, Nihil nouum dico: sed quod præsens dicebam. *Et nunc quid detineat scitis.* Detinere dicit quod prohibet vel impedimēto est. Quidnam autem est illud? Multi spiritum sanctum dicunt: alij verò Romanum imperium, qui etiam meliùs sentiunt: nisi enim hoc soluatur, ille non veniet. Nam ob id quoque adeò obtestè loquutus est beatus Paulus nolens importunos ac superfluos accipere inimicos inter Romanos. Si enim audissent ꝙ dissoluendum diceret imperium Romanorum, & ipsum afflixissent & vniuersos credentes, tanquam eos qui expectarent illam dissolutionem: Nam si hìc non apparuerit, non manife-
E stabitur Christus, ergo ex eo ꝙ statim cupiant manifestari Christum, volunt etiam statim fieri dissolutionem principatus Romanorum. Si autē de spiritu sancto intelligeret, quid prohiberet quominus apertè dicere, Gratia spiritus ipsum detinet ne manifestetur? *Et nunc quid detineat scitis.* Ne nūc
Pho. ipse manifestetur, sed in suo tempore, hoc est, quando præfinitum ipsi ac permissum à deo tempus statuatur: nisi enim nunc detineretur, vtique etiam nunc immineret, adeò semper aduersus credentes concitatur, & eorum prauitatem, quum ipse sit prauus, concupiscit, sed detinetur ac prohibe-
Seuer. tur. ALIVD. Detinet ac prohibet iniqui illius aduentum spiritus sanctus. Postquam igitur hic propter hominum peccata de medio fiet & discedet, tunc locum habebit iniquus
F ille vt reueletur & insurgat, nullo prohibente. Dixit autem ꝙ etiam initium accepit mysterium iniquitatis: quandoquidem & Manichæi dixerunt diabolum esse deū legis, & Marcion ait patrem Christi non esse deum legis. Quin & Manes seipsum dicit esse Christum ac paracletum: & ex eo tempore hominum incredulitatem diabolus inducebat. *Nam mysterium iam peragit iniquitatis.* Mysteriū iniquitatis dicit Neronem vt qui sit typus Antichristi. Etenim Nero & peruersus erat & deus dici cupiebat. Mysterium autē vocat ipsum, ꝙ absque pudore faceret Nero quæ Antichristus facturus esset, sed parcè ac tectè, inquit, peragitur, nempe sub Satana: ipse nanq; Satanas per medium Neronem operatur quæ sibi videtur. Ita autem obtectè dixit, non timore cohibitus:

ſed nos inſtruens ne inutiles ac ſuperfluas inimicitias ſuſcipiamus. *Solum eſt qui modo retinet.* Thronus videlicet & regnum Romanorum quod nunc impedimento eſt donec ceſſet, finémque accipiat: tunc reuelabitur iniquus ille, hoc eſt, Antichriſtus: vbi enim imperium Romanorum fuerit diſſolutum, tunc Antichriſtus rebellione irruet, ac obtinere conabitur non hominum ſolùm, verumetiam dei imperiū. Romanorum autem imperium ipſe Antichriſtus perfectè abolebit. Quemadmodum enim Medorum imperium à Babyloniis diſſolutum eſt, & Babyloniorum à Perſis, Perſarū quoque à Macedonibus, & Macedonum à Romanis: ita & Romanorum ab Antichriſto, & Antichriſti à domino noſtro. Hæc autem ait Daniel. Quando ſanè terminus diuini propoſiti appropinquauerit, & qui nunc ipſum retinet finis, cōpletus extiterit: tunc promptè & ſine vlla mora iniquus ille reuelabitur. *Quem dominus conficlet.* Deinde ſequitur cōſolatio. Quem Chriſtus, inquit, delebit. Quemadmodum enim dum adhuc ignis eminus ſeparatur, minuta animalia calore conſumuntur, ita & Antichriſtus ex ipſo Chriſti aduētu & ſpiritu oris eius conſumetur. Spiritum autem oris vocat iuſſum ac præceptum & veluti flatum: aut ſpiritum ſanctum. *Abolebit.* hoc eſt, cohibebit, perdet.

A Nota. Gēnadij. B

Cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ cum omni potentia & ſignis ac prodigiis mēdacii, & cum omni deceptione iniuſtitiæ in iis qui pereunt, pro eo ꝙ dilectionem veritatis non receperunt, in hoc vt ſalui fierent. Et propterea mittet illis deus efficaciam illuſionis, vt credant mēdacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed approbauerunt iniuſtitiam. C

Abolebit, inquit, dominus ſuo aduentu Antichriſtum, cuius Antichriſti aduentus erit ſecundum operationem Satanæ. Nam per medium eius omnia operabitur diabolus. *In omni potentia & ſignis.* Hæc ꝑdixit ne deciperētur qui tunc præſentes eſſent. Omnem, inquit, oſtēdet potentiam. Mendacij autem, vel ꝙ iuxta phantaſiam dūtaxat facturus ſit, & fallet oculos: vel quia ad mēdacium ducunt. Aut in omni re

D quæ fallere poßit ac nocere credentibus. Aut ſicut dictum eſt, ad ſolam phantaſiam & apparentiam facturus eſt ſigna. *In his qui pereunt.* Ne terrearis quum hæc de illo audis: Nã in his qui pereunt potentiam habebit: qui, etiam priuſquam ipſe veniret, non credebant Chriſto. *Pro eo* ꝙ *dilectionem ueritatis non receperunt.* Dilectionem veritatis dicit Chriſtũ, propter dilectionem quam erga nos habuit, &, vt quæ vera ſunt doceret, homo fieri dignatus eſt. Deſignat autem quòd apud Iudæos potẽtiam habebit. Nam hi Chriſtum non ſuſceperunt neque ipſi crediderunt: quod etiam Chriſtus dixit

Iohan.5. eis, Ego veni nomine patris mei, & non excepiſtis me: veniet alius nomine proprio, & ipſum ſuſcipietis. *Et propterea mittet illis deus.* Quòd ait Mittet, nõ ita accipias quaſi deus

E mitteret, ſed permißionẽ quæ eſt à deo ſolet ita vocare Paulus. Efficaciam verò dicit illuſionis, hoc eſt, illuſionem efficacem, & ſeducere potentẽ. Animaduerte autem quàm cautè expreſſus ſit ſermo. Non dixit Vt puniãtur: ſiquidem puniendi erant omnes qui in Chriſtum non crediderunt, quãquam non veniſſet Antichriſtus: nec ipſi credidiſſent, ſed vt iudicentur, id eſt, etiam in hoc condemnentur, & ipſorum ora ad hoc obſtruantur. Quid enim dicere poterunt, cur

Deut.6. Chriſto non crediderint? Quia dictum eſt, inquient, Dominus deus tuus deus vnus eſt: ſed audient primùm ꝙ hoc ſanè triadem apertè prædicat: verùm concedẽdo admittamus quòd præcipiatur vnicum colere principem: quomodo ergo Antichriſto tanquam deo credidiſtis? Vides ꝙ præclu-

F duntur eorum reſponſa? Chriſto quidem non crediderunt ꝙ deus eſſet, Antichriſto verò tanquam deo & credent & ipſum adorabunt: idq; manifeſtè dicẽti, Ego ſum deus. Quid ampliùs dicent, ꝙ ſigna faciat? Sed plura ac maiora fecit Chriſtus. An dicent ꝙ à ſcripturis ferebatur de illo teſtimonium? Atqui de Chriſto ſanè tanquam de ſaluatore datum eſt teſtimonium: de Antichriſto verò tãquam de corruptore. Quid autem adferet omnino nocumenti fidelibus aduẽtus ipſius? imò ipſis occaſio etiam præmiorum erit, illos verò decipiet qui etiam abſque eo à ſeipſis condemnati erant: ait enim quòd in iis ſolis qui pereunt, vires habet. *Sed approbauerunt iniuſtitiam.* Multi enim quærunt quam ob cauſſam venturus ſit Antichriſtus. Ad quid enim, aiũt, vtilis eſt

aduentus ipsius? Et dicimus quod vt ij qui probati sunt manifesti fiãt. Quod si hunc non suscipias sermonem, accipe apostolum caussam ferè dicentem: Vt iudicentur, inquit, omnes qui non crediderunt veritati: Quoniã enim Iudæi qui Christo non crediderunt poterant velamentum obtendere ac dicere: Propterea non credidimus Christum esse deum quòd scriptum sit, Vnus deus ex quo omnia &, Dominum deum tuum adorabis & illum solum coles. Vt ergo neq; hæc prætendant, Antichristus ipsorum obturabit ora. Quomodo? Quoniam certè Christo non crediderunt quòd deus esset, idque quum palàm diceret Christus, Ego sum deus. Antichristo verò tanquam deo crediderunt & cum adorauerũt. Quid iam dicent? quòd signa faciebat? sed & plura & maiora faciebat Christus: an dicent quòd à scripturis ferebatur de ipso testimonium? Atqui de Christo quidem vt de saluatore, de Antichristo verò tanquam de corruptore. Denique etiam lege annotationem superiùs positam. Approbarunt autem, hoc est, vnà operati sunt & vnà ministrarunt iniustitiæ, hoc est, Antichristo.

1.Cor.11. A Deut.6. & 10. 1.Cor. 8. B

## CAPVT III.

*Gratiarum actio de uocatione.*

NOs autem debemus gratias agere deo semper de vobis fratres dilecti à domino, quod elegerit vos deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus ac fidem veritatis: ad quod vocauit vos per euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ domini nostri Iesu Christi. Itaq; fratres state, & tenete institutiones quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram. Ipse verò dominus noster Iesus Christus & deus ac pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam, consoletur corda vestra & stabiliat vos in sermone & opere bono.

C

Et hæc quidem, ait, suo fient tẽpore: *Nos autem debemus deo gratias agere quòd elegerit uos*: quòd vos delegerit. Ele-

D git quidem vt saluos faceret, elegit autem per sanctificationem spiritus, hoc est, per hoc quod nos sancto suo spiritu sanctificauit. *Ac per fidem ueritatis*. hoc est, per fidem veram. nam quum solam hanc contulissemus, ipse per spiritum sanctificauit. Propterea autem primùm dixit Sanctificationem spiritus, significans quod ne credidissemus quidem, nisi gratia spiritus sanctificasset. *Ad quod uocauit nos*. Ad quem spiritum vel ad quam sanctificationem vocauit vos deus per euangelium: nam per illud vocati Christo credimus: à spiritu verò sanctificamur. *In acquisitionem gloriæ*. Propter hoc autem vocauit nos deus ad sanctificationem spiritualem, vt gloriam acquirat filio suo. Christo enim ad gloriã est, quod multi per fidem ipsius salui fiant, quẽadmodum etiam superiùs
Sup.1. E dixit, Vt glorificetur in sanctis suis. Animaduerte autẽ quãto in honore habeatur homo, quòd Christus suam gloriam esse ducat nostram salutem. *Itaque fratres, state*. Ne deiiciamini, ait, afflictionibus. *Siue per sermonem*. Nam & sine scri-
Nota. ptura & per scripturam nonnulla tradebant apostoli: & vtraque digna erant quæ obseruarentur. Itaq; ecclesiæ traditio etiam citra scripturam obseruanda est. *Ipse uerò dominus noster*. Rursum post exhortationem precatione confirmat ea quæ admonuit. *Et deus & pater noster*. Vbi sunt qui dicunt ob id maiorem esse patrem quòd primus nominetur? *Consolationem æternam*. Quæ est autem æterna consolatio? Spes futurorum bonorum, quam propterea etiam dicit bonam. *Per gratiam*. Hanc verò spem per suam gratiam dedit deus,
F non ob nostra bona opera. *Consoletur corda uestra*. Nam illa Christianis vera consolatio est, vt ante spem futurorum stabiles ac firmi sint in omni opere & sermone bono. Quid enim huic consolationi par est, quàm vt nobis conscij simus quod ex vita & conuersatione nostra Christo placeamus? *In omni sermone*. Per opus quidem actiones significat, per sermonem verò recta dogmata.

CAPVT IIII.

*Vt pro ipso precentur, & pro opere euangelij.*

Cap.3. QVod superest orate pro nobis vt sermo domini currat & glorificetur, sicut & apud vos: & vt eripiamur ab absurdis ac peruersis hominibus.

bus. Non enim omnium eſt fides, ſed fidelis eſt dominus, qui ſtabiliet vos & cuſtodiet à malo. Confidimus autem per dominum de vobis quòd quæ præcipimus vobis & faciatis & facturi ſitis: Porrò dominus dirigat corda veſtra ad dilectionem dei & expectationem Chriſti. A

Superius precatus ipſe pro illis, petit nunc ab ipſis precationem. Simul autem eorum quoque prudentiam extollit, ꝗ idonei eſſent qui pro magiſtro precarētur. *Vt ſermo domini currat*. Nō vt liberetur à periculis (nā in eūvſum poſitus erat vt in priore dixit epiſtola) ſed vt prædicatio currat, B
&apud omnes ei fides adhibeatur. Sicut & apud vos. Hoc etiam encomium habet. Quemadmodum apud vos, inquit, cucurrit & creditus eſt. *Ab abſurdis ac peruerſis hominibus*. De his qui aduerſabantur prędicationi loquitur, qualis erat Alexander faber ærarius. *Non enim omniū eſt fides*. Ac ſi diceret: Non omnium eſt credere, ſed eorū qui digni ſunt vt credant. veluti ſi quis dicat: Non omnium eſt in aulis regum militare, ſed eorū qui digni ſunt. Illi itaque repugnāt, quorum non eſt fides. Sed *fidelis eſt dominus*. Nam quoniam elegit vos ad ſalutem, ſicut ſuperius ait, fidelis eſt, hoc eſt verax vt ſtabiliat vos, tanquam fluctuantes: vt cuſtodiat autem, ne quid poſsit ſatanas aduerſum vos. *Confidimus autem*. Ne exiſtimarent omnia ſibi prouentura à deo qui ipſis annuntiatus eſſet eóſque elegiſſet ad ſalutem, & ita ſegnes permanerent: ab eis etiam bonorū operationē exigit. Quæ præcepimus, inquit, vobis & facitis & facturi eſtis. Ac ſi diceret: Verax quidem eſt deus qui vos ad ſalutem elegit: attamen neceſſaria quoque ſunt veſtra opera. Ideo neque auſus fuit dicere ſimpliciter Confidimus autem de vobis, ſed in domino: & addit: *Porrò dominus dirigat*. Recto tramite adduci facit: Nam multa ſunt quę ab illo retrahunt. Beatus Baſilius libro ad Amphilochium hoc ſcribit, quod ſpiritū precetur Paulus dicens, dominus autem dirigat ad dilectionem dei patris & ad expectationē Chriſti. Quis enim dominus præter ſpiritum directurus erat corda ipſorum ad dilectionem dei & patris & ad expectationem Chriſti? Nullus autē pre-

1. Theſ. 3.
2. Tim. 4
C
Oecum.

D catur alium præter deum. Et *ad expectationem Christi.* Vbi autem expectationem & tolerantiã dicit, afflictiones designat. Expectationem autem dicit vt sustineamus, hoc est, vt præparati ipsum recipiamus.

CAPVT V

*Exhortatio ad laborem & deuitationem otiosorum ac curiosè degentium.*

PRæcipimus autem vobis fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab
E omni fratre qui inordinatè se gerit, & nõ iuxta traditionẽ quã accepit à nobis. Nam ipsi scitis quomodo oporteat imitari nos: quomodo non inordinatè gessimus nos inter vos, neque gratis panem accepimus àquoquam: sed cum labore & fatigatione nocte dieq; faciẽtes opus, ad hoc ne cui vestrum essemus oneri. Non quod id nobis nõ liceat, sed vt nosipsos formã exhibeamus vobis ad imitandum nos. Etenim quũ essemus apud vos hoc præcipiebamus vobis, vt si quis nollet operari, is nec ederet. Audiui
F mus enim quosdam versantes inter vos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosè agentes.

Præceptum timoris plenũ effecit: ac si dixisset: Per Christum præcipimus vobis. Aut per medium nomen eius quod testificetur nos præcepisse: aut quòd ipsius sermo sit qui refereturnon meus. *Vt subducatis.* Vt separemini. Est autem inordinatus qui sine ordine aut absq; dei legibus ambulat. Vult autẽ hic dicere de quibusdã qui otiosi circuneunt nec quicquã operãtur. *Et non iuxta traditionem quam accepit à nobis.* quam operibus vobis tradidi, factus vobis typus. *Nam ipsi scitis.* Ex his quæ operati sumus, dedimus vobis semina ac simulachra operãdi quæ imitaremini. *Sed cum labore & fatigatione.* Papę quanta exaggeratio. *Ad hoc ne cui uestrum essemus oneri.* Onus quidem propriæ dicitur quod ab inuitis sumitur: Attamen non propterea dicit, sed ꝙ admodum paupe

tes essent. *Non quòd id nobis non liceat.* Licebat ei degere in otio, aut cessare ab opere manuum, vacando prædicationi, vt aleretur ab iis quos docebat: Dignus est enim operarius, inquit, mercede sua, sed ex abũdantia & magnificentia operabatur ac seipsum alebat eósque qui secum erant: quod etiã alibi dicit. *Sed ut nosmetipsos formã exhibeamus.* Vt nosmetipsos, inquit, traderemus vobis imaginem quomodo viuere oporteat. *Vt si quis nollet operari, is nec ederet.* Operationẽ verò dicit quæ manibus fit: necesse est enim vt omnes aliquid faciant. *Sed curiosè agẽtes.* Nam deus mentem nobis dedit quæ operi alicui intenderet: quum ergo ipsam ab opere subducimus, quoniam ipsa in otio esse non potest, iam ad operationes accedit diabolicas, puta curiositatem, nugacitatem, detractionem, eutrapeliam ac similia. A Mat. 10. Acto. 20.

B

His autem qui sunt istiusmodi pręcipimus & hortamur per dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete operantes, suum ipsorum panẽ edant. Vos autem fratres ne defatigemini in benefaciendo. Quòd si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam, hunc adnotate, & non commercium habeatis cum illo, vt pudore suffundantur: neque velut inimicum habeatis, sed admonete vt fratrem.

C

Vides quâm exhibuerit adhortationem? Per dominum inquit, hoc est ipse est qui præcipit, ipse qui exhortatur nõ ego. *Cum quiete operantes.* Nõ solùm quietè agere verùm etiam operari iubet. Adhuc de otiosis sermo est: Aptat tamẽ illum, vt & de his dicatur qui delinquunt. *Suum ipsorum panem.* Non alienum emendicando. *Vos autem fratres.* Consydera paterna viscera. Non diu produxit increpationem, metuens ne fame perirent inordinati. Et ait vt subducant quidẽ se ab ipsis, hoc est segregentur & per separationẽ corripiantur. Dum autem corriguntur, inquit, tradite illis necessaria ne fame premantur. Sufficit quidem eis qui non corriguntur increpatio per hoc quod subducatis vos ab ipsis. *Quòd si quis non obedit sermoni nostro per epistolam.* Aut per epistolam, puta loquenti, aut sermoni per epistolam misso. *Hunc adnotate.* Ne vos lateat. Maxima est autem confusio

D omnes habere auersos. *Neque uelut inimicum habeatis*. Quum superius dixisset non oportere edere eum qui otiosus est, veritus ne fame periret, adiunxit: Vos autem fratres ne defatigemini in benefaciendo: ita & hic quum dixisset, Ne commisceamini, timuit ne segregatus absorberetur vehementiori tristitia, quod ad Corinthios scripsit: ideo subiūgit: Ne vt inimicum habeatis sed admonete, ac si diceret:
2.Cor.2 Corripite quidem ipsum, non veluti inimico irascentes, sed tanquam fratrem admonentes.

E

## CAPVT VI.

*Precatio pro pace quæ est à deo.*

IPse autem dominus pacis det vobis pacem semper omnibus modis. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scribo. Gratia domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen.

Quia nouit ex admonitionibus & obiurgationibus pugnas ac cōtentiones oriri, quū ij qui hoc patiantur exasperētur ad repræhensiones, precatur eis pacē à deo pacis. *Omnibus modis*. Vt nulla relinquatur dissensionis occasio. *Salutatio mea manu Pauli.*, Hoc propria manu subscripsit, tanquā dicens, Saluto vos, aut valete, aut aliquid huiusmodi ne adulterentur literę aut corruptæ putentur. Dixit autē in superioribus ꝙ effingentes missas ab ipso literas, auertebāt eos à rectis dogmatibus. *Quod est signū in omni epistola.* Hoc enim signum erat ne corrumperetur. In omni autem, quę vt verisimile est ad vos mittenda est: ac si diceret: Nisi hoc habeat non est mea epistola. *Gratia domini nostri.* Rursum vt sibi moris est, precatione absoluit epistolam.

F

Scripta fuit ex Athenis.

## ARGVMENTVM PRIORIS AD TIMO- theum epiſtolæ. A

HAnc ab vrbe Laodicea ſcribit. Occaſio verò epiſtolæ fuit hæc. Epheſi quidam iudaizantes varia docere conabãtur & ſimpliciores decipere legis prætextu. Quod vbi cognouiſſet Apoſtolus hortatur Timotheum vt ibi maneat ad ipſorum correptionem, ſcribítque epiſtolam. Et primùm quidem ſuggerit Timotheo quòd fidem noſſet quæ in Chriſto eſt docens eum de lege, vt prohibeat illos qui aliquid præter rectam doctrinam loquerentur, & obiurget eos. Nam & ipſe Hymenæum & Alexandrum, qui circa fidẽ naufragium fecerant, Satanæ tradiderat, vt diſcerent non blaſphemare. Hæc vbi ad memoriam reduxit, deinceps eccleſiaſticos canones ei conſtituit. Primò de oratione, quomodo & vbi ac de quibus precari oporteat. Secundò vt mulieres taceant in eccleſia, quódq; magis cupiant diſcere quã docere. Tertiò de epiſcopis & presbyteris ac diaconis, quomodo affectos & quales eſſe oportebat eos qui cõſtituantur. Quartõ de viduis quę ſunt in eccleſia à quot annis eas eligi & quales eſſe conueniat, & quomodo ipſas obſeruare oporteat, Quintò quòd iuniores modeſtas eſſe oporteat & nubere potius quàm indecenter viuere. Sextò vt præcipiat diuitibus ne extollantur, neque ſperent in diuitiis. Hæc poſtquã ordinauit, exhortatur ipſum vt ea doceat: & poſthac aquam non bibat, ac ſibiipſi doctrinę animum adhibeat, ſciẽs quòd futura ſint tempora quibus diſcedent nonnulli à fide. Poſtquam autem docuit mundos quoque eſſe cibos, præcepítque vt auertatur à contentioſis quæſtionibus, vt quæ prophanæ ſint, in quibus aliqui gloriantes, in fide præuaricati ſunt, tandem concludit epiſtolam. B C

## THEODORETI.

VT quid obſecro quum & alios haberet Paulus diſcipulos, nempe Silam, Lucam & alios, ad Timotheum ſolùm & Titum nominatim ſcribit? Et dicimus ꝙ his eccleſias regendas iam tradiderat, reliquos verò ſecum adhuc habebat. Scribit autem ad Timotheum ea quæ iam magiſtrum ac præceptorem decent.

D

# PRIOR AD TIMOTHEVM EPISTOLA.

Cap.I.



Aulus apoſtolus Ieſu Chriſti iuxta præcepta dei ſeruatoris noſtri & domini Ieſu Chriſti ſpei noſtræ, Timotheo germano filio in fide: gratia, miſericordia, & pax à deo patre noſtro, & Chriſto Ieſu domino noſtro.

E Modeſtiam etiam nunc oſtendit in eo quòd dicit: Non à meipſo acceſsi, ſed mihi à deo cõmiſſum fuit. Vbi autẽ præceptum fuit? In Actis apoſtolorum quum ait ſpiritus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, & vbi dominus ad eum: Ad Gẽtes procul mittam te. Sed quod filius iuſsit aut ſpiritus, hæc patrem ait iuſsiſſe: quoniam vna eſt ſanctæ trinitatis voluntas. *Et domini Ieſu Chriſti ſpei noſtræ.* Multa quidem patimur, inquit, nos apoſtoli: ſed deum habemus ſeruatorẽ noſtrum, & Chriſtum ſeruatorem ſpei noſtræ. Siquidem à cõmuni ſenſu ſubaudiendum eſt Seruatoris. Nam ipſe, inquit, præbet ſpem quod ſeruemur. *Germano filio.* Papæ quantam demonſtrauit fidem Timotheus, vt per hanc quoque fieret germanus Pauli filius. Nihil enim immutatus eſt circa fidẽ. *Gratia, miſericordia & pax,* Miſericordiã hìc precatur, quod facere non ſolet, oſtendens maiorem erga ipſum affectum: & quòd maiori opus eſt miſericordia præceptoribus.

Act.13.22

F

### CAPVT I.

*De ducatu ad amorem dei, qui prorſus legali caret neceßitate.*

QVemadmodum rogaui te vt remaneres Epheſi quum proficiſcerer in Macedoniam, ita facito: vt denunties quibuſdam ne aliis vtãtur præceptoribus, nec attendant fabulis & genealogiis fine carentibus: quæ quęſtiones præbẽt magis quàm dei ordinationem quæ eſt per fidem.

Animaduerte obſecrantis etiam præceptoris verba. *Vt remaneres Epheſi.* (Magis enim credẽdum eſt non ſatis fuiſſe

Pauli epistolam ad hos corrigendos) hic autem ipsum ordinauerat episcopum. *Vt denunties quibusdam.* Non dixit obsecres, sed, veluti erga eos qui corrupti sunt, austerè denunties, inquit. *Ne aliis utantur præceptoribus.* Ex Iudæis erāt quidam pseudapostoli qui rursum ad legem trahebant, adulterina tradendes alia dogmata. *Ne attendant fabulis.* Fabulas dicit adulterina dogmata: qui enim hæc loquitur, alio vtitur præceptore. *Et genealogiis fine carentibus.* Auos nanque ac progenitores numerabant: quemadmodum Iudæi diuinum Abraham, in illis gloriātes, quum ipsi nihil laude dignum operarentur. Quòd autē ait, Fine carentibus, hoc est, quæ finem nullum habent vtilem aut dicentibus aut audientibus. *Quæ quæstiones præbent magis.* Si damnantur quæstiones, quomodo ait Christus, Quærite & inuenietis? &, Scrutamini scripturas? Quia quæstio res media est & indifferens. Contingit enim & bene quærere, vt illud, Quærite regnum dei: contingit & malè quęrere, vt quum philosophi cælestia quærūt ac dei substantiam. Hìc ergo quæstiones dicit insensatas ac contētiosas. *Quàm dei ordinationem.* Quid autem ordinauit deus? vt quæ ipsius sunt, fide suscipiantur: sunt enim incomprehēsibilia. Per hoc autem quòd rationes ac demonstrationes de vnoquoque requirunt (nam illę sunt quæstiones) dei resistunt dispositioni. A B Luc. 11. Iohan. 5. Matt. 6.

Porrò finis pręcepti est charitas ex puro corde & conscientia bona ac fide non simulata. A quibus nonnulli aberrantes deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. C

Quòd si hęc adsit, etiam cessabunt alienis vti præceptoribus. Quomodo? Quia ex eo quòd non amant, inuidia in quosdā ingreditur erga præceptores, ne velint eos esse præceptores, & ex hoc consequenter alienis vtuntur pręceptoribus. *Ex puro corde.* Contingit enim & ex impuro corde diligere, vt est in dilectione latronum ad latrones. Ex puro corde, vt & perfectam, inquit, charitatem ipsis præcipias. Siquidem quæ magis capita sunt sermonum, in exordio & in fine referunt hi qui præcipiunt, iuuandæ memoriæ gratia. *Et consciētia bona.* Nō eam, inquit, requiro quę dūtaxat

D ad verba vſque protenditur, qualis & in ſimulatione eſſe poteſt, ſed illam quæ à corde procedit, eóque puro: quæ à conſcientia & ea quæ inde naſcitur cogitatione, quæ ſola nihil habet ſimulationis. Quis enim erit qui ſeipſum fallat, aut occultare tentet? A *quibus nonnulli.* nempe ab his quæ dicta ſunt, putà dei ordinatione quę eſt per fidem, & charitate non ſimulata. *Aberrantes.* Arte enim opus eſt ne extra veritatis ſcopum decidas. *Ad uaniloquium.* Quòd prius dixit Quæſtiones & Genealogias, nunc dicit Vaniloquium. *Volentes eſſe legis doctores.* Alia erroris occaſio. Non enim ſolũ mutuum odium, ſed & amor principatus ad hoc ducit: qui & ipſe ex odio & inuidia naſcitur. *Non intelligentes neque quæ*

E *loquuntur.* Oſtendere vult ꝙ verè ab amore principatus ad hoc venerint vt cupiãt eſſe magiſtri: neque enim legem nouerunt, neque de quibus affirmant. Si enim legem noſſent,

Galat.4. Chriſto vtique crederent: quũ etiam alibi dicat, Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis? Nam ſi legem nouiſſent, crederent vtique quòd ad Chriſtum tranſmittat.

Scimus autem quòd bona ſit lex ſi quis ea legitimè vtatur, ſciens illud quòd iuſto non ſit lex poſita, ſed iniuſtis & non obſequentibus, impiis & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, ſcortatoribus, maſculorum concubitoribus: plagiariis, mendacibus, periu-

F ris, & ſi quid aliud eſt quod ſanæ doctrinę aduerſatur, ſecundum euangelium gloriæ beati dei quod concreditum eſt mihi.

*Quòd bona ſit lex.* Quòd ſi hoc nõ fiat, non eſt bona. Quis autem legitimè ipſa vtitur? Qui per ipſam ad fidem tranſmittitur. Quũ enim iuſtificare non poſsit, ad Chriſtum trãſmittit qui poteſt iuſtificare. Siquidem is qui complet, & nõ qui interpretatur, legitimè ea vtitur. *Sciens illud.* Etiam is, inquit, legitimè ea vtitur, qui ſcit ea ſibi opus non eſſe ad rectè viuendum. Quis eſt autem ille? is qui virtutis gratia rectè viuit, & non timore legis. *Iniuſtis & non obſequentibus.* Hoc etiam alibi dicit quòd lex propter tranſgreſsiones

Galat.3. nes addita fuit. Iuſto itaque & ei qui non præuaricatur, ne

vlla quidem erit lex, sed illis qui ex seipsis virtutem non sequũtur, sed egent legis comminatione: & deinceps recenset illos qui eiusmodi sunt, Iudæos his obnoxios esse innuens. *Impiis & peccatoribus.* Iudæi enim qui continuè idola adorabant, qui filios dęmonibus sacrificabant, qui Mosem lapidare volebant, qui cędibus intestinis sese inquinabant, ánne hæc omnia in se habebant? *Et si quid aliud est quod sanæ doctrinæ aduersatur.* Nam hæ omnes corruptæ sunt affectiones animæ: talis autem anima sanæ & bene dispositæ doctrinæ operibus repugnat. *Secundum euangelium gloriæ.* Quæ est autem doctrina sana? ea quæ secundum euangelium dei est. Vocat autem illud euangelium gloriæ, quia per ipsum maximè glorificatur Christus, qui crucem elegit. *Quod concreditum est mihi.* Verisimile enim est quòd pseudapostoli haberent conficta euangelia. A B

CAPVT II.

*De sui in euangelistã electione quum persequutor esset, secundum gratiam dei.*

ET gratiam habeo Christo Iesũ domino nostro qui me potentem reddidit, quia fidelem me iudicauit ponẽdo in ministerium: qui prius eram blasphemus & persequutor & violẽtus: sed misericordiam adeptus sum, ꝙ ignorans fecerim per incredulitatem. Exuberauit autẽ gratia domini nostri cum fide & dilectione quæ est per Christum Iesum. C

Quoniam dixerat, Quod concreditum est mihi: ne se iactare videretur, rem omnem ad deum refert: & ait, Gratiam ei habeo qui mihi hanc dedit potentiam, vt omnino crederetur mihi euangelium. *Qui me potentem reddidit.* Magnũ enim onus subiui, inquit, & quod magna indiget à deo potentia. *Quia fidelem me iudicauit.* Deinde ostẽdit quòd oporteat etiam quædam à nobis adferre: non enim deus sine iudicio aliquos eligit: alioqui res probata iustáque non esset, & ait, Quia fidelem me iudicauit. At quomodo fidelem iudicasset deus eum qui fidedignus non esset? Fidelem sanè, ꝙ nihil eorum quæ dei sunt, sibi vindicaret, sed & quæ sua sunt

D deo attribueret. *In ministerium*: putà euãgelij. Dicit autem se ministrum propter prædicationem. In hoc autem demonstratur quòd me fidelem iudicauerit, quia euangelij ministerium mihi concredidit. *Qui prius eram blasphemus*. Vide quomodo augeat dei misericordiam, prioris vitæ faciens mentionem, & ostendens cuius voluerit misereri. *Et persequutor*. Acsi diceret, non solùm blasphemias ingerebam, sed & alios persequẽdo, blasphemias dicere compellebam. *Sed misericordiam adeptus sum*. Seipsum supplicio dignum fuisse ostẽdit: nam ad hæc accedit misericordia. *Quòd ignorans fecerim*. Si ideo misericordiam adeptus est quòd ignorans fecerit, quamobrem Iudæi quoque non sunt misericor-
E diam adepti? Et dicimus primùm quidem quia nolũt: nam qui ad Christum accesserunt, misericordiam adepti sunt. Quare autem non viderunt omnes visionem sicut & Paulus? ita enim omnes accessissent. Quia Paulus quidem ex ignorantia persequebatur, illi verò scientes ac volentes. Au-
Iohan. 12. di Euangelistam dicẽtem, Multi ex principibus crediderũt
5. 9. in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam dei. Rursum Christus ad eos, Quomodo potestis credere qui gloriam à vobis mutuò accipitis? Et iterum, Hoc dixerunt parentes cæci propter Iudæos ne & ipsi è synagoga eiicerẽtur. Quin & ipsi Iudæi di-
Iohan. 12. cebant, Videtis quòd nihil proficimus, ecce totus mundus post eum abit. Vides quòd scientes laberẽtur eo quòd amarent principatum? Tunc autẽ Paulus fortassis ad pedes Ga-
F malielis erat, nec turbæ communicabat. Quúmque post hæc videret Christi fidem augeri, zelo dei accendebatur, quanquam non secũdum scientiam. *Per incredulitatem*. Ex lege ea quæ Christũ concernebãt, legerat: quia ergo statim Christo non credidit, ignorantiam vocat rem ex incredulitate ortam. *Exuberauit autem gratia*. Non solùm, inquit, quum dignus essem supplicio me dimisit inultum, sed & iustificauit, & filium ac amicum hæredẽmque fecit. *Cum fide & dilectione*. Exuberauit autem cum mea fide & dilectione quæ & ipsa per Christum mihi contingit. *Quæ est per Christum Iesum*. Fidem autẽ dixit & dilectionem: quia contingit credentem non facere ea quæ sunt diligẽtium Christum. Ostendit autem quòd necesse sit & nos aliquid adferre.

Certus sermo & dignus quē modis omnibus am plectamur, ꝙ Christus Iesus venit in mundum vt peccatores saluos faceret, quorũ primus sum ego. Verùm ideo misericordiam adeptus sum, vt in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimēdum exemplar iis qui credituri essent in ipso ad vitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti deo honor & gloria in secula seculorum, Amen. A

*Certus sermo*, Siue verax est qui dicetur sermo. Ex me, inquit, discite. *Quorum primus sum ego*. Atqui alibi dicit, B
Iuxta iustitiam quæ est in lege factus irreprehensibilis: quomodo ergo hoc loco sese dicit peccatorem primúmque peccatorum? Et dicimus quòd iustitia quæ est ex lege ad eam collata quæ est ex fide, non solùm iustitia non est, sed & primum peccatum est. Omnes enim peccauerunt, inquit, ac destituuntur gloria dei. Hac autem comparatione etiam alibi vsus est quando ait, Etenim ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam. *Verùm ideo misericordiam adeptus sum*. Vide quàm humiliter de se loquatur. Quum ego, inquit, saluus factus sim, qui cæteris omnibus magis peccaueram, non oportet posthac ambigere de salute. Vult enim ostendere ꝙ saluus non sit factus, quia salute dignus esset, sed ne alij desperarent de sua salute. *Omnem clementiam*. O magnam Pauli modestiā. Ad omne, inquit, genus malitiæ perueneram, omni clementia mihi opus erat, non parte ipsius sicut ij qui in parte peccauerant. *Ad exprimendum exemplar*. Ad exemplum, ad cōsolationem, ad demonstrationem. *Ad uitam æternam*. Nam ad obtinendum vitam æternam, existit fides in Christum. *Regi autem seculorum*. Hæc de sancta intellige trinitate. Nam communes de patre & filio, ac spiritu sancto sunt huiusmodi appellationes. Contingit enim hæc alibi de filio inuenire, alibi de spiritu, nunc autem de patre. *Soli sapienti deo*. Hæc vbi de Christi dilectione disseruit, etiam patris meminit, & doxologiam ad eum dirigit, ne quis patrem existimet expertem esse dilectionis erga nos. Sanctam

Philip. 3.
Rom. 3.
2. Cor. 3.
C

D ſiquidem trinitatem glorificare conuenit ob amorem erga nos, quum communis ſit illis dilectio.

CAPVT III.

*Præceptum de fide ac myſterio bonæ conſcientiæ, qua deficiente imminet periculum.*

HOc præceptum cõmendo tibi, fili Timothee, iuxta eas quæ de te præceſſerunt prophetias, vt milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam: quam repellẽtes nonnulli, circã fidem naufragium fecerunt: quorum de numero ſunt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanę
E vt diſcant non blaſphemare.

*Hoc præceptum.* Significat obſeruationis diligentiam. *Commendo tibi.* Tanquam filio, inquit, præcipio: non ſecundum aliquam autoritatem quæ dominis conueniat. *Iuxta eas quæ præceſſerunt.* Per hyperbaton id poſitum eſt. Eſt autem hic ordo: Vt milites iuxta eas quæ de te præceſſerunt prophetias: hoc eſt, vt aptè milites, reſpondens prophetiis quæ de te fuerunt. Nam iuxta ſpiritus reuelationem, & electus à Paulo in diſcipulum, & circunciſus eſt, & epiſcopus ordinatus eſt. *Vt milites*: Tanquam Chriſti miles cum ſpiritualibus pugnans omnibus modis aduerſus ſpirituales inimicos. *In eis*: prophetiis videlicet: nam illæ te elegerunt.
F Propter quas ergo ſuſceptus, & à quibus electus es, in ipſis & per ipſas milita, id eſt, per ipſum ſpiritum per quem ſunt & prophetiæ. *Bonam militiam.* Eſt enim & mala militia de qua dicit, Exhibuiſtis membra veſtra arma immunditiæ, &
Rom.6. iniquitati. *Habens fidem.* Oportet enim magiſtrum ſui primùm eſſe doctorem. Fidem autem dicit, quæ eſt circa dogmata: conſcientiam verò, quæ circa conuerſationem eſt. *Quam repellentes nonnulli.* Quam, inquit, conſcientiam quę eſt de rectè viuendo. Vbi enim quis reprobè vixerit, etiam circa fidem naufragium facit. Siquidem ne terrore futurorum crucientur, ſuo animo perſuadere nituntur mendacia eſſe quæcunq; apud nos de reſurrectione ac iudicio dicuntur. *Tradidi Satanæ ut diſcant.* Quum Satanas ſeipſum non

instruat, quomodo aliis bonam adferet doctrinam? Et dicimus ꝙ sicut lictores innumeris pleni malis alios castigant, & instruunt vt modestè se gerant, ita & Satanas. Quando enim quis Satanæ traditur, ab aliorum communicatione separatur. Deinceps ergo dæmon acceptum hominem diuino nudatum auxilio castigat & erudit: & hoc cedit ipsi ad modestiam. Quare autem Satanæ tradit, & non ipse castigat & erudit? Vt ostendat ꝙ etiam possibile sit Satanæ imperare: & vt vnà cum supplicio ferant etiam contumeliam, nempe ꝙ à Satana puniantur. Siquidem incredulos puniebant per seipsos apostoli: quemadmodum ipse Paulus Bariesum qui & Elymas, & Petrus Ananiam: vt ostenderent ꝙ potẽtes essent: alios verò qui ab ipsis quidem eruditi fuerant, sed auersi erant, Satanæ tradebant. N*on blasphemare*. Hi enim rationibus humanis fidem interpellantes, conuertebantur ad blasphemandum: quod nunc patiuntur Nestoriani ac reliquæ hæreses. A Act. 5.13. B

CAPVT IIII.

D*e oratione ut pro omnibus fiat, ut ubique, purè, sine ulla turbatione & religiosè.*

ADhortor igitur vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in eminẽtia sunt cõstituti: vt placidam ac quietam vitam degamus in omni pietate ac honestate. Nam hoc bonum est & acceptum coram saluatore nostro deo, qui cũctos homines vult saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Cap. 2. C

In quotidiano, inquit, cultu hoc ante aliorum mẽtionem sit. V*t fiant deprecationes*. Deprecatio quidem est supplicatio pro remotione tristium oblata: obsecratio verò petitio bonorum. Interpellatio autem est ad accusationem nocentium. G*ratiarum actiones*. Oportet enim gratias agere pro bonis quæ mutuò inter nos fiunt. P*ro omnibus hominibus*. Quum enim episcopus communis sit pater, debet pro omnibus hominibus precari, fidelibus & infidelibus, amicis & inimicis, calumniantibus & affligentibus. P*ro regibus*.

D Deinde ne adulatoriam esse rem suspiceris, primùm dixit, Pro omnibus hominibus, & ita demum subiunxit, Pro regibus & his qui sunt in eminentia constituti. *Vt placidam ac quietam uitam degamus*. Ne in aliquo turbetur Christianus, quamobrem tempore mysteriorum meminerit regis, quum frequenter sit infidelis: ostendit nostrum esse lucrum illorũ salutem. Sed quomodo nostrum est lucrum illorum salus? Quomodo? Si enim illi seruẽtur & egregiè se gerant in bellis aduersus hostes, nos quietè & placidè degemus nullo turbante. Absurdum siquidem esset ipsos pro communi salute defatigari, nos autem ne id quidem quod in nobis est auxilium (orationem dico) pro ipsis in vnum conferre. I*n omni*

E *pietate*. Tria sunt bella: vnum quod à Barbaris infertur, alterum quod à cõtribulibus, & tertium quo anima dissidium habet aduersus corpus, quod etiam longè omnium periculosissimum est: illud nanque quod à Barbaris infertur, mortem tantùm aut seruitutem adfert: quod autem à contribulibus, contingit etiam per benignitatem deuitari. Ait enim,

*Psal*.108. Quum me diligere debuissent detrahebant mihi, ego autem

& 119. orabam: &, Cum his qui oderãt pacem eram pacificus: illud verò quum sit in nobisipsis, difficillimè confici potest, & animæ adfert nocumentum. Vult ergo pro regibus fieri precationes vt vincant & permaneant: sciens pacem quæ à Barbaris est, plurimùm conferre ad pacem quæ in nobis esse debet. Nam si vacare oporteat, deúmq; cognoscere, certè otio & quiete opus est ad dei & beneficiorum ipsius cognitionẽ.

F Quomodo ergo hi vacare poterunt qui bellis occupantur Barbaricis? N*am hoc bonum est & acceptum*: nempe precari pro omnibus hominibus etiam Græcis vt conuertantur. Q*ui cunctos homines vult saluos fieri*. Si ipse (dices) qui dominus est saluos faciens, vult omnes saluos fieri, quorsum ergo nostræ orationes? Vtique necessariæ sunt, nam & eos ipsos ad charitatem attrahis, & beneuolentiam ostendis: Imitare, inquit, dei propositum: ipse etenim vult omnes homines saluos fieri, & tu pro vniuersis precare hominibus. E*t ad cognitionem ueritatis uenire*. Dixit ad cognitionem veritatis, postea dicit quænã sit in dogmatis veritas. Si ergo deus

Nota. vult, quare non fit quod vult? Non fit, quia illi nolunt. Nihil enim ex necessitate facit in nobis deus.

Vnus enim deus, vnus etiam cōciliator dei & hominū homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, testimonium temporibus suis, ad quod positus sum ego pręco & apostolus. Veritatem dico in Christo, non mētior, doctor Gentium per fidem & veritatem. A

*Vnus enim deus, unus & conciliator.* Animaduerte quòd non dixerit duo, sed vnus & vnus, hoc modo deorum multiplicationem fugiens. Quoniam ergo oportebat eum qui cōciliator futurus esset, amborum esse participem, vt etiam conciliare posset, filius dei ante secula incarnatus aduenit in duabus naturis, nempe in diuinitate & humanitate existens: B
& in vnica hypostasi post vnionem, intellectus & adoratus. Nam si in nuda diuinitate apparuisset nobis vnigenitus, nō potuisset eum ferre creatura: quando neque Mosi faciem videre poterant filij Israel. Quòd autem ait, Vnus deus, non ad distinctionem filij ponitur aut spiritus, Absit, sed propter illos qui non sunt, & tamen dicuntur dij. Quæritur autem quam ob causam spiritus non meminerit. Quoniam de Græcis sermo erat, de ipsis nāq; dicebatur, & ad cognitionē veritatis venire, apud ipsos autē erat deorū multitudo: & ita dispensatoriè cauit spiritus facere mentionem, ne quo modo videretur deorum inducere multitudinem. Quia vbi cum fidelibus disserit, continuè eius meminit, frequenter etiam solius, nullam faciens mentionem patris & filij. *Homo Christus Iesus.* Quemadmodum erat homo, ita erat & deus, inseparabiliter, incōfusè. *Qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus*: etiam Græcis. Ipse siquidem pro omnibus mortuus est: tu autem non adduceris vt vel preceris pro omnibus. Animaduerte autem quòd ait: Qui dedit semetipsum. Nam hoc contra Arianos est qui dicunt quòd nolens traditus sit. Quid est autem Pretium redemptionis? Obnoxia erat natura vt periret, at ille semetipsum pro ipsa dedit. *Testimonium.* Hoc est, per testimoniū siue martyriū factus est filius redēptionis pretium: quod interpretās dicit nunc, quòd pretium redemptionis vocet nunc martyrium, hoc est, passionem. Venit enim testimonium ferēs veritati:

Exod. 34.
2. Cor. 3.
C

D nam per ea quæ fecit, testatus est ꝙ esset Christus filius dei vsque ad mortem. Siquidem ipse patrem manifestauit,& verum dogma verámque vitam euangelicam ipse introduxit. *Temporibus suis.* Hoc est,quãdo rectè se habebãt homines ad fidẽ: Ita dicit Clemens sexto informationũ libro. *Temporibus suis.* Per testimonium, inquit, siue martyrium dedit semetipsum pretium redemptionis : hoc est, per passionem. Nã in ea testificatus est de bonitate patris, ꝙ ipse proprium dederit filium : ipsi autem non quieuerunt ab inimicitia quam aduersus eum gerebant, sed & filium crucifixerunt. Et quia ipse promissiones eis complere cupit, ipsi verò nolunt: factum dicit temporibus suis, hoc est, præfiguratis & antea definitis à sancta ac beata trinitate. *Ad quod po-*
E *situs sum ego.* Ad quod testimonium & passionem, ego positus ac definitus sum præco, vt vbique manifestum faciam crucis mysterium. Quoniam autem dicturus erat doctor Gentium, incredibile autem videbatur ꝙ idololatræ essent aduocati ad salutem, ideo præmittit, veritatẽ dico, non mentior. *Doctor Gentium.* Quia cõtingit etiam prædicare prætercurrendo, subiunxit doctor: non solùm enim prædicaui, sed & perseueranter docui. Hoc autem ostendit dei studiũ erga Gentes. *Per fidem & ueritatem.* Quoniam dixit, Per fidem, ne quis existimet ꝙ sit error, subiũgit, Per veritatem. Non prædico rationibus ac nexibus rhetoricis, sed per fidem. Nam hoc prædicationis vim ostendit.

F Volo igitur viros orare in omni loco sustollentes pias manus absque ira & disceptatione. Consimiliter & mulieres in amictu decenti cum pudore & castitate, ornare seipsas non tortis crinibus aut auro aut margaritis, aut vestitu sumptuoso, sed quod decet mulieres, profitentes pietatem per opera bona.

Quomodo ergo Christus prohibebat in publico precari? ait enim, Tu intra in cubiculum tuum. Neque Christus pro-
Mat.6. hibuit in omni loco orare: sed ex abundanti cautione tollẽs ad ostentationem precari: quemadmodum & illud, Nesciat sinistra tua quid agat dextera tua: non de manibus loquitur,

sed ne

ſed ne ad inanem gloriam & oſtentationē bona operemur. A
Non enim locus diſcrimen habet: ſed vbique curam habuit
vt abeſſet oſtentatio. Ad hæc etiam hoc ſignificat Apoſtolus
ꝙ non, ſicut Iudæis non licebat extra templum ſacrificia of
ferre, ita neque nobis orare: nobis ſiquidem quiuis locus
aptus eſt, modò pias attollamus manus, id eſt puras, puras in
quam à rapina, auaritia & cædibus, per eleemoſynam puri-
ficatas. *Abſque ira*. Abſque memoria iniuriarum, ne quen-
quam execrentur. Nam illa vera ira eſt, ne eum quidem qui
precatur parcere fratri. *Et diſceptatione*, intra ſemetipſos.
Putáſne audiet me de⁹? Putáſne temerè & vanè precor? Per-
ſuaſum enim eſſe oportet, quòd exaudiet deus, ſi nos puri
petamus quæ illi amica ſunt. *Conſimiliter & mulieres*. Putà B
volo vt pias attollāt manus abſq; ira & diſceptatiōe. Sed am
plius quiddā à mulieribus requirit, vt decēter ornētur ſiue
modeſtè. Quòd autem ait, In amictu, ſignificat vndique cōte
ctas eſſe debere. Nam καταστολὴν vocat habitum longiorem
circumquaque tegentem. Decēter, inquit, nō curioſè vt in-
tuentes delectent. *Cum pudore & caſtitate*. Ne ergo imite-
ris eas quæ venereo amore diliguntur, que impudicè & me-
retricum more intuentur. *Non in tortis crinibus*. Nō enim
in theatrum, inquit, veniſti, ſed vt peccata tua defleres: non
eſt autem precioſitas ſupplex habitus, neque lugentis pecca Nota.
ta eſt ornamēti in te arrogantia. Quòd ſi hæc prohibuit quæ
diuitias tantùm oſtendunt: multò magis curioſa ac peruerſa
veluti ſunt infectiones genarum, picturæ oculorum, perfra- C
ctus inceſſus, vox diffracta, oculus flexibilis ac curioſus, me
retricius tunicula amictus, zona curioſior, calcei diſtracti
ſiue diſſciſſi. Nam hæc omnia reiicit in eo quod dixit, In a-
mictu decenti. *Profitentes pietatem*. Contingit enim ſolis
verbis profiteri pietatem, operibus verò illam negare. De-
inde quia opera res quædam mediæ ſunt & indifferentes,
ſubiungit, Bona.

## CAPVT V

*De præceptoribus quòd uiros eſſe oporteat & nō mulieres, propter naturam & affectum qui ex errore ſuboritur.*

MVlier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectio-
ne. Cæterùm mulieri docere non permitto,

D neque autoritatem vſurpare in virum,ſed eſſe in ſi-
lentio. Adam enim prior formatus eſt,deinde Eua:
& Adam non fuit ſeductus,ſed mulier ſeducta,facta
eſt tranſgreſsioni obnoxia . Salua tamen fiet per li-
berorũ generationẽ,ſi manſerint in fide ac dilectio-
ne & ſanctificatione cum caſtitate. Certus ſermo.

Non ſolùm expetit honeſtas eſſe mulieres,ſed & tacitur-
nas ac ſubiectas . Siquidem per ſilentium ſignificant ſubie-
ctionem. *Cæterùm mulieri docere non permitto.* Omnem lo-
E quacitatis occaſionem à muliere abſtulit. Quoniam enim ta
cere eas præcepit,ne rationabili docendi prætextu loquan-
tur,nõ doceãt,inquit,non ſolũ humana,ſed neq; ſpiritualia.
Vetat autẽ eas in eccleſia ſiue publica concione docere:neq;
enim modis oĩbus docere eis interdixit. Siquidẽ permittit
interim illis vt liberos ſuos doceãt quòd in progreſſu dicit.
*Neque autoritatem uſurpare in uirum.* Ipſum nanque docere
eſt autoritatẽ aduerſus virum vſurpare. *Adam enim prior for
matus eſt.* Quoniam ergo prior formatus eſt,ne vſurpet mu
lier autoritatem in virum,ſed ſubiecta ſit. *Adam non fuit ſe-
ductus.* ſi ad deceptionem conferas qua mulier ſeducta fuit:
imò neq; ſeductio fuit error ipſius Adam. Plurimũ enim di
ſcriminis eſt à ſerpente ſeduci & à muliere accipere arboris
fructum & edere. Vnde neq; in reſponſione aſſerit ſe fuiſſe
Gene.3. ſeductum,ſed,Mulier quã dediſti mihi in auxiliũ dedit mihi
F & comedi: tacitè innuens ꝙ neq; audita cõſorte lapſus fue-
rat. *Nõ fuit ſeductus* . Aduerte ꝙ ſubaudiatur Prior, quod
præceſsit. Alio quoq; modo. Quomodo nõ fuit Adam ſedu-
ctus? Quia neque ſcriptura hoc dicit: ſed mulier quidem ait
Serpens decepit me: Adã verò nõ dicit,Mulier decepit me,
ſed,Dedit mihi. Neq; enim æqualia ſũt perſuaſum eſſe à cõ-
genita ac cõſorte, & perſuaſum eſſe à fera, ſerua ac ſubiecta.
Illud itaq; fuit deceptionis. Sed neq; Adam vidit lignum ꝙ
pulchrum eſſet ad edẽdum,ſed mulier. *Mulier ſeducta.* Idq;
in hoc profert ne mulier doceat. Semel nanque docuit mu-
lier,inquit,& cuncta euertit,virùmq; inobediẽtiæ fecit ob-
noxiũ:autor enim ipſi fuit & conſuluit vt ederet. Ideo non
dicit,Eua ſeducta, ſed Mulier ſeducta , naturam quæ facilè

decipiatur significans. *Facta est transgreßioni obnoxia.* Nõ sola Eua facta est transgresioni obnoxia, sed & vniuersum mulierum sodalitium. Quemadmodum enim in Adam omnes morimur, ita in Eua vniuersæ præuaricatæ sunt. *Salua fiet tamen.* Vides ꝙ non de sola Eua ipsi sermo erat, sed de communi mulierum sodalitio. ait enim: Salua fiet per liberorum generationem, non sola Eua, sed & quęuis mulier. Vocat autem τεκνογονίαν non solùm parere, verumetiam ad deum introducere. Quid igitur dicet aliquis, an pereunt virgines, & steriles, quæq; liberis carent ac viduæ? Minimè: neq; enim hoc dicit, quòd sua virtute saluæ non fiant, sed quod etiam liberorum generatio erit eis occasio salutis, quũ hoc in confesso sit ꝙ ex propria virtute saluæ fiant. *Si mãserint in fidæ.* Si Christo athletas educauerit, & in virtute mãserint. Quid ergo si ipsa mala fuerit, & bene educauerit? fieri certè nequit vt quæ mala est bene instruat: si tamen ita fiat, mercedem habebit. Quid autem si quum bona fuerit, malè educet? malitia fruetur filiorum. Testis est Eli sacerdos. *Certus sermo.* nempe ꝙ poterunt patres ac matres frui virtute filiorum.

A B 1. Reg. 2. 3. & 4.

## CAPVT VI.
### De uirtute episcoporum.

SI quis episcopi munus appetit, honestum opus desiderat, Oportet igitur episcopum irreprehẽsibilem esse, vnius vxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendũ, non vinolentum, non percussorẽ, non turpiter lucri auidum, sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia: qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia.

Cap. 3. C

Ad Timotheum scribẽs, ostendit in genere qualem oporteat esse episcopũ. *Honestũ opus desiderat.* Non reprehẽdo, inquit. Honestũ opus, nempe muneris ac præsidẽtiæ desiderat, modò plurium iuuandorũ gratia & non propter gloriam desideret. Episcopus enim siue speculator dictus est, quòd vniuersos speculetur & obseruet. Quoniam & Moyses

D cupiuit, at non propter gloriam, sed propter vtilitatem mul tis ferendam. *Irreprehensibilem esse.* Vt nullius mali sit sibi conscius: si enim sibi sit conscius, malè facit cupiendo episcopi munus, à quo per opera seipsum fecit alienũ. *Vnius uxoris maritum.* Non statuit † vt ab vxore pendeat episcopus, aut vxorem necessariò habeat: sed si fiat, inquit, è mundanis non sit saltem bigamus. Aut ꝙ ad commixtionem vnicam nouerit legitimam vxorem, ita tamen vt vocatus ad episcopi munus illud compleat, ꝙ qui habent vxores sint tã quam non habeant. &, volo omnes esse sicut & ego, inquit Paulus. &, Qui vxorem duxit, curat quæ mundi sunt, quo modo ergo æquum est vt mũdana negotia curet episcopus?

† ἀπὸ γυναικὸς εἶναι fortassis, *Vt omnino ab uxore aut muliere abstineate.* 1.Cor.7.

E Quidam autem de ecclesia aiunt hoc eum dixisse, ne ab vna migret ad aliã, id enim adulterium est. *Vigilantem.* Insomnem, cuncta perspicientem, spiritu feruentem. *Aptum ad docendum.* Sobrietatem nanq; modestiam & hospitalitatem etiam eos habere oportet quibus prçest. Addidit ergo quod magistri proprium est, dicens: Aptum ad docendum. *Non uinolentum.* Vinolentum siue πάροινον non dicit ebriosum: id enim nimis crassum esset, sed cõtumeliosum & præfractum. Rursum percussorem non eum dicit qui manibus cædit, sed qui fratrum percutit conscientiam. *Qui suæ domui bene præsit.* Nam qui vnicæ domui præesse non nouit, aut qui duos vel tres natura fratres rectè gubernare non potuit, quo modo ecclesiæ tantòque populo conuenienter præesse poterit? Oportet enim ipsum adferre domestica quæ habet exempla.

F

Quòd si quis propriæ domui præesse non nouit quomodo ecclesiam dei curabit? Non neophytum, ne inflatus in condemnationem incidat diaboli. Oportet autem illum & bonum habere testimoniũ ab extraneis, ne in probrũ incidat & in laqueum diaboli.

Quam ob caussam episcopis hæc crassa præcepit, ne percussor sit sed æquus, aliáque huiusmodi? quũ discipulis præcipiat: Mortificate membra vestra terrestria, &: Sunt nonnulli qui Christi carnẽ crucifixerunt. Ipse quoque Christus

Colos.3. Gala.5.

crucem tollere, & se sequi omnibus præcepit. Cur enim non potius angelos eos esse præcepit, veluti ad secularium proportionem? Et dicimus quòd suprema virtus paucorum est: multos verò episcopos esse oportebat, ad singulas ecclesias singulos. Ne ergo rarum aut impossibile redderet munus episcoporum qui necessarii erãt, mediocrem iubet virtutem, rem ipsam reddens accessu facilem. *Quomodo ecclesiam dei:* vbi maiora pluraque sunt negotia. *Non neophytum.* Quòd ait νεόφυτον, non significat iuuenem, sed recenter in fide instructum. Nam & Timotheus ipse ætate iunior erat, cui dicit in sequentibus: Nemo iuuẽtutem tuam despiciat. Quem enim adhuc discipulum esse oporteret, si quis faciat præceptorem, inflatur & extollitur. *In condemnationem incidat diaboli.* In eandem cum diabolo condemnationem, in quam ille ex arrogantia incidit. *Ab extraneis.* Extraneos dicit Græcos. Vide quantam adhibeat diligentiam. Quid autem si malus sit, bonum tamen habeat testimonium? id fieri nõ potest. † Amabile est enim vt qui probatissimus est, testimonium ab ipsis quoque ferat inimicis. Attamẽ hoc inter cætera expetit bona. Hoc enim designat coniunctio Et. Quid autem, si, quum bonus sit, circa vitam reprehendatur? Illud quidem difficile est: verùm si talis sit, ne fiat episcopus. Quòd si ab extraneis, multo magis à fratribus bonum debet habere testimonium. *Ne in probrum incidat.* Qui malus fuerit, probrum ac contumeliam sustinebit. *Et in laqueum diaboli.* Nam si in aliquo malus fuerit, alium facilè sibi addit laqueũ. Nam si ex hoc quod probra patitur, & iniurias, ad peccata deflectit, in aliam incidit affectionem iræ & memoriæ iniuriarum: nemo enim probrum ferre potest sic vt nulla tãgatur ira.

A Matt. 16. Infra. 4. B † ἀγαπητόν R. C

Diaconos itidem compositos, non bilingues, nõ multo vino deditos, non turpiter lucri auidos: tenentes mysterium fidei cum pura conscientia. Atque hi probentur prius, deinde ministrent, sic vt nemo possit illos criminari.

Quam ob caussam presbyteros prætermisit? Quia episcopis ipsos permiscuit. Nam quæ dixit de episcopis, hæc etiã aptat presbyteris: siquidem & ipsi similiter sunt sacerdotes,

D & docendi munus sibi concreditum habent. N*on bilingues*, Hoc est, non dolosos ac fraudulentos. N*on multo uino deditos*. Non dixit: Non ebriosos, nam id admodum crassum esset: quanquam enim non inebrientur, inquit, tamen emolliuntur à cordis robore. *Cum pura conscientia*. Fidem requirit & vitam. *Atque hi probentur*: Quemadmodum & episcopi, vt non sint neophyti siue nouitij.

Mulieres similiter modestas, non calumniosas, vigilantes, fidas in omnibus. Diaconi sint vnius vxoris mariti, qui liberis rectè præsint & propriis fa-
E miliis. Nam qui bene ministrauerint, gradum sibi bonum acquirent, & multam libertatem in fide quæ est in Christo Iesu. Hæc tibi scribo, sperans fore vt veniam ad te citò. Quòd si tardius venero, vt noris quomodo oporteat ĩ domo dei versari, quæ est ecclesia dei viuentis, columna & stabilimentum veritatis.

Mulieres dicit non quaslibet, sed quæ ministrant. Nam quid sibi vellet, si inter ea quæ cleri sunt, mentionem faceret de quibusuis mulieribus? N*on calumniosas*: quod superius dixit Bilingues. V*igilantes*. Nam facilè decipitur mulierum genus, oportet ergo diligentes esse ac vigilare. Quantò enim facilius deceptionibus capiuntur, tãtò maiori
F egent vigilantia. *Fidas in omnibus*: in fide & vita. V*nius uxoris mariti*. Vides quo pacto eadem à diaconis expetat, quæ ab episcopis. Hæc autem etiam accipi oportet de mulieribus quæ ministrant. Q*ui liberis bene præsint*. Vbique hoc ponit, volens eos domesticam adferre probationem.

N*am qui bene ministrauerint*. Qui in inferioribus sui bonum dederint experimentum, facilè ad promotiouem venient & libertatem quæ est in Christo. E*t multam libertatem*. Quis autem posset habere libertatem in fide Christi, nisi cum fide rectâque vita? H*æc tibi scribo*. Ne propterea quòd hæc scriberet, spem abiiceret Timotheus, de propinquo Pauli aduentu, vide quid dicat. Q*uòd si tardius uenero*. Quoniam spiritu ducebatur, neque nouerat quò iuberetur à spiritu vt abiret, ideo semper hæsitat. Q*uæ est ec-*

clesia dei uiuentis. Quæ domus est ecclesia:non sicut Iudaicum templum, sed columna est & stabilimentum. Et bene ait,dei viuentis. Neque enim aduertas,inquit,quòd hominibus repleatur:nam per deum excellit, & ipsi extruitur,ipsumque habet inhabitatorem. A

## CAPVT VII.

### De diuina incarnatione.

ET citra controuersiam magnũ est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne,iustificatus est in spiritu,visus est angelis, prædicatus est Gentibus,fides illi habita est in mundo,assumptus est in gloria. B

*Citra controuersiam.* Nemo enim de hoc ambigit. Et magnum est, & mysterium est, & pietatis mysterium est fides quæ in nobis est, nec vllam habet hæsitationem. Vidésne gradus? *Deus manifestatus est in carne,&c.* Deinde dicit mysterium. Ille enim qui in carne hominibus manifestatus est, hic non ab humanis oculis iustus iudicatus est, sed oculis spiritus qui scrutatur etiam profunda dei. Dicit autem, Iustificatur,propter carnem. Quatenus enim deus est, non iustificatur,sed iustificat. Hoc & Propheta dicebat,Qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius. Diuus Cyrillus duodecimo capite scoliorum ait,Qui manifestatus est in carne,iustificatus est in spiritu: nullo enim modo nostris infirmitatib⁹ fuit obnoxius. *Visus est ab angelis.* Siquidem non ignorauerunt generationem ipsius secũdum carnem. *Iustificatus est in spiritu.* Et qua iustificatione iustificatus est is qui est ipsa iustitia & redemptio, sol iustitiæ iuxta Malachiam,quod significat syncerissimam ac purissimam iustitiam? Complemento videlicet legalium iustificationũ,de quibus Iohanni dicebat, Sine modò,sic enim decet nos cõplere omnem iustitiam. Quoniam enim de baptismatis præceperat lex, venit ad Iordanem vt hanc compleret: quemadmodũ videlicet circũcisionem & oblationes de primogenitis. Quid autẽ sibi vult quòd ait, *In spiritu?* Spiritu seruitutis constrictus erat Israel per punientẽ legem,non enim habuit spiritũ adoptionis, nã hic Christianis datus est,

(Marginal notes: 1.Cor.2. — Iesa.53. — C — Oecum. — Malac.4. — Matt.3. — Galat.4.)

D quemadmodũ dicit Paulus: Quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omniũ nostrum. Dicit ergo, Quanq̃ legales cõpleuit iustificationes, attamen nõ spiritu seruitutis: (Quomodo enim id faceret qui alios quoque liberos reddit?) sed spiritu sancto, qui est spiritus adoptionis, quẽ accepit iuxta humanitatem, nobis donum hoc concilians legitimus filius & eiusdem substãtiæ cum spiritu, & non sibiipsi. quemadmodum videlicet etiam precabatur, nostras preces

Iohan.2. reddẽs acceptabiles: & templum vocabat suum corpus, qui hoc agebat vt nos templa dei efficeremur. Etenim qui iuxta euangelium iusti sunt, verè spirituales sunt, lõgè iis præeminentiores qui olim in lege iustificabantur. ALIO MODO.

E *Iustificatus est in spiritu.* Hoc est, spiritualiter & non iuxta legem. Siquidem etiam quum legalia complebat præcepta, non iuxta legem ea complebat, sed spiritualiter. Aut quia licèt carnalibus & grauibus corde non videbatur iustificatus esse. dicebant enim, vorax est & vini potor, attamen his qui spiritu confirmati erant, iustificatus est. Nam vidimus glo-

Matth.11. riam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre. *Visus est ab*

Iohan.1. *angelis.* (O mysterium. Nobiscum viderunt angeli Christum, quum prius nõ vidissent) non sicut ab hominibus. Ita habet Clemens septimo informationum. *Fides illi habita est in mundo.* Verè magnum mysterium. Vbique enim terrarũ creditum est. *Assumptus est in gloria.* Ipsi nanque dum assu-

F meretur, ministrabãt angeli in nubibus. Propter hoc dicit, In gloria, quia & ipsum assumi, gloriosum est.

Cap.4. Spiritus autem apertè dicit quòd in posterioribus temporibus descifcent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorum, in simulatione falsa loquentium, cauterio notatam habẽtium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, abstinere à cibis quos deus creauit ad participãdum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerũt veritatem, quòd quicquid creauit deus, bonum sit, & nihil reiiciẽdum, si cum gratiarum actione sumatur: sanctificatur enim

per verbum dei & orationem. A

*Spiritus apertè dicit.* ῥητῶς enim idem significat quòd palàm, manifestè. Ne autem admireris, inquit, si nunc quidam à fide discedentes Iudaismum sequantur. Erit enim tempus quando tamē magis dispersa erit fides, in quo etiam peiora facient: non in ciborum duntaxat obseruationibus, sed & coniugiorum ac cæterarum rerum. *Attendentes spiritibus impostoribus.* Nam si quis semel à fide discedat, omnia deinceps sequetur periculosa. Necesse est enim deinceps vt impuris spiritibus animam attendat, ac dæmonibus hominem à recto seducentibus. *Ac doctrinis dæmoniorum.* Omnem hæresim per hæc significauit, maximè autem Manichęorū, Encratistarum (id est, Continētium) & Marcionistarum. *In simulatione:* hoc est, data opera. Ostendit autem quòd quum B sciant falsum esse commētum suorū dogmatum, affectant falsa loqui. Falsa loquētium verò, inquit, cauterio notatam habentium conscientiam, à mala vita, hoc est, prauę vitæ sunt: & quia sibi conscii sunt de multa immūditia, ideo conscientia ipsorum indelebiles habet sordidæ vitæ inusturas. Verè enim qui tales sunt, metu retributionū peruertunt vera dogmata, quiduis sibi persuadentes potius quàm solum deum iustum esse iudicem, resurrectionem, ac retributionem bonorum & malorum. *Prohibentium contrahere matrimonium.* Quid ergo, an non & Christiani prohibent contrahere matrimonium? Nequaquā. Honorabile est enim coniugium & Hebr.13. cubile impolutum: sed eos qui contrahere nolunt, hortātur C ad virginitatem: qui autem contrahere prohibent, tanquam à re impura arcent. *Abstinere à cibis.* Non est error aut lapsus à venustate sermonis, quòd ait, Abstinere à cibis, vt quibusdam visum est, neque Apostoli negligentia: sed rectè ad Atticum etiam vsum expressus est sermo. Quemadmodum quū dicitur: ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα. i. prohibuit eum ne perpetraret absurda, non significatur quòd ad absurditatem eum exhortatus est. & quum dicitur ἀπέτρεψεν αὐτὸν μὴ προσκρούειν φίλοις. i. deterruit eum ne resisteret amicis, non innuitur quòd hortatus sit ad resistendum amicis, sed contrarium potius. Rursum quum dicitur: ἐπώλυσε μὴ κλέπτειν. i. prohibuit nō furari, non significatur quòd adhortatus sit ad furtum. Præterea quum dicitur ἐκώλυσεν

D ἀπέχεσθαι ἀῤῥητοποιΐας. i. ꝓhibuit à nefandis abſtinere, hoc eſt, abegit à tali actione. Ita etiam ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων. i. prohibebant abſtinere à cibis, hoc eſt, prohibebant à cibis. Apud externos quoque ſcriptores multus eſt horum vſus. *Ad participandum cum gratiarum actione.* Vide quomodo delitias abiecerit nomine participationis? Participatio enim mediocrē acceptionem ſignificat. Ipſas tamen delitias non vt rem immundam abiecit, ſed quòd animæ impedimento ſint per immoderantiam & veluti diruptionem. Fidelibus, inquit, deus cibos creauit ad participandum gratias agendo. Infidelibus enim nō ita: nam hi propriis legibus ſeipſos ab eis arcent. Et *iis qui cognouerunt ueritatem.* Iudaica
E ſanè erat figura: nunc enim eſt veritas. Multa autē illis prohibita ſunt, non quòd impura eſſent, ſed vt à delitiis compeſcerentur. Veritatem verò dicit fidem quæ in Chriſtum eſt. *Quòd omnis creatura dei bona ſit.* De eſculentis loquitur. Etiam illorum quoque ſectam diruit, qui materiam ingenitam aſſerebant, ac cibos illius eſſe dicebant. Et *nihil reiiciendum.* Itaque neque idolothytum reiiciēdum eſt, modò cum oratione ſumatur, ſi ignores: quoniam ex lege reus efficeris quæ præcipit ne immundus reddaris menſis idolorum: ex transgreſsione ergo legis immundus redderis, quemadmodum etiam quod omnino purum eſt, ſi ſine gratiarum actione ſumatur, immundum redditur propter volūtariam tuam ingratitudinem. *Sanctificatur enim per ſermonem dei & orationem.* Si ſanctificatur, fit igitur illud, quia immundum e-
F rat? nequaquam: nam omnia mūda ſunt: ſed duo ponit hìc capita aduerſus eos, qui cibos aliquos immundos eſſe dicebant: primùm quidem quòd omnis creatura dei bona ſit, nihilq; immundum eſt: ꝙ ſi quis etiam admittendo donet aliquid eſſe immūdum, accedit hoc etiā modo pharmacum, inquit, ſanctificatur per ſermonē dei, hoc eſt, per orationem. Ponitur autem ordine præpoſtero: nam intelligitur ſic, Per ſermonem & orationem quæ fit ad deum.

De his ſi commonefeceris fratres, bonus eris miniſter Ieſu Chriſti, enutritus ſermonibus fidei, bonæque doctrinæ, quam vſque ſequutus es. Cæterū, aniles & prophanas fabulas reiice,

De his: quibus? quę de mysterio sunt & quæ de hæresibus, A
quæque de cibis retexuit. Animaduerte autem ꝙ non dixerit, Si iusseris, sed Si commonefeceris. Nam oportet episcopum nunc submisſionem ostendere, nunc principatus autoritatem. *Bonus eris minister*. Christo enim ministrat qui ea docet quæ Christus vult doceri. *Enutritus sermonibus fidei*. Quemadmodum, inquit, à nutrimento non discedis, ita neque ab his sermonibus: aut quòd in his nutritus sis spirituali nutrimento. Siquidem non solo pane viuet homo. Nō ergo solùm oportet te de his fratres commonefacere, sed & Mat. 4.
teipsum his nutrire. *Bonæq; doctrinæ*. Est enim & praua doctrina hæreticorum. *Quam usque sequutus es*. Hoc est, in qua fuisti educatus. *Cæterùm aniles & prophanas fabulas*. Iudaicas dicit obseruationes. Nam hæ suo tempore vtiles B
erant, nunc autem aniles sunt ac putridæ. Aut de Græcorum & hæreticorum nugis hæc dicit: verè enim prophanæ sunt & impiæ ac delirantium verba anicularum. Iupiter, inquiūt, coiuit cum Iunone: Mars adulterium perpetrauit cum Venere: Vulcanus è cælo deiectus est.

CAPVT VIII.

*De certamine ad pietatem propter spem.*

EXerce autē temetipsum ad pietatē. Nam corporalis exercitatio ad modicū vtilis est, at pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promisſiones habeat C
vitæ præsentis ac futuræ. Credibilis sermo, dignúsque qui modis omnibus acceptetur. Nam in hoc & laboramus, & probris afficimur, quòd spem fixam habeamus in deo viuente, qui est saluator omnium hominum.

*Exerce*. Hoc est, assuefacito. *Ad pietatem*. Pietas est vitæ diligentia, ac studium cum recta fide. *Nam corporalis exercitatio*: quæ corpus sanum reddit. Est autem comparatio à minori. *Ad modicum utilis est*: vtpote ad corpus duntaxat, vitámque præsentem sese extēdens. *Promisſionem habent uitæ*. Vides vtilitatem? Quia & in præsenti & in futu-

D ra vita pietas viuificat ſpiritualem vitam. *Credibilis ſermo.* Credibilis & acceptabilis eſt talis ſermo. Qualis? Qui & hic & in futuro vitam tribuit. Vide autem quòd & credibilem ipſum dixerit, nempe quòd verus ſit: & omnibus amplectendum. Contingit enim verum quidem eſſe, ſed de quo ambigitur. Vt autem diſcipulum faceret audentiorem, aſſertiuè loquitur in tota epiſtola. *Nam in hoc & laboramus.* In hoc: quidnam illud eſt, ꝙ ſpem fixam habeamus in deo viuente. Nos enim hoc cognoſcentes laboramus abſque vlla hæſitatione: & propter hoc inimici maximè nos impugnant. *Qui eſt ſaluator omnium.* In hac vita ſaluator eſt omnium: in futura verò non omnium, ſed eorum qui ſaluari digni fuerint. Preterea verò maximam hic gerit curam fidelium, ꝙ quum
E impetamur à tam multis, ſaluamur tamen. Timotheum verò hortatur ad pericula pro fide toleranda, quòd deum habeat ſaluatorem.

CAPVT IX.

*Adhortatio ut ſuiipſius curam habeat & eccleſiæ.*

PRæcipe hæc, & doce. Nemo iuuentutem tuam deſpiciat: ſed eſto forma fidelium in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in ſanctimonia. Donec venero attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Ne neglexeris quod in te
F eſt donum, quod datum eſt tibi per prophetiam cũ impoſitione manuum, autoritate presbyterii. Hæc exerce, in his eſto, vt tuus profectus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibiipſi & doctrinæ, perſiſte in his. Nam ſi id feceris, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audierint.

Illis enim qui ex ſcientia peccant, cum autoritate præcipere oportet: eos autem qui ex ignorantia, docere. Et vt vno verbo eloquar, qui adhortatur ad bona, docet: qui autem prohibet malum, præcipere dicitur. *Nemo iuuentutem tuam.* Oportet enim magna cum autoritate diſſerere epiſcopum.
*Philip. 4.* Et vbi ergo eſt illud quod dicitur, Modeſtia veſtra nota ſit

omnibus hominibus? Et dicimus, quòd inter eos à quibus ipſe iniuria afficitur, mitis eſſe debet: inter illos verò per quos fratres errantes offenduntur, auſterus. Aut hoc modo: Si decentiſsimam degas vitam, non deſpicietur iuuentus quæ facilè deſpectui eſſe ſolet. *Sed eſto forma fidelium.* Tanquam viua imago & regula beatæ vitæ. *In ſermone.* Loquendo quæ præceptorem loqui oportet. Vide autem quòd doctorem habere oporteat dicendi facultatem. *In cõuerſatione:* In vita & conſuetudine viuendi. *In dilectione.* quæ erga omnes eſt. *In ſpiritu:* aut ſpirituali ordine, aut in dono ſpiritus, ne in hoc extollaris. *In fide:* recta, qua quis deo indubitanter credat, etiam de impoſsibilibus. *In ſanctimonia:* hoc eſt, puritate, virginitate, temperantia. *Donec uenero attende lectioni.* Veriſimile enim erat quòd ipſe tanquam Paulo orbatus, eum optaret. Bifariam itaque conſolatur illum, & promiſsione ſui aduentus, & conſolatione à ſcripturis. Animaduerte autem, ſi Timotheo vt legat præcipitur, quid nos facere oportet? *Exhortationi:* ad populum. *Ne neglexeris quòd in te eſt donum.* Hoc eſt, doctrinam aut epiſcopi munus. Nam gratiæ dei erat, quòd iuuenis meruiſſet paſtor fieri. *Quod datum eſt tibi per prophetiam.* Iuſſu nanque ſpiritus facti ſunt epiſcopi, & non paſſim. Eſt autem prophetiæ genus præſentia quoque dicere: vt quum dicitur, Segregate mihi Barnabam & Saulum. Act.13.
*Cum impoſitione manuum autoritate presbyterij.* Presbyteros dicit epiſcopos: neque enim presbyteri epiſcopum ordinabant. *Hæc exerce,* Quænam? Ea quæ ſuperiùs dixit. In ſermone, inquit, in conuerſatione, in fide, in ſanctimonia. Ex eo autem quòd frequenter eadem iubet, oẽſtdit epiſcopum debere hæc indubitanter obſeruare. *Manifeſtus ſit in omnibus.* Quòd ſi non fuerit vehementer magnus, nequaquam fieri poteſt manifeſtus. In omnibus autem, vel hominibus vel rebus. *Attende tibiipſi & doctrinæ.* Hoc eſt, intende & animum adhibe, non tibipſi ſolùm, ſed & doctrinæ, vt aliis quoque proſis. Deinde accuratè præcipiens ait, Perſiſte in his. *Nam ſi id feceris, & teipſum ſaluum facies.* Siquidem alios adhortando, etiam is qui adhortationem facit, compungitur & vtilitatem accipit, erubeſcens in his fieri obnoxius, à quibus alios deterret.

D CAPVT X.

*Vt se unicuique aptè accommodet.*

Cap. 5. SEniorem ne sæuiùs obiurges, sed adhortare vt patrem, iuniores vt fratres, mulieres natu grandiores vt matres, iuniores vt sorores cum omni castitate.

Non nouum aliquod tradit documentum, sed omnia vetera sunt. Quid ergo dicit? Si correctione opus sit, tanquam patri admoueas, cum mansuetudine docens. Quoniam enim grauis est aspera obiurgatio, maximè iuuenis erga senem, per modestiam præciditur quod graue est. *Iuniores ut fratres*. A communi sensu subaudito Adhortare. Propterea autem vt fratres, quo ipsorum temeritatem ad modestiam reuoces. *Mulieres natu grandiores ut matres*. Propter dictam de senioribus caussam. *Cum omni castitate*. Quoniam colloquutiones quæ fiunt cum iunioribus ægrè suspicionem effugiunt, tu id cum omni castitate facito, hoc est, ne ad tenuẽ quidem vsque ad beneuolẽtiam. ALIO MODO. Non solùm Timotheum, sed & omnem per hoc admonet episcopũ.

E

CAPVT XI.

*De uiduarum ætate & modo, ac gubernatione.*

VIduas honora, quæ verè viduæ sunt. Quòd si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant primùm domũ propriam piè tractare, & vicem rependere maioribus: hoc enim acceptũ est corã deo. Porrò quæ verè vidua est ac desolata, sperat in deo, & perseuerat in obsecrationibus ac precationibus, noctu diéque. Cæterùm quæ in delitiis versatur, ea viuens mortua est. Et hæc præcipe, vt irreprehensibiles sint. Quòd si qua suis & maximè domesticis nõ prouidet, fidem negauit, & est infideli deterior.

F

Quare de virginibus nihil dicit? Fortassis adhuc non erant. Quæ sit autem verè vidua in progressu dicit. Iussit autem ipsas honorari, eo quod maritos non habeant neq; liberos,

& apud multos res execranda videntur: propterea, inquit, apud sacerdotem magno habeantur in honore, vt qui corrigat obprobria ab aliis illata. Aut honorem dicit rerũ necessariarũ subministrationem. *Quòd si qua uidua liberos habet.* A
Hæ non veræ sunt viduæ. Verè enim tales dicuntur, quę vndique desolatæ sunt. *Domum propriam piè tractare.* Hoc est, honestè disponere. *Et uicem rependere maioribus.* Vide beati Pauli prudentiam. Frequenter & ab humanis exhortatur rationibus. Quoniam, inquit, maiores te quæ vidua es prouexerunt, & tui curam habuerunt: tu ergo cum illis vicem rependere nequeas, sunt enim mortui: per illorũ nepotes, tuos autem liberos, vicem illis repende, his gratias reddens quas illis debebas. ALIO quoque modo. Ad ea verba discant liberi & nepotes primùm domum propriã piè tractare: hoc est, discant liberi & nepotes matrem propriam honorare & alere ac illi benefacere. Nam hoc significat Piè tractare, & Maioribus, hoc est, auiæ, Addit quoque ad rationem, quòd hoc deo sit acceptum. *Porrò quæ uerè uidua est.* Quoniam iussit eas honorari quæ verè sunt viduæ, dicit nunc quales sunt verè viduæ, veluti narrando describens illas. Desolatam autem dicit, & à filiis & à nepotibus. *Et perseuerat in obsecrationibus.* Hæc itaq; verè vidua est quæ sperat in domino, & perseuerat in obsecrationibus. Quoniam enim ab humano deserta est auxilio, meritò ad deum confugit. *Cæterùm quæ in delitiis uersatur ea uiuens mortua est.* Siquidem quia multę viduitatem eligunt vt maiori autoritate faciant quæ nõ oportet, ait, Quæ in delitiis versatur, id est, delitiosè agit, ea viuens mortua est. Quomodo? quia præsenti vita videtur viuere: sed vitam perdit æternam. *Et hæc præcipe.* Mortua est ergo per peccatum quantùm ad illam vitam. *Et hæc præcipe.* Vides ꝙ rem hanc tanquam legem esse velit. Non enim adhortatur vt eligãt non vacare delitiis, sed tanquam peccatum vetat. *Quòd si qua suis.* Non sufficit nanque ad salutem propria tantùm virtus, nisi de aliis etiam curam habeat. De vidua autem hæc dicit: Suos verò appellat qui genere eam contingunt. Siquidem contingit suos esse, putà amicos, non autem etiam domesticos. Debet itaq; suis prouidere, maximè autem domesticis: quod non facit ea quæ in delitiis versatur, solis delitiis animum adhibens.

B

C

D *Et maximè domesticis*. Suis & domesticis prouidet qui non solùm curam habet eorum qui aliquo modo cõtingunt, sed & suiipsius, proprios amputando affectus. Ita Clemens 7. informationum. Prouidẽtiam siue curam dicit & illam, quæ circa animam est, & quæ circa corpus. *Fidem negauit*. Et quomodo ea quæ in delitiis versatur, & suis ac domesticis nõ prouidet, fidem negauit? Quia dictum est, inquit: Et domesticos qui de semine tuo sunt ne despicias. Quòd si deum videris non negare, si tamen leges eius transgrederis, ipsum deum negasti. Dictum est enim, Deum profitentur se nosse, cæterùm factis negant. Quomodo autem est etiã infideli deterior? Quia infideles quanquam non omnibus, at saltem cognatis prouident, naturæ lege inducti.

Iesa.58.

Vidua allegatur non minor annis sexaginta, quę fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis hominum testimonio comprobata: si liberos educauit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lauit, si afflictis subE ministrauit, si omne opus bonum prosequuta est. Porrò iuniores viduas reiice: quum enim lasciuè egerint aduersus Christum, nubere volunt, habẽtes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint. Simul autem & otiosæ discunt circumire domos: imò non solùm otiosæ, verumetiam garrulæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

F Hic ætatem quoque cum cæteris quæ hoc loco ponuntur omnino requirit, & caussam in progressu ponit: ita quòd licèt sexaginta sit annorum, nisi & cætera habeat, non allegatur. Aiunt autem ipsum illas dicere, quæ in vidualem ordinem deputatæ sunt. *In operibus bonis*. Vbi generaliter dixit, In operibus bonis, consequenter etiam specialia enumerat. De liberorum autem educatione superiùs quoque dixit. Quid ergo si non habeat liberos? Faciat cætera. *Si fuit hospitalis*. Vides ꝙ & hìc officia erga proprios, illis præponit quæ sunt erga extraneos? Vbi enim dixit, Si liberos educauit, subdit consequenter, Si fuit hospitalis. *Si sanctorum pedes lauit*. Sed dicet, Paupercula sum, nec facultates mihi

Oecum.

suppe-

ſuppetunt, vt ſim hoſpitalis vel afflictis ſubminiſtrem. Num A
ſanctorum, inquit, pedes lauare nõ potes? Num facultas deeſt, vt bona opera proſequaris? Horũ enim ſingula dixit iuxta ea quæ ſuppetunt. *Si ſanctorum pedes lauit.* hoc eſt, ſi extrema miniſteria ſanctis abſque rubore exhibuit. Ita Clemens 7. informationum. *Si omne opus bonum proſequuta eſt:* hoc eſt, communicauit, ſubminiſtrauit. Quanquam enim facultas deſit ad operandum, adeſt tamen facultas ad ſubminiſtrandũ. *Porro iuniores uiduas reiice.* Quamobrem, quum maius ſit in virginibus certamen, nuſquam videtur tẽporis obſeruationem exprimere? Quia illæ à maiori fidei feruore ad hoc venerunt, hæ verò neceſſitate quadam, quæ ſolitudi- B
nem ſequitur. Aut quòd etiam de virginibus dicẽs, quòd aſ- 1. Cor. 7.
ſidua ſit, & curet quæ domini ſunt, magnã diligẽtiam adhibuit. *Quum laſciuè egerint aduerſus Chriſtum.* Erant fortaſſis nonnullæ quæ hoc egerant. Vide autem quòd verè viduæ etiam Chriſto adiunguntur: quæ autem ipſi adiunguntur, in ordinem virginum conſtituuntur. Adiunxi vos, inquit,
vni viro vt virginem caſtam exhiberetis Chriſto. Hæc autẽ 2. Cor. 2.
vniuerſis aptat eccleſiis. Cæterùm quid ſibi vult ὅτ' ἂν καταςρηνιάσωσι? hoc eſt quando torpuerint, quãdo laſciuierint, quando fictè recuſantes delitiatæ fuerint, quando ſuperbè egerint aduerſus Chriſtum, non ſuſcipientes ipſum ſpõſum, ad nuptias deinceps excidunt, non enim viduitatis ſtatum
iudicio rationis delegerunt. *Quòd primam fidem reiecerint.* C
Pactum ergo Chriſtum dicit. Pactæ ſunt enim quòd Chriſto adiungerentur: reiiciunt autem ipſum ad humanas deuolutæ nuptias. Poſt hæc verò & in aliud, inquit, peccatum decidunt, nempe otium. Non ſolùm ergo viros iuſsit operari, ſed & mulieres. Omne enim malum ex otio gignitur. *Simul & otioſæ diſcunt.* Quomodo autem otioſæ diſcunt? Habentes adſcititios viros qui eis neceſſaria ſuppeditẽt, ſegnes quidem ſunt ad opera curam tamen habẽt vt viris ſpecioſæ videantur. *Imò non ſolùm otioſæ, ſed & garrulæ.* Mens enim nobis ad operandum à creatore fabricata eſt. Vbi ergo bonũ opus ei nõ ſubminiſtrauerimus, ipſa aſſumit opera abſurda,

Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare, nullam occaſionẽ dare aduer-

D sario, vt habeat maledicendi causam. Iam enim nõnullæ deflexerunt post Satanam. Quòd si quis fidelis, aut si qua fidelis habet viduas, suppeditet illis, & non oneretur ecclesia, vt iis quæ verè sunt viduæ suppetat.

Bonum quidem fuisset vt quæ semel inter viduas allectę essent, non lasciuè agerent aduersus Christum, neque primam fidem reiicerent. Verùm quia hoc faciunt, nubant: seipsas Christo non despondeant, & ita nubant: hoc enim peccato vacat, illud verò impium est & scelestum. Illarum nanque inhiatio & socordia ita coercetur exuberanti afflictione & cura. *Nullam occasionem dare aduersario.* Si enim

E rectà nupserint, non prius Christo desponsatæ, ad maledicẽdi occasionem seipsas non deducent. Non vt sine timore viuant nubere præcepit, sed vt curis pressæ, prospiciant vt decenter viuant. *Iam enim nõnullæ deflexerunt.* Quare autem tantam obseruantiam circa has habuisti, & maiorem quàm circa virgines? Quia hæ, inquit, occasionem dederũt, deflectentes post Satanam. Nam hæc dico, inquit, non vt nõ sunt viduæ iuniores, sed veritus ne Christum reiicerent.

*Quòd si quis fidelis.* Rectè dicit, Si quis fidelis, aut si qua fidelis. Nam si infideles essent, non oporteret vt ab eis alerentur, ne viderentur fideles egere infidelibus. Præterea quoque legislationes illos concernunt qui ipsis parent, non eos qui subiecti non sunt. *Suppeditet illis.* Rem faciat quæ

F minimè grauis esse debet. Per hoc enim quòd ait ἐπαρκείτω id est suppeditet, necessarium significauit alimentum. *Et non oneretur ecclesia.* Itaque fideles qui suas alunt viduas, etiam ecclesiæ viduas iuuant: quandoquidem non grauata ecclesia vberius alet quas alit, nempe quæ verè sunt viduæ, hoc est quibus nullus præest, sed desolatæ sunt. *Vt iis quæ verè sunt viduæ suppetat.* Verè viduę quę vndiq; desertę sunt. Nam qui hoc facit, non solùm alit quam alit, sed & reliquis multùm confert, dum occasio est, vt illis abundantius suppeditetur.

## CAPVT XII.

*De presbyterorum honore.*

QVi bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè ii qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura: Non obligabis os boui trituranti. &, Dignus est operarius mercede sua. Aduersus seniorem ne admiseris accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant, coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Obtestor in conspectu dei, ac domini Iesu Christi, & electorum angelorum, vt hæc serues sine præcipitatione iudicii, nihil faciens iuxta propensionem animi.

A

Deu. 25. Matt. 10.

B

Quinam autē bene præsint Christus significauit. Bonus, inquit, pastor animā suam ponit pro ouibus. *Duplici honore digni habeātur.* Honorē dicit necessariorū vsum, aut potius suppeditationem. Nō obligabis, inquit, os boui triturāti. &, Dignus est operarius mercede sua. Duplici verò, collatione facta ad viduas, non ad presbyteros, qui non bene præsunt. Nam illi ne simplicē quidē merentur honorē, sed magis expellēdi sunt. Aut duplū dicit multū. *Qui laborāt in sermone.* In sermone nō fastuoso, sed qui spiritualiter alere potēs sit. Vbi ergo nūc sunt qui asserunt nō opus esse, qui sermonib⁹ aut doctrina præsit, sed vita? Audiant nūc Paulum quomodo sermonē honorat, quum addit, Maximè: nam & hoc necessarium est si quid aliud. Quum enim de dogmatis sermo inciderit, quæ ibi vita sufficere poterit? Animaduerte autē ꝙ ad aliquid oppositū dicit: Nō obligabis os boui triturāti. Siquidem obligādū est illi os, qui nō triturat. *Dignus est operari⁹ mercede sua.* Etiam Christus legi cōsona loquitur. Mercede, alimēti videlicet. Operariū verò dicit eum qui laborat, nempe ꝙ is qui nō laborat, indignus sit alimētō. Hæc autem præceptoribus loquitur, qui nō laborāt in doctrina. *Aduersus seniorē ne admiseris accusationem.* Quid ergo? an aduersus iuniorem admittēda est huiuscemodi accusatio? Nequaquā sed tāquam diceret: Aduersus nullū, maximè autē aduersus seniorē: nam habent hi, & ab ipsa ætate frænum quoddam. πρεσβύτερον ergo vocat eum, qui ætate senex est. *Eos qui*

Ioan. 10.

C

D *peccãt, corã omnibus argue.* Quęre, inquit, diligẽter: quúmq; inueneris, cũ vehemẽtia obiurgato. Nã id significat ἔλεγχε. Coram omnibus autem, vt & cęteri ad modestiã reuocẽtur.
Exo. 14. Hoc fecit deus, & in Pharaone, & in Nabugodonosor. *Ob-*
Dan. 4. *testor in conspectu dei.* Aduerte vehemẽtiam. Neq; enim eo ꝙ Timotheus tantus esset supplex petit, sed obtestatur, suas partes stabiliẽs, si quid fiat eorũ quę nõ oportet. Quare autẽ vocatis patre & filio in testes, etiam angelos simul vocauit? Quia & hi vnà cum suo domino in futuro iudicio aderũt, & sermoni attestabũtur. Moris est autem etiã nobis, & eminẽtes, & inferiores personas in testes sumere. Atq; hoc modo
Gene. 31. Iaacob & deum & tumulum, siue aceruum lapidum in testẽ assumit. *Et electorum angelorum.* Dixit autẽ electos ange-
E los, quia dæmones quoq; sunt angeli, sed reprobi. ALIVD.
Oecum. Aut id quod re vera erat dixit, aut ad discrimẽ reiectorum.

*Vt hæc serues sine præcipitatione iudicii.* Hæc, putà quæ dixit. Sine præcipitatione iudicij, id est, vt nihil eorum quæ dicta sunt temerè & imprudenter, ac non præeunte iudicio, aut cõsilio facias. *Iuxta propensionẽ animi.* Hoc est, ex prę-sumptione: siquidem præsumptiones frequenter destituuntur veritate. Est enim πρόσκλησις affectatio, quæ aliquem prouocat ad quidpiam sine iudicio faciendum. *Sine præcipitatione iudicij.* Clemens 7. informationum libro intelligit, χωρὶς προκρίματος, hoc est cauens ne ad aliquid impingendo, subiiciaris iudicio, & vltioni inobedientiæ. Sanctus
F autem Basilius in interpretatione parabolarum ait: Non secundum acclinationem (legit enim πρόσκλησιν per ἰῶτα, id est, non declinans ad id quod rectum non est, sed rectum ferens iudicium. Ita enim dicit: Nihil faciens secundum acclinationem, sed recta & non peruersa ferens iudicia.

## CAPVT XIII.

### *De cauta electione.*

MAnus citò nemini imponas, neque communices peccatis alienis. Temetipsum castum serua. Ne posthac bibas aquam, sed modico vtere vino propter stomachum tuum, & crebras tuas infirmitates.

De electionib' etiam differit, nã ad episcopum scribebat. A
Quod ait Citò, id est, non à prima aut altera statim inquisitione: sed vbi frequenter ac diligenter inquisieris. *Neq; cõmunices peccatis alienis:* indignum populo episcopũ præficiẽs. *Temetipsum castum serua.* De temperantia ei præcipit Quòd si hæc scribit viro adeo sese ieiuniis & aquæ potu extenuanti, vt inde etiam ægrotaret, quid nos facere oportet, aut quonã modo obseruare? *Ne posthac bibas aquã.* Et quare Paulus non sanabat eius stomachum, qui corporales etiã sanitates operabatur, sed diçta vult eum sanari? Vt monumẽtum nobis fieret, ne facilè offenderemur, si probi viri infirmarentur: & vt ipse Timotheus per ægritudinem in officio contineretur, ne superbiret. Deniq; vt nos sciremus ꝙ quũ eiusdem nobiscum essent naturæ, bona illa opera exercebãt quæ faciebant: quãdoquidem potuit eum Paulus vnica prece sanare, sed omnino nõ expediebat. Plurima autem in hoc refert Chrysostomus. Vide itaque librum quo de imaginibus agit; & pulchrè admodũ videbis quæ hac in re in eo loco tractata sunt à diuino Chrysostomo, in proœmiali vt opinor versu. *Sed modico utere uino.* Tanto videlicet, quantum ad salutem opus est, scit enim etiam abundantius vinũ nocere. Hinc autem significat quòd non solo stomacho ægrotabat, sed aliis quoque corporis membris.

Nota.

B

*Ephe. 5.*

CAPVT XIIII.

*Quòd nullum opus sit occultum.* C

QVorumdam hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudiciũ, quosdam verò & subsequuntur. Consimiliter & bona opera antè manifesta sunt: & ea quæ secus habent occultari non possunt.

Quoniam antea dixerat, Ne cõmunices peccatis alienis, quasi per obiectionem soluit quòd dictum est. Quid enim, diceret Timotheus, si eius qui ordinatur peccata ignorem, nunquid eis communico? ait: *Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt præcedẽtia ad iudicium.* Talium igitur peccata diligẽter inquiras, & omnino cognoscas. *Quosdam ue-*

D *rò & subsequuntur*: hoc est, post ordinationem sequuntur. Prioribus ergo communicaturus esses: negligentiæ enim esset quæ manifesta sunt non cognoscere. Posteriorib⁹ verò non ita, nihil eum ad te. Scio me apud quendam sanctorum huiusmodi legisse interpretationem: quòd quorũ præcedũt peccata, hi omnibus manifesti sunt: sint ergo & tibi: quos autem subsequuntur, hos tu obserua prospicientibus oculis. Si quid igitur præter hoc facias, cõmunicabis peccatis. Diuus autẽ Basilius ita interpretatus est, quasi nihil huius capitis ad ordinationem pertineat. Quicunque, inquit, ipsi peccauerunt soli, peccata habent ad iudicium præcedentia ac trahentia. Quotquot autem etiam postquam hinc discesserunt aliis peccandi occasiones reliquerunt, quemadmodum Ne-
E storius cæteriq; hæretici, hos etiam discedẽtes subsequuntur peccata: nam etiam propter ipsos labentium peccata illis imputantur. *Consimiliter & bona opera.* Hoc est pari modo. Quæcunque, inquit, de peccatis dicta sunt, hæc etiam accipe de bonis operibus. Sunt enim qui aliis facti sunt occasio salutis, horum recta opera ad eos quoque referuntur qui semina dederũt. ALIO MODO. Hoc de impiis dicit hæresiarchis: habent enim subsequentia post mortem peccata, nempe doctrinam pernitiosam quam dereliquerunt in hac vita: perditio nanque eorum qui ab eis edocti sunt, occasio ipsis efficitur æterni supplicij.

## CAPVT XV.

F
### *De obedientia seruorum.*

Cap.6. QVicunque sub iugo sunt serui, suos dominos omni honore dignos ducant, ne nomen dei & doctrina malè audiat. Qui verò fideles habent dominos, ne contemnant quòd fratres sint, sed magis inseruiant quòd fideles sint ac dilecti, qui beneficentiæ participes sunt. Hæc doce & exhortare.

De credentibus seruis differit, qui dominos habent incredulos. Hæc, inquit, etiam exhortare vt quicunque, &c. *Ne nomen dei.* Nam si serui credẽtes, ob id quòd domini essent increduli, obaudirent eis, essentq; arrogãtiores, occasionem

darent suis dominis conuitia iaciendi in Christum ac prædicationem, tanquam occasio facta esset contumaciæ seruorum. *Ne contemnant quòd fratres sint.* Ne propterea, inquit, quòd frater sis, contẽptus occasionem sumas: sed potius alacri animo, ꝙ fideles sint, deoque dilecti domini, magis inseruias, timori adiũgens etiã dilectionẽ. Quantũ enim beneficium recipitis in hoc ꝙ dominos habeatis fratres, tantũ & vos grati sitis, magis inseruiẽdo Aut quia vice versa, beneficium à dominis recipiunt dum alũtur ac vestiuntur. *Sed magis inseruiant*: nẽpe serui. Per hyperbaton enim ponitur. In medio autem locetur, Quòd fideles sint ac dilecti, & subaudiendum est, domini: Aut simpliciter vt habet intelligẽdum est, Qui beneficium recipiũt, hoc est, domini, curam habeãt vt etiam seruis bene faciant. *Hæc doce & exhortare.* Non sanè autoritate, sed lenitate indiget præceptor. A B

CAPVT XVI.

*Aduersus auaros & falsos præceptores.*

SI quis diuersam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinę, is inflatus est, nihil sciens, sed languens circa quęstiones ac verborũ pugnas, ex quibus nascitur inuidia, contentio, blasphemię, suspitiones malæ, superuacaneæ conflictationes hominum mente corruptorum, & quibus adempta est veritas, qui existimant quæstum esse pietatem. Seiungere ab his qui eiusmodi sunt. Est autem quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in hunc mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus. C

*Diuersam sequitur doctrinam*: hoc est, aliam ab ea quæ recta est. *Et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ.* Quòd dixit, Sanis sermonibus, hoc nunc vocat doctrinam secũdum pietatem, doctrinã videlicet fidei. *Inflatus est, nihil sciẽs.* Nam

D qui ea non nouit quæ ſcire oportet,is nihil ſcit. Qui verò ea quæ ſana ſunt,non nouit,is ſanè dęmoniaca nouit. Porrò faſtus res amica eſt ac propria dęmonibus. *Circa quæſtiones ac diſputationum pugnas.* Si enim nō credas ſed inquiris,neceſſe eſt verborū pugnas eſſe ac diſſenſiones rationum. Siquidem quia Chriſtianiſmus futura promittit, quæ oculis demonſtrari nequeunt,neceſſaria eſt fides. Conſydera verò quòd conſultare & inquirere, eſt ægrotare. *Blaſphemiæ.* Neceſſe eſt enim eum qui humanis permittit rationibus diuina etiam in blaſphemias incidere ex quæſtionibus. *Suſpitiones malæ.* Hoc eſt, opiniones & adulterina dogmata. *Superuacaneæ cōflictationes.* Morbi prauorúmq; dogmatum
E trāsfuſio. Sumitur autem metaphora in voce διαπαρατριβαὶ, à ſcabioſis ouibus quæ applicatæ aliis & attritæ,etiam ſanas morbo implent. *Qui exiſtimant quæſtum eſſe pietatem.* Vides quòd etiam pugnæ verborū turpe lucrum pariunt? Nec mirum,qui enim verbis contēdunt, plures attrahendo diſcipulos,ex his quæſtum faciunt ſiue lucrū pecuniarum. Fingunt enim pietatem vt per ipſam congerant. *Seiungere ab his qui eiuſmodi ſunt.* Non dixit Implicare talibus & ediuerſo contende, ſed ſeiūgere poſt vnam & alterā admonitionē. Quādo enim perſuadere poteris hominibus qui pecuniæ gratia pugnant? Quum igitur incorrigibiles ſint,deuita illos. *Eſt autem quæſtus magnus.* Illi quidē in hoc fingūt pietatem vt quęſtus & lucri anſam accipiāt. Verum autē lucrum eſt ipſa
F pietas in ſemetipſa,& hæc habens quæ ſatis ſint & non quæ exuberēt in rebus temporalibus. Aut ꝙ lucrum eſt ipſa pietas,ſi nos quoq; non plura petamus, ſed in ſufficientia perſiſtamus. *Nihil enim intulimus in hunc mūdum.* Si nihil intulimus nec quicquam efferemus,quorſum habere cupimus vltra neceſſaria? *Sed habentes alimēta.* Tantū,inquit edere oportet,quantum ſatis ſit ad alēdum,non quantum prouocet ad delectationem. Et tot ac talibus operiri oportet,quæ nuditatem tegant,non quæ delitias inducant ac mollitiem adferant. Hoc enim deſignat nomen alimenti ac tegumenti.

Cęterùm qui volunt diteſcere incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas ſtultas ac noxias quæ demergunt homines in exitiū,& interi-

tum. Siquidem radix omniũ malorum eſt ſtudium pecuniæ,quam quidã dum appetunt,aberrauerunt à fide & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. Tu verò homo dei hæc fuge: proſequere autem iuſtitiam,,pietatem,charitatem,patientiam,manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternã, ad quam & vocatus es, & profeſſus es bonam profeſsionem coram multis teſtibus. A

Non de his loquitur qui rectè diuitiis vtuntur, ſed de illis qui ipſas concupiſcũt. Nam qui concupiſcit, nequaquam alteri tradere poſſet, ne ſibi deeſſent quæ deſiderat appetitus. *Et cupiditates multas.* Affluentes enim diuitiæ,nimiáque potentia ad abſurdas impellunt cupiditates. *Demergũt homines.* ne amplius valeant emergere. *Aberrarunt* Obtenebrat enim ſtudium pecuniæ oculum animæ, nec rectà ſinit incedere. *Et ſeipſos implicuerunt.* Siquidem ſtudium pecuniæ ſpinarum in modum ſtringentis manus cruentare facit. *Doloribus multis.* Non ſolùm,inquit,in his quæ dei ſunt impedimento eſt velle diteſcere, ſed & corporaliter laceſsit amatores, curis, vigiliis, ac terroribus ipſos tranſfigens. *Tu uerò homo dei.* Magna dignitas. Omnes nanque homines, etiam ſerui dei ſunt, maximè tamen iuſti: non tantùm ratione creationis, ſed & ratione proprietatis ac familiaritatis. *Hæc fuge:proſequere.* Vtrumque epitaſim habet. Neque enim dixit, Ab illo quidem diſcede,huic verò adhære: ſed Fuge & proſequere. *Proſequere autem iuſtitiam.* Ne plus habeas quàm vitæ ſatis ſit. *Pietatem,* in dogmatis. *Fidem:* quæ eſt ſine quæſtionibus. *Charitatem:* quæ à fide producitur, quæ erga deum eſt & homines. Eſt autem bonus ordo ſermonis. Nam à fide oritur charitas, à charitate verò patientia: patientia autem quum per viam graditur, manſuetos facit. *Bonum certamen fidei.* Certamen verò fidei & in his conſiſtit quæ dicta ſunt,& in ferendis viriliter afflictionibus. Ac protinus ſequitur retributio huiuſmodi certaminis, vita ſcilicet æterna. *Ad quam uocatus es.* Quiſquis enim venit ad baptiſmũ,ad hanc vocatur.

D *Bonam professionem.* Professionem maximè dicit eam quæ fit in baptismo, quando profitemur nos renuntiare diabolo, asscribi autem & credere Christo.

## CAPVT XVII.

*Præceptum horrore plenum, de pura obedientia usque in finem.*

PRæcipio tibi in conspectu dei qui viuificat omnia, & Iesu Christi qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues præceptum immaculatum, irreprehensibilis vsque ad apparitionem domini nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est ille beatus & solus princeps, rex regnantium & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatẽ, lucem habitans inaccessam, quem nemo vidit hominum, neque videre potest: cui honor & imperiũ sempiternum, Amen.

E

Rursum deum adducit in testem, & terrorem addens, & discipulum firmiorem reddens, quòd eum qui in testem adducitur habeat in mente. *Qui uiuificat omnia.* Id etiam exhortatio est ad pericula. Nam si deus, inquit, omnia producit in vitam, cur pro fide certamina subire horremus? Et quòd ad hoc exhortetur, ex eo manifestum est quod sequitur, Iesu Christi qui testatus est sub Pontio Pilato. Si enim dominus tulit testimonium siue martyrium, quare nos recusamus & cunctamur. *Qui testatus est sub Pontio Pilato.* Testatus est per ea quæ fecit quòd ipse esset Christus filius dei. Ita habet Clemens septimo informationum. *Bonam confessionem.* Quam vocat bonam confessionem? Eam per quam cõfessus est, ænigmaticè tamen, ꝙ deus esset. Siquidem quũ dixisset Pilatus, Num rex es tu? Ego, inquit, ad hoc natus sum. *Præceptũ immaculatum.* Hoc est, neq; dogmatum neq; vitæ macula aspersum. *Vsque ad apparitionem.* Vsq; ad extremum, inquit, tuum spiritum. Ita tamen nõ dixit, sed quo vehemẽtius ipsum excitaret, apparitionis domini meminit & admirandæ gloriæ. *Temporibus suis.*: Hoc est, cõuenientibus, pręfinitis. Ne ergo contristeris quòd iam facta nõ sit.

F

*Iohan.* 18

*Ille beatus*. Hæc de filio dicta sunt: nam qui ad iudicium ve niet, is & præsentiam ostendet: quod si pater ad iudicium non veniet, sed filius, de eo qui venturus est hæc dicta sunt. Ille beatus, imò ipsa beatitudo. Apud ipsum enim fugit mœror & dolor. Hic etiam potens est & bonus rex. Non ergo timendi sunt illi terreni. *Et solus potens*. Vbicunque de vna trium personarum audieris hoc aut illud, ne hoc dictum accipias ad discrimen aliarum duarum, sed de illis qui non sunt, & tamen dicuntur dij. Ecce ergo nunc de filio loquēs, quæ alibi & de patre dixit & de spiritu, Solus dicit. *Qui solus habet immortalitatem*. Quomodo de deo dicit quòd solus habet immortalitatem, quum & angeli & animæ ac dæmones habeant immortalitatem? Quam ergo de deo dicit, Qui solus habet immortalitatem, aut ab illis quos diximus aufert immortalitatem, aut mētitur. Et dicimus quòd hi de quibus est sermo non habēt immortalitatem, sed ipsam participant, gratia illius qui natura solus est immortalis. Nam à deo hoc ipsis datum est. Deus enim est à quo omnes participamus, quemadmodum & alia, ad id quod præstantius est comparata, ita & immortalitatem. *Lucem habitans inaccessam*. Qui ipsa est immortalitas & lux inaccessa, num putas loco circunscriptus est? Num aliud est lux & aliud ipse? Atqui ipsa lux est. Vides quòd dum etiam magnum aliquid dicere volumus lingua impotens efficitur? Inaccessa verò dicitur, ad quam nemo ob vehemētem splendorem potest accedere. *Quem nemo uidit hominum*. Neque enim filij diuinitatem quispiam vidit, quēadmodum neque patris aut spiritus: nam secundum carnem visus est. *Cui honor & imperium*. Si honor ipsius & imperium sempiternum erit, omnino etiam apparitio ipsius. Promisit nanque, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Mat. 28.

A

B

C

## CAPVT XVIII.

*Deductio diuitum ad ueram uitam.*

His qui in præsenti seculo diuites sunt, præcipe ne elato sint animo, neq; spem ponant in incertis diuitiis., sed in deo viuente qui præbet nobis omnia affatim ad fruēdum, vt benefaciant, vt diui-

D tes sint operibus bonis, vt faciles sint ad impartiẽdum, libenter cõmunicantes, recondentes sibiipsis fundamentum bonum in posterum, vt apprehendant vitam æternam.

Sunt nanque & alij diuites, at non in præsenti seculo, qui verè diuites sunt, iusti videlicet. *Ne elato sint animo.* Nihil enim æquè inflat ac elatum reddit animum atque pecuniæ & possessiones. *In incertis diuitiis.* Vide quomodo ipsos etiam tãquam insensatos calumnietur. Quis est enim qui sperat in incerta re? *Sed in deo.* Nam qui in deo sperat, non effertur. *Qui præbet nobis omnia affatim.* Ipse etenim quantùm ad se attinet, omnia omnibus communiter proposuit, E etiam abundè, cælum, terram, aera, vitam, alimenta. Sed auaritia sumpto simul potentatus auxilio, multa quæ erant cõmunia sibi vendicauit, ac propria effecit. *Vt diuites sint in operibus bonis.* Si diuitias quæris, veras quære & non incertas. Quænam illæ sunt? Bona, inquit, operari, facilem esse ad impartiendum, hoc enim pecuniarum est. *Libenter communicantes.* Hoc est, mansueti, lenes, tumore carentes, sese demittentes. *Recondentes sibiipsis.* Hoc est, reponentes fundamentum bonum. Vbi autem bonum est fundamentum, omnia secura sunt & firma. *Vt apprehendant uitam æternam.* Propter hanc sanè vitam recondendum est bonum fundamentum. Quomodo autem hoc esse poterit? Si in hac vita bonis operibus incumbendo, reponamus nobisipsis vitæ F huius fundamentum. Bonorum nanque operum actio, quam & fundamentum nominauit, illius fruitionem conciliare potest.

O Timothee, depositum serua, deuitas prophanas vocum vanitates & oppositiones falsò dictæ scientiæ, quam nonnulli profitẽtes circa fidem aberrauerunt. Gratia sit tecum, Amen.

*Depositum serua:* Præceptum, inquit, dei, quod per me tibi proposuit. Aut gratiam spiritus quam per ordinationem accepisti. *Deuitans prophanas uocum uanitates:* Impuras, nocentes. Vocum autem vanitates, id est, vaniloquia. Est itaq; & vocum vanitas siue inanitas, quæ nõ est prophana. Beatus

autem Iohannes recentiores admonitiones dixit vocum no A
uitates, legens vt videtur † καινοφωνίας per αι diphthõgum
in prima. *Et oppositiones*. Est sanè obiectio aliqua ad quam
respondere non oporteat propter absurditatem. *Falsò dictæ
scientiæ*. Vbi enim non fuerit fides, non est scientia, sed quę
videtur esse, mendax est. *Quam nonnulli profitentes*: mendacem, inquit, & adulterinam scientiam. Siquidem erant fortassis nonnulli profitentes scientiã humanis rationibus inuentam, quę fidei opposita est: & manifestum ex eo est quòd circa fidem naufragium fecerunt. *Gratia sit tecum, Amen.* Omnium sigillum siue signaculum ipsi precatur, nempe dei gratiam, à qua bonum omne & datur & conseruatur.

† *Sic etiã legisse uidetur qui uulgatam dedit editionem.*

B

Scripta est à Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ & Pacatianæ.

## ARGVMENTVM POSTERIORIS ad Timotheum epistolæ.

HAnc ab vrbe Roma scribit. Occasio verò epistolæ hęc fuit. Quum hi qui vnà cum Apostolo peregrinabantur reliquissent ipsum, volens Apostolus vt Timotheus ad ipsum veniret, scribit epistolam. Et primùm quidem indicat ei quòd memor sit tum pietatis ipsius, tum fidei C
progenitorum eius. Deinde significat ꝙ hi qui ab Asia erãt, inter quos Phrygelus erat & Hermogenes, auersati ipsum fuerant visis eius catenis. De solo Onesiphoro strennuè fert testimonium: & hunc susceperat, quum ille Romam venisset, & apud se mansisset. Præcepit autem vt stultas deuitet quæstiones, eo ꝙ ab ipsis pugnæ oriantur. Siquidem Hymenæus & Phyletus auersi veritatem reliquerunt, dicentes iam factam esse resurrectionem, & quosdam subuerterunt. Magis ergo exhortatur vt sibiipsi attendat & doctrinæ, ac sciat ꝙ in extremis temporibus erunt homines sui amantes, & voluptatum potius quàm dei: quúmque hæc amplius futura

D prospiciat, populos muniat ne quis ab illis seducatur. Multúmque exhortatus ipsum, tum de his quæ ad mores pertinent, tum de illis quæ doctrinæ diligentiam respiciunt, vbi etiam tempus suę resolutionis significauit instare, futurúmque esse vt immoletur & martyrium ferat: præcipit vt citò ad se veniat, deferens penulam & libros. Admonet quoque ipsum vt Alexandrum ærarium caueat, vt qui se multis malis affecerit, & ita concludit epistolam.

## THEODORETI.

QVam ob caussam scribit alteram ad Timotheum epistolam? Dixerat in priori, Spero me breui venturum: B non potuit autem proficisci: iam enim tenebatur à Nerone. Opus ergo fuit, vt pro præsentia literas saltem mitteret: simul quidem vt consolaretur, eo quòd non veniret: simul etiam vt Timotheum confirmaret in ecclesiæ cura detentum.

# POSTERIOR AD TIMOTHEVM EPISTOLA. A



PAulus apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem dei ſecũdum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto Ieſu, Timotheo dilecto filio, gratia, miſericordia, pax à deo patre & Chriſto Ieſu domino noſtro. Cap.1.

Apoſtolus, inquit, ſum ob promiſſam vitam quæ eſt in Chriſto Ieſu, hoc eſt, per Chriſtum danda. *Secundum promißionem uitæ.* Ne mihi, ait, præſentia pericula commemores: ab his promiſſa vita procedit. Quãdoquidem ergo promiſſa eſt, in futuro eam quære. In exordio autem de ſuis afflictionibus ipſum conſolatur. Me, inquit, creauit dominus deus apoſtolum, id vnà decernente etiam Chriſto, vt promiſſam æternam vitam hominibus prædicarem. *Dilecto filio.* Contingit enim filium eſſe, non tamen dilectum. Quòd ſi admodum probus non eſſet, nequaquam & filius eſſet & dilectus, maximéque Pauli. *Gratia, miſericordia.* Hæc etiam prius, & nunc quoque ipſi precatur. B

CAPVT I.

*Cõmendatio fidei Timothei, & exhortatio ad tolerãtiam iuxta id quod gratiã decet, in qua & ipſe ſeipſum perdurare tolerãdo dicit.* C

GRatiam habeo deo cui ſeruio à maioribus cũ pura conſciẽtia, quòd citra vllam intermiſsionem faciam de te mentionẽ in precationibus meis noctu diéque, deſyderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio replear: commonefactus quæ in te eſt fidei non ſimulatæ, quę habitauit primùm in auia tua Loide & matre tua Eunica, certus autem ſum quòd etiam in te. Quam ob cauſſam cõmonefacio te, vt ſuſcites donum dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum.

D Vides dilectionis magnitudinem? Gratias, inquit, ago deo ꝙ tui memor sim. Hæc est vehemens dilectio, quando gloriatur quispiam de eo ꝙ hunc diligat. *Cum pura conscientia.* Quomodò cum pura conscientia, quum Christum ab initio ignoraret? Ostendit ꝙ nullius mali sibi cõscius fuerit. Nam si ecclesiam persequebatur, ex dei zelo persequebatur, non humana aliqua caussa: quemadmodum multi qui gloriæ cupiditate ducti hæresim statuunt, magnæ imbecillitatis sibi conscij. Et rectè seipsum commendat, vt etiam in diligẽdo Timotheo ostendat se non esse fallacem, neque eius quem non diligeret captare gloriam, quum ad eum profectus non esset, licèt antea id promisisset. *Quòd citra ullam intermißionem.* Quòd absque intermissione. *In precationibus meis.*

E Non vulgari, ait, modo memini, sed in precationibus, & nocte ac die. *Desyderans te uidere.* Nequaquam igitur tanta voluptate me voluntariè priuaui. Dignus enim es qui ameris, tum propter tuas lachrymas, tum propter tuam ac maiorum tuorum fidem. Animaduerte autem quòd nolit in exordio eum contristare quasi non sit venturus, sed potius tribuit spem videndi se: iuxta finem verò insinuat, ꝙ non sit

*Infrà 4.* eum amplius in carne visurus, dicens, Ego enim iam delibor siue immolor. Est autem hic ordo, Gratiam habeo deo quoniam tui memini, desyderans te videre, vt gaudio replear. Deinde quæ in medio relicta sunt: Memor lachrymarũ tuarum. Postmodum ne temerè amare videatur, addit & caussam, *Memor lachrymarum tuarum.* Fortassis enim adeò do-

F lebat eo ꝙ à Paulo separatus esset, vt etiam lachrymaretur. Est autem hyperbaton. Desyderans te videre vt gaudio replear, tanquam ipse aspectus gaudio repleat. *Fidei non simulatæ.* Tui, inquit, mentionem feci in precibus meis, admonitus tum lachrymis tuis, tum fide non simulata. *Primùm in auia tua.* Aliud encomium, ꝙ neque ex Græcis à materno genere ortus erat, sed ex Iudæis qui etiam in Christum credebant. Porrò quum pater eius Græcus esset, metu Iudæorum circuncisus est. *Et matre tua.* Maiorum encomia, quando & nos illorum sumus participes, ad gloriam nobis proueniunt: si verò ab eis alieni sumus, magis nos cõdemnant: hic autem particeps erat. *Certus autem sum, quòd etiam in te.* Meritò igitur hanc habes non simulatã, vtpote supernè fundatam,

datam, & quæ cõcuti non poſsit. *Quam ob cauſſam.* Quoniam hæc in te eſſe noui. *Vt ſuſcites donum dei.* Spiritua le acceperat donum, & ſuadet vt illud animi promptitudine, attentione & vigilantia efficiat vehementius & efficacius. Nam horum contraria languidũ illud reddunt, quemadmodum alibi dicit: Spiritum ne extinguatis. *Per impoſitionẽ manuum mearum.* Simul enim vt Paulus illi manus impoſuit ordinans ipſum epiſcopum, donum quoque in eum ſuperuenit ad ſignorum operationẽ, ad doctrinam & ad præſidendum eccleſiæ. A 1. Theſ. 5.

Nõ enim dedit nobis deus ſpiritũ timiditatis, ſed potẽtiæ ac dilectionis & ſobrietatis. Ne igitur te pudeat teſtimonii domini noſtri, neque mei qui ſum vinct⁹ illius: ſed particeps eſto afflictionũ euangelii iuxta potentiam dei, qui ſaluos fecit nos, & vocauit vocatione ſancta, non ſecundũ opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum & gratiam quæ data eſt nobis per Chriſtum Ieſum ante tempora æterna. B

Quomodo autem ſuſcitabo donum dei? Si viriliter ad tẽtationes & afflictiones permãſeris. *Nõ enim dedit nobis deus ſpiritum timiditatis.* Eſt enim & ſpiritus ſiue donum timiditatis, quemadmodum in libris Regum ait: Et cecidit ſuper eos ſpirit⁹ timiditatis, vbi vtile omnino erat timere. Sed potẽtiæ, inquit, donum datum eſt nobis. *Potentiæ:* quæ eſt aduerſus afflictiões. *Dilectionis:* quæ eſt erga fratres. *Sobrietatis:* circa rectam vitam. In his autem omnibus inferenda etiã eſt à nobis animi promptitudo. *Ne igitur te pudeat teſtimonij domini noſtri.* Multi homines miſerrimi, diſpẽſationis myſterium iuxta humanas rationes inueſtigantes, pudorem eſſe dicũt ſi dei filiũ crucifixum eſſe prædicarent, ignorantes quid pręſtitum ſit per crucem & mortem domini. Te igitur ne pudeat, inquit, teſtimonij ſiue martyrij, hoc eſt paſſionis Chriſti, ſed liberè prędica. *Neq; mei qui ſum vinctus illius.* Neque te pudeat quòd eũ qui vinctus eſt habeas pręceptorem. Si enim Chriſtus ob crucem non erubuit, neque ego ob vincula. *Sed particeps eſto afflictionum.* Nec ſolũ te nõ pudeat, verumetiam vnà mecum particeps eſto afflictio- C

D num: hoc est, si & te oporteat huiusmodi pati propter euangelium, ne formides. Nam hoc superius quoque innuit, vbi ait: Non accepimus spiritũ timiditatis, sed potestatis. *Iuxta potentiam.* Deinde etiam exhortatur illum. Non enim propria, inquit, potẽtia vales sustinere afflictiones, sed deus huiusmodi dedit dabitque potentiam, tu modò id adferas vt in hoc promptus sis. *Qui saluos fecit nos.* Ad hæc probationes recenset de diuino auxilio ac potẽtia, quæ id efficit vt viriliter toleremus afflictiones & iniurias. Saluos, inquit, fecit nos de morte peccati, & vocauit nos vocatione sancta quũ obsurdesceremus: nõ quòd digni essemus vocatione, sed ipse suo proposito & gratia hoc effecit. Qui igitur, inquit (nam hæc est sententia) dum inimici essemus, ita erga nos fuit af-
E fectus, multò magis quũ amici facti simus: & pro eo affligi cupiamus, potentiam dabit vt ad virtutes euadamus. *Et gratiam quæ data est nobis per Christum.* Ostendit quòd salutẽ nobis dari per Christum (nam ἐν capitur pro διὰ .i. in pro per) antea præfiguratum erat ante tempora æterna.

Manifestata est autẽ nunc per apparitionem saluatoris nostri Iesu Christi, qui mortẽ quidẽ aboleuit, vitam autẽ in lucem produxit ac immortalitatẽ per euangeliũ, in quod positus sum ego præco & apostolus ac doctor Gentiũ: quã ob caussam etiã hæc patior, attamen non erubesco. Noui enim cui crediderim, certùsq; sum quòd potẽs sit depositũ meũ
F custodire in illum diem. Formam habeto sanorum sermonũ quos à me audisti per fidem & charitatem quæ est in Christo Iesu. Egregium depositum seruato per spiritum sanctum qui inhabitat in nobis.

Iam quidem olim præfiguratum erat nos saluos fieri, nũc verò ex incarnatione Saluatoris nostri dei factum est manifestum. Siquidem huiusmodi dei voluntas, vt mundus per fidem saluus fieret, nunc & non antea manifestata est. *Qui mortem quidem aboleuit,* peccatum sanè condonando, & resurrectionem tribuendo. *Vitã autem in lucem produxit:* Hoc est, manifestauit. Est autem φωτίζειν vox optimè conueniẽs

vitæ. *Per euangelium.* Nam per ipsum & vita æterna & resurrectio manifesta facta est. *In quod positus sum.* Primùm id quod est dicit, deinde etiã hoc innuit, Oportet te quoque ad Gẽtes accedere. Præterea etiam sermonem reddit magis credibilem. *Quam ob caussam etiam hæc patior.* Quænam est illa caussa? Quia præco sum & apostolus. Ac si diceret: Non tanquam maleficus vincior & ad carceres trahor. *Attamen non erubesco.* Nam gloriatio maxima est, pati quippiam pro Christo. Vides quomodo discipulum ad afflictiones præparet? ostendẽs quòd si quis pudefieri nõ formidauerit, ipsum periculum Christi auxilio facilius erit. *Quòd potens sit depositum meum custodire.* Depositum dicit fidem quam commẽdauit ei Christus prædicandã, vel fideles ipsos quos ei deus commendauit docendos, aut quos ipse deo commendauit. Ecce, ait, commendo vos deo. Vnus autem commendatorum erat Timotheus. Dicit ergo: Noui quòd ille cui credidi & confidi, potens sit custodire depositum inconcussum in illum diem. *Formam habeto sanorum sermonum.* Hoc est imaginem, similitudinem, imitationem. Sanorum autem vt qui sunt circa fidem & vitam, tanquam qui circa alia sunt, sani non sint. *Quos à me audisti.* Non per solas epistolas, quæ facienda sunt discipulo ꝑposuit, sed & ore coram ipsi præcepit. Nam ita in omnibus quoque faciebat. Ne quis itaque in epistolis aliquid deesse existimet, quòd non de omnibus disserant. *Per fidem & charitatem.* Per fidem enim & charitatem quæ ipsi per Christum data erat, fuerunt sermones & doctrinæ. *Egregium depositum seruato.* Depositum dicit fidem ac diligentiam circa concreditam ipsi ecclesiam. Deinde ostendit humanam non sufficere potentiam ad tanta custodienda. Multa enim sunt quę obsistunt. Viam igitur ac modum custodiæ indicat. Seruato, inquit, per spiritũ sanctum. Ac si diceret: Cura spiritum habere apud te manentem, neque praua conuersatione ipsum repellas, & depositum custodies. Nisi enim dominus ædificauerit domum & custodierit ciuitatem, inuanum ac frustrà laborauerunt qui ædificant quìque custodiunt.

A B Acto.20. C Psal.126.

CAPVT II.

De conuenienti traditione diuinorum dogmatum.

D NOsti hoc quòd auersati me fuerint omnes qui sunt in Asia, quorũ est Phrygelus & Hermogenes. Det misericordiam dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpius me refocillauit, & de catena mea non erubuit: sed quum esset Romæ, studiosius quæsiuit me, & inuenit. Det ei dominus, vt inueniat misericordiam apud dominum in die illo. Et in quàm multis Ephesi ministrauerit, tu melius nosti.

Afflictiones commemorat, non vt discipulum reprehendat, sed vt doceat ad similia fortiter tolerãdum. Nam quum
E à Nerone comprehensus esset, dereliquerunt eum amici qui erant in Asia. Multi enim Romæ erant qui ab Asia sequuti erant Paulum, aut alio modo credentes: omnes autem subduxerũt sese postquã est à Nerone comprehensus. *Qui sunt in Asia*, hoc est ex Asia. *Det misericordiã dominus*. Animaduerte eius studium. Non execratur eos qui reliquerant, sed solùm narrat quæ ab ipsis fiebãt: ei verò qui opem tulit multa bona precatur, nec soli ipsi, sed & familię ipsius: adeò probi erãt, & ita Onesiphorus eos instruxerat. *Onesiphori familia*. O fœlix Onesiphore, qui dignus habitus es vt Paulum refocillares, sit nobis & pars tecum. *Sæpius me refocillauit*. velut athletam aliquẽ squalore ac fatigatione à lucta occupatum. *Et de catena mea non erubuit*. Relictis periculis pu-
F dorem solum proposuit, suadens discipulum bono esse animo, veluti solus pudor ex ea procederet, nec periculum accederet, quum tamen adesset etiam periculum. Nero enim insania agitabatur aduersus Paulum, quòd quendam è domesticis suis in fide instruxisset. *Studiosius quæsiuit me*. Nõ solùm, inquit, non fugit meam societatem, quum tamen etiã periculum esset mecum conuersari vbi reclusus essem: verumetiam studiosius quàm debuit quæsiuit me donec inuenisset me. Qui autem participes cum sanctis erant in laboribus, erunt quoque participes in coronis, sicut ipse dicit:
Philip. 4. Rectè fecistis quòd communicastis afflictioni meæ. *Det ei dominus ut inueniat misericordiam apud dominum*. Qui Marcionis dogmata sequuntur, assultum faciunt in scripturam, qua-
1.Cor. 8. si duo sint domini: vnum tamen alibi dicit dominum. Nobis

tamen vnus est dominus Iesus Christus per quem omnia. A
Quid ergo dicemus? Hæc ordinatio in vsu est apud diuinã
scripturam: vt est illud dixit Abraham: Nequaquam ingressus
est abraham. Ac si hoc loco dixisset: Tribuat illi dominus
vt inueniat misericordiam apud ipsum. Quòd si etiam
patrem ac filium hic significari accipias, ne hoc quidem absurdum
erit. Nam & pater dominus est & filius dominus, &
spiritus dominus: sed vnus dominus tribus personis demõstratur.
Dixit dominus domino meo. Aut quòd hoc modo Psal. 109.
diuinas distinguat personas, quemadmodum ibi: Pluit dominus
à domino ignem ac sulphur. *Vt inueniat misericordiam.* Gene. 19.
Quòd si Onesiphorus quum tantus sit, misericordia
eget vt saluus fiat, quid nobis continget? *Et in quàm multis*
*Ephesi ministrauerit.* Semper ministrabat, & Ephesi & Romæ. B
Talem enim oportet esse eum qui studiosior est, putà
semper in opere.

Tu igitur fili mi fortis esto per gratiam quæ est Cap. 2.
per Christũ Iesum: & ea quæ audisti à me per multos
testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui
erunt idonei vt alios quoque doceant.

Magnam indicat beneuolentiam quòd additur Fili mi. Si
meus, inquit, filius es, patrem imitare. Audaciam enim solet
addere discipulo præceptoris afflictio. Ideò ait: *Fortis esto.*
Si quid huiusmodi in te inciderit, ne concidas, sed ad me
respicito. *Fortis esto per gratiam.* Fortis autem esto non solum
meo exemplo, sed etiam per gratiam quæ per Christum C
data est. Nisi enim ipse suo sanguine iustificasset, nequaquã
gratia spiritus accessisset. Habeto igitur spiritũ, inquit, vnà
tecum pugnantem. *Et ea quæ audisti à me per multos testes.*
Hoc nõ in occulto tibi dixi, sed palàm multis præsentibus.
Hæc autem de prædicatione loquitur. Fidelibus, inquit, nõ
curiosis inuestigatoribus, neque disputatione ratiocinantibus,
sed iis qui non prodent ea quæ sibi commendãtur. Non
ait autem: Dic, sed Commenda. Quæ enim vtilitas si fideles
quidem sint, at non idonei qui ea quę sibi cõcredita sunt
ad alios proferãt. Oportet enim præceptores & fideles esse
& aptos ad docendum. *Fidelibus hominibus* Videlicet episcopis
ac presbyteris quos ordinaturus erat Timotheus. Per

Oecum. *multos testes.* Putà legem ac prophetas. Siquidem meo indicio de episcopis ac presbyteris qui ab ipso ordinandi erant D hæc ei præcipit: neq; enim ista de popularibus scripsit: quid enim futurum erat si nullum inuenisset fidelem, aptùmque ad docendum? an non instruxisset ad fidem? quum Paulus & homicidis Iudæis ac Græcis sine discrimine prædicaret sermonem. Per *multos testes.* Hoc est legem ac prophetas. Nam hos in testes proferebat Apostolus suæ prædicationis. Ita habet Clemens 7. informat. libro.

## CAPVT III.

*De conuersatione in præsenti uita sine anxietate: de alimentis quæ citra laborem prouenïunt.*

E TV igitur feras afflictionem: vt bonus miles Iesu Christi. Nemo qui militat, implicatur vitæ negotiis, vt ei qui se in militiam delegit, placeat. Quòd si certet etiam aliquis: non coronatur, nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam, oportet primùm de fructibus participem esse.

Papæ quanta dignitas militem esse Christi? Signũ autẽ militis est ferre aduersa. *Nemo qui militat.* Militis fecit mentionem, ostendẽs ꝙ promptũ & audacem esse oporteat Christi seruum: athletæ verò, dicens (ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις .i. ꝙ si certet etiam aliquis) vt ostendat ꝙ esse debeat in continuo labo F re. Si ergo, inquit, is qui terreno regi militat, non implicatur rebus, quæ abstrahunt eum ab armis, quantomagis, qui cœlesti regis sese dedicauit, eiusq; militiæ addixit. *Nisi legitimè certauerit.* Non enim satis est tantùm inungi, inquit, aut locum certaminis ingredi, aut cum hoste conserere manus, sed oportet etiam tolerare ac vincere: hæc enim est lex certaminis. *Laborantem agricolam.* Non negligentem sed eum qui laborat. Etenim præceptor quoq; qui laborat circa discipulos, præmia à deo habebit pro vtilitate & commodo discipulorũ. *Oportet primùm de fructibus participẽ esse.*

Grego. Nyssen. Quòd præceptores in seipsis primùm bona operentur quę docent. Nam hoc est, primùm oportere fructuum participes esse, quos sibiipsis primùm ante alios per virtutes colũt. Militis quidem & athletæ exemplum etiam discipulis qua-

dat: agricolæ uerò, solis præceptoribus. Quemadmodum A enim, inquit, agricola, terræ ac fructuũ curam habet, ita & tu discipulorum, ac prædicationis. Et vide quomodo respõdeat. Præceptor, inquit, primus vtilitate discipulorum fruitur apud deum, quemadmodum agricola fructibus.

**Consydera quæ dico. Det enim tibi dominus in omnibus intellectum. Memento Iesum Christum resurrexisse ex mortuis ex semine Dauid secũdum euangelium meum, in quo malis affligor quasi facinorosus vsque ad vincula, at sermo dei non est vinctus. Propterea omnia suffero propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo B Iesu cum gloria æterna.**

Quoniam omnia dixerat in parabolis, quæ de milite erant, de athleta & de agricola, ait nunc. *Consydera quæ dico,* cuius causa dicam. *In omnibus.* Vt & intelligas vt oportet, & cætera facias vt oportet. *Memento Iesum Christum resurrexisse.* Simul etiam aduersus hæreticos firmiorem reddit & excitat sermonem: ostendens quòd & Christus per afflictiones venerit, & mortem per mortẽ deuicerit. *Ex semine Dauid.* Iam enim nõnulli hæreticorum ab eo tempore dei negabant dispensationem, qui ignominiam arbitrabantur, q filius dei pateretur, & propterea fortassis phantastica induxerunt, ignorantes quòd summæ beneuolentiæ, ac bonitatis suæ signum hoc tradiderit. *Secundum euangelium meum.* C Quoniam etiam pseudapostoli euangelium prædicabãt, sed male, vt meum, inquit, euangelium attestatur. *In quo malis affligor.* Euangelij veritatem exhibent Pauli afflictiones. In quo euangelio malis affligor. Quis enim non vera prædicans, & de quibus non esset factus omnino certior, talia pati eligeret? *Sed sermo dei non est uinctus.* Etsi ego, inquit, vinctus sum, prędicatio non est simul vincta, sed perabulat. Nam vinctis manib⁹ lingua loquitur. Siquidẽ linguę carcer solus metus est & incredulitas. Hoc autẽ dicit etiam ad eorũ exhortationẽ, qui soluti erãt. Si enim ego qui vinctus sum prædico, quæ venia dari potest his qui soluti sunt, & tamen negligunt. *Propter electos.* Propter fideles, inquit, quos

D deus elegit: nam quia deus illos elegit, oportet me vniuersa pati pro ipsis, quoniam deus quoque pro nobis passus est, vt re ipsa sit aliqua repensio ac retributio: vt etiam ipsi sicut & nos, inquit, salutem consequantur. Ac si diceret, Mihi sanè liceret procul à periculis viuere, si mei solius respectum haberem: sed hæc ob aliorum bona patior, vt ipsi salutem consequantur. *Quæ est in Christo Iesu.* Diceret aliquis, Si tibi ipsi non potes salutem acquirere, sed ecce moriturus es, quomodo aliis conciliabis salutem? Et ait, Non de hac temporali loquor, sed de ea quæ est in Christo Iesu, hoc est, quæ per Christum donata est, quæ æterna est, quæ futura est cum gloria, mundi enim salus ignominiam habet.

E

## TEXTVS.

*De fide in Christum, & tolerantia ob spem vitæ.*

Fide dignissimus sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos: si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest. Hæc admone contestans coram domino, ne verbis contēdant ad nullam vtilitatem, sed subuersionem audientium. Stude teipsum probatum exhibere deo, operarium non erubescendum, rectè secantem sermonem veritatis.

F *Fide dignissimus sermo.* quòd electi gloriosam & æternā consequantur salutem. Quoniam enim nonnulli de resurrectione ambigebant, hac opus fuit confirmatione. Quod autem sermo fide dignus sit, à rationibus quoque confirmat. Nam si comortui sumus Christo, (mortem dices & quæ per baptismum est, & quæ per afflictiones, nempe hanc sensibilem) etiam coregnabimus. Nullus enim eos qui in tristibus communicarunt, priuat bonis ac prosperis, nedum Christus qui ipsa est bonitas ac benignitas. *Si negamus, & ille negabit nos.* Deinde ab his quoque dehortatur, quæ mala sunt. Eum vero quem negauerit Christus, cogita quid sit consequens pati. *Si increduli sumus, ille fidelis manet.* Si non credimus quòd surrexerit, aut quòd deus sit, ille fidelis, id est ve-

Grego. Nyssen.

rax manet. Quum enim dixerit se resurrecturũ, seq; deum A esse, (nam hoc multis in locis significauit) verax est: siquidem & resurrexit, & deus est. Negare, ait, seipsum non potest, quin deus sit, ac resurrexerit. Acsi diceret, Nihil ob nostram negationem immutatus est, sed fidelis manet & verax in his quæ ipsum concernunt, & negare, hoc est, mendacem reddere seipsum non potest, vt nõ resurgeret, aut deus non esset. Quum enim de seipso annuntiauerit, non potest seipsum mendacem reddere, non complendo ea quæ promisit. Neque enim si credimus, deum ipsum efficimus: neq; si increduli sumus, diuinam ab eo naturã repellimus, sed & credentibus nobis, & non credentibus ipse deus est. Nos igitur qui credimus, vtilitatem referimus. Quòd autem dici- B tur, Non potest, hoc est, non est posibile. *Ille fidelis manet.* Itaque propter nostram salutem expetit à nobis vt ei assentiamus, & in ipsum credamus. Neq; enim dãnum vllũ recipit ex nostra negatione. *Hæc admone.* Ne quis existimet hæc opus fuisse Timotheo, ait, Hæc admone cõtestans corã domino. Tremendũ est autem dicere, Teste deo. *Ne verbis contendant.* Quoniã auiditatem adferunt negotia, sempérq; vult humanus animus conquirere, & verbis contendere, tu, inquit, contestare ipsis coram deo ne verbis contẽdant: hoc est, præcipe assumpto deo in testem: vt sciant, ꝙ si te contempserint, ille iudicabit ipsos. *Ad nullam utilitatem.* Neque enim solum circa quæstiones, rationes ac pugnas verborũ in- C uolui, nullã adfert vtilitatem, sed ad dãnum etiam fit auditorum qui imbecilliores sunt. *Stude teipsum probatum exhibere deo:* hoc est, nulla dignum reprehensione. *Operarium non erubescendum.* Multa de hoc pudore disserit. Verisimile est enim ꝙ aliquos perditos pudebat prædicationis, quòd apostolis malis afficerẽtur: & quòd Christus cum cruce prædicaretur, siue quòd viles & abiecti essent prædicatores: nempe Paulus textor tabernaculorum, & Petrus cum aliis pluribus piscatores. Aut ne rubore suffundaris ob mala quę perpetres. *Rectè secantem sermonem veritatis.* Securis in modum seca superflua & adulterina dogmata, quæ impij ac perditi cõmiscent prædicationi: & per spiritum ad id quod est perducito.

Cæterum prophanas vocum vanitates prætermit-

D te: ad maiorem enim proficient impietatem: & sermo illorum vt cancer morbus pastionem habebit: quorũ de numero sunt Hymenęus & Philetus, qui circa veritatẽ aberrarunt, dicentes resurrectionem iam esse factam: & subuertũt quorũdam fidẽ. Solidum tamẽ fundamẽtum dei stat, habens signaculũ hoc, Nouit dominus qui sint sui. &, Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen domini.

*Prophanas uocum uanitates* † Si quid nouum in prædicatione fuerit inductum ex recentiore inuento, omnino vi-
E tiosum est & prophanum. Quòd autem ait περιΐστασο, aut significat Expelle, aut acriter obsiste, vt illi finem imponas, ac prohibeas. *Ad maiorẽ enim proficient impietatem.* Si quid adulterinum ingreditur, semper ad insolẽtiam magis tendit, atque indies magis assumit incrementum. *Vt cancer.* γάγγραινα vlcus est putridum, locúmque depascens, putredinem efficiens, quam nonnulli ἕρπηρ appellant, quòd veluti repat. *Quorum de numero sunt:* qui prophanas adferũt vocum vanitates. *Dicentes resurrectionem.* Successionem procreationis liberorum execrandi appellabant resurrectionem: & quosdam illiciebant, vt ab apostolica doctrina discederent. Meritò superius dixit, Ad maiorem proficiẽt impietatem. Vide enim quãta oriantur mala, ex hoc quòd dicatur iam fa-
F cta esse resurrectio. Ex hoc priuamur Christi aduentu, quo quid potest contingere tristius? nõ est retributio neque supplicium: mentitur Christus qui hæc promisit, aliáque multa similia: nempe Si resurrectio non est, neque Christus resurrexit, neque iudex sedebit viuorum ac mortuorum. *Et subuertunt quorũdam fidem:* Simpliciorũ ac imbecilliorum. *Solidum tamen fundamentum.* Subuertitur quidem fides imbecilliorum, solidũ tamen fundamentum stat (fideles dicens qui subuerti nequeunt) habens hoc signaculum ac indicium: Nouit dominus qui sint sui. Olim quidem pręcogniti sunt tanquam deo omnino addicti & intransmutabiles. Signũ enim quod sint à deo cogniti est, quòd nõ potuerint ab impietate subuerti vt à fide discederent. *Et discedat ab iniquitate.* Ecce aliud indicium: nẽpe Discedat ab iniquitate.

† *Videtur etiã hoc loco Scoliastes legisse καινοφωνίας, i. nouitates, prima uidelicet syllaba per αι diphthõgũ.* Theod.

1. Cor. 15.
Acto. 10.

A hoc eſt, errore dogmatum, omnis qui nominat nomen domini, ſicut nominare oportet. Nam qui veluti colūnæ quædam animatæ perſiſtunt immobiles, has in ſuis operibus ferunt inſcriptiones.

Cæterùm in magna domo non tantùm ſunt vaſa aurea & argētea, verumetiam lignea ac teſtacea: & alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam. Si quis igitur expurgarit ſeipſum ab his, erit vas in honorem ſanctificatum, accommodum vſibus domini, ad omne opus bonum præparatum.

Etiamnum ſunt nonnulli qui admirantur quare non pereant mali. Et dicimus quòd quemadmodum in magna domo varia ſunt vaſa, ita & in mundo varij ſunt homines: non quòd deus ita illos fecerit: alioqui enim quomodo poſſent ſeſe mali expurgare? nam ob id ipſos in progreſſu accuſat, quòd ſeipſos ad hoc deduxerint: alia verò in contumeliam, hoc eſt, lignea teſtacea. *Si quis igitur expurgauerit ſeipſum.* Si teſtaceum eſſe aliquem, contumelioſum eſt & impurum (nam ait, Si quis expurgauerit ſeipſum) quomodo ipſe de apoſtolis dixit, Habemus theſaurum hunc in vaſis teſtaceis? 2. Cor. 4. Et dicimus ꝙ ibi de ipſa corporis natura diſſerit, non quaſi de re impura, ſed quaſi de lutea ac terrena: nam ex his conficitur teſta. Aut Teſtaceum ibi accipe velut ad comparationem theſauri qui in ea eſt: hic autem de virtute & prauitate diſſerit, teſtaceos vocans prauos, probos verò aureos: tales autem poſſunt voluntate immutari & ad bonum & ad malū. C *Erit uas in honorem.* In vaſis quidem aureis & teſtaceis quæ in domo ſunt, ſemper vaſa ſimiliter ſe habent, in hominibus verò qui talis formæ ſunt, ex ſtudio ac diligentia contingit vt teſtaceum vas fiat aureum, & aureum ex ſegnitie fiat teſtaceum. Si quis ergo ſeipſum expurgarit, inquit, ab his, nēpe ligneis ac teſtaceis, vt nihil habeat de ſorte illorum, domini vſibus erit accommodus, quaſi videlicet illa ſint inutilia. *Ad omne opus bonum præparatum.* Vt ſi etiam nunc non ſit tempus aut occaſio hoc faciendi, oportet tamen promptum ac paratum eſſe ad ferendas perſequutiones, ad dolores & ad martyrium.

D CAPVT V.

**De diuina doctrina & uita pura ac pacifica etiam erga aduersarios.**

IVueniles autem concupiscentias fuge: sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum his qui inuocant dominum ex puro corde. Stultas autem & ineruditas quæstiones respue, sciens eas părere pugnas. Porrò seruum domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propēsum ad docendum, clementem, cum mansuetudine erudiētem eos qui obsistunt, si quando det illis deus pœ-
E nitentiam ad cognoscēdam veritatem, vt ad sanam mentem redeant à diaboli laqueo, vincti ab eo ad ipsius voluntatem.

Iuuenilis autem concupiscentia dicitur non solùm stuprum, sed & omnis inordinata concupiscentia: siue dominādi libidine quis teneatur siue pecuniarum: hæ nanque sunt phantasiæ insensatæ & præcordiorum instabilium. Consydera igitur quomodo is qui senex est iunior efficiatur. *Sectare verò iustitiam.* Iustitiam dicit verum ac firmum animum viuentem erga amicos. *Charitatem, pacem cum his qui inuocāt dominum.* Hoc est, solis illis confide qui sine fictione & dolo inuocant dominum: cum pacificis & à pugna alienis cōmiscere, & sectare quæ dicta sunt. *Ex puro corde.* Contingit enim in simulatione quoque pietatis inuocari. *Stultas autem & ineruditas.* Sunt enim & sanæ ac eruditæ quæstiones, nempe quæ sunt de sacris scripturis. Quare autem dixit Respue, & non potius Euince ipsas & redargue? Quia nihil adfert vtilitatis bona responsio: pugnas enim generant. *Porrò seruum domini non oportet pugnare.* Nam pacificos esse oportet Christi seruos. *Sed placidum esse erga omnes.* Si pla-
*Titum.* 1. cidum esse oportet & mãsuetum, quomodo alibi dixit, Re-
1. *Tim.* 4 dargue illos acriter? &, Nemo tuam iuuentutem despiciat?
*Titum.* 3. Quia contingit & cum mansuetudine acriter obiurgare, & temerè ac seuerè. *Propensum ad docendum,* eos qui cupiunt discere: Porrò hæreticū hominem post vnam & alteram ad-

monitionem fuge. *Clementem.* Siquidem ferocitas plurimùm exasperat, mansuetudo verò persuadere nouit. Quis enim persuadebitur ab eo qui ferox est & insolens, cui frequenter resistit etiam is qui admonetur? Quomodo ergo alibi dicit post vnam & alteram admonitionem fugiēdos hęreticos? nam ecce hoc etiam in loco dicens Obsistentes, significauit hæreticos quos erudire iubet. Et dicimus ꝙ apertè & insanabiliter ægrotātes iubet euitari, hi autem de quibus hic sermo est hæsitantes erant: quod ex eo manifestum est quòd ait, Si quando det illis deus pœnitentiam. De his enim solemus dicere, Si quando, quæ incerta sunt. *Cum mā suetudine erudientem.* Nam hoc est maximè necessarium. Frequenter enim is cui decies datum est consilium nec audiuit, alteri semel danti cōsilium obtēperabit, nempe decem prioribus illis consiliis occultè agentibus quod suū est. *Si quādo det illis deus pœnitētiam.* Quòd si fiat, inquit, dei opus est, non tuæ mansuetudinis. Præceptorum autem fastum reprimit, factum ipsum ad deū referens. *Et ut ad sanam mentem redeant à diaboli laqueo.* Quæ est autem cognitio veritatis? Ad sanam mentem redire à diabolo, & ab adulterinis dogmatis ad fidei rectitudinem. Animaduerte autem quòd veluti ab ebrietate aut insania dixit ἀνανήψαι à diaboli laqueo, quod propriè est ad sobrietatem vel sanam mentem redire. Quēadmodum enim passer quanquam à pedis solùm extremitate teneatur laqueo, ipsi obnoxius est: ita & nos quanquam in tenui aliqua dogmatis particula subuertamur, diaboli laqueo subiicimur. *Vincti ab eo.* Ad sanam mentem redeant qui vincti sunt, hoc est, errore capti & cōclusi ad diaboli voluntatem. Nam eos qui prauis capti sunt dogmatis, ad suam voluntatem detentos habet diabolus.

A B C

## CAPVT VI.

*Vaticinium de abundante hominum malitia, per fucum reprehensibilem.*

ILlud autem scito quòd in extremis diebus instabunt tempora acerba. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, amoris affectu ca- Cap. 3.

D rentes, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligētes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quàm dei.: habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegarint. Et istos auersare.

Et iam sub Mose fuerant Iannes & Iambres, sicut in progressu dicit: Nam hoc significat sermo de vasis aureis & testaceis. Semper itaque sunt, sed magis postremo tempore. *Tempora acerba.* Non tempora calūniatur aut dies, sed prauos homines qui in ipsis sunt. Tempora enim bona & mala dicimus ab his quæ in ipsis contingunt. *Sui amantes.* Hæc
E est radix malorum, sola ea intueri aliquem quæ ad se spectant. Qui autem huiusmodi sunt, fratrum negligentes quæ sua sunt, primùm perdunt ac corrumpūt fastuosi. A sui amore auaritia oritur: huius autem fœtus sunt fastus & superbia, deinde ex his blasphemia: Mutuò enim sibi hærēt mala, sicut & bona. Ex charitate enim procedit omne bonum. *Parentibus immorigeri.* Nouit enim fastus etiam aduersus naturam efferri. *Ingrati.* Auari etiam sunt ingrati. Nam tunc solùm gratias agunt quādo eorum concupiscentiam impleuerint, nunquam autem fit vt ipsi satietur. Qui verò talis est, etiam impius est. Nam qui benefactori deo gratiam non habet, quomodo aliis gratiam referet? Amoris affectu carentes, Hoc est, sine amore existentes erga suos. *Nescij fœderis*: nulli fœderati. *Calumniatores*: maledici. Nam qui
F sibi nullius boni conscius est, omnibus maledicit ac detrahit, sibiipsi in hoc consolationem aliquam inueniens. *Intemperantes.* nēpe qui linguam ventrémq; & ea quæ sub ventre sunt non cōtinent. *Immites.* Crudeles quodammodo & inhumani. *Negligentes bonorum.* Aut ἀφιλάγαθοι inimici omnis boni. *Proditores*, amicitiæ & sodalitatis. *Præcipites*: hoc est, temerarij & nihil stabile habentes. *Inflati*, id est, arrogantia pleni. *Voluptatum amantes potius quàm dei.* Cōmutantes diuinum amorem in turpem. Ipsa verò pietatis forma & hypocritas ipsos exhibet & seductores. *Habētes formam pietatis.* Ex his quæ loquuntur, pietatis cultores videntur: Ex his autem quæ operantur, contrarij sermonibus & inueniuntur & conuincuntur. *Et hos auersare*: Quēadmodum &

illos de quibus superiùs latiùs disseruit. Scribens autem Timotheo, his qui post Timotheum futuri erant consuluit, vt tales auersaretur. Neque enim potuit hic ad extremos dies pertingere: sed eos possumus etiam intelligere dici extremos, qui Pauli interitum statim essent sequuturi, in quibus Timotheus adhuc superstes futurus erat. A

Ex his enim sunt qui subeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentiis variis: semper discentes, nec vnquam ad cognitionem veritatis venire valẽtes. Quemadmodum enim Iannes & Iambres resistebant Mosi, ita & hi resistunt veritati: homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed non proficient ampliùs. Siquidem amentia ipsorum euidens erit omnibus, sicut & illorum fuit. B

Animaduerte quomodo secretum eorum & impudẽtiam insidiarum manifestauerit, dicens, *Qui subeunt & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Vides eos fraude vti serpentis, qua ille aduersus Adam vsus est? Verisimile enim erat & hos per mulieres etiam viros seducere. Dicens autem Mulierculas, solùm innuit facilitatem ad deceptionem. Qui ergo seducitur, quãquam is fuerit vir, nihil in hoc à muliere differt, nec ea præstantior est. Quòd verò subdit, Oneratas peccatis, multitudinem designat ac consolationem peccatorum. Non enim qualescunq;, inquit, seducũt mulieres (nã sunt & mulieres virilis naturę, quẽadmodũ sunt & viri muliebres) sed eas quæ sunt onustæ peccatis. Hinc enim ipsis prouenit vt seducantur. *Quæ ducuntur concupiscentiis.* Non naturã accusauit, sed huiusmodi mulieres. Hic autem multas innuit concupiscentias & à corpore prouenientes & ab animo. Consydera verò etiam id quod ait, Quæ ducuntur, tanq̃ de irrationalibus loquens. *Semper discentes.* Non hoc ait ignoscens ipsis, sed potius vehementer arguens. Quoniã enim seipsas peccatis onerarunt, meritò exæcata est mẽs earum. *Iannes & Iambres.* Hi erãt magi sub Pharaone. Quomodo autem ipsorum nomina nouit cùm scriptura non dicat? Dicimus quòd ex traditione per manus. Aut per spiri- C

D tum sanctum verisimile est hoc nouisse. *Et hi resistunt veritati:* Veræ fidei. *Sed non proficient amplius homines mente corrupti.* Vbi quis mente corruptus fuerit in affectibus, tunc reprobus circa fidem efficitur. Quomodo quum in superioribus dixerit, Ad maiorem proficient impietatem, hic dicit
Sup.2. Non proficient? Ibi dicit quòd qui seducere cœperant, nequaquam sistent, sed peiora semper excogitabunt, hic verò quòd non decipient neque rapient longo tempore eos qui sanæ mentis sunt. In progressu enim ait quòd & in errorem adducent & ipsi errabunt. Itaque potentiam habent in eos qui facilè seducuntur. *Siquidem amentia ipsorum euidens erit in omnibus.* Vnde hoc manifestum est? Ex his quæ olim facta sunt firmiter crede: nam malitia facilè conuincitur.

E ALIO MODO. Si mihi nó credis, inquit, ab his disce quæ magis illis contigerunt. Nam & illi conuicti sunt quòd phãtastica miracula ederent, ac in errorẽ ducerent, quando Moses vera edebat prodigia. Omnia itaque quæ fraudem inducunt, ad tempus solùm vigent.

CAPVT VII.

*Exhortatio ut se imitentur, opponendo se peruersis in tolerantia propter deum.*

TV verò assectatus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, charitatem, patiẽtiam, persequutiones, afflictiones, quæ mihi acciderũt Antiochiæ, Iconii, Lystris, quas
F persequutiones sustinui. Et ex omnibus eripuit me dominus.

Illi quidem tales sunt, inquit, tu verò nosti mea non esse huiusmodi. Neq; enim vulgari modo adfuisti, sed etiam assectatus es, hoc est, lõgo tempore mecum versatus es, & ad omnia quę mea erant animum applicuisti. Necesse est igitur te, qui iam in assuetudinem peruenisti piorum dogmatum, non posse ab illis auerti. *Doctrinam,* quę fuit circa dogmata. *Institutionem,* quę vitam cõcernebat, quomodo, inquit, mea circa conuersationem instituebam. *Propositum:* Promptitudinem & animi præsentiam. *Fidem,* seruatam in periculis, quæ non sineret desperare, sed credere deo ꝙ liberaturus

turus esset. *Longanimitatem.* Quomodo,inquit,nulla me A
afflictio segniorem reddiderit?Quia magno eram animo in periculis,fidens semper in domino. *Patientiam:* quæ est aduersus persequutiones. *Quæ mihi acciderunt.* Non solùm, inquit,persequutionem ferebam,sed & varia patiebar. Deinde etiam in specie recenset afflictiones,hoc modo discipulum audentiorem reddens.Nouit enim,nouit,inquam continua afflictionum memoria addere animum.Horum autem solùm meminit,aut quòd recentiora, aut quòd Timotheo nota essent,& hoc verisimilius est. *Antiochiæ.* Non enumerat tentationes in specie: neque enim illi sermo est ad gloriam,sed ad institutionem discipuli.Duo autẽ hic dicit quæ sunt ad exhortationem idonea.Ego,inquit,animi prompti- B
tudinem exhibui,deus verò auxilium : Antiochiam verò dicit Pisidiæ. *Lystris.* Arbitror quòd ex abiectione quadam nouissimo loco dixerit Lystris , ex qua oriundus erat Oecum.
Timotheus:ac si diceret:Profecto in frequentibus ac populosis ciuitatibus patiebar quæ passus sum:sed cur etiam Lystris passus sum?Vnde inuenti sunt homines qui me Lystris affligerent?

Sed & omnes qui volũt piè viuere in Christo Iesu persequutionẽ patientur.Porrò mali homines & impostores proficient in peius,dum & in errorem adducent & errabunt ipsi . Tu verò in his persiste quæ didicisti,sciẽs à quo didiceris, & quòd à puero C
sacras literas noueris,quæ te possunt erudire ad salutem per fidẽ quæ est in Christo Iesu.Omnis scriptura diuinitus inspirata est, & vtilis ad doctrinam ad redargutionem ad correctionem , ad institutionem quæ est in iustitia, vt integer sit dei homo ad omne opus bonum perfectus.

Et quid dico,inquit,de meipso , quum etiam omnes qui volunt piè viuere persequutionem passuri sint? Dicit autem persequutionem non solùm quæ ab idololatris infertur, verumetiam cunctas afflictiones ac tentationes. Est enim angusta & arcta via quæ ducit ad vitam· *In Christo Iesu.* Nã sola

D hæc eſt pia vita quæ eſt in Chriſto Ieſu. *Perſequutionem pâtientur.* Talis eſt natura rerum, quoniam non eſt nunc vita piorum ſed peruerſorum. Neque enim poteſt is qui in bello eſt & pugna, quietè viuere. *Proficient in peius.* Proficere enim res media eſt, ſiue indifferens & ad melius & ad peius. Hi igitur in peius proficient: nam interpretãdo quid ſit Peius, dixit ꝙ in errorem adducent & errabunt ipſi. *Tu uerò in*
Pſal.36. *his perſiſte quæ didiciſti.* Ne ęmuleris, vt ait Dauid, operantes iniquitatem, neq; hominẽ qui proſperè ambulat in via ſuà. Et certior redditus es: hoc eſt certitudinem didiciſti. *Sciens à quo didiceris.* Duas reddit cauſſas cur eum firmum ſiſtere oporteat, nec facilè euerti. Et quia nõ à quouis vulgari didiciſti, ſed à Paulo: & quia in profundum radix tibi poſita eſt
E ſcripturarũ, quæ à multis tẽporibus ſcriptæ ſunt. Sacras autem literas dicit ſcripturam quæ à deo inſpirata eſt. *Quæ te poſſunt erudire.* Nequaquã te permittẽt inſipienter erga aliquid affici vulgi more. Nam qui ſacras nouit literas, ſicuti noſſe oportet, nunquã ſubuerti poterit. *Ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Erudiunt autem te, non more externæ ſapiẽtiæ quæ in ſermone & errore ſita eſt, ſed ad ſalutem per fidẽ quæ in Chriſto eſt. Nam ſacræ literæ & ſapiẽtia quæ ex eis ſumitur, ad fidem Chriſti ducunt. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt.* Vbi multos conſolationis modos expreſſit, nũc etiam maximum dicit qui eſt ex lectione ſcripturarum. Nam triſte aliquid dicturus eſt, nempe de ſua morte. Quòd ſi Timotheum legere oportet, quantò magis nos? *Ad*
F *doctrinam* Quoniam bona docet dogmata & opera. *Ad redargutionem.* Ad hoc vt falſa redarguantur. *Ad correctionem.* Ad corrigendos fratres. *Ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia.* Ad erudiendum & inducendum ad iuſtitiam. Ex his autem contingit alicui vt integer ſit. Eſt autem integer, qui ſemper eſt æqualis, & neque ad triſtia declinat & deiicitur animo, neque ad proſpera erigitur & intumeſcit, ſed ſemper pari modo ſe habet in rebus imparibus. *Ad omne opus bonum.* Non vulgari modo particeps factus, ſed perfectus ac completus.

Cap.4. Obteſtor igitur ego coram deo & domino Ieſu Chriſto qui iudicaturus eſt viuos & mortuos in ap

paritione ſua & in regno ſuo. Prædica ſermonē, inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè, conuince, increpa: exhortare cum longanimitate & doctrina. A

Continua obteſtatio & præceptum tria parit: formidabilius reddit præceptum & irrecuſabile, quodque ſalutare eſt in ſermone proponit: Neq; enim ſi talis non eſſet, oporteret ipſum cum tanta ſublimitate prædicari. Prętereaquod ſuum eſt facit is qui præcipit & annuntiat, iam nō obnoxius vt veriſimile eſt negligentię, quę circa prædicationē ſolet cōtingere. *Qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos*. Aut peccatores dicit & iuſtos: aut eos qui iam mortui erant quique adhuc viuebāt: aut quia multi eo tempore viui relinquēdi ſunt ſicut alibi dicit: Omnes quidem non dormiemus. *In apparitione ſua*. Quando iudicaturus eſt? In apparitione ſua, quę futura eſt cum maieſtate & gloria. Neq; enim ita veniet ſicut prius venit. *Prædica ſermonem*. Quid autem obteſtor? Ne occultes ſermonem, ſed prædices. *Inſta*. Hoc eſt repente circunſpice & obſerua ne quis peccet. Et hoc facito tempeſtiſtiuè, intempeſtiuè: hoc eſt ne ad hoc ſit tibi certū ac definitum tēpus, ſed omni tempore quanquā non fuerit opportunum, ſuperintende. Et ſi inueneris, inquit, peccantem. *Conuince*. Nihil enim facere oportet priuſquam conuiceris: & poſtquam lapſum eſſe oſtenderis. *Increpa*. Reprehende, obiurga. Deinde poſt vulnus adde & pharmacum. *Exhortare*: Ne nimia triſtitia abſorbeatur qui huiuſmodi eſt. *Cū omni longanimitate*. Siquidem lōganimitate opus eſt in hac re, ne facilè credat vtcunq; deferenti, ſed per omne ſcrutinium & indaginē perueniat ad veritatem. *Et doctrina*. Admonitionem, inquit, vnà cum increpatione tanquā filio adiunge, nō tanquam inimicum puniēs. Nouit enim admonitionem interdum plus prodeſſe quàm increpationem.

1. Cor. 15 B

C

CAPVT VIII.

*De his qui noua moliebantur quibus* Timotheum *opponit*

NAm erit tempus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruabunt ſibiipſis magiſtros hi quibus pruriunt aures: & à veritate quidem aures auertent, ad

D fabulas verò conuertentur. Tu verò in omnibus vigila, obdura in laboribus, opus perage euangelistæ, ministerium tuum adimplę.

Priusquam igitur, præcipitentur præoccupa illos interim dum tibi parent. Propterea dicit Tempestiuè, intempestiuè, quandiu sustinent. Oportet enim assuescere ipsos ad obedientiam priusquam resiliant. Consydera verò rem indignam magistris. Siquidem præsidentiæ illis occasio sunt plebis cõcupiscentiæ. *Coaceruabũt sibiipsis magistros*: Hoc est doctorum multitudinem sine iudicio. Et dicens Coaceruabunt sibiipsis ostendit quòd à discipulis constituentur magistri. H*i quibus pruriunt aures*. Hoc est gaudentes audire quæ delectent appetitum, semperque audire cupientes quæ dicun-
E tur ad gratiam. E*t à ueritate quidem aures auertent*. Hęc prædicit, nõ vt mœrore afficiat, sed docens oportere discipulos quamdiu morigeri fuerint & obtemperantes, rectè formari & adduci. Vtque dum hæc contigerint, nõ despondeant animũ. Nam Paratus fui, inquit, & non sum turbatus.
Psal.118. Iam ne vides quòd non ignorantes labuntur sed spontanei? Auertent nanq; aures ait, & subuertẽtur vt voluntarium sit malum. T*u uerò in omnibus uigila*. Hæc dixit vt vigilaret & excitaretur. O*bdura in laboribus*. Decerta, labora, præoccupa discipulorum aures bonis ac veris dogmatis, priusquam subingrediatur illa pestis. M*inisterium tuum adimple*. Etenim Timotheus quoque prædicatione ministrabat. Siquidem prędicabat. Comple igitur quod auspicatus es, & prædica-
F tionem ipsis dissemina dum sani sunt.

CAPVT IX.

*De futura suipsius resolutione ad æternam gloriam.*

NAm ipse ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum ipsius.

Nam ego,inquit,meipſum iam offero Chriſto hoſtiā.Nō A
tamen dixit hoſtiā ſed σπονδὴν,id eſt libamen(ponens enim
verbū σπένδομαι,id eſt delibor,ponit & nomē eius σπονδὴ)
quod amplius eſt ac ſacratius. Siquidē hoſtiæ quædam pars
tantùm deo in ſacrificium offerebatur,vniuerſum verò liba
men ipſi ſacrificabatur. Hoc autē & ipſe diſcipulis facere iu-
bet quum ait:Præbete corpora veſtra hoſtiam viuētem. Se- Rom.12
ipſum enim ſacrificat qui pro Chriſto immolatur. Aut σπέν
δομαι intellige fœdus ſancio,hoc eſt bellū aduerſus quoſ-
uis diſſoluo:morior enim neq; bello impugnans neque bel-
lo impugnatus. *Meæ reſolutionis*. Nam reſolutionem dicit Oecum.
mortem:aut quia in terrā reſoluimur de qua ſumpti ſumus,
aut reditum dicit ad Chriſtum qui creauit. *Certamen*. Hæc B
ait non ſeſe iactitans:minimè gentium:ſed diſcipulum con-
ſolando,quaſi ad recipiēdas coronas abeat & bonorum ope
rum retributiones.ac ſi diceret: Te potius gaudere oportet
quàm lugere,quòd talem aſſequar finem. *Bonum decertaui*.
Omne enim certamē pro Chriſto ſuſceptum, bonum eſt:ſi-
ue vincula habeat,ſiue perſequutiōes,ſiue mortes.Si igitur
bonum eſt,& tu ergo illud aſſume.*Curſum conſummaui*. Or-
bem nanque percurrit,omnes ad dei cognitionē adducens. Rom. 15.
Itaque ab Ieruſalem & in circumiacentibus regionibus vſq;
ad Illyricum impleuerat euangelio. *Fidem ſeruaui*. Multi
enim hanc ab ipſo prædari conabantur,falſi amici, inimici, C
Iudæi,Græci. *Quod ſupereſt,repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona*.
Deinde etiam à premiis certaminū conſolatur ipſum.Quis
enim lugebit eum qui coronam accipit? Iuſtitiæ verò,hoc
eſt vniuerſalis virtutis. *Quam reddet mihi dominus in illo die*.
Neque enim mihi hæc temporalia proferas.Nam ego futu
ra quæro. Conſydera verò quòd tanquam debitum expetit
illud,quū ait Reddet mihi,& nō dicit Dabit:ſignificās etiā
hoc ex eo ꝙ ait iuſtus iudex. *Non ſolùm autem mihi*. Hic
ipſum quoque excitat Timotheum,nam etiam tibi,inquit,
reddet. Si enim omnibus qui diligunt aduentum ipſius da-
bit coronam,multò magis tibi.Quis autem diligit aduentū
ipſius?Qui digna operatur beatis remunerationibus.

Da operā vt venias ad me citò:nā Demas me de-
reliquit quū diligeret præſens ſeculū, & profectus

D est Thessalonicã, Crescens in Galatiã, Titus in Dalmatiã: Lucas mecum est solus. Marcũ assumptum adducito vnà tecum. Est enim mihi perutilis ad ministerium. Porrò Tychicũ misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum vbi veneris conferas: & libellos, maximè autem membranas.

Quam ob caussam eum ad se vocat cui cõcredita erat Ephesiorum ecclesia? Quia quum in carcere esset, ad illũ proficisci nõ poterat. Vult igitur vt Timotheus ad se veniat, tũ quòd solus esset, tum vt aliqua ipsi præciperet. *Ad me citò.*
E Non ait, Interim dum viuo: neque enim voluit eum contristare. *Quum diligeret præsens seculum:* Id est securitatem: & ita fugit periculum vt existimauit. Magis enim elegit domi in delitiis agere, quàm mecum defatigari. Non autem intẽdit hunc traducere, sed nos potius confirmare ne mollescamus. *Crescens in Galatiam.* Hi sua voluntate discesserant, ideo nõ dicit Reliqui. Porrò Titus inter præclaros erat cui Cretæ episcopatum crediderat. *Lucas mecum est solus.* Lucas hic est qui euangeliũ scripsit & Acta apostolorum: quũ autem discendi cupidus esset, sanctus & constans, nunquam á Paulo diuellebatur. *Est enim mihi perutilis.* Non ad meam inquit requiem, sed ad ministerium euangelicum. Sanè Timotheum quoque hanc ob caussam vocabat, vt post suã mor
F tem consolaretur fratres. *Ad ministerium.* euangelij videlicet. *Porro Tychicum misi.* Vide omnimodam solitudinem.

Iohan. *Penulam quam reliqui.* Vestimentum quoddam hic dicit. Quærit autem illud, ne egẽs cuiquam sit molestus. Nã vbique hoc ipsi curæ est plurimùm. ALIO MODO. Vestis genus hic dicit. Quidam verò thecam significari volunt in qua libelli reponebantur. Quæ autem ipsi libellorum erat necessitas qui breui ad deum migraturus erat? Certè tunc maximè opus erat, vt eos fidelibus commendaret, & vt illos pro ipsius doctrina haberẽt. Penulam verò quærebat, ne sibi
Theod. opus esset ab aliis accipere. *Maximè membranas.* Membranas Latina magis voce, volumina siue chartas volubiles appellauit: tanquam à Romano vsu indifferenter dictione abusus, ex qua vrbe etiam scripsit epistolã. In cõplicatis enim &

inuolutis chartis habebant olim quæ ad diuinam ſpectabāt scripturam: quemadmodum etiam ad hunc vſque diem Iudæi plurima habent. Libellos autem dixit cōmuni vocabulo quòd in alia quoq; forma habuerit fortaſsis libellos. *Maximè membranas.* Fortaſsis autem hæ vtiliora quædam in ſe reposita habebant. Sunt autem riſu digni qui hoc loco Apoſtolum aiunt per penulam non veſtem ſignificaſſe, ſed genus libelli, qui literæ ſeriem non aduerterunt. Superfluum enim fuiſſet dicere, Et libellos, ſi etiam illud fuiſſet libelli genus, quum potuiſſet vnà cum aliis ſignificari. A

Alexander faber ærarius multis malis me affecit: reddat illi dominus iuxta facta ipſius: quem & tu caue, vehemēter enim reſtitit noſtris ſermonibus. In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: ne illis imputetur, dominus autē mihi adfuit, & corroborauit me, vt per me prædicatio expleretur, & audirent omnes gentes, & ereptus fui ex ore leonis, & eripiet me dominus ab omni facto malo, & ſeruabit ad regnū ſuum æternum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen. B

Oſtendit ei viriliter ferendas eſſe afflictiones quæ etiam ab abiectis inferūtur. *Reddat illi dominus.* Non quòd Paulus gauderet vltione, ſed ꝓpter imbecilliores qui inter fideles erant, oportebat eos qui valde repugnabāt, mala pati, ne imbecillitatem accuſarent prædicationis. *Iuxta facta ipſius.* Aut quòd eorum quæ futura erant vaticinium ſit, nō imprecatio. *Quem & tu caue.* Nō dixit Vlciſcere, punito (Siquidem hoc facere potuiſſet Timotheus per ſpiritū) ſed Caue: vidéſne ꝙ ad vltionē non accurrat? Caue, auerſare. *Noſtris ſermonibus*: videlicet qui prædicationis ſunt. *In prima mea defenſione.* Exhibitus iam fuerat Neroni & euaſerat: ſed vbi pocillatorem eius ad fidē inſtruxit, tunc ipſum capite trūcauit. Neque enim magnum erga idola zelum habebat Nero, adeò erat ignauus in omnibus. *Sed omnes me deſeruerunt.* Iudæi, inquit fratres. *Ne illis imputetur.* Vides illum non ſolùm vindictam non petētem, ſed etiam veniam precantem? C

D Atqui indigna passus fuerat. Neque enim æquè miserum est prodi ab alienis sicut à domesticis & familiaribus. *Dominus autem mihi adfuit*. Eum qui ab hominibus derelictus est, dominus non relinquit. Confirmauit me, inquit, hoc est, dicendi libertate donauit, nec permisit excidere. Vides exhortationem ad discipulum, rursúmque aliam consolationem? *Vt per me prædicatio*. Consydera animi modestiam. Non q̃ auxilio dignus essem, inquit, adiutus sum, sed propter prædicationem, vt expleretur, & ad terminum perueniret. *Et audirent omnes Gentes*. Vt omnibus manifesta fieret prædicationis potentia & gubernatio prouidentiæ circa me habitæ. *Ex ore leonis*. Leonem dicit Neronem, ob crudelitatẽ
E ac feritatem. *Et eripiet me dominus*. Si erepturus est, quomodo ait, Ego iam delibor? Sed animaduerte: tunc quidem à Nerone fuit liberatus, nunc verò iam non à Nerone liberandus erat quum euangelio satisfactum esset, sed ab omni peccato, hoc est, non permittet vt in aliquo condemnatus discedam. *Et seruabit ad regnum suum æternum*. Hinc, inquit, me eripiet & custodiet. Nam hoc significat, Seruabit ad regnum suum. Hæc itaque est vera salus, vt ibi splendidissimus. *Cui gloria in secula seculorum, Amen*. Vide doxologiam pro filio sicut & pro patre alibi & pro spiritu. hic enim est dominus, nempe filius.

F Saluta Priscam & Aquilam, & Onesiphori familiam. Erastus mansit Corinthi. Tophimum autem reliqui Mileti languentem. Da operã vt venias ante hyemem. Salutat te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia nobiscum, Amen.

Hi sunt, quorum frequenter facit mentionem, tabernaculorum textores, apud quos etiam diuersatus est. Vxoris autem tanquam fidelioris ad diligentioris prius meminit, nam & hæc ipsum Apollô in fide instruxit. Facit autẽ salutationem, simul & consolationis gratia, & honorem ac dilectionem per hoc exhibẽs: quódque maius est, multa replet gratia eum qui saluabitur. *Et Onesiphori familiam*. Onesiphorus enim Romæ erat. Eos ergo salutat qui erant ex eius fa-

milia, hac via excitans ad similem æmulationem qualem ha- A
buerat Onesiphorus. *Erastus mansit Corinthi.* Quoniam ho-
rum nullam fecerat mentionem, nunc eorum meminit vt
ostendat quòd vndique solus sit relictus, & quòd ipsi sit o-
pus Timotheo. *Trophimũ autem reliqui Mileti.* Miletus pro-
pinqua est Epheso. Vtrum igitur quando nauigabat in Iu-
dæam, reliquerit eum Mileti Paulus, an sursum postquã Ro-
mam venerat, ad eas accesserit regiones, certò nõ possumus
asserere. *Languentem.* Quare autem ipsum non sanauit, sed
eum reliquit? Quia non omnia faciebant sancti ne maius a-
liquid existimarentur & supra hominum naturam. *Da ope-
ram ut uenias ante hyemem.* Interim, inquit, dum viuo, ne hye-
me detentus non videas me. *Et Linus.* Hunc aiunt esse Li- B
num qui secundo loco creatus est Romæ episcopus post Pe-
trum. *Et Claudia.* Vides quomodo etiam mulieres acres
fuerint & feruentes crucifixæ mundo? Etenim genus hoc
in nullo viris inferius est, modò velit. *Et fratres omnes.* In-
ter hos autem illi quorum nominatim facta est mentio, fer-
uentiores in fide erant. *Dominus Iesus Christus cum spiritu
tuo.* Duplex auxilium, nempe & Christi & spiritus sancti:
acsi diceret, Cum superuentione spiritus sancti quem nunc
habes, Sit dominus Iesus Christus tecum: hoc autem tibi
præsente, nõ lugebis ob meam resolutionem. Aut, quia non
potest Christi frui præsentia is qui ob gratiam spiritualem
non suspirat: vt sit iuxta hãc interpretationem, Spiritu tuo,
hoc est, spirituali gratia. *Gratia nobiscum.* Pro seipso quo- C
que vnà precatur, aut vt semper grati sint, aut vt semper do-
num habeant spirituale.

Secunda ad Timotheum Ephesiorum ec-
clesiæ ordinatum episcopum.

Scripta est ab vrbe Roma quum secundo
sisteretur Paulus Neroni Cæsari
Romano.

# ARGVMENTVM EPISTOlæ ad Titum.

HAnc ab vrbe Nicopoli ſcribit: nam ibi hybernabat. Hæc autem fuit epiſtolæ occaſio: In Creta Titum reli querat, vt in ſingulis ciuitatibus clericos cōſtitueret. Quum autem multi ibidem eſſent qui leg[illegible] prætextu conarētur populum ſeducere, hoc cognito ſcribit Paulus. Et primùm quidem gratias agens deo propter ipſius pietatem, ſignificat fidem quæ in Chriſtum eſt non eſſe recentem, ſed hanc à ſeculo paratam fuiſſe & annūtiatam à deo. Deinde agit de conſtitutione clericorum, & hunc docet quomodo

E aut quales eſſe ipſos oporteat, ac pręcipit ei vt obiurget aduerſantes ſanæ fidei, maximè autem illos qui ſunt ex circuncisione: quódque Cretenſes otioſos eſſe nouerit & egere increpatione, ſimul etiam docens omnes cibos eſſe mundos: & quales eſſe oporteat anus quæ debent adoleſcentiores reddere modeſtas. Admonet autem quomodo ſeruos oporteat ſuis dominis eſſe ſubditos. Tandémque ſuggerit ꝙ gratia ſpiritus non ex operibus nos iuſtificauerit, ſed ſua benignitate. Et poſtquam præcepit ei vt auerſetur pugnas quę ſunt circa legem, & quę pudorem adferunt & confuſionem, denuntiat ipſi vt ad ſe veniat vbi Artemam ad eum miſerit: datóque ipſi præcepto vt ſuos doceat bonis præeſſe operibus, ita concludit epiſtolam.

F

## THEODORETI.

TItus egregius erat Pauli diſcipulus. Cretæ verò quæ maxima erat, ordinatus à Paulo epiſcopus. Permiſſum autem ipſi erat & commiſſum vt inferiores ordinaret epiſcopos. Quum autem hæc ſcriberet Paulus, in libertate erat: nuſquam enim afflictionum meminit. Extenditur autem & ad Iudæos epiſtola. Hæc autem prior fuiſſe videtur quàm epiſtola ad Timotheum.

A

# EPISTOLA AD TITVM.



PAulus seruus dei, apostolus autem Iesu Christi, iuxta fidem electorum dei, & cognitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spe vitæ æternæ, quam promisit is qui mẽtiri nescit deus ante tẽpora ęterna: manifestauit autem temporibus suis sermonem suum per prædicationem suam, quæ commissa est mihi, secundum præceptum saluatoris nostri dei, Tito germano filio iuxta communem fidem gratia, misericordia, pax à deo patre, & domino Iesu Christo saluatore nostro. Cap. 1. B

Nullo discrimine hæc ponit, alibi quidem seruum Christi, apostolum autem dei, nunc verò ediuerso. *Iuxta fidem.* Propter fidem, hoc est, eo quòd concrediti sint mihi electi dei vt eos docerem factus sum apostolus. Aut hoc modo. Apostolus sum vt credant electi per me, & cognoscant veritatem pietatis, nẽpe Christum. Vel isto etiam modo. Quòd factus sim apostolus, & crediti sint mihi electi, non vtcunq; mihi cõtigit, sed quoniam cognoui veritatem pietatis. Quę est autem hæc veritas? Christus. Rectè autem dixit, Veritatis quæ secundum pietatem est, quasi sit & alia veritas non secundum pietatem, sicuti est scire artem aliquam. *In spe uitæ æternæ.* Satis quidem in se erat, ac vice mille retributionum cognoscere veritatem, nũc autem magnificus deus pro hoc ipso etiam præmia rependit, nempe vitam æternam. Ad cognitionem, inquit, veritatis, quę fit ob spem vitæ æternæ. Aut ait æternæ, collationem faciens ad Iudaica: nam illa promissionem habebant vitæ præsentis. *Qui mentiri nescit deus.* Si mentiri nequit, vtique complebit quæ promisit. *Ante tempora æterna.* Non ex posteriori voluntate aut inconstantia hoc definiuit deus, sed ab initio. Maxima autem C

D dignitas est, quod nos ab initio dilexerit. *Manifestauit autem.* Quid manifestauit temporibus suis & congruis? quam ab æterno promiserat vitam. Nam sermo ipsius, hoc est, Christus, est vita & vitæ doctor. Propterea quum dixisset quòd promiserat vitam, non iam subiunxit, Manifestauit autem tẽporibus suis, quam promiserat vitam: sed, sermonem suum per prædicationem, tanquam ipse sermo, id est, Christus, sit illius vitæ autor & dator. Per prædicationem verò, hoc est, manifestè & palàm. *Quæ commissa est mihi.* Ex eo quòd ait, Commissa est mihi, & Secundum præceptum, significauit oportere necessariò, & nullam prætexendo excusationem, volentem nolentẽ prædicare. Hoc & tu, inquit, facito ô Tite. *Tito germano filio.* Posset enim esse filius, eo quòd ab ip-
E so baptizatus esset, at non germanus, eo quòd peccator esset. Quòd autem meus sis filius, inquit, caussa est communis fides. Collaudat autem Titum, quasi in fide nihil ampliùs habeat quàm ille. ALIO modo. Filius Pauli est Titus, quòd ab ipso fidem edoctus esset. Communi verò fide siue à baptismate frater Pauli. Vnus est enim pater Christus, vna & mater piscina. *Gratia, misericordia.* Meritò gratiam & misericordiã Tito precatur, qui doctor erat. Nisi enim his gubernaculis, inquit, populum gubernaueris: nempe gratia, misericordia, pace, euertetur nauis ecclesiæ.

## CAPVT I.

F *De doctoribus idoneis ad ministerium, & redargutionem non obtemperantium.*

HVius rei gratia reliqui te in Creta, vt quæ desunt pergas corrigere, & constituas singulis ciuitatibus presbyteros, sicut ego tibi ordinaueram. Si quis sit inculpatus, vnius vxoris vir, liberos habens fideles, non obnoxios libidini, aut intractabiles.

Vides ipsos diuisisse inter se orbem tanquam vnam familiam, & vnumquenque quod suum erat curantem. Considera verò Christi athletam. Huc quidem vbi periculum imminebat, ipse accedit: vbi verò honor aliquis accessurus erat, mittit discipulos. Hunc enim reliquerat vt singulis ci-

uitatibus constitueret episcopos, quum eum prius creasset episcopum. Animaduerte præterea quòd ipsum non pudeat scribere discipulo. Perge corrigere quæ à me relicta sunt, Hoc enim vnum respiciebat, nempe omnium salutem. *Singulis ciuitatibus presbyteros*. Neq; enim volebat totam Cretæ insulam, quæ magna erat vni commissam esse episcopo, sed singulas ciuitates suum habere pastorē. Presbyteros autem vocat episcopos. *Si quis sit inculpatus*. Cui vita pura sit ab omni crimine & accusatione, ne quisquam occasionem habeat carpendi vitam eius. *Vnius uxoris uir*. Solam vnam nouerit quæ legitima fuerit. Hæreticis cōiugium abominantibus silentium imponit, quum posśint cum matrimonio alicui præesse episcopatui. Bigamum verò repellit, tanquam vituperio & contemptui obnoxium. *Liberos habens fideles*. Qui suos enim liberos non correxit, quòmodo alienos corriget ac gubernabit?

Oportet enim episcopum inculpatum esse tanquam dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum, non debacchantem, non percussorem, non turpiter lucro deditum: sed hospitalem, bonarum rerum studiosum, sobrium, iustum, sanctum, temperantem, tenacem eius qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis: vt potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.

Inculpatum esse generale est. Siquidem inculpatum esse, omnia quæ enumerãda sunt, complectitur: hoc est, in quem nullum posśis crimen impingere. *Tanquam dei dispensatorem*. Quoniam magna, inquit, est dignitas, magna quoque opus est custodia. *Non præfractum*. Qui enim seipsum domare nequit, quomodo aliis vtiliter præesse poterit? *Non debacchantem*. Non contumeliosum. *Non percussorem*. Non ferientem conscientias fratrum. *Non turpiter lucro deditum*. Qualis esse solet qui inops est: quasi lucrum quoduis, etiãsi iustum esse videatur, turpe sit episcopo. *Sãctum*. Purum ab affectibus. *Temperantem*. Non tantùm circa cibos, sed etiam circa affectiones. *Fidelis sermonis*. Aut veri, aut eius

D qui per fidem suppeditatur, & non ab humanis cogitationibus, aut rationibus. Propterea autem dixit, Qui secundum doctrinam est: significans quòd etiam sine externa sapientia docere possit. Neque enim demonstratione, inquit, naturali, aut philosophica opus est, sed doctrina & vtilitate. *Vt potens sit etiam exhortari.* Hoc autem & à prudentia continget, & à cognitione scripturarum. Sana verò doctrina est, quæ & vera dogmata & rectam vitam docet. *Et contradicentes reuincere.* Qui nō nouit aduersus inimicos pugnare, & captiuam

2.Cor.10

ducere omnem cogitationem ad obediendum Christo, nihil faciet eorum quæ conueniunt.

## CAPVT II.

E *Aduersus eos qui carnales annuntiabant purificationes: & de spirituali uirtute.*

SVnt enim multi non obsequentes & vaniloqui, ac mentium seductores, maximè ii qui sunt ex circuncisione, quibus oportet obturare os, qui totas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.

Omnium posuit radicem, ex qua reliqua etiam oriuntur. Nam qui inobediens est, ipse quidem obtemperare recusat, reliquis verò imperare ac præesse concupiscit. Deinde oportet eum qui ecclesiastico principatu imperat, etiam docere: qui autem docet priusquam didicerit, eo quòd aliis non obsequatur, iure vaniloquus, ac mentium seductor inuenitur.

F *Maximè ij qui sunt ex circuncisione.* His enim etiam Christus obiecit quòd principatum ambirent: qui post susceptā quoque fidem, morbum hunc non relinquebant. *Quibus oportet obturare os.* Nam si episcopus sibi cōmissam habet aliorum curam & ducatum, neque nouit vaniloquorum, ac seductorum ora obturare, illósque conuincere, efficitur caussa damni eorum qui pereunt. Et rectè dicit, Ora obturare: hoc est, vt vi obiurgationum ne loqui quidem permittantur, vt hinc etiam iuuentur auditores. *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Nihil est quod non suadeat hic affectus transgredi.

Dixit quidam ex istis proprius ipsorum prophe-

ta, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, vētres pigri. Teſtimonium hoc eſt verum: quam ob cauſſam redargue illos acriter, vt ſani ſint in fide, non attendētes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auerſantium veritatem. A

Quæritur quam ob cauſam Græcorum adduxerit teſtimonium, illúdque commendauerit, maximè quum non rectè dictum ſit? Quod autem eſt teſtimonium? Cretenſes ſepulchrum extruxerunt Ioui. Itaq; dicit quidam poeta, Tuū, ô rex, ſepulchrum Cretenſes extruxerunt: tu verò nequaquam mortuus es, ſemper enim viuis. † Huius vaticinij pars eſt Cretenſes ſemper mendaces, &c. Atteſtatus eſt autē Apoſtolus verum eſſe hunc ſermonem. At ſi verum eſt hoc teſtimonium, Iupiter igitur immortalis erit. Sed dicimus ꝙ in hoc ſolo dixit verum eſſe teſtimonium, ꝙ mendaces ipſos vocauerit. Vnde ait, *Teſtimonium hoc*, nempe quòd ipſos dicit eſſe mēdaces. Sanè hoc (dicet quiſpiam) ita ſit: at cur à Græcis produxit teſtimonium? Et dicimus ꝙ hoc maximo pudore ipſos afficiebat, ꝙ domeſticum ac proprium proferat teſtimonium improbitatis ipſorum. Quum enim iis fidē non habeant, qui apud nos ſunt, proprios ſuos adduxit ipſis accuſatores. Hoc & deus faciebat, quum per ſtellam Chriſtū magis indicabat, ꝙ circa aſtronomiam occuparentur, quaſi à propriis illos admonens. Rurſumque vates à bobus arcam trahentibus. Præterea Saul à muliere ſpiritum Pythonem habente, quoniam illi credebat. His autem modis deus ſeſe demittebat. Nec his aduerſantur ꝙ Chriſtus & poſtmodum apoſtoli loqui prohibuerint dęmones: ſigna enim fiebāt quę perſuadere poterant. Neq; erat neceſſe ſuadere hominibus ab his quibus credebant. *Quam ob cauſam redargue illos.* Quia ergo improbi ſunt quidam, aſperiùs, inquit, illos obiurga, nam hi à manſuetudine non poſſent ad id quod rectū eſt adduci. *Vt ſani ſint in fide.* Eſt autem in fide ſanum eſſe, ſi quis nihil externum ad eam induxerit, neq; Iudaicum neque Gētilicum. *Iudaicis fabulis.* Dupla ratione Iudaicæ dicuntur fabulæ: & quia tempus ipſorum præteriit: & quia etiam quum in ſuo eſſent vigore, figura erant veritatis, & non ipſa veritas. *Et præceptis hominum.* Obſeruationes dicit

† *Cæterū integrum Epimenidis teſtimonium eſt, Cretenſes ſemper mē* B *daces malæ beſtiæ, uentres ſegnes, tibi, ô rex Iupiter, monumentū extruxerūt: atqui tu nō es mortuus, ſed* C *in æternū uiuis. Et eadem propemodum ſententia habet Callimachus.*

D circa cibos, vt ex his quæ sequuntur manifestum est.

Omnia quidem pura puris: porrò pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est, & mens illorum & conscientia. Deum profitētur se scire: cæterùm factis negant: quum sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi. Tu verò loquere quæ decēt sanam doctrinam.

Cap.2.

Quam ob causam ergo lex Iudæis data habebat obseruationem ciborum immundorum? Et dicimus, Non quòd impura essent ita statuit deus, sed vt hac via magnas Iudęorum delitias, vescentium omnibus nullo discrimine amputaret. Purum enim & impurum efficitur propriè ex eorum mente qui edunt. Siquidem iuxta naturam omnia pura sunt his qui curiosiùs non inquirūt: his autem qui tales non sunt, vniuersa sunt impura, quum ex se non sint impura: solum nanq; peccatum est impurum. *Porrò pollutis.* Itaque iuxta pollutam mentem fiunt impura: quemadmodum laboranti morbo omnia sunt insuauia propter morbum. *Sed polluta est illorum mens.* Nullus quidem cibus impurus est, inquit, cæterùm mens ac conscientia illorum impuræ sunt, suáque suspicione cibos reddunt impuros & inutiles. *Deum profitentur se scire.* Hoc verè impurum est: absque operibus enim fides mortua est. *Tu verò loquere quæ decent.* Verùm quanquam hi tales sint, inquit, tu tamen non segnior efficiaris, sed quod tuum est facito ac doce, etiamsi nemo obtemperet.

E

F

## CAPVT III.

*Admonitiones quas tradi oportet iuxta singulorum ætatem.*

SEnes vigilantes esse, prudētes, modestos, sanos fide, charitate, patientia. Anus itidem in habitu qui religionem deceat, non calumniatrices, non vino multo seruientes, honesta docentes, quo honestas reddant adolescētulas, vt maritos suos diligāt, liberos amēt, sobriæ sint, purę, domus custodes, bonæ, sub-

næ,ſubditæ ſuis viris,ne ſermo dei malè audiat. A

*Senes uigilantes.* Senectutem enim maximè ſequitur tardi Ieſa. 58.
tas & ignauia. Hoc igitur corrigit. *Eſſe.* Eſſe oportet. nam à communi intelligentia ſubauditur Oportet. *Prudentes.* Prudentes inquit. Dicitur enim σωφροσύνη quaſi σαοφροσύνη, hoc eſt φρενῶν σωτηρία, id eſt præcordiorum, vel mentis ſalus, aut ſanitas. Neq; enim in ſenibus requirit temperãtiã in laſciua libidine, ꝙ hoc iã in confeſſo ſit eos habere. *Patientia.* Rectè ait debere eos habere tolerantiam: Siquidem non decet Senectutem iracũdia. *Anus itidem.* Eas dicit quæ in eccleſia miniſtrabant: habitum autem dicit veſtes quæ operiunt. *Qui religionem deceat.* Ab ipſo, inquit, indumento honeſtatem oſtendant, & ꝙ aptæ ſint ad ſacra miniſteria. *Non calumniatrices.* Nam ex vino ſequitur calumnia: & maximè quòd imbecilliori ſenectuti inimica eſt vini vehementia. B *Honeſta docentes.* Et quomodo alibi mulieres docere prohibet? Et dicimus ꝙ hìc de exhortatorio ſermone loquitur, qui domi habetur, ibi verò ne publicè præſiderent, & cõcionarentur. Et ꝙ ſolius doctrinæ quæ domi traditur, participes eas fecerit, manifeſtat id quod ſequitur. *Quo honeſtas reddant adoleſcentulas.* Non de ſolis filiabus hoc dicit, ſed in vniuerſum adoleſcentiam ſubiicit ſenectuti. *Vt maritos ſuos diligant.* Hoc bonorum omnium caput eſt, quæ in familia ſunt, vnde & reliqua oriũtur. *Liberos ament.* Nam quæ radicem amat, etiam & ramos amabit. *Domus cuſtodes.* Domus dicit cuſtodes, quæ domum gubernent. Tales autẽ C neque circa ſuum alimentum, neque circa egreſſus intempeſtiuos occupantur. *Ne ſermo dei malè audiat.* Nam ſi maritus eſſet infidelis, vxorem habens fidelem, ſed non ſubiectam & prauam, fidem ipſam calumniaretur, quæ huiuſmodi haberet mulieres. Vides quòd hæc ſcribat, curam in primis habens prædicationis.

Adoleſcentes conſimiliter adhortare vt temperantes ſint: per omnia temeipſum præbẽs formam bonorum operum, in doctrina integritatem, honeſtatem, ſermonem ſanum, incorruptionem, irreprehenſibilem, vt is qui repugnat, rubore ſuffundatur

D nihil habens quod de nobis dicat mali.

Vides quàm congruè præceperit? mulieribus quidem mulieres & anus præficiens præceptores, viris autẽ ipsum Titum? *Vt tẽperãtes sint*. Nihil enim adeò hostile est iuuẽtuti sicut amor corporum. T*eipsum præbens formam*. Tua vita atq; exemplum, sit omnibus communis doctrina. I*n doctrina*. A communi intelligentia supple Præbens. In doctrina igitur præbens integritatem, hoc est familiaritatem, & quãdam humilitatem. H*onestatem*: id est nõ tãquã princeps aliquis, neq; veluti cum tributariis, aut subiectis disserens, sed blandè ac leniter, veluti cum filiis. Sermonem sanum: videlicet dogmatum. Nam si hæc adsint doctrinæ, rubore suffundetur is qui repugnat, siue calumniator, aut hæreticus, nullã
E inueniens aduersum nos calumniandi ansam.

## CAPVT IIII.

*De seruis ut ipsi quoque decenter ad Christi gratiam seruiant.*

SEruos hortare, vt suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non responsatores, non suffurantes, sed fidem omnem ostendentes bonam: vt doctrinã saluatoris nostri dei ornent in omnibus.

Non oportet ergo prætextu pietatis tollere seruos à dominis. N*on responsatores*. Admonet seruandam obedientiam, ac fidelitatem, id enim maximè seruos decet. V*t doctrinam saluatoris*. Meritò dixit alibi: Tanquàm deo seruiẽtes,
Ephe.6. & non hominibus. Siquidem quanquam domino cũ bene-
F uolentia ministres, inquit, occasio tamen initium habet à timore domini. Si enim praui sunt, Christianismum contume-
Roma.2. lia afficiunt. Nomen enim dei propter vos, ait, blasphemiis
afficitur. Qui autem fecerint ea quæ dicta sunt, prædicatio-
Iesa.52. nem ornant, fideliter seruientes.

Illuxit enim gratia dei salutifera omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, castè & iustè ac piè viuamus in præsenti seculo, expectantes beatam spem, & apparitionem gloriæ magni dei & saluatoris

nostri Iesu Christi:qui dedit semetipsum pro nobis,vt redimeret nos ab omni iniquitate,& purificaret sibiipsi populum peculiarem sectatorem bonorum operum. A

Deinde etiã caussam ponit,cur seruos esse tales oporteat, Illuxit,inquit,gratia dei erudiens nos. Quum igitur deũ habeamus doctorẽ,an non æquum est,vt faciamus quæ doctrinam ipsius deceant? *Vt abnegata.* Apparitio autẽ saluatoris nostri dei , hoc est aduentus in carne, non solùm prioribus peccatis nos liberauit,verumetiam securiores in posterũ fecit.Dicens enim Vt abnegata,significat magnam separationem & abstinentiam. *Impietate & mundanis concupiscentiis.* B Impietatem quidem dicit prauorũ dogmatum:mũdanas verò concupiscentias,& quæ animæ sunt,& quæ corporis:vtq; vno verbo dicam quæcunq; non transeunt nobiscum in cœlum.Quòd autem ait Castè, non solùm continentiam significat,quę est circa corpora,eorùmque amorem . Verumetiã erga omnem affectionem. *In præsenti seculo.* Nam hoc seculum habet certamen,futurum verò retributiones. *Expectantes beatam spem.* Ecce & præmia.Verè enim nihil beatius est illa apparitione. *Gloria.* Siquidem secundus aduentus cũ gloria erit, quum fuerit primus cum abiectione. *Magni dei.* Vbi nunc sunt impiorum dogmatum inuentores,qui Christum asserunt non esse deum, aut minorem esse patre?Nam hoc loco apertè deum etiam magnum profitetur C Apostolus esse Christum . Magnus verò,non distinguit aduersus aliquem paruum deum:Minimè:sed absolutè ita magnus,vt eo maior nemo posit intelligi. *Populum peculiare:* hoc est ab aliis separatum,abundè dilectum,nihil cum reliquis populis cõmune habentem. *Sectatorem bonorũ operũ.* Vides ꝙ sit etiã necessitas eorũ,quæ à nobis sunt? Sectatorẽ, inquit,siue æmulatorẽ,hoc est,vt magna cum animi promptitudine veniamus ad virtutẽ.Quòd enim olim remissa sint nobis peccata,sola factum est ipsius benignitate , quòd autem perficiatur id quod virtutis est,& ipsius est & nostrum.

CAPVT V.

De *obedientia principatibus exhibenda , ueluti decet Christi mansuetudinem.*

D HAec loquere & adhortare ac argue cum omni precipiendi studio. Nemo te despiciat, Admone illos vt principatibus ac potestatibus subditi sint, vt magistratibus pareant vt ad omne opus bonum sint parati: ne de quoquam malè dicant: ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mãsuetudinem erga omnes homines.

Cap.3.

*Cum omni præcipiendi studio*: hoc est vehementia. Quoniam enim horum mores erant asperiores, dicit vt durius arguantur. *Nemo te despiciat.* Hoc est paruifaciat. Vides quòd etiam velit episcopum alicuius esse potestatis & autoritatis?

E *Vt ad omne opus bonum sint parati.* Id est prompti & instructi. *Ne de quoquam malè dicant.* Etiam si malè faciat, etiam si in aliquo labatur. Oportet enim os vestrum omnino purum esse à contumelia. Nam tu, inquit, cur iudicas fratrem? cur dei iudicium tibi vindicas? βλασφημίαν enim hoc loco vocat cõuitium aduersus fratrem. *Mansuetudinem erga omnes*: & Iudæos & Græcos, & amicos & inimicos, & nocentes & calumniantes.

Rom. 14.

Nam eramus & nos quondã amentes, inobedientes, errantes, seruientes desideriis ac voluptatib⁹ variis, in malitia & inuidia degentes, odiosi, inuicem odio persequentes. At postquã bonitas & erga homines amor apparuit saluatoris nostri dei, nõ ex

F operib⁹ quæ essent in iustitia quæ feceramus nos sed secundũ suam misericordiã saluos nos fecit: per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti quem effudit in nos opulentè per Iesum Christum saluatorem nostrum: vt iustificati gratia illius, hæredes efficeremur iuxta spem vitæ æternæ.

Aduersus neminem, inquit, sis contumeliosus: nam & nos mali eramus, non ꝙ etiam nunc simus. Quando igitur & tu talis eras, deiq; gratia saluus factus es, nõ ex propriis bonis operibus, quomodo audes alij conuitium ingerere. Quãdo

autem tales eramus? quando in errore eramus, quãdo idola A
adorabamus. Manifestum est enim quòd impiè viuant Græci. Siquidem apud ipsos sunt adulteria, stupra, cædes, fœdæ nocturnæ vigiliæ : & hæc veluti ad honorem deorũ perpetrant. *Odiosi.* Vbi enim quis ad extremum vitiorũ peruenerit, omnes odio habet, meritò ergo etiã ab vniuersis odio habetur. *Erga homines amor apparuit.* Per ipsius incarnationem. *Non ex operibus quæ essent in iustitia.* Non quòd adeò piè viueremus, vt satis exhortaremur eum quo incarnaretur: sed quòd ipse, quũ indigni essemus, voluerit nostri misereri. *Quæ feceramus nos.* Neque enim feceramus. *Quem effudit in nos.* Quemnam spiritum? *Quem in nos* (inquit) *effudit opulentè per Iesum Christum.* Magna gratia nobis opus erat : non solùm vt à præteritis iustificaremur peccatis, sed B
etiam vt hæredes efficeremur vitæ: propterea effudit. *Gratia illius:* Christi videlicet aut spiritus sancti. *Hæredes efficeremur.* Hęredes, inquit, efficeremur æternæ vitæ, quæ nunc in spe nobis est. AVT hoc modo. Hęredes efficeremur æternæ vitę, quemadmodum & speramus.

Fide dignissimus est sermo. Et de his volo vt confirmes quo soliciti sint vt bonis operibus præsint qui crediderũt deo. Hæc enim sunt vtilia & honesta hominibus. Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones, ac pugnas legales omitte: sunt enim inutiles ac superuacaneæ. C

Quoniã de futuris loquutus erat quæque multis incerta erant, subiũgit πιςὸς ὁ λόγος, hoc est dignus est sermo qui credatur, verax & qui omnino eueniet. *Et de his uolo ut cõfirmes.* Et de illis quæ superius dicta sunt & de istis. Quibus? *Vt soliciti sint ut bonis operibus præsint.* Nẽpe viduis, orphanis, labore confectis & egenis non solùm pecunias erogent, sed & solicitudinem. Nam hæc sunt bona. Vt bonis operibus præsint. *Stultas autem quæstiones & genealogias.* Genealogias aut de Græcis dicit, qui deorum suorum genus recẽsebant. Talis, inquiũt, talem genuit. Aut de Iudæis, qui quum nihil boni operarentur, ad genera cõfugiebant, & ab his cristas erigebant. Abraham, inquiunt, Isaac & Iaacob progenitores

D nostri sunt. Stultas verò, hoc est nullam adferentes vtilitatem. Quæ enim peccatori vtilitas si patrem habeat Abraham? imò potius damnum referet, si ex his profecti, reprobi facti sunt. περιΐστασο, hoc est fuge, caueto. Quomodo ergo alibi præcipit ipsi vt contradicentibus obturet ora, si omnino cedere oportet & omittere? Et dicimus quòd his qui ad
Supr.ca.1. aliorum docent perditionem, oportet ora obturare: quum autem aduersum te contenderint non de dogmatis, cede & omitte. *Sunt enim inutiles.* Siquidem nullum habent bonum finem.

## CAPVT VI.

E *Admonitiones de declinandis quæstionibus quæ seditionem concitent.*

HAereticum hominem post vnam & alteram admonitionem fuge, sciens quòd euersus sit qui eiusmodi est, & peccet per se damnatus. Quum autem misero Artemam ad te aut Tychicum, da operam vt venias ad me Nicopolim: nam illic decreui hybernare. Zenam legisperitum & Apollô studiosè deducito, ne quid illis desit. Discant autem & nostri bonis operib⁹ præesse ad necessarios vsus
F vt non sint infrugiferi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos diligunt in fide. Gratia cum omnibus nobis, Amen.

2.Tim.2. Atqui dicit alibi; Siquando det illis deus pœnitentiam: quomodo ergo hoc loco fugere eos iubet? Ibi de iis loquitur de quib⁹ est spes emēdæ, hîc autē de illis qui incurabili morbo laborant. *Per se dammatus.* Neque enim hoc potest in excusationē proferre. Nemo mihi dixit, Nullus me adhortatus est. Quòd ergo dixit αὐτοκατάκριτος, aut idem est quòd Inexcusabilis, aut, ipse à sua conscientia cōdemnatus. *Da operam ut uenias ad me.* Quam ob caussam quum ipsum Cretæ præfecisset, rursum eum ad se vocat? Vt plenius eum
Theod. informaret & quæ facienda essent cōsuleret. Nicopolis autē Thraciç ciuitas est. *Nicopolim.* Thraciæ pars est Nicopolis propinqua Macedoniæ. Manifestum ergo est q̄ eo tempore

ſcripſerit epiſtolam quo in Macedonia & Achaia verſaba- A
tur. *Zenam legisperitum & Apollô.* Legum Iudaicarum peritum. Nondum autem commiſſæ his erant eccleſiæ. Porrò hic Apollos magnus vir erat, & ſapiens ac potens in ſcripturis. *Ne quid illis deſit.* Abundè illis prouide: de alimētis fortaſsis loquitur & indumentis. *Diſcant autem & noſtri.* Aut de doctrina loquitur aut de traditione: perinde acſi diceret, Ipſi humanitatem reſpiciāt erga eos qui egeni ſunt, ipſoſq; foueant, ſiue doctrina egeant ſiue rebus neceſſariis. *Vt non ſint infrugiferi.* Siquidem cupit illis magis prodeſſe qui dāt quàm qui accipiunt. *Saluta eos qui nos diligunt.* Aut eos dicit qui ipſum diligebant, aut vniuerſaliter fideles. In fide verò, id eſt, per fidem. B

Ad Titum primum eccleſiæ Cretenſium ordinatum epiſcopum.

Scripta eſt ab vrbe Nicopoli Macedoniæ.

## ARGVMENTVM EPISTOLæ ad Philemonem.

HAnc ab vrbe Roma ſcribit. Occaſio verò epiſtolæ fuit hæc: Oneſimus ſeruus Philemonis fugerat, & ad Apo- C lum profectus, ab ipſo inſtructus erat, fuítque ei vtilis ad miniſterium. De hoc ergo ſcribit Philemoni, cōmendans ipſi Oneſimum, vt ingenuè animum ad eum aduertat: nec deinceps habeat eum vt ſeruum, ſed vt fratrem. Admonet quoque ipſum vt ſibi præparet hoſpitium: vt ſi venerit, inueniat vbi diuerſetur: & ita concludit epiſtolam. Sciendum autem quòd hic Oneſimus in vrbe Roma paſſus ſit martyrium, Tertullo eo tempore præfecturam tenente, crurum fractione ſententiam ſuſtinens martyrij.

D

# ARGVMENTVM. THEODORETI,

PHilemon præclarus quidã vir erat: Phrygius quidem genere, moribus autem fidelis, & in necessitatibus san ctorũ participans. Huius seruus Onesimus aufugit expilato domino. Qui quum Romæ ad Paulum venisset, ab ipso instructus est & baptizatus: quúmque Paulus esset in vinculis, egregiè se gessit. Hunc ad Philemonem remittit data ad ipsum commendatitia hac epistola. Aiunt autem quidam non debere hanc cæteris connumerari epistolis, quòd de re parui momenti scripta sit. Sed vide quantæ ex hac colligantur vtilitates. Primùm instruit vt in paruis etiam rebus stu-
E diosi simus. Secundò quòd si seruus adeò improbus conuersus est, non oportet quenquam liberum desperare. Tertiò quòd non oporteat pietatis prætextu seruos inuitis dominis abstrahere. Quartò quòd non oporteat nos pudefacere seruos virtute præditos, quando Paulus Onesimum vocat filium. Qua igitur caussa epistolam quæ tantùm adferebat vtilitatis non expediebat cæteris annumerari?

# EPISTOLA AD PHILEMONEM.



Aulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & collegæ nostro, & Apphiæ dilectæ & Archippo commilitoni nostro, & quæ domi tuæ est congregationi: gratia vobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo. A Cap. 1.

Statim ab exordio dominum instruit ne pudefaciat seruum. Omnia enim, etiam vincula, propter Christũ honesta sunt. & quia æquum est gratificari ei qui propter Christum vinctus est. *Et Timotheus frater.* Socium deprecationis assumit Timotheum. *Philemoni dilecto.* Si dilectus est, gratificabitur: si collega, dabit seruum ad ministerium prędicationis. Siquidem datus Onesimus explebit opus domini Philemonis. *Et Apphiæ.* Fortaſsis Apphia vxor erat, & Archippus amicus. Consydera verò animi modestiam. Nam hos etiam exhortatur vt simul opitulentur in precatione. *Cõmilitoni nostro.* Si cõmilito, etiam in hoc decertabit. Hic erat de quo ad Colossenses scribit, Dicite Archippo, Vide ministeriũ quod accepisti. *Et quæ domi tuæ est cõgregationi.* Totã domum exhortatur, etiam seruos. *Gratia uobis.* Quomodo autem erit gratia dei in vobis? Si vos etiã debitoribus condonetis. Quomodo autem erit pax? si seruo conciliemini. B Coloss. 3. C

CAPVT I.

*Laus Philemonis & gratiarum actio pro ipso.*

GRatias ago deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis, quum audiam tuam charitatem ac fidẽ quam habes erga dominum Iesum & erga omnes sanctos, vt communicatio fidei tuę efficax fiat in agnitionem omnis boni quod est in nobis erga Christum Iesum. Gaudium enim habemus multum & cõsolationem in dilectione tua,

D quòd viſcera ſanctorum refocillata ſint per te frater. Quapropter quum multam fidutiam habeam iniungendi tibi, id quod decens eſt, propter charitatem, potius rogo, quum talis ſim, nempe Paulus ſenex, nunc autem etiam vinctus Ieſu Chriſti.

Siquando, inquit, tui mentionem faciam, ſemper autem facio, gratias ago deo pro te. Quare? quũ audiam, ait, tuam charitatem. Vides ꝙ non ſtatim ab exordio petat gratiam? *Quum audiã tuam charitatem*: quæ niſi maxima eſſet, nequaꝗ̃ à Phrigia Romam vſq; audiretur. *Vt cõmunicatio fidei.* Coniungit eum ſibi, perinde acſi diceret Cõmunis fides & quæ vnum ac cõmune facit. Quare autẽ deo gratias agis? vt com E municatio, inquit, fidei tuæ efficax fiat. Quomodo autem erit efficax? ſi ad omne virtutis opus procedat. Interpretatur autem ſeipſum beatus Paulus. Quomodo autẽ erit efficax? Per hoc quòd tu cognoſcas & perficias omne bonũ. *Quòd eſt in nobis.* Quod nunc quoq; eſt in nobis ait. *Erga Chri*

Matt.25. *ſtum Ieſum.* Nam qui alicui bene facit, Chriſto facit, maximè autem qui ſanctis facit. *Gaudium enim habemus multum.* Non ſolùm, inquit, lętamur, ſed tãta accedit nobis voluptas vt etiam conſolationem nobis addat in vinculis. *Quòd viſcera ſanctorum.* Conſydera quòd quum velit dicere, Si aliis gratiam præſtas, multomagis mihi præſtes: non ita quidem dicit, ſed alio commodiori modo. Scit enim quòd memoria beneficiorũ erga alios exhibitorum, magis obſequentes red

F dit eos quos precamur. *Refocillata ſint per te.* Refocillãtur enim, inquit, ob tuã dilectionem. *Ideo quum multam.* Quoniã talis es erga ſanctos vt etiam refocilles eos, fidutiam habeo iniũgendi tibi: Quum fidutiã habeam propter Chriſtũ iniũgendi tibi rem quæ expediat: nam hoc ſignificat τὸ ἀνῆκον. Iniungere autem dixi, non quòd dominer tibi, ſed propter charitatẽ qua & te diligo & à te diligor, iniungere quidem videor propter charitatem: non tamen iniungo, ſed potius rogo: adeò, inquit, rem magnifacio. *Quum talis ſim nempe Paulus ſenex.* Rogo quum talis ſim, qualis deberet quiſpiam eſſe ad perſuadendum. *Paulus.* Sufficere autem deberet hoc ſolùm ad perſuadendum. *Senex vinctus pro Chriſto.* Vides quot ſint ad perſuadendum occaſiones?

A

*Commendatio Onesimi fugitiui serui, & admonitio pro ipso qui saluus factus erat per fidem.*

ROgo autem pro filio meo quem genui in vinculis meis Onesimo, quondam tibi inutili, nũc verò tibi & mihi perutili, quem remisi. Tu autem eum, hoc est, mea viscera suscipe: quem ego cupiebam apud me retinere, vt pro te ministraret mihi in vinculis euangelii: sed absque tua sententia nihil volui facere, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum.

B

Placat ac mitigat Philemonem, collaudans seruum Onesimum, vocando filium, quia & ipsum, inquit, baptizaui: Nã hoc significat Genui cum essem in vinculis: His igitur sedata ipsius ira, ita nomen exprimẽs, Onesimo inquit. *Quondã tibi inutili.* Scit enim illum qui confitetur peccatum, iram domini extinguere: Ideo subdit, *Nũc uerò tibi & mihi perutili.* Si Paulo perutilis erat, qui tanta diligentia expetebat, manifestum est ꝙ etiam Philemoni. *Quem remisi*: vt ipsum domino redderet, magis autem vt iram extingueret. *Hoc est, mea uiscera.* Quid autem dico vt ipsum suscipias? hunc suscipiens, mea viscera suscipies. Adeò, inquit, eum diligo, vt mea appellem viscera. Quòd autem ait Suscipe, hoc est, cum amore accipe. *Vt pro te ministraret mihi.* Viden' quòd paulatim ipsum ad domini locum perduxerit? ait enim, Vt pro te mihi ministraret. Hic autem ostendit ꝙ domini potius cupiat vtilitatem. Nã si tu, inquit, debes ministrare, hic autem pro te hoc facit, vtique in tuam est vtilitatem quod agitur. *In uinculis euangelij.* In vinculis quæ pro euangelio perfero. *Sed absque tua sententia.* Hoc maximè ipsum emolliebat, quòd rem adeò sibi necessariam absque eius sententia non fecerit. *Ne uelut ex necessitate.* Non dixit simpliciter Ex necessitate, sed Velut ex necessitate: perinde ac si diceret, Noueram ꝙ si etiam præter tuam sententiam ipsum retinerem, nequaquam te contristarem: attamen ne videretur quasi ex necessitate fieri, nolui facere.

C

D Nam propterea forſitan ſeceſsit ad horam, vt æternum eum reciperes, non iam vt ſeruum, ſed ſupra ſeruum, nempe fratrem dilectum maximè mihi, quantò autem magis tibi & in carne & in domino? Si igitur me habes conſortem, ſuſcipe illum tāquam me, Quòd ſi quid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego dependam, vt ne dicam tibi quòd teipſum quoque mihi inſuper debes. Næ frater. Fruar ego te in domino. Refocilla mea viſcera in domino.

E Quoniam Oneſimus praua mēte fugerat, ipſe rem in dubium reuocat, tanquam diceret, Forſitan diſpenſatione quadam fugit. *Propterea ſeceßit.* Fauſto nomine fugam appellauit ſeceſsionem, ne facta fugæ mentione dominum irritaret. Deinde coarctato etiam tempore cohibet iram: Aut horam dicit annum. *Vt æternum eum reciperes.* Nam ἀπέχῃς ſignificat A fuga reciperes. *Sed ſupra ſeruum.* Vides quòd ad multa vtilis fuerit fuga? Pro hora enim fugæ habes ipſum perpetuum (vnica nanque hora eſt fugæ tempus ſi ad ſeculum conferas) & pro ſeruo inutili vtilem fratrem recepiſti, *Quantò autem magis tibi.* Si mihi, multò magis tibi & in mūdanis miniſteriis: nam hoc ſignificat In carne: & in ſpiritualibus: hoc enim deſignat in domino. *Si igitur me habes conſortem.* hoc eſt, ſi eadem mecum ſentis & optas. *Suſcipe illum tanquam me.* Papæ quanta verbi dignitas. *Quòd ſi quid nocuit tibi.* Non dixit Furatus eſt, ſed diminuit verbum. Nocuit, inquit, aut debet. *Hoc mihi imputa.* Veriſimile enim erat ipſos vnà conſumpſiſſe quę furtò ſublata fuerant, & ait, Hoc mihi imputa, hoc eſt, referas mihi in debitum, aduerſum me habeto debiti actionem. *Ego Paulus ſcripſi.* Cum gratia ſpirituali ſcripſit, acſi diceret, Ad ſecuritatem quòd redditurus ſim debitum, propria manu has ſcripſi literas tāquam ſyngrapham meam. *Vt ne dicam tibi quòd teipſum quoque mihi inſuper debeas.* Ne videatur indignè de illo ſentire, quòd non audeat liberè ipſum precari de remiſsione furti ab ipſius ſeruo commiſsi (Nam hoc crudelem quodammo-

do demonstraret Philemonem ) ostendit quod vehementer de A ipso confidat. Non solùm,inquit,quæ tua sunt, sed & teipsum mihi insuper debes. *Næ frater*. Rursum ab eo quod gratiosum est accedit ad id quod serium est. Næ,inquit,frater.quid?suscipe ipsum. Capiam ex te commodum in rebus quæ secundum Christum sunt. *Fruar ego te*: hoc est, delecter tuis præclaris in domino operibus. Videam ego te ditescentem omnibus bonis spiritualibus. *Refocilla mea uiscera*. Refocilla,inquit, meam erga te dilectionem propter Christum:non mihi,ait,gratiam præstans,sed Christo.

Confisus de tua obedientia scripsi tibi, sciens quod etiam vltra quàm dico facturus sis. Simul autem etiam præpara mihi hospitium. Spero enim quòd B auxilio precum vestrarum donabor vobis. Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas adiutores mei. Gratia domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro,Amen.

*Confisus*. Non imperans neque pertinaciter tecum agēs scripsi tibi, sed fiduciam habens de tua obedientia. Quem non emollirent hæc,etiamsi ferreus esset? *Sciens quòd etiam ultra quàm dico facturus sis*. Hoc dicit omnibus modis illum inducēs vt suscipiat Onesimum,& si non ob aliud,at saltem C ne periret bona opinio quam de ipso conceperat Apostolus. *Simul autem etiam præpara mihi hospitium*. Non solùm propter Onesimum scripsi (dixisset enim Philemon quòd propter se ne verbo quidem dignaretur ipsum Paulus) verumetiam propterea,inquit,scripsi,vt præpares mihi hospitium. Futurum enim erat vt formidaret si Onesimum non susciperet,quòd venturus esset Apostolus,& palàm fieret quod fuisset inobediens. *Auxilio precum uestrarum*. Magna quidem est orationum potentia,multa verò etiam Pauli modestia,qui preces illorum cupiebat, & ipsis indigere se ostendebat. *Epaphras concaptiuus meus*. Hic à Colossensibus missus erat ad Paulum, vt manifestum sit quòd & Philemon à Colossensibus fuerit. Vocat autem eum concaptiuum, ostē-

D dens quòd & ipse in multa sit afflictione. Præterea quoque ipsum pudore afficit, si Epaphras etiam vnà secum captus erat, ipse verò ne gratiam quidem in suscipiendo Onesimo præstaret illi qui propter dominum captiuus tenebatur. *Aristarchus*, *Demas*. De hoc ad Timotheum scripsit, Demas me dereliquit. Hunc Demam aiũt ad cultum Gẽtilicum rediisse, factúmq; sacerdotem idolorum. Quòd si illa epistola prior fuerat, postmodũ resipuit, si verò fuit posterior, factus est postea segnis & ignauus. *Lucas*. Qui postremus erat, factus est primus. Nam in secũda ad Timotheũ ait: Lucas mecum est solus. Adiutores autem eos vocat, ostendens q & hi vnà secum precentur ipsum vt Onesimum suscipiat.

E Scripta est ab vrbe Roma per Onesimum seruum.

## ARGVMENTVM EPISTOLAE ad Hebræos.

HAnc ab Italia scribit. Occasio autem epistolę fuit hęc, Quoniam Iudæi legi insistebant ac figuris vmbraticis: propterea apostolus Paulus quum doctor Gentiũ factus esset, & ad Gentes missus prædicaret euangelium, vbi vniuersis Gentibus scripsisset, Hebræis quoque qui ex F circũcisione crediderant postea scribit hanc qua eos doceat epistolam, qua Christum declarat venisse, & vmbram legis cessasse. Et primùm quidẽ demõstrat propterea missos fuisse prophetas vt de saluatore annuntiarent: & ipsum post illicitos venisse: seruósque ait fuisse prophetas, & annuntiatores aduentus ipsius, ipsum verò Christum esse dei filium, per quem omnia facta sunt. Quódque hunc filium oportuit fieri hominem, vt per hostiam corporis sui deleret mortem. Neque enim per sanguinem vituli aut hirci, sed per Christi sanguinem futura erat hominibus salus. Ostendit autem q lex neminem perfecerit, sed vmbram habebat futurorum bonorum. Nec requieuit populus Iudaicus, sed communiter omnibus nobis relictus est dies quietis. Præterea demõstrat etiam q sacerdotale ministeriũ ab Aharon trãslatum sit

in Christũ: cuius figura erat Melchisedec qui nõ descẽderat ex Leui. Fide quoq; iustificatos fuisse patres significat, & nõ ex operibus legis. Deinde vbi hos etiam ad bonos mores exhortatus est, & commendauit tolerantiam ipsorum propter Christum, suasitque vt senioribus deferrent honorem, concludit epistolam. A

## ALIVD ARGVMENTVM.

EPistola ad Hebręos videtur quidem non esse Pauli, tum propter scribendi dictionem, tum ꝙ suum non præfixerit nomen, quemadmodum in cæteris omnibus epistolis, tum quòd dicat, Quomodo nos effugiemus qui tantam neglexímus salutem, quæ sumpto loquendi initio à domino, ab his qui audierant in nos cófirmata fuit, attestante deo signis & prodigiis? Et quidem manifesta est caussa cur stilus fuerit immutatus. Nam ad Hæbræos scripta, patria ipsorum lingua, postmodum versa dicitur, vt quidam sentiũt à Luca, vt plerisque autem videtur à Clemente: huius enim characterem etiam seruat. Quòd autem suum nomen non præfixerit epistolæ, in caussa est ordo rei. Siquidem Paulus Gentium apostolus erat, & non Iudæorum. Nam societatis dexteras dederat Petro cæterisque apostolis, vt ipse cũ Barnaba inter Gentes. Petrus verò cum reliquis in circuncisione fungerẽtur apostolatu. Quoniam autem societas erat in prædicatione, & Iudæi audierant Paulum discesionem docere aliquo modo à lege, meritò ad Hebræos scribit epistolam, vt ostendat consensum prædicationis: quum autem ad eos scriberet, consultum non erat vt se in initio diceret apostolum. Testatur autem in sequẽtibus ipsa quoq; epistola ꝙ Pauli sit, ex eo quòd dicit, Etiam afflictionum, quæ ex vinculis meis contigerũt, participes fuistis. Et quum dicit, Magis precemini quo celeriùs restituar vobis. Præterea quum ait, Scitis fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celeriùs venerit, videbo vos. Nemo enim præter Paulum, vt opinor, dimiserat Timotheum in ministerium: atque hũc celeriùs expectans, suum ac illius pollicetur eis aduentum, quemadmodum frequenter facere solet. Multa quoque alia ostendunt nobis esse ipsius epistolam, quemadmodum & lectio ipsa in progressu docet.

Heb. 2. B C Heb. 10. & 13.

D THEODORETI.

QVam ob caussam Paulus, quum Gentium esset apostolus, ad Hebræos scribit? idque quum odiosè affecti essent erga ipsum quòd legem dissolueret? Petrus enim ac cęteri qui cum ipso erant, demittentes sese ad imbecillem captum Iudæorum, aliquantulum sequebantur etiam legem. Dicimus, quòd sicut non erat ipsi commissum baptizare, ex abundanti tamen ministerio etiam baptizabat: ita Hebræis quoque scribit, quum ad Gentes missus esset. Siquidem anxiam illorum curam habebat, adeò vt etiam dice-
Rom. 9. ret, Optarim anathema esse à Christo pro ipsis. Et rursum,
& 15. Proficiscor Ierosolyma ministraturus sanctis. Scribit itaque
E illis qui iam crediderant Ierosolymis & in Palæstina: scribit autem consolando eos quòd plurimas affectiones passi essent à propriis contribulibus qui non crediderant, quemadmodum & ipse significat dicens, Manus remissas ac genua so-
Hebr. 12. luta surrigite. Duo autē potissimùm efficit in epistola. Consolatur eos quòd viriliter tulerint afflictiones, & quòd bona dabitur ob hæc retributio. Multa autem de fide disputat, ostendens Iudaica iam non esse necessaria, vt quæ figura erant veritatis: nostra verò necessaria esse, vt quæ veritatem in se continent. Quare autem proprium non addiderit nomen quum ad Hebræos scriberet, Clemens in informationibus scribit in hunc modum, Iam verò vt beatus presbyter dicit, Quum dominus tanquam dei omnipotentis aposto-
F lus ad Hebræos missus esset, ex modestia actum est vt Paulus qui ad Gentes missus erat, non scriberet se Hebræorum apostolum, ob honorem delatum erga dominum. Præterea ex abundanti charitate factum est vt Gentium concionator & apostolus etiam scriberet ad Hebræos.

EPI-

# EPISTOLA AD HEBRAEOS. A

## CAPVT I.

*Diuina de Christo doctrina, cui data est gloria patri ac potestas omnium, cum purgatione omnium quæ sunt in terra, à qua descendit ad supercælestem gloriam.*



VLtiphariam multísque modis deus olim loquutus patribus per prophetas, extremis hisce diebus loquutus est nobis per filium, quem constituit hæredem omnium, per quem condidit & secula: qui quum esset splendor gloriæ & expressa imago substantiæ illius, moderaretúrq; omnia verbo potentiæ suæ. Cap. I. B

Diuersis variísq; modis deus olim per prophetas loquut° est, nobis autem per filium. Magnum itaque discrimẽ est inter nos & patres nostros. Ideo enim quòd malis afficerẽtur patres nostri, non existimabant se admodum deo curæ esse: ostendit igitur ex eo quòd magis curæ essent. *Extremis hisce diebus.* Rebus aduersis defatigatos consolatur dicens, Extremis. In proximo, inquit, est finis & requies à laborib°, initium vero retributionum. *Loquutus est nobis per filium.* Nõ dixit, Loquutus est nobis in Christo siue per Christũ: adhuc enim tenuiter affecti erant erga Christum, sed in filio, siue per filium. *Quem constituit hæredem.* Quem totius mundi fecit hæredem. Est autem Fecit, aptum post humanitatis assumptionem vocabulum. Quem constituit hæredem. Quorum? Omnium. Cunctorum qui ad immortalem diuinámq; naturam accedunt. Siquidem filius hæres est ac particeps paternæ substantię & facultatis ac potestatis. Deinde vbi dixisset filium esse hæredem paternarum possessionum, enarrat etiã quo modo. Per ipsum, inquit, cõdita sunt secula: hoc est secula sunt ipsius ac patris communia opera. Quòd si secula communẽ sunt opus patris ac filij, ea etiam patri ac filio vtique sunt cõmunia quæ sunt in seculis. Quòd si ea quę sunt C Pho.

Tt

D in seculis, multò magis ea quæ post secula sunt, nẽpe mũdus & quæ in eo sunt. Deinde ne audiens hæredẽ, existimes non natura appellari hæredem, sed quadam gratia & adoptione, subiungit: *Qui quum esset splendor gloriæ*, dicens propemodum: Quanquam dixerim quòd eum constituerit pater hæredem, nihil humile aut deo indignum intelligas. Neque enim à me dictum est Constituit, vt significaret adoptionem, aut quòd factus esset hæres, sed relationem ac reductionem filij ad patrem tanquam ad suum principium: & ne filium sine principio existimans, à paterna cognatione alienes: néue duo principia à se mutuò diuisa esse suspiceris. Etenim propter hoc ipsum quoque dictus est à me hæres, vt principium statim intelligas à quo descendit hæreditas, nec ingenitum E suspiceris sicut & patrem: propterea enim à me dictum est Hæredem & Constituit, ideo protinus subiunxi: Qui quum esset splendor. Quod si non est constitutus vt esset aut fieret splendor (Ait enim, Quum esset splendor) neque sanè constitutus est hæres, sed modo quo suprà dixi. Vide autẽ quàm significanter & exactè loquutus sit, quum ait Splendor, & Quum esset, & Gloriæ. Per splendorem namque manifestat naturalem filij ex patre progressum. Siquidem nunquam omnino cuiusquam splendor, per gratiam aut adoptionẽ procedit, nec à sole nec ab igne nec à quouis alio vnde solet splendor procedere. Per hoc autem quòd ait Quum esset, ostendit non hoc illi recens esse vt splendor sit, sed ab æterno semperque fuisse. Deinde autem & diuinam demonstrat dignitatem, dicens ὤν, id est, quum esset. Ita enim & pater quũ F ad Mosen loqueretur: Ego sum, inquit, qui sum. Idonea sunt itaq; testimonia ad demonstrandum & naturalem filij ex patre progressum & consubstantialitatem ac coæternitatem, tũ quòd ait Splendor, tum quòd dicit Quũ esset. Iã verò addit etiã Gloriæ, vt dicas: Illius splendor est filius quod honoratissimũ est, & ex natura accedit, & quo maius nihil est in patre. Vides quomodo & quorũ hæres sit filius? Deinde apertius explanãs quod dictũ est, subiũgit: *Et expressa imago substãtiæ illius*: Hoc est, totã in seipso cõplexus essentiã ac substãtiã, deus est, infinitæ autoritatis, omnipotẽs, creator, & si quid aliud est quod paternam exprimit substantiam, præterquam esse patrem, ea omnia est filius: ideo quoque om-

Exo.3.

nia verbo potentiæ versat & continet ac gubernat. Viden' quomodo verè hæres sit & omnia possideat quæ patris sunt? Postmodum vbi diuina ac supernaturalia dixit de filio, trãsit etiam ad reliqua: quæ maximè admiranda sunt nec minus supernaturalia, attamen auditu videntur humilia ac vilia, putà mors & occisio. Sed A

*Per quam condidit & secula.* Vbi sunt qui dicũt quòd aliquãdo non erat filius? Siquidem non est sub tempore conditor seculorum. Quoniam autem pater principiũ est filij meritò eorum etiamcaussa est quæ à filio facta sunt. Propterea dicit Per quem, Pater nãque facere videtur, quum filium genuerit qui ea fecit. *Qui quum esset splendor.* Splendor appellatur ad ostẽdẽdũ egressum ex patre veluti quodãmodo ad exteriora, neq; vllo modo separatum à persona vnde est, neque omnino diminutum, sed demittentem sese vt subesset & in sua substantia immoraretur. Ita habet Clemẽs libro quinto de trinitate. Splendor consubstantialitatẽ & coæternitatẽ significat, hoc est lucẽ de luce. Expressa imago siue similitudo gloriæ patris est filius. Nam similis & inseparabilis à patre est filius, & veluti vna figura in diuersis personis. *Moderetúrq; omnia.* Hoc est, visibilia & inuisibilia verbo circumferens & gubernans. Dixit autem Verbo, ostendẽs quòd facilè cuncta ducat & ferat.

*Hoc loco In Græco etiã codice nõ nihil desiderabatur, & tantumdẽ spatij uacuum relictum erat.* B

Per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorũ, consedit in dextera maiestatis in excelsis: tãtò præstantior factus angelis, quantò excelsius præ illis hæreditario iure nactus est nomen.

Loquutus de nudo dei verbo venit ad incarnationem, ne ob eorum quæ dicta sunt sublimitatem obruerentur. Per seipsum, inquit, hoc est non alium misit ministrum, sed per seipsum operatus est purgationem, per crucem & mortem suã quũ nos à peccatis in baptismate liberasset. *Maiestatis,* hoc est patris. Facta enim primum remissione peccatorũ, cũ carne sua consedit in dextera dei. *In excelsis.* Super omnes, inquit, ascendit, ad ipsum paternum thronum. Hęc autem cõsubstantialitatẽ significant. *Tantò præstantior factus angelis.* De dispẽsatione ipsi sermo est. Nã caro ipsius facta est: deus enim verbum non est factũ, sed genitũ. Tantò ergo præstan- C

D tior facta est caro eius ipsis angelis, quantũ licet ex excellẽtia nominũ cognoscere. Aut quod dicitur Factus, nõ de carne accipias, ne ipsum ex hoc diuidi existimes: sed de Christo qui in vna hypostasi adoratur etiam cum carne sua. Nã vbi semel id quod dispẽsatiõis est attigit, absq; timore quæ sunt humilia loquitur. *Hæredi tario iure nactus est nomen.* Verbũ enim, quum ab initio nomen haberet filij, etiam cũ carne illud habuit. Meritò ergo dicitur Hæreditario iure nactus est propter incarnationem. Dici igitur de Christo ꝙ hæreditario iure nactus est, significat eum acquisiuisse illud quod iã olim habuerat. ALIO MODO. Hæreditas eorum est quæ iure obueniunt, & nõ quæ aliena sunt. Itaq; quod è supernis verbo conueniebat, id infernẽ deductum accepit per ipsum

Oecum.

E etiam assumpta caro. Quòd autẽ est illud? Filius, deũ vniuersorũ qui pater est ipsius quoq; carnis, dicere Genui te. Quòd autẽ ait Hodie, non temporis significatiuum est, sed ꝙ nunquã separatus fuit pater à legitima paternali habitudine quã habet erga filium. Ac si diceret: Semper hoc modo erga te affectus sum: nõ quasi accesserit generatio, sed ꝙ perseueret semper, & cõtinuum sortiatur principium, nullúmque finẽ. Consydera verò ne quo modo ita potius adaptet, vt ambo quidem dicta sint de Christo: & Filius meus es tu, & Ego hodie genui te: sed illud Filius meus es, quatenus verbum est: æternam enim significat natiuitatem Es, hoc autem Hodie genui te, iuxta carnem: recentem nanque designat natiuitatem. Etenim patris beneplacito natus est. Spiritus sanctus (inquit angelus) superueniet in te: deinde etiam, Virtus al-

Luc.1.

F tissimi obumbrabit tibi.

CAPVT II.

*Quòd non sit ministerialis gloria Christi, sed diuina & efficax: ideo nõ in præsenti seculo habitet, in quo sũt ministri, sed in futuro.*

Psal.2. NAm cui dixit vnquã angelorũ: Filius meus es tu
2.Reg.7. ego hodie genui te? Ac rursum: Ego ero ei pa-
Psal.96. ter, & ille erit mihi filius? Rursum autẽ quũ inducit primogenitũ in orbẽ terrarũ, dicit: Et adorẽt eũ oẽs
Psal.103. angeli dei. Et ad angelos quidẽ ait: Qui facit angelos suos spiritus, ministros suos flammam ignis.

Audiuimus & nos qui homines ſumus, Filij, verũ per gratiam: angeli verò id non audierunt, ne ſublimitas ipſorum nõ ex gratia eſſe ſed ex natura exiſtimaretur. Chriſtus verò nõ ex gratia, ſed ex natura. *Ego hodie genui te.* Appropriat ſibi pater natiuitatem filij iuxta carnẽ, propterea dixit: Hodie. Ita habet diuus Athanaſius. *Ego ero ei pater.* Etiam hoc rurſum accipito tanquam à patre appropriante ſibi filij iuxta carnẽ natiuitatem. Nã ſpro manifeſtè dicitur de eo quòd ſecundum carnem eſt. *Rurſum autem, quum inducit.* Poſt humanitatis acceptionem vniuerſa accipito. Siquidem Inducit, ponitur pro Cõmittit: tunc enim ipſum nactus eſt orbẽ qui voluntariè ab ipſo regebatur, quãdo pro vniuerſo orbe mortem guſtauit, & quando creditus eſt eſſe deus. Efficiens autem vt facilè ſermo ſuſcipiatur, dixit patrem inducere filium. Inducere verò intelligit, non quòd antea fuerit localiter extra conditum mundum: quo modo enim id verũ eſſet de eo qui omnia implet? ſed quod nihil cum creatura commune habuerit quum deus eſſet. Cæterùm vbi carnẽ aſſumpſit, cum creatura cõmunicauit, quũ ſibiipſi vniſſet id quod creatum erat. Ita habet diuus Cyrillus† in opere deus Chriſtus: & beatus Gregorius Nyſſenus in libris aduerſus Eunomium. Quòd autem ait Primogenitus, non reſpectu ſecundi dicit, ſed quòd vnicus & ſolus ſit ex patre genitus. A

B

† ἐν τῷ, θεὸς ὁ χριστός, ποιήματι.

ALIO MODO. *Rurſum autem, quum iuducit primogenitum.* Hoc eſt, quum beneplacitum ipſius fuit vt cum carne appareret primogenitus ſuus his qui orbem inhabitabant. Ait enim: Et angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei. &, Poſthac videbitis angelos deſcedentes ſuper filium hominis. *Et adorent eum:* ita cum carne apparentem: hoc eſt, cum carne adorent angeli filium. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.* Creatura nanque ſunt, ideo ait Qui facit. Pho.

C

*Matt.* 4.
*Iohan.* 1.

Ad filium autem: Thronus tuus deus in ſeculũ ſeculi, ſceptrum æquitatis ſceptrũ regni tui. Dilexiſti iuſtitiã & odiſti iniquitatẽ, propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis vltra conſortes tuos. Et tu in initio domine terræ fundamẽta ieciſti, & opera manuum tuarũ ſunt cœli: ipſi peribũt, tu autem *Pſal.* 44. *Pſal.* 101.

D permanes, & omnes vt veſtimentum veteraſcent, ac velut amictum circumuolues eos & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Quandoquidem non creatura eſt filius ſed legitima progenies, iam non dixit, Qui facit, ſicut de angelis: ſed quid? Thronus tuus deus in ſeculum: thronus autem regni indicium eſt, ſceptrũ verò iuſtitiæ. *Sceptrum æquitatis.* Ecce & aliud regni inſigne, regius baculus ac ſceptrum. D*ilexiſti iuſtitiam.* Poſt incarnationem apta ſunt omnia quæ humilia ſunt nempe quum poſſet caro ea quæ abiecta ſunt ſuſcipere.

P*ropterea unxit te deus deus tuus.* O deus vnxit te deus
E tuus. Propter carnẽ dixit Tuus: vngitur nãque humanitas à ſpiritu ſancto. Nõ operatur autẽ eo modo quo in nudis hominibus, nẽpe prophetis ac patriarchis: vnctio tamẽ eſt, hoc eſt tota vngentis præſentia. Ita habet diuus Cyrillus. Vide autem Euſebium quomodo dicat Symmachum referre, ac reiicere hãc vnctionẽ. Propterea, inquit, vnxit te deus deus tuus oleo gaudij præ conſodalibus tuis. O*leo exultationis.* Oleũ quidem exultationis, eſt ſpiritus ſanctus: cõſortes verò Chriſti ſunt homines. Quòd autẽ dicit hoc eſt: Non quẽadmodum nudi homines, ita vnctus eſt Chriſtus ſpiritu ſancto ad menſuram, ſed toto vnctus eſt ſpiritu. E*t tu in initio domine.* Ne audiens, Quum inducit primogenitum in orbem, exiſtimes veluti in domo contingit, quòd poſtea ſit datus orbis à patre filio, oſtendit ipſum orbis eſſe creatorẽ: ſed
F hæc quidem ante incarnationem intellige, illa verò poſt incarnationem. I*pſi peribunt.* Tranſmutabuntur enim quæcunque videtur, & ad incorruptibilitatem peruenient. Dicit autem Peribunt, de præſenti aſpectu. A*c uelut amictum circumuolues eos.* Facilitatem mutationis ipſorum ſignificauit.

T*u autem idem es.* Omnia, inquit, immutabis & innouabis, ac ex corruptibilib[9] facies incorruptibilia: tu verò perpetuò viues, ſempèrque permanebis.

*Pſal.109.* Ad quem autem angelorum dixit vnquam, Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ? Nónne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui in miniſteriũ emittuntur, propter

eos qui hæredes erunt salutis. A

Ad patrem igitur retulit nostræ naturæ primitias. Et hoc donum cum veneratione suscepit pater, tum propter eius dignitatem qui offerebat, tum propter oblati doni irreprehensibilitatem, vt veluti suis susciperet manibus, & iuxta se donum poneret, ac diceret, *Sede à dextris meis.* Sede dixit, nō ostendere volens ꝙ aliter sedere ausus nō fuisset nisi iussus: minimè: sed ne ipsum existimes carere principio. Nā quòd hoc ita sit, significat & cathedræ locus, similem designans honorem, & ꝙ superius dixit Sedit, quum prius nō legatur ipsi dictum fuisse Sede. Aut quia quum alio modo non posset propheta significare patris consensum, ac voluntatem vt sederet, vsus est verbo Sede. Magnum itaq; etiam hoc est, nec tantùm super humanam naturam, verūetiam super omnem creaturam: Attamen ob humanam quoque naturam hoc ei dictum est. Siquidem quatenus deus est filius, sempiternum habet thronum: Thronus tuus, inquit, deus in seculum seculi. Neque enim post crucem & passionem hoc honore donatus est vt deus: sed vt homo accepit quod iam habebat vt deus. Nec enim exaltatus est quum humilis esset, sed quum sublimis & in forma dei esset, seipsum humiliauit assumpta serui forma. Ideo quoque Euangelista clamat, Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et dominus, Ego in patre, & pater in me est: Et alibi, Glorifica me tu pater gloria, quam habui apud te prius quàm mūdus fieret. Vt homo igitur audit, Sede à dextris meis: Nam vt deus æternum habet imperium. *Donec posuero inimicos tuos.* Animaduerte demonstrationem, quòd legitimus sit filius. Irascitur pater aduersus inimicos filij. Nec hoc dixit quòd filius impotens sit ponere ipsos sub pedibus suis, sed vt identitatem voluntatis manifestaret. Quòd autem ait, Donec, non temporis significatiuum est, quòd vbi positi essent inimici scabellum pedū ipsius, rursum futurum esset vt surgeret, nequaquam: sed ostēdere vult quòd non erit impotens ad ponendum omnes scabellum pedum. Siquidem ἕως siue Donec, id quidem profert quod vsque ad aliquid est, at non tollit id quod post illud est. Ita ait Gregorius secūdo libro de filio. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus.* Consolatur eos dicens, Christus quidē filius dei naturalis est, angeli verò no-

[Margin notes: Pho. — B — Psal. 44. — Philip. 2. — Iohan. 1. 14. & 17. — C]

D bis conserui: hoc sortiti ministerium, vt omnia faciãt & administrent, quo nos homines salui simus. Frequenter enim angeli ministri facti sunt ad homines, veluti ad Mariam, & in sepulchro domini, & ad Cornelium.

Cap.2. Propterea oportet nos vehemẽtius attendere his quæ dicta sunt nobis, nequando perfluamus. Etenim si is qui per angelos dictus fuerat sermo, fuit firmus, & omnis trãsgressio & inobedientia iustam præmii repensationem accepit, quomodo nos effugiemus, si tantã neglexerimus salutem? quæ quum E primùm enarrari cœperit per ipsum dominum, ab his qui audierant in nos firmata fuit.

Quoniam igitur tenuia sunt & exilia quæ secũdum incarnationem sumũtur, oportet nos vehementius attẽdere: Aut dicit vt attendamus legi. *Nequando perfluamus.* Hoc est, excidamus ab honesto, & à via quæ ducit ad salutem. *Qui per angelos dictus fuerat sermo.* Aut de lege loquitur, quòd per angelos data sit, sicut etiam dicit in epistola ad Galatas, Ordinata per angelos. Aut de his quę aliis dicta sunt ab angelis: quemadmodum de Sodomitis, quẽadmodum de planctu in libro Iudicum, quãdo venit angelus domini ad Israelitas, & obiurgauit eorum transgressionem. Oportuit, inquit, omnes has Gentes è medio tollere, vos autem fœdera quoque fecistis cum illis: propterea non disperdet dominus Gentes quæ derelictę sunt. His auditis planxerunt vno animo omnes: vnde & locus planctus dictus est. Quod autem ait, huiusmodi est: Si enim quæ ab angelis prædicta sunt, acciderunt & effecta sortita sunt, quantò magis contingent quæ à filio dei prædicta sunt: ἔνδικον μισθαποδοσίαν, id est, iustam retributionem ac vltionem. Est autem tantũ acsi dicat, Si ea contigerunt quę ab angelis in veteri testamento dicta fuerant, omnésque transgressores puniti sunt, quam habebimus nos veniam quum illos punitos respicimus, ac negligimus? *Si tantam neglexerimus salutem.* Quæ non terræ bona promittit sicut vetus testamentum, sed regnum cælorum, ac adoptionem in filios. Salutem autem dicit, quæ à Christo demonstrata est & manifestata, hoc est, fidem in ip-

Margin notes: Galat. 3. Gene. 9. Iudic. 2. F

A. Hanc autem dixit salutem, ostendens quæ in veteri lege erant non fuisse salutem. E*narrari per ipsum dominum.* Ostendit deinde illud dignũ esse, cui fides adhibeatur. Non enim alius quispiam, inquit, ad id minister fuit, quemadmodum Moses in veteri, sed ipse Christus. A*b his qui audierãt.* Delata ad nos ab his qui audierant, confirmata sunt & credita. Quinam autem sunt hi qui audierunt? Venerandi sanè discipuli. Ne offendiculum patiaris, non dicit seipsum quoque audisse à Christo, quum tamen audisset. A

Attestante deo signis & prodigiis simul variísque virtutibus, & spiritus sancti distributionibus iuxta ipsius voluntatem. Non enim angelis subiecit orbẽ terræ futurũ, de quo loquimur. Testatus est autem alicubi quidam dicens, Quid est homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam inuisis illũ? Fecisti eum paululum inferiorem angelis, gloria & honore coronasti eum, & cõstituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In hoc enim quòd ei subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum. Nunc verò nondum videmus omnia illi esse subiecta. B *Psal. 8.*

Deinde ne mentiri credantur, qui à Christo audierunt, & alia pro aliis dicant: non inquit, nam & ipse deus vnà cum eis testimonium perhibet veritati per signa & prodigia, variásque virtutes quas per eos operatur. E*t spiritus sancti distributionibus.* Et per dona ac spiritus sancti superuentionem fiunt illa quæ sunt diuini testimonij. Dicit autem Distributionibus, eo quòd veluti distribuatur spiritualis gratia, & iuxta cuiusque mensurã, & iuxta fidei proportionem, & veluti ipsi expediens est. I*uxta ipsius uoluntatem*: paracleti videlicet. Diuidẽs, inquit, sua cuique sicuti vult. N*on enim angelis subiecit orbem terræ.* Hoc consequẽs est ad comparationem angelorum, quæ superius posita est. Oportuit enim potissimæ creaturæ, putà angelicæ, conferendo Christum secundum carnem, ostendere eum esse maiorem tanquam dominum. Futurũ autem orbem terræ dicit futurum C 1. Cor. 12.

D mundum. De quo, inquit, omnis sermo nobis est. Ipse enim Christus sedebit iudex illius orbis terræ: angeli verò tanquam serui, ac ministri adstabunt. *Testatus est autem alicubi quidam dicens.* Tanquam ad eos qui scripturas nouerāt, disserens, non ponit eorum nomina qui dicunt, *Quid est ho-*
Pho. *mo?* Quam ob caussam nunc citat, quid est homo quòd memor es eius? Quoniam obstare suo proposito videbatur. Ipse enim ostendit Christum angelis esse maiorem, illud verò ait paululū angelis factū esse inferiorem. Ponit itaque hoc, vt eam quę videtur, soluat obiectionē: & soluens ait dictum esse factum inferiorē, propter mortis pasionem. Vidimus
Iesa.53. nanque eum, & non habebat speciem, neque decorem. Interim autē concedit etiam id dictū fuisse de domino, quoniam
E sibi quoque seruiebat vt illos consolaretur, quòd dicitur, Omnia subiecisti sub pedibus eius. *Quòd memor es eius.*
Theod. Neque enim tribuisti tantùm vt esset, sed dedisti quoque vt bene esset, & continuè memor eius perseueras, ac malis affectum consyderas. *Minuisti eum.* Hìc sententiæ meminit, quæ post trāsgresionem lata est, mortalitate imminutus est ab angelis. Hæc quidem aptat etiam ad cōmunem humanitatem, maximè autem ad Christum iuxta carnem. *Nunc verò nondum uidemus omnia illi esse subiecta.* Quoniam enim dixit, Nihil omisit illi non subiectum, hi autem malis afficiebantur, & rapiebantur eorum bona à Iudæis, qui in incredulitate permanserant: ne circa ea quæ dicta sunt, hæsitarent, ait, Ne turbemini: nondum enim omnia illi subiecta
F sunt, nondum prædicatio dispersa est, nondum rex manifestè accepit imperium.

## CAPVT III.

*Quòd carnem assumpserit iuxta dispositionem, & cōdolentiam, ac familiaritatem, quam erga nos habuit, ut hominem à morte per familiaritatem ad ipsum liberaret.*

EVm verò, qui paululum diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum propter cruciatū mortis gloria & honore coronatum: vt per gratiam dei pro vniuerso orbe gustaret mortē. Decebat enim eum propter quæ sunt omnia, & per quē sunt om-

nia, vt multis filiis in gloriam adductis, autorem salutis illorum per afflictiones perfectum redderet. A

Paululum ob id dicit quòd tribus diebus fuerit apud inferos. *Propter cruciatum mortis*. Dicendo Cruciatum mortis, veram manifestauit mortem. *Gloria & honore coronatum*. Gloriam & honorem vocat crucem. Neque enim tantùm deo dignum erat, támque gloriosum fecisse cælum & terram, ac hominem, supernásque virtutes, sicut quòd propter nos dignatus fuerit crucifigi. Hoc autem dicit etiam ipsos cōsolans: acsi diceret: Si Christus propter vos sustinuit, quid mirum si & vos propter ipsum afflictiones sustineatis? *Vt per gratiam dei*. Fuit nanque sanctæ trinitatis gratia, ꝙ pateretur filius. Neque enim ex debito dedit pater filium, B aut filius suscepit, aut spiritus sanctus cooperatus est ad passionem, sed omnia gratiosè facta sunt. Rectè autem ait Gustauit. Neq; enim in morte permansit, sed ipsam tantū quodammodo degustauit. Sciendum verò ꝙ Nestoriani adulterant scripturam & ita legunt: vt χωρὶς θεοῦ, id est, sine deo Oecum. pro vniuerso orbe gustaret mortem, hoc astruentes ꝙ inhabitationem habuit Christus verbi dei, & nō vnionem, quia non erat vnà cum eo qui crucifigebatur diuinitas. Siquidē dictum est, inquiunt, Sine deo gustaret mortem. Sed vide quo modo quidam orthodoxus responderit. primùm quidē positum est χάριτι θεοῦ, id est, gratia vel per gratiam dei: attamen etiāsi vt vos vultis dictum sit χωρὶς θεοῦ, id est, sine deo, ita & accipiendum est ꝙ sine deo aut excepto deo pro omnibus aliis mortuus sit Christus. Etenim non pro solis hominibus, sed & pro supernis virtutibus mortuus est, vt interstitium maceriæ dirueret, ac vniret inferiora supernis. Huic est simile quod alibi dictum est. Atqui quum dicat ꝙ omnia subiecta sunt, palàm est excipiendum eum qui subiecit ipsi omnia. *Pro uniuerso orbe gustaret mortem*. Quāquam enim non omnes salui facti sint ob suam incredulitatem: ipse tamen quod suum erat ad omnes & pro omnibus fecit. *Decebat enim eum*. Decebat, inquit, deum, & patrem propter quem sunt omnia, ipse verò omnium est principium. *Et per quem sunt omnia*. Nam si etiam per ipsum sunt omnia, pater est qui omnia creauit, qui creatorem genuit. Et

Margin: G — Nota. — Ephe. 2. — 1. Cor. 15.

D *Per quem sunt omnia*. Per quem, de patre positum est. *Multis filiis*. Filios hoc loco vocat homines, Eum, inquit, qui homines in gloriam vnigeniti per donum adoptionis introduxisset, decebat vt autorem salutis horum filiorum, hoc est, Christum, per afflictiones perfectum redderet, hoc est, per crucem perfectum demonstraret ac gloriosum. Dictum est autem Perfectum, tanquam ad nos loquendo, qui ipsum perfectè bonum ac humanum deprehendimus per crucem, quum ipse semper omnino perfectus esset, sempérque maximè gloriosus. Vide autem filiorum diuersitatem: ipse enim naturalis est, nos autem adoptati: ipse saluat, nos autem saluamur. Per *afflictiones perfectum redderet*. Hoc est, quod ipsi deerat expleret. Quid autem Christo deerat quaten' homo intelligitur? Immortalitas videlicet, vt imaginẽ
E haberet cui nihil deesset. Compleuit itaq; pater quod deerat per resurrectionem. Per medium verò ipsius omnes expleuit homines, quemadmodum etiam alibi dicit ipse Apostolus: Porrò perfectus redditus omnibus qui sibi obedierunt fuit causa salutis indissolubilis. Ita sentit diuus Cyrillus ac Seuerus centesimo sexagesimo quarto capite † φιλαλήθους.

Infra 5.

† ἐν τῷ ρξδ. κεφαλαίῳ τοῦ φιλαλήθους.

Quandoquidem & qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno sunt omnes. Quam ob caussam non erubescit fratres illos vocare, dicens, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et rursum, Ego ero fidens in illo. Et iterũ, Ecce ego & filii quos dedit mihi deus. Quãdoquidem igitur filii commercium habent cum carne & sanguine, & ipse pariformiter particeps factus est eorundem, vt per mortẽ aboleret eum qui mortis robur habebat, hoc est, diabolum: & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti.

Psal. 21. & 17. Iesa. 8.

F

*Qui sanctificat*, hoc est, Christus, *& qui sanctificantur*, id est, homines, ex vno sumus deo & patre. Sed Christus quidem vt filius & naturalis progenies & ex substantia pa-

tris, nos autem vt creatura & qui gratiam adoptionis accepimus. *Fratres illos uocare*. Simul enim carnem sibiipsi vniuit, & fraternitatem induit. Dicens Non erubescit, ostẽdit diuersitatem & excellentiam. Siquidem iuxta naturam frater non erat, licèt verè homo esset: sed ex benignitate, quandoquidem etiam verè deus erat. *Ego ero fidens in illo*. Quoniam superiùs dixit illum fratrem & inferiùs patrem, in medio significauit quòd hæc quidem benignitatis nomina sunt & gratiæ ipsius, natura autem & veritate deus est, inquit. Quis enim in alio quoquam fidit nisi in solo deo? Acsi diceret, Ne audientes ipsum esse fratrem ac patrem existimetis vnum quempiam esse è vulgo, deus est, inquit, in quẽ scriptum est oportere fidere. *Ecce ego & filij*. Patrem nostrum fecit Christum. Ait autem Dedit, propter humanitatem, veluti est illud, Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. *Quandoquidem igitur filij*, hoc est, homines, commercium habent cum carne & sanguine: *Pariformiter*, hoc est, similiter & verè, non iuxta phantasiam aliquam, vt quidam dicunt hæretici, & ipse carnis & sanguinis particeps factus est: vt in hoc quoque demonstraret quem erga filios haberet amorem. ALIO MODO. Nos qui inter filios dei numerati sumus, commercium habemus sanguinis & carnis: hoc est, in sanguine sumus & carne, & in corruptibilibus terrenísque corporibus. Hanc ob caussam vnigenitum dei verbum, quum iuxta naturam vita esset, particeps factus est horum: nec id secundum alium modum, sed pariformiter nobiscum. *Vt per mortem*. Deinde etiam incarnationis caussam dicit, vt aboleretur, inquit, diabolus qui mortis robur habebat, aboleretur autem per mortem. Tanquam diceret, O dei sapientiam. Per mortem habuit diabolus robur, per mortem abolebitur. Nam his armis aduersus eum vsus est Christus, quibus ipse potens fuit. Quomodo autem dominatur morti? Quia dominium habens in peccatum ex quo procedit mors, etiã dominatur morti, cùm robur mortis sit peccatum. Qui igitur peccatum habet, ipsiúsque inuentor est, robur habet mortis. Diximus enim peccatum robur esse mortis, vt sit iste sensus, Per propriam mortem aboleuit diabolum habẽtem subiectum sibi peccatum, quod est fortitudo ac robur mortis: nisi enim hoc expugnasset homi-

A Pho. B *Psal. 2.* Cyril. C

D nem, mors nequaquam intrasset in mundum. *Quicunque metu mortis.* Priusquã, inquit, aboleretur mors, per totam vitam homines obnoxij erant ac subiecti timori seruitutis: timebant enim mortem quæ nondum abolita erat: & nihil secularium voluptatum delectare poterat cordatos, idque timore mortis, in modũ crudelis ac sæui domini, instante semper ac exterrente eos qui erant in terra. *Obnoxij erant seruituti.* Timebant homines mortem, vt qui obnoxij erant seruituti ipsius. Seruitus autem mortis est, detineri ac subiectum esse peccato. Fortitudo enim & aculeus mortis est peccatum. Quum enim Christus sua morte aboleuit eum qui mortis robur habebat, hoc est, diabolum inuentorem ac autorem peccati, meritò imbecille efficitur peccatum: meritò

Pho.

E liberati sumus à seruitute quæ erat ex inualescentia ipsius: meritò liberi effecti sumus à timore qui ex morte procedebat. Atque, id in ipsis quoque operibus contingit perspicere. Nam qui antea tãquam maximum & ineuitabile malum timebant ac deuitabant mortẽ, ad ipsam nunc gaudentes accedunt, tãquam ad melioris vitæ mutationem & exordium, quãdo pro Christo ipsiúsque legibus à persequutoribus inducitur. An non ergo manifestè liberauit nos saluator à timore mortis, ac seruitute quæ inde procedebat?

Non enim videlicet angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, vt misericors esset & fi-

F delis pontifex in his quæ ad deum forent agẽda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quòd ipsi contigit tentatum esse, potest & iis qui tentantur succurrere.

*Sed semen Abrahæ apprehendit.* Quum ait Apprehendit, significat ꝙ nos quidem homines ipsum fugiebamus, Christus verò persequebatur, & persequendo attigit, ac attingẽs apprehendit. Non angelicam naturam apprehendit aut assumpsit, sed humanam. Deinde etiã significare volens Christum ex Iuda assumpsisse quod secundum carnem habebat, ait, Semen Abrahæ. *Vnde debuit.* Quandoquidem omnino dignatus est apprehendere, reliquum ad hoc erat & ex con-

ſequenti, quòd debuit per omnia ſimilis reddi hominibus. A Etenim natus eſt, ſumpſit augmentum, comedit, bibit, dormiuit, mortuus eſt ac reſurrexit. *Vt miſericors eſſet.* Hæc autem, omnia, inquit, ad nihil aliud ita diſpoſuit, quàm vt eorum qui in terra ſunt miſereretur & de lapſu erigeret. *Et fidelis pontifex.* Fidelis, verax. Proprium enim eſt eius qui certò ac verè pontifex eſt, liberare à peccatis illos quorum eſt pontifex. Vt igitur hoſtiã offerat quæ nos purificare valeat, factus eſt homo ac ſeipſum obtulit. Deinde ſubdit quomodo & quamobrem factus ſit fidelis pontifex: ad expiandum, inquit, peccata populi. Quare enim factus eſt? Ad expiandum nos & purificandum à peccatis noſtris. *In his quæ ad deum forent.* In rebus quæ ad deum ſpectarent. Nam in his factus eſt pontifex noſter: non vt corporales decimas ac B primitias exigeret, ſed nouerat nos inimicos effectus eſſe & abiectos apud deum, ac miſertus noſtri ſeipſum nobis dedit põtificem. *Nam ex hoc quod ipſi contigit tẽtatum eſſe.* Abiectũ eſt quod dicitur, nec tamen excedit modum exinanitionis. Deinde etiam propter eorum qui audiunt infantiam dictum eſt, Quid enim ait? Ex hoc quod ipſi contigit: hoc eſt, quandoquidem ipſi accidit vt ipſe proprio corpore tentaretur & affligeretur, promptiùs auxiliabitur his qui affligũtur. Acſi diceret, Quum experientia didicerit, quid ſit in tentationes & afflictiones incidere: non ſolùm vt deus, verumetiam vt homo qui experientia percepit afflictionem, poteſt, id eſt, promptiùs manum porriget afflictis. AVT, Poteſt iis qui Pho. tentantur ſuccurrere, ita accipiendum eſt. Nam quia mali- C gnus ille inſiliit in corpus dominicum quod expers erat omnino peccati, & tentationibus & afflictionibus implicare conatus eſt: Nam & per ſeipſum tentãdo occurrit, & Iudæos ipſe in cædem aduerſus dominum concitauit: Quia igitur, quum corpus haberet nulli peccato obnoxium, tentatus ac paſſus eſt: iuſtè ac rationabiliter fortitudinem habet aduerſus illum malignum, vt etiã homines qui ſub peccatum redacti ſunt, ab inductis inde afflictionibus eripiat, & auxiliator cõſtituatur his qui tentantur & affliguntur. Siquidẽ illa maligni audacia ac temeritas aduerſus corpus nulli obnoxiũ peccato, rationabilem ac iuſtã tribuit domino potẽtiam, vt eos qui peccato obnoxij erant, eriperet ab afflictionibus.

D inde emergentibus, & auxiliator inueniretur his qui tentan tur & affliguntur.

CAPVT IIII.

*Quòd Christo credendum sit quemadmodum Mosi crediderant, tantóque ad melius quantò dignior est deus homine.*

Cap.3. VNde fratres sancti vocationis cælestis participes, consyderate apostolum & pontificem cõfessionis nostrę Christum Iesum: quod fidelis sit ei qui ipsum fecit, quemadmodum Moses in tota domo sua. Tantò nanque maiore gloria quàm Moses hic dignus est habitus, quantò maiorem habet hono-
E rem is qui construxit domum quàm ipsa domus.

Si igitur participes ac socij estis vocationis cælestis, quæ ibi sunt quærite, nulláque vobis ratio sit eorũ quæ hìc sunt. *Apostolum & pontificem.* Vbi ad dispensationem peruenit, omnia deinceps humilia intrepidè eloquitur. Apostolum autem siue legatum dicit ipsum, quia missus est à patre tanquã homo. Confessionis verò, fidei. *Quòd fidelis sit.* Fidem, inquit, seruauit beneplacentem patri, idémque cum eo sensit de seruando populo, ei, inquit, qui ipsum fecit apostolum ac pontificem, hoc est, patri suo. Nihil autem admirandum si ita loquatur, facta iam semel dispensationis mentione.
F *Ei qui ipsum fecit.* Quid fecit? Apostolum ac põtificem. Hoc loco non de substantia loquitur neque de diuinitate, sed de dignitatibus humanis. *Quemadmodum Moses in tota domo sua.* Futurum est vt in progressu præponat Christum Mosi: verùm quoniam hi ad quos est sermo, etsi fideles erant, plurimùm tamen & gloriæ & honoris adhuc Mosi deferebant, ne protinus suas obturarẽt aures, non statim præponit Christum Mosi, sed interim ęquat, deinde in progressu pręponit. Suam autem domum vocauit populum: porrò populum di-
Exod. 32. xit Mosis, quoniam ipsis præfectus erat. Nam & deus dixit
Pho. ad eum, Peccauit populus tuus. Quemadmodum & Moses, inquit. Frustrà itaque me calumniantur apud vos, qui me dicunt defectionem à Mose docere, & erga ipsum inimico affectum esse animo. Hoc autem clàm & nõ ex proposito sermone

mone inducit, vt magis persuadeat: nam quod ad defensionē paratum est, suspicioni magis subiacet. *Maiori gloria hic dignus.* Quum dixisset æqualitatem Christi ad Mosen, nunc paulatim dicit excellentiam. *Maiore hic.* Quis? Qui iuxta carnem intelligitur Christus. *Maiore gloria quam Moses hic dignus est habitus, quantò maiorem habet honorem is qui construxit domum quàm ipsa domus.* Extremam nunc ponit præeminentiam, quātáque est dei ad hominē, & ait: Fidelis quidem erat Moses super totam domum, id est populum, ipse tamen etiam ex domo erat & vnus è populo. Tātò igitur Christus iuxta carnem maiore gloria dignus est habitus quàm Moses quantò, inquit, æquum est creatorē præcellere creaturæ. Nā quantò maiorem, inquit, habet honorem is qui domum construxit quàm ipsa domus. Siquidem domum hoc loco populum appellat, qui cum Mose erat: quandoquidem & Moses vnus erat è populo: extructor verò domus erat Christus. A B

Omnis enim domus cōstruitur ab aliquo. Porrò qui cōdidit omnia, deus est. Et Moses quidem fidelis fuit in tota domo illius veluti minister, in testimoniū eorum quæ dicenda erant. At Christus tanquam filius administrauit domum ipsius, cuius domus sumus nos, si loquēdi libertatem & gloriationem spei, ad finem vsque firmam tenuerimus.

Quoniam domum vocauerat populum & etiam Mosen, permansit in tropo, & ait: Creatura sunt hi atque serui. Non enim contingit esse domum nisi aliquid extruatur: extructa sunt autem omnia à Christo, inter quæ etiā est ipsa domus. Quantam ergo æquum est vt habeat præcellentiam is qui cōdidit supra opus quod condidit, tantam habet Christus supra Mosen. *Et Moses quidem fidelis fuit in tota domo illius.* Deinde aliam quoque ponit differentiam inter Mosen & Christum, quòd ille quidem tanquam seruus erat fidelis, hic verò tanquam filius naturalis & eiusdem substantiæ. Quoniam enim superius fidelem vocauit Christum, fidelem autem & Mosen, narrat differentiam in fidelitate. *In testimonium eorum quæ dicenda erant.* Vt testis esset eorum quæ Iudæis dicerentur à deo, ne iudicij tempore id factum esse ne C

D garent. Deo enim moris est & cælum & terram ac valles in
Deut.32. testimonium assumere. Audi, inquit, cælum & auribus percipe terra. Et rursum: Audite valles. *At Christus tanquam filius.* Nam licèt à me, inquit, nominatus sit fidelis, sed tanquam filius naturalis est fidelis, paternam explens voluntatem, magis autem eam quæ sanctæ trinitati communis est. *Cuius domus sumus nos.* Cuius Christi domus sumus fideles,
Leui. 26. iuxta illud Inhabitabo in illis. *Si loquendi libertatem.* Eri-
2.Cor. 6. mus domus ipsius si non erubuerimus ob fidẽ quæ in ipsum est, sed cum dicendi libertate gloriemur: & quæ vtilia sunt ab ipso tanquam à deo nos accepturos speremus, non vacillantes, nec in aliquo dubitantes.

E Quapropter sicut dicit spiritus sanctus, hodie si vocẽ eius audieritis ne obduretis corda vestra, sicut in exacerbatione in die tẽtationis in deserto, vbi tẽtauerunt me patres vestri, probauerũt me & viderũt opera mea quadraginta annis. Quapropter infensus fui generationi illi, & dixi semper hi errant corde: ipsi verò nõ cognouerunt vias meas, vt iurarem in ira mea si introibunt in requiem meam.

Vbi dixit quòd oporteat vtilia sperare à Christo, nunc ait quòd ad fidem & spem istam non oporteat obdurare corda nostra, ne contingat nobis quę contigerunt his qui in deserto fuerunt increduli. Hodie autem significat semper, ac si
F diceret: Quandocunque & quod appellatur dies hodiernus, si audieritis vocem loquentis Christi, ne duri & effrenes efficiamini cordibus ad non audiendum ipsum. *Ne obduretis.* Durum enim est id quod ægrè obtemperat, & flecti non potest ad deum qui differit. *Corda uestra.* Etenim Israelitæ, inquit, duro corde facti exacerbauerunt, & ad iram prouocauerunt deum qui ipsis loquebatur. *In die tentationis.* Et qualis fuit hæc exacerbatio quæ in die facta est? quando increduli facti deo, tentabant eum. Num poterit, inquiunt, & panem dare aut parare mensam populo suo? *Vbi tentauerunt me.* ὄυ, id est, vbi, nẽpe in deserto. Aut ὃυ πειρασμὸυ, id est qua tentatione tentauerunt me, vt ὃυ sit articulus & non loci manifestatiuum. *Infensus sum generationi illi.* Hoc est graui &

Iracundo fui animo erga ipsam, eo quòd semper à me desci A
sceret, mēque tentaret. *Vt iurarem in ira mea.* Intantum, inquit, non cognouerunt vias meas, quousque ad hoc me induxerunt, vt iurarem quòd ingressuri non essent in requiem meam, hoc est terram promissionis, in quam dum ingressi essent, futurū erat vt à bellis quiescerent. *Si introibūt in requiem meam.* Sed illi quidem quum increduli fuissent, deúmque tentassent, non sunt ingressi Palæstinam, nā hæc requies erat: nobis autem, inquit, quid erit, quum non sit alia requies in terra qua priuādi simus si deo nō credamus? Profectò, ait, etiam nunc erit vera requies, cuius illa vetus erat figura: & hac priuandi estis, nisi Christo credideritis. Siquidem triplex est requies: vna est sabbathum, in quo requieuit Nota.
deus ab operibus suis: secunda promissa Palæstinæ terra: tertia omnino vera, cuius duæ prædictæ figura erant, vbi fugit omnis luctus, dolor ac gemitus. Hac ergo, inquit, priuandi B
estis, si Christo non credideritis.

Videte fratres nequando sit in aliquo vestrum cor prauum incredulum, vt desciscat à deo viuente sed exhortemini vos inuicem quotidie quoad appellatur dies hodiernus : ne quis ex vobis obduretur seductione peccati. Siquidem participes facti sumus Christi, si sanè initium substantiæ vsque ad finem firmum tenuerimus. In hoc quod dicitur, Ho C
die si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra sicut in exacerbatione.

Timentis verbum est: Videte, inquit, ne & vos propter incredulitatem vera priuemini requie regni cælorum. *Cor prauum.* Multa enim sunt praua corda incredulitatis siue incredula. Est enim cor prauum incredulum, quod prauum est ad non credendum, ad auaritiam, ad inferendā iniuriam, ad ebrietatem, aliáque huiusmodi innumera. Magis autem & nulla facta cōparatione. Cor prauum incredulū est quod à fide discedit quę est in deū. Videte igitur, inquit, ne quādo sit in aliquo vestrum cor prauum incredulum: Incredulitatem verò dico desciscere à deo viuēte, Bene autē ait Cor

D prauum incredulum. Est enim & cor bonū incredulum, iuxta
1.Iohā.4 ta illud: Ne omni spiritui crederitis, sed probate spirit⁹ num ex deo sint. *Vt desciscat,* nempe per incredulitatem, à deo viuente. *Sed exhortemini.* Aedificate inuicem & adhortemini ac corrigite. *Quoad appellatur dies hodiernus.* Vsq; ad finem, inquit, nam ad finem vsq; appellatur dies hodiernus. Quum enim dixerat, Hodie si vocem eius audieritis, ait: Quoadusque durat illud quod vocatur dies hodiernus. Ne quis ex vobis induretur. Ne fiant, inquit, quæ in nostris maiorib⁹ facta sunt, & effrenis ac durus reddatur animus seductus per incredulitatem, quam nunc peccatum vocauit. *Siquidem participes facti sumus Christi.* Vnum, inquit, facti sumus nos & Christus, quoniam ipse caput nostrū esse dignatus est, nósque membra sua efficere. *Si sanè principium substātiæ.* Principiū substantiæ dicit fidem in Christum. Per ipsam enim successimus & facti sumus Christi participes. *Vsque ad finem.* Dicendo vsque ad finem, significat quòd inceperant. *Sicut in exacerbatione.* Hyperbaton est: nam subaudiendum est Timeamus.

E

Nam quidam quum audissent, exacerbauerunt: at non omnes qui profecti fuerant ex Aegypto ductore Mose. Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? Nónne iis qui peccauerunt, quorum membra conciderunt in deserto? Quibus autem iurauit non ingressuros esse in requiē suam, nisi iis qui non obedierant? Et videmus quòd non potuerint ingredi propter incredulitatem.

F

Nam quidam quum tunc etiam audissent dei promissiones quemadmodum & nos nunc audimus incredulitate irritauerunt siue exacerbauerunt deum. Vult enim ostendere illos quoque sicut & hos audisse, nihilq; accepisse vtilitatis ex eo solo quòd promissionē audiuerint. Itaque & vos, inquit, non quia audistis prædicationem, omne negotiū explestis, nisi etiam credatis. Quòd autem fides necessaria sit, ex his qui olim audierant, sed quia non crediderant perierunt, sermonem cōfirmat. Quemadmodum enim illis non satis fuit dei vocem accepisse, sed quum non credidissent perierunt,

ita neq; vobis satis erit auditores esse fidei, nisi syncerè credatis. Aut potius, Hi sufficere sibi credebãt quòd solũ prędicationem audissent, nam hoc etiam in progressu significat quum ait: Etenim nobis annuntiatum est queadmodum & illis. *At non omnes qui profecti fuerant ex Aegypto.* Siquidem Chaleb & Iesus non fuerant increduli, ideo quoque ingressi sunt in terram promissionis. *Quibus autem infensus fuit?* Per interrogationem hoc legendum est. Aduersus quos, inquit, infenso animo se habuit? *Quibus autem iurauit?* Etiam hoc similiter per interrogationem. *Et uidemus quòd non potuerint ingredi.* Ecce, inquit, ante oculos nostros posita est incredulitatis pœna. Illi enim quum increduli fuissent non sunt ingressi in promissam terram. A

B

## CAPVT V.

*Exhortatio ut conentur ingredi requiem quæ præmonstrata est.*

METuamus igitur ne quando derelicta promissione introeundi in requiem eius, videatur aliquis ex vobis esse frustratus. Etenim nobis annuntiatum est, quemadmodum & illis. At non profuit illis auditus sermo, quòd non essent commixti fide iis qui audierant. Cap. 4.

Quum dicitur, inquit, Hodie si vocem eius audieritis ne obduretis corda vestra sicut in exacerbatione, timeamus. In transcursu autem posuit οὖν, id est igitur. Nam quia longior ęquo erat oratio, ne videretur ordinatio orationis cõiũctione carere, addidit οὖν, id est igitur. Timeam⁹, inquit, ne quãdo priuemur ea quę relinquitur promissione ad ingrediẽdũ in requiẽ eius. Siquidẽ volentib⁹ relinquitur promissio ingrediendi in verã ipsius requiem, hæc autẽ est regnum cælorum. *Videatur aliquis ex uobis esse frustratus.* Frustratus esse ad ingrediendum. Ne autẽ sermo grauis videatur, nõ dixit Frustrabitur, sed Frustrari videatur. *At nõ profuit illis auditus sermo.* Vides quòd hoc dicat: Nihil vobis proderit auditores fuisse prædicationis, nisi etiam quæ à vobis ipsis sunt adferatis, hoc est fidem, quoniam neque antiquis profuit auditus sermo ex seipso. *Quòd nõ essent commixti fide.* Hoc est C

D admixti ad ipsam. Per hoc autem designat indubitatò crede re Eos uerò qui audierant dicit eos qui crediderãt. Illi nãque verè audierant qui etiam crediderant. Ait autem de Iesu & Chaleb. Hoc verò est quòd dicit Nõ iuuit auditus sermo populum non commixtum & veluti contemperatum, admixtum & vnitum per fidem his qui audierant, nẽpe Iesu & Chaleb qui crediderant. Non commixtos, inquit, his qui audierant, hoc est his qui crediderant. Quomodo autem poterant his permisceri? In fide, inquit, siue per fidem. Si enim credidissent hi sicut & illi, in vnum vtique pariter prouecti fuissent, fide veluti conglutinante ipsos & commiscente.

Pho.

Introimus enim in requiem nos qui credidimus E quemadmodũ dixit: Sicut iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam, licet operibus à constitutione mundi perfectis. Dixit enim quodam in loco de septimo die sic: Et requieuit deus die septimo ab omnibus operibus suis. Et in hoc rursum: Si introibunt in requiem meam.

Testimonium quoque induxit ex quo id manifestum faciat. Et vide quomodo id adstruat. Omnino, inquit, necesse est vt aliqui ingrediãtur in requiẽ dei, ne vanè ac temerè sit promissa. Quoniam ergo illi non sunt ingressi (iurauit enim ipsos non ingressuros) necesse est vt nos, modò velimus, ingrediamur, at non iam in figuratiuam requiem, sed in verũ F regnũ cælorum, Quanquam enim filij illorum ingressi sint in terram promissam, at nunc aliam definit requiem per Dauid. Quid nãque aliud sibi vult, Hodie si vocem eius audieritis? *Sicut iuraui in ira mea.* Atqui hoc testimoniũ nõ eius est significatiuum ꝙ nos qui credidimus ingredimur in requiem dei, sed ꝙ illi nõ ingrediãtur: verùm eo ipso, inquit, quo illi nõ sunt ingressi, oportet nos ingredi. Siquidem hoc in progressu dicit apertius. Nũc verò præter hoc vult quoque illud ostendere, ꝙ quemadmodum sabbathi requies nõ vetat etiam dici aliam requiem promissæ terræ, ita neq; requies promissæ terræ vetat regnum cælorum dici requiem. Vnde etiã addit, Licet operibus à constitutione mundi perfectis, à quibus requieuit deus, nihil vetuit terram quoque

promiſsionis appellari requiem. *Licet operibus.* Deinde A
quia vocauerat requiem (dicebatur autē ſabbathi requies)
ipſe illud diſſoluit: & ait, Iam requie operū facta, etiam hāc
vocat requiem, terram nēpe promiſsionis. *Et requieuit deus.*
Vides, inquit, ꝙ duę ſint requies? Vna diei ſeptimi, in quo
requieuit deus ab operibus ſuis: & vna terræ promiſsionis,
de qua loquitur nūc Dauid. Ait ergo, Quēadmodum prima
requies non vetuit quin ſecunda vocaretur requies: ita neque ſecunda vetabit tertiam, nempe regnum cælorum. Hæc
autem adſtruit, quia dicturus eſt nos poſſe ingredi in requiē
ipſius, ne audiat, Atqui illi ſunt ingreſsi: & tandem dicit aliam eſſe requiem. Eſt, inquit, tertia requies, nempe regnū
cælorum. *Et in hoc rurſum: Si introibunt in requiem meam.* B
Ecce igitur duæ requies, inquit, vna quidem qua quieuit
deus ab operibus: altera verò de qua dixit Dauid, Si introibunt in requiem meam.

Poſteaquam igitur illud reliquum eſt aliquos introire in eam, & quibus prius fuit annūtiatum non introierunt propter incredulitatem, rurſum quendam prȩfinit diem hodie in Dauid, dicens poſt tantum temporis, quemadmodum dictum eſt, Hodie ſi vocem eius audieritis, ne obduretis corda veſtra. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nequaquam de alio poſthac die loquutus fuiſſet. Itaque relin- C
quitur ſabbathiſmus populo dei. Nam qui ingreſſus eſt in requiem illius, & ipſe requieuit ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis deus.

Quoniam igitur aliqui omnino debēt ingredi, illi autem ingreſsi nō ſunt in promiſſȩ terrȩ requiem, aliā rurſum definit tertiā requiem, vt in ipſam, inquit, etiā aliqui ingrediantur. Niſi enim deus tertiam haberet requiem, nequaquā dicturus erat, Hodie ſi vocē eius audieritis, ne obduretis corda veſtra: ita vt omnino ſit requies in quā oporteat eos ingredi, qui non obdurāt corda ſua. Quādoquidem inutilis omnino eſſet obedientia, ſi non eſſet requies neq; remuneratio. Vidiſti quomodo cōfirmauerit? Ne obduretis vt ingre-

D diamini, inquit, in requiem. Siquidem dicendo ꝙ qui obdurarũt non sunt ingressi in requiem, innuit quòd qui nõ obdurarint, ingredientur. Omne nanque dei præceptum habet etiam futuram retributionem. *Nam si eis Iesus requiem præstitisset.* Nam si sola illa esset requies, nempe promissa terra in quam ductore Iesu ingressi sunt, nequaquam de alio per Dauid loqueretur requietionis die, sed ꝓpterea, inquit, diei meminit dicens, Hodie, & præceptũ dedit, dicens, Ne obduretis: tanquam existente tertia requie in quam oporteat eos qui obedientes sunt ingredi. *Itaq; relinquitur sabbathismus.* Sabbathismus siue requies. Nã sabbatha interpretãtur, requies. Relinquitur ergo tertia quædam requies, quæ est regni cælorum. Ipsam autem vocauit sabbathismum, à primaria requie quæ erat sabbathi. *Populo dei.* Fidelibus, inquit.

Oecum.

E Et vnde hoc manifestũ est? Ex eo ꝙ Dauid præcepit, dicens, Ne obduretis corda vestra. Neq; enim hæc præciperet, si nõ esset sabbathismus & requies, quęnam enim esset vtilitas his qui obtẽperarent? neq; præciperetur nobis ne eadem faceremus cum Iudęis qui in deserto erãt, ne similiter & nos requie priuaremur. *Nam qui ingressus est.* Quoniã malis defatigati erant, nulla facta mẽtione de innumeris bonis quę tũc futura sunt, ex hoc ipsos consolatur, dicendo ꝙ is qui in tertiam ingressus est requiem quæ est regni cælorũ, requiescit ex operibus suis, hoc est, persequutionibus, tẽtationibus, afflictionibus, quẽadmodum sanè & deus in prima requie ab operibus quæ fecerat, requieuit. ALIO modo. Quoniã de-

Pho.

F mõstrauit tertiã esse requiem, & ꝙ nonnulli in ipsam ingressuri sint, ad conclusionem venit: & ait, Ex his quę dicta sunt, manifestum vtiq; est, ꝙ sit alia quædã requies præter supradictas, & hæc nõ quibuslibet, sed populo dei dedicata. Verè autem dei populus sunt hi qui in ipsum crediderunt, eiúsq; seruant præcepta. *Et ipse requieuit:* hoc est, cessauit.

CAPVT VI.

*Terror iudicij iuxta sermonem qui per omnes disseminatus est, & utilitas gratiæ sacerdotalis, apud eum qui humano more affectus est und nobiscum naturali condolentia.*

STudeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis per idem concidat incredulitatis exẽplum.

Viuens eſt enim ſermo dei, & efficax,& penetrabilior quouis gladio vtrinq; incidēte,ac ꝑtingens vſq; ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus, cōpagúmq; & medullarum.& diſcretor cogitationum & intentionum cordis,nec eſt vlla creatura quæ non manifeſta ſit in conſpectu illius: ſed omnia nuda & aperta ſunt oculis eius ad quem nobis eſt ſermo. A

Vbi demonſtrauit tertiam eſſe requiem, conſequenter ipſos in eam ingredi adhortatur. Et bene ait Studeamus. Neq; enim ſola ſufficit fides ad ingrediēdum in ipſam, niſi etiam adſit ſtudioſa cōuerſatio. *Ne quis per idem concidat exēplum.* B Per idem,cum Iſraelitis. Quemadmodum enim hi quū maiorem viæ partem in eremo emenſi eſſent,ab omni cōmodo exciderunt propter incredulitatem,ne quis ex vobis ęquali modo vel exemplo poſt tanta quæ pertulit certamina concidat,non agens vſque ad finem viriliter. *Viuens eſt enim ſermo dei.* Oſtendit ſenſim ea quoque Chriſtum & non alium operatum fuiſſe quæ circa filios Iſrael contigerunt. Nam viuens eſt,inquit,& viuet in ſecula. Ne autem exiſtiment delinquētes & irridentes Chriſtum,terra ſolùm fruſtrari quēadmodum veteres,terribilius reddit factum. *Et penetrabilior quouis gladio utrinque incidente.* Vt qui ſermonem nō audiebant,terribilius aliquid formidarent,exprimit quod dictū eſt, adaptans exēpla quæ apud nos ſunt: neq; enim alio G modo poſſet intelligi quod dicitur, Quouis gladio vtrinq; incidēte: *At pertingens uſque ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus.* Beatus Cyrillus certo quodā loco ita quoq; accepit Pertingens vſq; ad diuiſionē animæ ſimul ac ſpiritus. Prędicatio,inquit, de deo diuidit ac ſeparat animæ partes,amplā reddens,& capacem eorum quæ audiuntur. Aut quòd ad ipſa quoque incorporea pertingat,& animā puniat: aut quòd diuiſionem operetur animæ ac ſpiritus,quod tremendū eſt. ALIO MODO. Diuiſionem quam euangelia comminātur, Oecum. intellexerunt patres perfectam ſpiritus ſancti deſertionem. Arbitror igitur hoc nūc dictum eſſe, quòd ſeparationem operetur ſpiritus ſancti, ipſumque ab anima auferat, quo facto omnia deinceps ſequentur, & auferentur bona. Com-

D *paginmque & medullarum.* Vbi incorporea dixisset, etiã corporea retulit. Et *discretor cogitationum.* Discernere ac diiudicare potens ipsas quoque cogitationes & inuisibiles cordis notitias. *Nec est ulla creatura quæ non manifesta sit in cõspectu illius.* Quid autem dico homines, inquit? Nec alia quæuis creatura latere aut occultari potest ab illo peruigili oculo, siue angelos dicas siue Cherubim siue Seraphim. O*mnia nuda.* Nihil est quod latere posit inspectiuã Christi potentiam. Omnia nuda sunt apud ipsum, nullóque tegumento aut persona potest quispiam seipsum occultare ab illis oculis. τετραχηλισμένα autem dicit nuda, à metaphora omnium quæ à collo excoriatę sunt & pelle nudatæ. Aut τετραχηλισμένα, hoc est, deorsum prospectantia & collo inclinata.
E eo quòd non posint in illam intendere gloriam iudicis & dei nostri Iesu Christi. *Ad quē nobis est sermo.* Ipsi, inquit, debemus actorum reddere rationem, & apud ipsum respondere debemus ad quem etiam sermo nobis est.

Habentes igitur pontificem magnum qui penetrauit cælos Iesum filium dei, teneamus professionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarũ, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absq; peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.

F Ne ergo subiiciamus tremendis illis pœnis, quum habeamus magnum pontificem, teneamus professionem, hoc est, ne relinquamus fidem quę in ipsum est, sed semel acceptam astringamus ipsam apud nosipsos. Quid est autem, Qui penetrauit cælos? Non est, inquit, qualis Moses qui non potuit terram promisionis ingredi, neq; populũ introduxit, sed Christus etiã cælos penetrauit, & in paterno sedit throno. itaq; potest nos quoq; introducere. Pontificẽ autem vocat, eo quòd seipsum victimã obtulerit deo patri. Nam pro populo offerre hostias, proprium est sacerdoti. N*on enim habemus pontificem.* Teneamus ergo professionem ac fidem in ipsum: neque enim talem habemus põtificem qui non no-

uerit affici sensu infirmitatum nostrarum. Nouit, inquit, quod A
propter multas afflictiones deficiatis & imbecilles sitis: potest ergo ignoscere. Tentatus est enim & afflictus per omnia sicut & nos. Persequutionem passus est & illusus ac consputus, tandémque etiam crucifixus est. Ipse verò quum hęc passus sit, peccatum non fecit. Hæc autem dicens, significat eos in peccatum incidisse ex afflictionibus, eo quòd nimiū eneruati sint & infirmati. Duplici autem medio probat quod afficiatur sensu infirmitatum nostrarum. Vno quidem modo, quia magnus est & potens, tanquam filius dei & deus: altero verò, quia & ipse tanquam homo passus est, & afflictionum habet experientiam, & eius quæ carnem consequitur imbecillitatis & propter horum vtrunque omnino afficietur sensu infirmitatum nostrarum. *Absque peccato.* B
Dicit quòd quum hæc patitur non pendeat pœnas peccatorum. *Accedamus igitur cum fiducia.* accedamus, inquit, ad paternum ipsius thronum, in quo sedet. Cum fiducia, aut nihil in fide hæsitantes, aut quia vicit mundum, manifestum ergo est, quod etiam hos deuincet, qui nunc affligunt nos. Aut quia thronus nūc non est thronus iudicij, sed gratiæ; accede ergo etiamsi peccator sis. *Ad thronum gratiæ.* Thronum gratiæ dicit thronū regiū, de quo ait Dauid, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Thronus enim nūc thronus gratiæ est, nō iudicij. Propterea cū fiducia, inquit. *Vt cōsequamur misericordiā, & gratiā inueniamus ad opportunū auxilium.* Psal. 109.
Rectè autem dicit Opportunū auxilium. Si nūc, inquit, accedis, gratiam accipies & misericordiam: opportunè enim accedis: si verò tunc accesseris, non ita: erit enim intempestiuus accessus. Vbi enim fuerit cōsummatio, tūc exurget in iudicium. *Ad opportunum auxilium.* Nam qui nunc accedit, misericordiam accipit & gratiam, quia opportunus & cōueniens est nunc accessus & petitio auxilij: quemadmodum in iudicio accessus ad auxilium, importunus. Tunc enim non præstabit auxilium ex gratia sicut nunc, sed iudicium. C

Omnis enim pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur in his quæ ad deum sunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis, qui placabilis esse possit ignorantibus & er- Cap. 5.

D rantibus,quandoquidem & ipſe circundatus eſt infirmitate. Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſeipſo offerre pro peccatis: & nemo ſibiipſi vſurpat honorem, ſed qui vocatur à deo, ſicut & Aharon. Ita & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit vt pontifex fieret: ſed is qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.

Pſalm.2. & 109.

Vult hic oſtendere nouum teſtamentum præſtantius eſſe veteri: & hoc interim facit, velut inducta à ſacerdotibus cõparatione, ꝙ illud quidem homines habuit ſacerdotes, hoc autem Chriſtum. *Qui ex hominibus aſſumitur*. Hoc eſt, deſignatur & creatur. Si autem is qui ex hominibus aſſumitur, placabilis eſt ignorantibus & errantibus: quantomagis is qui & homo ſimul eſt & deus, placabilis erit, manúmque porriget ignorantibus & errantibus? Quòd ſi ita intelligatur, promptius erit vt Aſſumi capiatur pro Segregari. Quum vnus eſſet hominum, ex ipſis in ſacerdotem aſſumptus eſt. *Pro hominibus conſtituitur in his quæ ad deum ſunt.* Ex hominibus, inquit, creatus, pro iis qui ipſum crearunt hominibus ſtatuitur, in his quæ ad deum pertinent. Quænam ſint autem res ad deum pertinentes ipſe dicit. Vt offerat donaria & victimas pro peccatis populi. *Placabilis eſſe.* Siue ſenſu affici. *Et errantibus*, ſiue ſeductis ex populo. *Circundatus eſt infirmitate*. In hoc enim ſolo differt ac præſtantior eſt ſacerdos populo, ꝙ placabilis ſit & ignoſcat errantibus: quandoquidem & ipſe, inquit, circundatus eſt infirmitate, hoc eſt, peccatis aut afflictionibus. Sed quod ſubditur, Pro peccatis, manifeſtè ſignificauit ꝙ infirmitatẽ vocauerit peccatum. *Et propter hanc debet*. Quoniam & ipſe, inquit, peccato eſt obnoxius, debet communem facere oblationem, & pro ſuis & pro populi peccatis. *Offerre pro peccatis.* Hoſtiam, inquit, pro peccatis. *Et nemo ſibiipſi uſurpat.* Aliud ponit ſacerdotis indicium, ꝙ non per ſeipſum aſsiliat quis ad ſacerdotij honorem. Quod dicens, innuit quoque ſacerdotes Iudęorum qui tũc erant, non eſſe virtute ſa-

cerdotes, eo ꝙ assilirent & venale haberent sacerdotium. A
*Sicut & Aharon.* Frequẽter enim Aharon electus est à deo, & per virgam quæ fronduit, & per ignẽ qui consumpsit eos qui assiliebant ad sacerdotium. Ita & Christus non semetipsum glorificauit vt pontifex fieret. Interim hoc etiam ait, Christus summus pontifex est, quia non à seipso ad sacerdotium accessit, sed à patre electus est. Manifestis itaq; verbis ostendens ipsum esse sacerdotem iuxta sacerdotum consuetudinem, in reliquis præponit illum, quantùm deus hominibus excelsior esse debuit. *Sed is qui dixerat illi.* Quum hoc, inquit, illi diceret deus, creauit ipsum sacerdotem. *Sicut & alibi dicit.* Coniunctio καὶ.i.&, interponitur tanquã ad enarrationis consequutionem. *Secundum ordinem Melchisedec.* Hic primus hostiam sine sanguine deo obtulit, nẽpe panem & vinum. Aut quia etiam Christus sine sanguine hostiam obtulit, deinde postmodum suum ipsius etiam corpus: propterea ergo aptè dictum est Christum esse sacerdotem secũdum ordinem Melchisedec. Quia non oleo vnctus est Melchisedec ad sacerdotium quemadmodum Aharon, & quia non obtulit hostias per sanguinem, & quia Gentium sacerdos erat, & quia per panẽ & vinum benedixit Abraham. Significat sermo, ꝙ licèt Christus non obtulerit carentem sanguine hostiam (siquidem suumipsius corpus obtulit) attamen qui ab ipso fungentur sacerdotio, quorum deus pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerẽt: nam hoc significat In æternum. Neque enim de ea quę semel à deo facta est oblatio & hostia dixisset In æternum, sed respiciens ad pręsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur: qui etiam in mystica cœna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij.

B Pho. Athan. Oecum. C

Qui in diebus carnis suæ, quum & precationes & supplicationes apud illum qui poterat ipsum à morte seruare cum clamore valido & lachrymis obtulisset, & exauditus esset pro sua reuerentia, tãetsi filius erat didicit ex his quæ passus est obedientiã: ac perfectus redditus, fuit omnibus qui sibi obedierunt caussa salutis æternæ, cognominatus à deo

D pontifex secundum ordinem Melchisedec.

*Qui in diebus carnis suæ.* Non propterea dixit dies carnis quibus dominus super terram visibiliter viuebat, quasi nũc carnem ipsam reliquisset: Absit. habet enim eam quanquam incorruptibile: sed dies dicit carnis, hoc est, dies quibus vita sua quæ erat in carne vixit. *Precationes & supplicationes.* Non solùm precationes & supplicationes, verumetiam cum clamore & lachrymis obtulit. Hoc autem dixit Paulus sese ad captum illorum demittendo. *Et exauditus esset.* Intãtum exauditus est vt etiã resurrexerit: hoc autem dixit propter imbecillitatem auditorum qui magnificam de Christo opinionem nondum conceperant. *Pro sua reuerentia.* Non tã-tùm, inquit, ex gratia patris auditus est quantùm ob propriã

E reuerentiam. Tanta enim erat ipsius reuerẽtia, inquit, vt pater quoq; ipsum fuerit reueritus. Horum autem verborum humilium duplex est caussa, caro nempe & imbecillitas auditorũ. *Tametsi filius erat, didicit ex his quæ passus est.* Adeò, inquit, obediens fuit (obediuit autem sicut decet filium patri) vt postquam incarnatus est, etiam crucem ac mortem sustinuerit. Didicit autem ex his quæ passus est. Nouerat quidem quid esset mors, quum deus esset, quid enim deum latere potest? Attamen didicit ex his quæ passus est. Non solùm quatenus deus erat, verumetiam quatenus erat homo,

Pho. experientia didicit mortem. ALIVD. Duo quidem hìc maximè quæruntur: vnum quidem quomodo dicat ꝙ exauditus sit? Atqui orabat vt mortem euaderet: ipse autem non

F euasit: nam crucifixus est & mortuus. Alterum verò, pro qua reuerentia dicit eum exauditum? Et tertium, Cui coniungendum est Tametsi filius erat? an præcedentibus, puta Exauditus est pro sua reuerentia: an sequentibus, vt sit sensus, Tametsi filius erat, didicit ex his quæ passus est obedientiã: est enim diuersitas inter ista non parua. Verùm ad primum quidem dicimus precationẽ non simplicem fuisse, sed quodammodo duplicem: vnã quidem deuitando mortem, altera verò expetendo mortem. Ait enim in ipsa oratione & preca-

Luc. 21. tione, Attamen non mea voluntas, sed tua fiat. Et hoc mani-

Iohan. 17. festiùs significans Iohannes, ait filium petiisse, Pater glorifica filiũ tuum, vt & filius tuus glorificet te: tanquam significans nominasse crucem ac mortem gloriam. Rectè itaq; ait

diuus Paulus Exauditus est. Quòd autẽ dicitur, Pro sua reuerentia, propemodum ex his quæ iam dicta sunt declaratũ est. Duas enim diximus petitiones, vnam quidem qua deuitaret mortem, alteram verò qua acceptaret. Hęc quidem magnæ re vera erant reuerentiæ, quum dicebat, Attamen non mea voluntas, sed tua fiat. Exauditus est ergo Christus non ex ea parte qua refugiebat, sed qua reuerebatur: hoc est, illa petitio ipsius contigit non quę deuitationem, sed quæ reuerentiã concernebat. Ideo ait: Ac perfectus redditus: hoc est, per afflictiones & crucem ac mortem perfectus à nobis cognitus, & supramodum bonus ac humanus. Hoc autem superiùs quoque indicauit dicens, Precationes & supplicationes, petitionẽ geminã designãs. Præterea etiam cùm dixisset Precationes & supplicationes, non addidit, Ad euadendũ mortẽ, sed apud illũ qui poterat ipsum à morte seruare. Idq; rectẽ admodũ & sapiẽter addidit: vt quãdo intellexeris ipsum crucifixũ ac sepultũ, ne patris impotẽtia idipsum existimes eum pertulisse, sed ꝙ cõmunis erat volũtas vt Christus hæc pro mũdi salute pateretur. Potest autẽ & hoc dictũ esse propter resurrectionẽ. Frequẽter enim humiliora loquẽs diuus Paulus, ait patrem resuscitasse Christũ. Resuscitãs itaq; ipsum, à morte liberauit ac seruauit. Et hæc quidẽ meo iudicio ita se habent. Quòd autẽ dicitur Tametsi filius erat, si quis per hyperbaton accipiat (porrò huius vsus diuo Paulo frequẽs est) huius intellectus absq; vlla violẽtia deducetur: hoc est, Qui in diebus carnis suæ, tametsi erat filius, precationes ac supplicationes, &c. hoc est, Quãquam autoritatem maximã haberet tãquam filius, vt absq; precatione ac postulatione, suaipsius volũtate & autoritate omnia faceret quæcunq; pater facit, tamen quoniã in diebus erat carnis, precationes ac supplicationes obtulit. Potest quoq; & iuxta sermonis consequẽtiã prout se habet, ei coniũgi quod dicitur, Et exauditus esset pro sua reuerentia, vt sit sensus, Exauditus est tametsi erat fili⁹, nec opus illi esset vt exaudiretur, vt qui volũtatem haberet vnà cũ paterna volũtate concurrentẽ, & quę absq; omni petitione cõpletur. Quòd si etiã se quẽtibus illud cõiunxeris, intellectus facilẽ procedet. Sed prius cõsyderandũ quid significet, Didicit ex his q̃ passus est obediẽtiam. Vtrũ enim significat ꝙ didicit ipse ex his quæ pas-

D ſus eſt patri obedire,& per experientiā habuit cognitionem obtemperandi illi?an magnitudo,obediuit ipſi pater,nempe vt ipſe crucifigeretur & moreretur ac reſurgeret,& in dextera patris humanam maſſam collocaret,ſaluarétque genus noſtrum? Nam hæc illius ſunt obediētiæ quæ facta eſt in eo quòd dixit,Pater glorifica filium tuū. Siquidem etiam antequam pater obſequutus eſſet, nouerat ſanè Chriſtus qualis & quanta eſſet hæc obedientia,tanquam filius ac deus,ſicut & pater. Quum autem exauditus eſſet, didicit eam per ea quæ paſſus fuerat & per experientiā. Poterit igitur quiſque accipere vt voluerit:meo autem iudicio,ſecunda intelligentia magis quadrare videtur. Nullam itaque obſcuritatem iam habet quòd dicitur, Tametſi filius erat. *Et perfe-*
E *ctus redditus fuit omnibus qui ſibi obedierunt.* Id ſanè perfectio eſt in hominibus, vt per afflictiones apprehendant perfectionem. Omnia autem dixit tanquam humano more. *Cauſa ſalutis æternæ.* Ecce etiam quod diuinitati reſpondeat.

CAPVT VII.

*Obiurgatio aduerſus illos quibus opus eſt prima elementorum inſtitutione.*

DE quo nobis multa forent dicenda,eáque explicatu difficilia, quandoquidem ſegnes facti eſtis auribus. Etenim quum deberetis pro temporis ratione doctores eſſe, rurſum vobis opus eſt vt
F doceamus vos quæ ſint elemēta initii eloquiorum dei:factíque eſtis ii quibus opus ſit lacte & non ſolido cibo. Nam quiſquis lactis eſt particeps,is rudis eſt ſermonis iuſtitiæ: infans enim eſt. Porrò perfectorum eſt ſolidus cibus, nempe horum qui propter habitum habent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni pariter ac mali.

De quo, Chriſto, *multa forent dicenda,eáque explicatu difficilia.* Propter veſtram,inquit,cauſſam,quia ſegnes eſtis, & quæ perfectiora de ipſo ſunt non capitis. Quum enim tam multa humilia dixiſſet quę incarnationem cōcernebant,voluit

luit ad ea quoque transire quæ diuinitatem decebant: sed A
quum imbecilles adhuc essent ad quos erat sermo, non poterant perfectiora audire dogmata. *Quoniam segnes facti estis auribus.* Tentationes, inquit, & afflictiones reddiderũt vos segnes, nec potestis perfectos audire sermones. *Etenim quum deberetis doctores esse.* Cum laude profert obiurgationem. Segnes enim & ignaui estis, inquit, atqui deberetis alios quoque docere pro temporis ratione. Ita autem ostẽdit quòd ante longum tempus crediderant. Etenim quum debe- Pho.
retis doctores esse, non solùm non estis doctores, sed neq; discere potestis nisi prima elementa & humilia ac simpliciora: & hęc quoq; non vtcunq;, sed quod adhuc imbecillius est, elementa initij eloquiorum dei. Non dicit autem Elementa eloquiorum, sed Initij eloquiorum. Esse autẽ meritò pos- B
sunt elementa eloquiorum dei, sermones de incarnatione: initij autem eloquiorum, elementa quæ in progressu dicit, Non rursum fundamentum iacientes: &c. *Rursum uobis opus est.* Rursum necesse vobis est vt doceamus vos. Quænã autem doceamus? Elementa inquit. *Elementa initij.* Elementa initij dicit incarnationem. Nam quemadmodum in literis primũ elementa discimus, ita & in diuinis eloquiis primùm oportet doceri ea quę de incarnatione sunt, horum enim capaces sunt incredulę adhuc & infantiles aures: sicut de Christi diuinitate philosophari, perfectorum cõsequenter esset. Vides caussam cur humilibus sermonibus diutius immoretur? Propter auditorum imbecillitatem, qui nõ poterãt perfecta suscipere. Ideo quoq; vbi circa epistolę exordia breuibus de Christi diuinitate disseruisset, protinus sermonẽ cõ- C
tinuit. Itaq; epistolã humilib⁹ replet sermonibus. ALIVD. Theod.
Elementa initij eloquiorũ dei, vocauit humiliores de Christo sermones. Siquidem veritatis pręcones his qui nondum perfectam habebant fidem sola ea proponebant, quę de humanitate erant. Ita beatus Petrus quum apud Iudęos cõcionaretur, doctrinam metiebatur iuxta audientium imbecillitatem. Iesum, inquit, Nazarenum virum à deo designatum Act. 2.
ad vos. *Factiq; estis ij quibus opus sit.* Ipsi, inquit, ex segnitie facti estis, quum tales non essetis. *Lacte & non solido cibo.* Lac dicit humiles de Christo sermones, nempe qui sunt de carne. Solidum verò cibum, perfectos de ipsius diuinitate

D sermones. His igitur qui fide adhuc erãt infantes opus erat humilibus sermonibus, lac enim infantibus conueniens est: perfectis autem fide, solido cibo & perfecta de Christo doctrina. N*am quisquis lactis est particeps*. Omnis enim qui particeps est humilium de humanitate domini sermonum (nam hi lac dicuntur) is rudis est, & nõ particeps sermonum iustitiæ. Sermonem autem iustitiæ dicit eũ, qui de diuinitate est. *Solidus cibus*. Sublimis sermo, ac sublimia de Christo dogmata. N*empe horum qui propter habitum*. Habitum dicit perfectionem, rectè educatos esse, sic vt sensus habeant exercitatos, nempe aures, linguã, oculos. Aut sensus dicit animæ. Ad discernendũ, inquit, quænam vtilia sint ac sublimia dogmata, & quæ adulterina, ac corrumpentia. Illos autem latenter insinuat, qui omnibus quæcũque & vndecunque docentibus seipsos tradunt, ac obsequũtur. Nam qui omnia temerè recipit, nullum habet iudicium boni ac mali.

Cap.6. Quapropter omisso sermone initii ad Christũ, ad perfectionem feramur: non rursum iacientes fundamentũ pœnitẽtiæ ab operibus mortuis, & fidei in deum, baptismatum, doctrinæ ac manuum impositionis & resurrectionis mortuorum, ac iudicii æterni. Atque id faciemus, si quidem permiserit deus.

Quum in superioribus vocasset initiũ sermones de Christi humanitate, perfectionem verò eos qui de diuinitate essent, ne hi impatiẽter dolerent, quasi indigni perfectioribus F sermonib⁹, aggreditur etiã eloqui perfectiores. Eloquitur autẽ non eo modo quo prius vocauit perfectos, neque enim audire poterant, sed alio modo astutè aggreditur sermonẽ, vocãs quidem principium baptisma, & manuum impositionem ac signaculum, quæ in eo sunt: perfectionem verò, doctrinam per opera. In progressu autem manifestius dicit, q̃ sit initium in his qui modo credunt, & quæ perfectio. Consequutio ordinationis literæ. Quapropter omisso sermone, siue dogmatis initij ad Christum, ad perfectionem feramur: atque id faciemus si quidem permiserit deus. *Sermonẽ initii ad Christum*. Quem sermonẽ? Sermonem doctrinæ q̃ oporteat fundamentum iacere pœnitentiæ ab operib⁹ mor-

Pho.

Eiusdem

tuis: sermonem doctrinæ quòd oporteat credere in deũ: ser monem doctrinæ quòd oporteat baptizari: sermonẽ doctrinæ quòd oporteat dignum se gerere spiritu sancto: sermonẽ doctrinæ quòd futura sit resurrectio, ac iudicium. A cõmuni enim intellectu sumũtur, ad singula, & Sermo, & Doctrina. Ad *perfectionem*. Quum dixisset se relinquere elementarem de Christo sermonem, & qui initij ordinem cõtinet, ferriq; ad perfectionẽ, non simpliciter, ac propriè dicit perfectionem, sed veluti mediam inter crassiorẽ informationẽ eloquiorũ dei, & supremam perfectionẽ. Siquidẽ elementa initij eloquiorũ dei, sunt abrenuntiare Satanæ, oĩbúsq; eius operibus, credere in deum, baptizari, accipere spiritum sanctum, scire mortuorum resurrectionem: ac credere futurum esse iudicium. Hæc quidem elemẽta sunt initij eloquiorum dei: Porrò elementa eloquiorum dei & non initij eloquiorũ dei sunt, scire quòd pro nobis passus sit Christ⁹, quòd susceperit peccata nostra, quòd salutem nobis operatus sit, quòd pontifex nobis factus sit, quòd seipsum obtulerit pro nobis & si quid his affine est. Perfectio verò eius quod est renuntiasse Satanæ eiúsque consortib⁹, est promotio in virtutib⁹, tolerantia afflictionũm & persequutionum ac tentationum. Suprema autem perfectio est exacta cõprehẽsio, & quanta homini possibilis est, de Christi theologia. Primùm igitur credentes baptizamur, deinde agnoscimus quãta pro nobis passus sit Christus ac fecerit iuxta humanitatẽ, postmodum virtutibus perficimur, exinde etiam cognitione quæ secundum diuinam est scientiam digni reddimur. N*on rursum iacientes fundamentum*. Non rursum aliud iacientes fundamentum, veluti iacimus dum baptizamur, hoc est renuntiationis operum Satanæ. Semel enim, inquit, resipiscendo ab ipsis baptizati & abluti sumus, nec amplius oportet hæc ab exordio facere. Cum hyperbato autem est sermo. Nam ad omne id quod ĩ medio interpositũ est refertur Doctrinę, & est iuxta ipsius intellectum hæc ordinatio. Non rursum iacientes fundamentum doctrinę, & ita de cæteris quæ cõsequenter enumerãdo manifestãtur, de quorum doctrina sunt fundamẽta. Vult autem dicere quòd nunc primùm ad fidem accedentibus, harum rerum doctrinam tanquam fundamentũ proponimus: meritò ipsos primùm adhortãtes vt à mortiferis ope-

[Margin: A; Eiusdem; B; C; Genna.]

D ribus resipiscant, resipiscentes autem in deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subiiciant impositioni manuũ sacerdotum ad participationẽ spiritus: porro huius facti participes, de resurrectione ex mortuis deinceps nõ vacillent, vbi autem rrsurrexerint rursumq; ad vitam redierint, sciant futurum esse iudicium, & cõtinuam iustámque permanere eorũ quæ in hac vita egimus retributionẽ. *Et fidei in deum.* Nõ enim opus est doctrina credẽdi in deum quemadmodum ab exordio, iam enim doctrinę credidistis. Ordinatio talis est. Quapropter omisso sermone initij ad deum. Quis autẽ est ille? Qui de baptismatis est & de doctrina ac impositione manuũ (per quas spiritũ, inquit, ac-
E cepistis) & resurrectione ex mortuis ac æterno iudicio: ad perfectionẽ feramur. Neq; enim semper eadẽ dici oportet, nam semel dicta ac facta sunt: sed oportet etiam ea quæ à vobis sunt simul adferri, nẽpe bonã cõuersationem, fideíq; dignitatẽ. Hæc nãq; perfectio est, ꝙ virtus ambidextra sit: ac si diceret: Vigilate: neq; enim licitũ est vt si segniter viuas, rursum baptizeris, & per manuũ impositionẽ accipias spiritus
Oecum. sancti superuẽtionẽ. ALIVD. Hi quum Iudaicè plusquã æquum erat curiosi essent, quoniam varia erant in lege baptismata, volebant nouæ quoque legis baptismate quod regenerationem confert, frequenter baptizari, eo ꝙ frequenter vellent remissionẽ peccatorũ accipere. *Ac manuum impositionis.* Qualia in baptismate fiebãt. Aut quia impositis manibus apostoli spiritũ sanctũ dabãt, quod etiam Simon ve-
F nale sibi esse volebat. *Et hoc faciemus.* Quidnam? nẽpe ferri ad perfectionem. *Siquidem permiserit deus.* Quòd ait Siquidem, non idcirco dicitur quasi nõ omnino deus permitteret: semper enim permittit deus bona ac perfecta, sed ꝙ nobis moris sit ita loqui, deo volente ita faciemus.

Nam fieri nõ potest, vt qui semel fuerint illuminati, gustauerintq; donũ cæleste, & participes facti fuerint spiritus sancti, gustauerintq; bonũ dei verbũ, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouentur per pœnitentiam: rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei, & ostentui exponentes.

*Impoßibile enim eſt.* Non dixit Difficile,ſed Impoſsibile. A
*Guſtauerintq́; donum:* Remiſsionis peccatorũ quę fit in baptiſmate.Siquidem hoc donũ cæleſte eſt. *Et participes facti fuerint ſpiritus ſancti.* Per manuum impoſitionem ſicut dixit ſuperius. *Guſtauerintq́; bonum dei uerbum:* Doctrinam de Chriſto. *Ac poteſtates futuri ſeculi.* Quòd omnes rationem reddemus eorũ quę egimus: quódq; tum ſuppliciũ tum requies ſine fine durabit.Nam hæc ſunt poteſtas , & in his eſt poteſtas futuri ſeculi.Aut arrabonẽ futuri ſeculi,hoc eſt fidẽ in Chriſtũ. *Ac poteſtates futuri ſeculi,* hoc eſt qui didicerint quæ poſsit futurũ ſeculũ:A cõmuni enim intellectu ſupplendum eſt Guſtauerint,quod tropicẽ accipitur,& ſignificat Qui didicerint,qui ĩſtructi fuerint. Quid autẽ poteſt futurũ ſeculũ? & quæ eſt eius neceſsitas & opus? Quòd in eo inuenit quiſq; omnium quæ fecit retributionẽ, ꝙ in eo finẽ non habeat,neque ſuppliciũ,neq; fœlicitas,ꝙ tũc magis manifeſtabitur,ꝙ nihil iudicẽ lateat,eiúsque iuſtitia , multáq; alia.Eos ergo qui hæc cum cæteris enumeratis rebus didicerũt,inquit,deinde prolapſi ſunt,impoſsibile eſt &c. *Et prolapſi ſunt.* Qui omnia hæc perdiderũt & exciderũt,vt denuo renouẽtur per pœnitentiã hoc impoſsibile eſt. Quid igitur abiecit ne pœnitẽtiã?Abſit,quẽadmodũ habet diuus Cyrillus * ſexto volumine ſecundæ partis latriæ, quæ eſt in ſpiritu & veritate,ſed pœnitentiã quæ eſt per baptiſmũ. Oportet enim primùm præcedere pœnitentiã,ac renuntiationem prauarum actionum,& ita baptizari.Illã itaque pœnitentiã ait,quæ in baptiſmate eſt,vnde & renouari dixit,quod propriũ eſt baptiſmatis:&,Rurſum crucifigentes , quod & hoc proprium eſt baptiſmatis,Qui enim baptizantur,vnà cũ domino crucifigũtur. Qui igitur rurſum vult per alterum baptiſma pœnitere,Chriſtũ rurſum crucifigit , eo ꝙ vnà cum ipſo crucifigatur. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filiũ dei.* Quid eſt rurſum crucifigentes ſibimetipſis filiũ dei,& oſtẽtui exponentes?Ab integro ſibimetipſis crucifigentes & pudefacientes.Quod autem dicit tale quippiam eſt.Semel crucifixus eſt Chriſtus & nos ſemel vnà cum ipſo crucifixi ſumus per baptiſma:qui ergo opinatur alterum eſſe baptiſma, quantum in ipſo eſt,ab integro dominum crucifigit . Quid enim aliud facit qui ſecũdò arbitratur per baptiſma cum eo

Pho.

B

* ἐν βιβλίῳ ἕκτῳ τῆς βίτῆς ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ λατρείας.

C

D crucifigi posse quàm quòd ipsum quoque existimat secundò crucifigi per ea quę facit? Secundò autem crucifigere Christum quantum in eo est, nihil aliud est quàm ostentui exponere ipsum & pudefacere ipsum. Nam postquam semel crucifixus est, immortalis deinceps effectus est: qui verò rursũ crucifigit, mẽdacium facit ipsum, quòd pudorem ipsi adfert tãquã mẽtito quòd semel tãtũ moreretur. ALIO MODO. Quid est rursum crucifigentes? Ad secundam crucifixionem & secundam passionem ipsum vocantes: siquidem talis pœnitentia & petitio remissionis per baptismum sola Christi morte attingitur. Qui hoc igitur existimãt, cupiunt rursum Christum crucifixum & subsannatum ac ostẽtui expositum intueri. O audaciam & insaniam, si quis hęc intelligat. His autẽ mẽtes ipsorũ vehementer cõcutit, vt desperãtes de assequenda huiusmodi pœnitẽtia magis annitantur ad virtutẽ.

Pho.

E

Siquidem terra quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit, & progenerat herbam accommodam eis, quorum opera excolitur, recipit benedictionem à deo. At quæ producit spinas ac tribulos, reproba est, & maledictioni confinis, cuius exitus tendit ad exustionem.

Per parabolam, terram dicit homines: qui frequẽter quidẽ audierũt & veluti spiritualiter irrigati sunt salutari fidei sermone & vel adiuti sunt, vel nihil ex hoc profecerũt. *Herbam accõmodam.* Quænam est cõmoda herba? Recta conuersatio. *Illis quorum opera excolitur.* Quoniam de terra dixerat & fructibus, permansit in tropo. Aut quòd præceptorib⁹ (nam hi sunt qui excolũt) bona vita gignitur, ꝙ illi quoque participes sunt virtutis discipulorum. Excolitur autẽ, ad salutem videlicet & lucrum eorũ ipsorum qui fructum proferunt. Quòd si pater agricola est vt ait dominus: rursum autem seminator est filius, qui bonum semen seminat: si cõueniens illis herba siue agricolatio visa fuerit. (Siquidem deo fructificare debemus, quẽadmodum alibi dicit. Nũc autem serui facti deo habetis fructum vestrum in sanctificationẽ) si hoc igitur, videlicet propter deum excolamus, vt ipsi placeamus proba vita: tũc etiam accipimus ab ipso benedictio-

F

*Iohan.* 15
*Mat.* 13.
*Roma.* 6

nem. *Recipit benedictionem à deo.* Fertilis nanque terra benedicitur à deo, Quænã est fertilis terra? homo virtuti deditus ac probus. *At quæ producit spinas.* Iam nõ dixit, Progenerat, sed producit, innuens eiectionem esse prẹter naturam: tanquam diceret, Emittens velut abortum. Quòd autem ait, Producit, significat productionem vsque ad finem ac mortem. Neque enim ait. Quæ produxit, sed quæ producit. animaduerte hoc. Spinas verò ac tribulos dicit peccatũ, eo ꝙ ipsum vndique feriat ac lædat tenẽtem. *Et maledictioni confinis.* Maximam posuit consolationem. Non enim dixit, Ex se maledicta est, sed Cõfinis maledictioni. Quod autem confine maledicto est, etiam longè fieri potest per pœnitentiam. Etenim si dixisset, Et maledicta est, oportuisset desperare. Nunc autẽ ait, Maledicto cõfinis, terrens ac propemodum dicens, Ecce maledictoni propinqui estis, timete ne in illam decidatis, & fugite ipsam. nam qui prope est, adhuc fugere potest, nondũ enim captus est. *Cuius exitus tendit ad exustionem.* Vide rursum quomodo periculum loquẽdo deuitet, ne pœnitentiam maximum inter homines remedium videatur abiicere: neq; enim dixit, Illud quod spinas producit & tribulos, exuritur, sed Cuius exitus tendit ad exustionem. Si vsque ad finem permãserit, inquit, & vsque ad mortẽ spinas proferat, tunc exuretur: ex opposito significans quòd si non ad finem vsque permãserimus spinas proferentes, sed resipiscamus, non exuremur. A B

Cæterùm persuasimus nobis de vobis dilecti quę his sint meliora & saluti adhærentia, tametsi sic loquamur. Non enim iniustus est deus, vt obliuiscatur operis vestri & laboris ex charitate suscepti quã exhibuistis erga nomen illius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Cupimus autẽ vt vnusquisq; vestrum idem prẹstet studium ad plenam spei certitudinem vsq; ad finem, ne segnes efficiamini, sed imitatores eorum qui per fidem ac lõganimitatem accipiunt hæreditatem promissionis. C

Postquam satis illos feriit vocando segnes, aliáq; dicẽdo,

D nunc consolatur eos: iccirco non ait Existimo, sed persuasi mihi. *Saluti adhærentia*: hoc est proxima vel cõfinia. *Tãetsi sic loquamur*. Noui, inquit, quòd non producatis spinas ac tribulos, sed verbis tantùm ferio vt efficiam firmiores. *Non enim iniustus est deus*. Propterea autem persuasimus nobis bona de vobis, scientes deum non esse iniustum: quòd si iniustus non sit, non obliuiscetur boni operis vestri, & charitatis quam exhibuistis erga nomẽ illius, qui omnia propter ipsum perpessi estis. *Qui ministratis sanctis*. His qui iam crediderant. Nam hi prębebant eis necessaria huius, inquit, charitatis quam ad hoc vsque tẽpus exhibetis. Cupimus autem. Non dixit Volumus, sed quod amãtius erat, Cupimus aut desideramus. *Idem præstet studium*. Deinde posset quispiam

E dicere, Si persuasisti tibi meliora de nobis, & nosti opera nostra ac ministerium in sanctos, cur igitur nos terres, vocans segnes, ac spinarũ faciens mẽtionem? Quare? Quia cupimus vt vnusquisque vestrum idem studiũ quod habetis, in finem vsque præstet ad plenam spei certitudinem, hoc est, vt sitis immobiles circa fidẽ quæ est in Christũ & spem quæ inde procedit. *Ne segnes efficiamini*. Atqui superius dixit, Segnes facti estis. Sed ibi addidit, Auribus: nunc autem, ne toti & per omnia segnes efficiamini: *Sed imitatores eorum qui per fidem*. Deinde consequenter recenset eos qui per fidem acceperunt hæreditatem promissionis, nempe Abraham. Quid est autem Per longanimitatem? hoc est, per tolerãtiam. Pertulit enim promissionem ad tam multos an-

F nos prolongatam, & tamen permansit semper in credendo. Nam si simul vt promisit deus subsequeretur donatio, iam apud eum qui promissionẽ suscepit, nullus esset vsus fidei aut tolerantiæ ꝙ omnino verax est deus. Si verò vbi promisit, differat, & tamen is qui promissionem accepit, tolerans sit ad dilationem, tunc purẽ credit, tunc viriliter tolerat.

## CAPVT VIII.

*Quòd firma sit dei promissio, idque cum iuramento.*

DEus enim pollicitus Abrahæ, quum non posset per quẽquam maiorem iurare, iurauit per seipsum, dicens, Nisi benedicens benedixero tibi,

& multiplicans multiplicauero te: atque ita quum patienter expectasset, consequutus est promissum. Nam homines quidem per eum iurant qui sit maior: atque iisdem omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iusiurandum. A

Quum igitur vides Christum dicentem Amen amen dico tibi, intellige quòd quum per nullũ maiorem iurare possit, iurat Amen: non quin etiam nunc filius iuret ipsi Abrahæ: verbum enim iurat. *Nisi benedicens benedixero tibi.* Iurauit, dicens, Viuo ego dicit dominus, inquit. *Nisi*: hoc est, Verè benedicens benedicam tibi. *Atque ita quum patienter expectasset.* Vides quid longanimitas Abraham effecerit. *Consequutus est promissum.* Atqui in fine dicit quòd hi omnes procul viderunt & salutarunt promissiones, at non acceperunt, ne sine nobis consummarentur: quomodo ergo ait hoc loco, Consequutus est promissionem? Dicimus quòd non de illis dixerit: Siquidem præsentia ipsi dedit de quibus hìc loquitur, futura verò seruat de quibus in fine epistolæ loquitur. *Atque iisdem omnis controuersiæ finis.* Finisque omnis controuersiæ ac contentionis, vt cõfirmationem accipiant quæ ab aliquo dicuntur, est iusiurandum. Gene. 22. B Infra 12.

Qua in re deus quum eximiè vellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilii sui, mediator fuit iureiurãdo: vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset vt mentiretur deus, validam consolationem habeamus: qui confugimus vt teneamus propositam spem: quam velut ancoram tenemus animæ tum tutam tum firmam, & introeuntem vsque ad id quod est intra velum, vbi præcursor pro nobis ingressus est Iesus, iuxta ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum. C

Oportuit sanè etiam absque iuramento fidem adhiberi deo, verùm in hac re vehementius volens hoc efficere, mediator fuit iureiurãdo ad promissionẽ. *Hæredibus ostendere.* Etiam ad nos descendit, nos enim sumus hæredes promis-

D sionis, qui per euãgelium semen Abrahę sumus: ꝗ si semen, etiã hęredes. *Mediator fuit iureiurando.* Vide quid adstruat. Quòd si filius etiam tunc mediator erat dei & hominũ: (Siquidem nunc quoq; mediator factus est in incarnatione) & tunc mediator fuit inter patrem & Abraham, iureiurãdo, ipsum reddens certiorem: verbũ enim erat is qui ad Abrahã & loquebatur & iurabat. Rectè autẽ habet intellectus interpretationis, vt ita sit sensus, Deus, hoc est, verbũ, immutabilitatem ostẽdere volens eorũ quæ patri visa sunt, mediator fuit inter deum & Abraham, iureiurãdo: hoc est, mediator in iureiurando factus est. per ipsum enim tanꝗ per verbũ iurauit deus & pater. *Vt per duas res.* Duo enim maxima quædam erant, tunc promisisse deum & iusiurãdum promissioni fuisse

E se additum. *In quibus fieri non posset.* In quibus & per quas res. *Validam consolationem habeamus.* Hoc est, exhortationem. *Qui confugimus*, nempe ad ipsum. *Vt teneamus.* Validã exhortationẽ habeamus ad tenendũ promissam spem. Ab illis, inquit, quæ ad Abraham dicta sunt, confirmemur etiam ad ea quę futura sunt, & ad regnũ cælorum. Nam hęc est spes nostra quæ nunc quidẽ in spe proposita est, tunc autem re ipsa continget: tanquam diceret, Ab illis hæc confirmabantur, ibi quæ dixerat, pręstitit, vt in istis fides ipsi adhiberetur. Aut quòd per hoc tunc iurauit vt nũc de futuris crederemus: nihil enim, inquit, tunc aliud erant quę cum iuramentis promittebantur quàm futura spes fidelium. *Quam uelut ancoram tenemus:* quæ nutantes sistit naues: & ita spes,

F eos qui vacillant in tentationibus & afflictionibus, fortes & firmos ac patiẽtes efficit. *Tum tutam tum firmam.* Non qualemcũque ancoram, sed & tutam & firmam. Contingit enim vt ancora nõ seruet nauem à tẽpestate maris, si minor fuerit quàm oporteat. *Et introeuntem.* Vt dum nos, inquit, adhuc hìc sumus, spes introeat in regnum cælorum: hoc est, vt spe iam ibi simus. Vide quid faciat spes. Præoccupat id quod futurum est. *Vsque ad id quod est intra uelum.* Id quod est intra velum dicit ipsum cælum. *Vbi præcursor pro nobis.* Non solùm enim ingressus est, sed pro nobis ingressus est. Vbi autem præcursor noster est ingressus, eò nos quoq; ingredi necesse est. Aut præpositio ὑπὲρ, id est, pro, abundat, vt sit sensus, Præcursor noster. Aut ꝗ vnà cum carne ingressus

fit, pro nobis eſt, vt & nos qui carnem habemus, ingreſſum habeamus. *Pontifex factus.* Rectè dictum eſt Factus, propter carnem. Porrò vbi eſt pontifex, ibi eſt & populus. A

CAPVT IX.

*De Melchiſedec qui Chriſti figura fuit, & à nomine & à ciuitate, & à uita, & à ſacerdotio.*

NAm hic erat Melchiſedec rex Salem pontifex dei altiſsimi, qui occurrit Abraham reuertenti à cæde regum, & benedixit illi: cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abrahã: qui primùm quidẽ ex interpretatione dicitur rex iuſtitię: deinde verò etiam rex Salem, quod eſt rex pacis: ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens, ſed aſsimilatus filio dei manet ſacerdos in perpetuum. Conſyderate verò quantus hic fuerit, cui etiam decimas dedit Abraham patriarcha de ſpoliis. Cap. 7. B

Vult nunc quoque magnam oſtendere excellentiam noui teſtamenti ſupra vetus: & hoc oſtendit ex ſacerdotibus. Dicens autem Secundum ordinem Melchiſedec, oſtẽdit quòd ipſa quoq; Chriſti figura nẽpe Melchiſedec (ait enim fuiſſe illum Chriſti typum) multùm præcellebat legalibus ſacerdotibus qui apud Iudæos erant: hoc aſtruẽs, ꝙ ſi Chriſti typus prętantior erat his quę apud Iudæos erant, quantò magis veritas, hoc eſt, ipſe Chriſtus. *Rex Salem.* Nomen eſt ciuitatis. *A cæde regum.* Quãdo regibus qui Lot captiuum duxerant, cæſis, reuerſus eſt. Noſti hiſtoriam. *Et benedixit illi.* Nam εὐλογήσας capitur pro εὐλόγησεν, id eſt, participium pro verbo. *Cui & decimas.* Cui, nempe Melchiſedec decimas dedit Abraham. *Primùm quidem ex interpretatione.* Vult deinceps oſtendere quomodo Chriſti figura erat Melchiſedec, & interim ex nomine primùm hoc facit. Nã ipſius, inquit, nomẽ interpretatur rex iuſtitiæ. Melchi, rex: Sedec, iuſtitiæ, † Cuius autem alterius debuit eſſe typus quàm ipſius Chriſti qui verè rex erat iuſtitiæ? Deinde aliã quoq; ponit G Gen. 14. †מלך *Melech .i. rex, &* צדק *Sedec .i. iuſtitia.*

D interpretatione quæ à ciuitate ſumitur. Salem pax eſt, *Itaque non ſolùm rex iuſtitiæ, ſed & pacis, tanquam à ciuitate in qua regnauit. Eſt autem vtrunque Chriſtus & rex pacis & rex iuſtitiæ. *Sine patre, ſine matre.* An igitur fieri poteſt vt hic Melchiſedec quum homo eſſet, ſine patre ac ſine matre fuerit, & neque initium neque finem dierum habuerit? Nequaquam. Quomodo ergo hęc dixit? Animaduerte. Quoniã ipſi obiici poterat: Quonam modo Chriſtus eſt ſecundum ordinem Melchiſedec qui mortuus eſt & non factus pōtifex in æternum? Videte quid dicat, Ignoramus, inquit, quem habuerit patrem aut matrem, aut quod fuerit genus Melchiſedec, neq; quando natus ſit aut mortuus. Et quid hoc refert? dicet aliquis. Quãquam enim ignoremus hæc, eo ꝙ non referantur in ſcriptura, attamen & patrem habuit & genus, & natiuitatem & mortem: quomodo igitur talis eſt ſine patre, nec principium vitæ habens nec finem? Et reſpondet, Quẽadmodum Melchiſedec eo quòd ipſius genealogia non recẽſetur à ſcriptura, nobis qui ignoramus, non videtur parẽtes habere, aut principium aut finem vitę: ita Chriſtus in rei veritate. Quemadmodum enim huius ignoramus principium ac finem, ita Chriſti re ipſa: Sed huius quidem, eo ꝙ ſcriptũ non ſit, Chriſti verò eò quòd verè non habuerit. Typus nãque non per omnia conformis eſt veritati (Siquidem ipſe quoque veritas eſſe inuenitur, & maior identitas quàm fuerit in figura) ſed imagines quaſdam habet & ſimulachra. putà, Melchiſedec propter noſtram ignorãtiam dicitur eſſe ſine patre, Chriſtus inferiore natiuitate verè ſine patre. Sine matre Melchiſedec, ſine matre Chriſtus ſuperna natiuitate, in qua neque initium habuit dierum. Quomodo enim haberet qui factor eſt temporum? Et ita vniuerſa quæ habuiſſe dicitur Melchiſedec eo ꝙ ignoremus quæ circa ipſum fuerũt, hæc Chriſtus in veritate habuit. Siquidem Melchiſedec rex fuit pacis & iuſtitiæ nudis duntaxat nominibus, Chriſtus verò ipſa veritate. *Sine genealogia.* Sine genealogia fuiſſe dicitur Melchiſedec eo ꝙ non fuerit ex ſemine Abraham, neque à Moſe genus acceperit, ſed à Cananæis & ab execrando illo ſemine prodierit: iuſtus tamen ſuis operibus apparuerit, quum à iuſtis progenitoribus ortus non eſſet, neque ab aliquo iuſto ſemine. Non erat itaque fas eius genealogiam

E (margin)

F (margin)

*שלם *Salē. i. pacificus.*

שלום *Salom. i. pax.*

retexere, qui hoc modo iustitiæ verticem attigisset. Quòd A autem Melchisedec genere Cananæus fuerit, ostenditur ac licet sanè cōiectari, & ab illis ipsis in quibus dominabatur ac regnabat regionibus, & ab eis quæ proximæ erant. Siquidē vicinus erat Sodomorum, vicinior autem Abrahæ qui habitabat ad quercum Mambre. Existimare autem oportet ꝙ illius quoque Salem rex erat quæ est Ierusalem. *Sed aßimilatus filio dei.* In quo autē est similitudo? ꝙ & huius & Christi finis ignoretur & initium: sed huius quidē, eo quòd scripta non sint, Christi verò, eo quòd non fuerint. *Manet sacerdos in perpetuum.* Eo modo perpetuitatem accipito quo & cętera: quoniā quod ad nos attinet qui ignoramus quādo moriēs reliquerit sacerdotium, in perpetuum sacerdos est. Figura enim obscuras seruat prototypi imagines. Aut quòd B etiam modus sacerdotij Melchisedec (nosti autem quid dicam) in perpetuum maneat. *Consyderate uerò quantus hic fuerit.* Quoniam adaptauit veritati figuram, vult deinceps ostendere ꝙ ipsa quoque figura Christi, hoc est, Melchisedec, maior erat ipsis Iudæorum sacerdotibus. Et quid dico sacerdotibus? ipso sanè patriarcha Abrahā maior erat. Quòd si Christi typus maior erat ipso quoque patriarcha, quidnā dicet quispiam de Christo? Alio quidem modo maior erat Abraham quàm Melchisedec: sed typus in isto vincebat. Ita habet diuus Cyrillus secundo volumine decimæ partis in Residua latriæ quæ est in spiritu & veritate. *Cui etiam decimas dedit Abraham.* Non potest, inquit, dici quòd ipsi decimas dederit tanquam ei qui belli particeps fuerat. Propter- C ea enim antea dixerat quòd reuertenti à cæde occurrit, sed ex reuerentia & honore veluti primitias dedit. *De spoliis.* De exuuiis & præda. Quòd si ipso patriarcha maior erat: & hoc significat decimarum traditio, multò magis sacerdotibus Iudæorum. Non enim temerè patriarcha adducitur, sed vt ostendat ꝙ si patriarcha, inquit, dedit, quid de sacerdotibus dicendum est?

Atque ii qui è filiis Leui sacerdotii functionē sumunt, præceptum habent vt decimas accipiant à populo iuxta legem, hoc est, à fratribus suis, licet egressis ex lumbis Abraham. At is cuius genus non

D recenſetur ex illis, decimas accepit ab Abraham, & habenti promiſsiones benedixit. Porrò nemo negat quin id quod minus eſt, ab eo quod maius eſt benedictionem accipiat.

Confirmat quòd is qui Chriſti figura erat, maior fuit ſacerdotibus Iudæorum. Leuitæ, inquit, tanquam honoratiores in populo decimas accipiunt: ſiquidem quam ob cauſam alioqui à fratribus eundem patrē habentibus eas acciperēt? manifeſtum itaque eſt quòd honoris ſignum eſſent decimæ, quódque illi ſacratiores erant cæteris. Itaque Melchiſedec quoque quum & alienigena eſſet ignotíque generis, nequaquā ab ipſo patriarcha decimas accepiſſet, niſi eo maior fuiſ
E ſet: neque enim dediſſet Abraham, niſi ei qui maior eſſet. Quòd ſi ipſo patriarcha maior erat, manifeſtum eſt ꝙ multò magis ſacerdotibus Iudæorum. *Vt decimas accipiant à populo.* Nam ἀποδεκατοῦν ſignificat accipere decimas. Accipiebant enim Leuitæ decimas à populo. *Licèt egreßis.* Hoc eſt quod ait: Licèt in cæteris omnib⁹ paris eſſent cōditionis ac honoris: ex eo tamē ꝙ hi quidē decimas darēt, illi verò acciperent, magna excellētia oſtenditur. Quòd ſi hìc ita eſt, manifeſtum eſt ꝙ etiam in Abraham & Melchiſedec, quum ille decimas dederit, iſte verò acceperit. Itaque is qui Chriſti typus & figura erat: maior fuit patriarcha Abraham: quòd ſi ipſo Abraham, multò magis ſacerdotibus. Si verò typus maior fuit, quidnam poterit quiſpiam dicere de Chriſto. *At is*
F *cuius genus non recenſetur ex illis.* Ex illis, hoc eſt, ad illos. Is igitur cuius genus non refertur ad illos, neque reducitur in numerum cum genere illorum, nempe Melchiſedec accepit decimas. *Et habenti promißiones benedixit.* Extulit Abraham vt magis extolleret Melchiſedec. *Id quod min⁹ eſt ab eo quod maius eſt benedictionem accipit.* Itaque potior fuit & melior Chriſti typus ipſo quoque patriarcha.

Atque hìc quidem homines qui moriuntur decimas accipiunt. Illic autem is de quo teſtatum eſt quòd viuat: &, vt ita loquar, in Abraham decimatus eſt etiā ipſe Leui qui decimas ſolet accipere. Adhuc

enim in lumbis patris erat quum occurreret Abra- A
hæ Melchiſedec.

Oſtendere vult quòd magna eſſet excellentia Melchiſe-dec,& propterea acciperet decimas,& ait, Etiam Leuitæ accipiunt:at nihil hoc magnum eſt,nam moriuntur: quis autẽ inuideat honorem ei qui moriturus eſt?Melchiſedec autem etiãſi teſtimoniũ acceperit ꝙ viuat, decimas accepit. Quòd autem ait teſtimonium accepiſſe illum ꝙ viuat, accipe iuxta datum prius intellectum,ideo videlicet ꝙ quum non dixerit ſcriptura finem illius , ſed ſolam vitam, ſolùm de eo teſtari viſa eſt ꝙ viueret:acſi diceret, Præuiderat Abraham ꝙ manifeſtanda non eſſet mors ipſius Melchiſedec,neq; tamen motus ex eo eſt vt inuideret illi honorẽ decimarum , nouerat enim ipſi⁹ dignitatẽ. Aut ſimpliciori modo accipe quod B
dictum eſt , ꝙ modus quidem ſacerdotij Leuitarũ moritur, ſiquidem ceſſauit apparente veritate,ipſius autem Melchiſedec viuit. *Quòd uiuat*. Quomodo autem de ipſo teſtatum eſt?In eo quod dixerit deus, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Et hinc ergo eſt præeminẽtia Melchiſedec ſupra Iudaicos ſacerdotes. *Homines qui moriuntur*. Neque enim ſuſpicio haberi poteſt , ne quo modo fuerit aliquo tempore maior,poſtmodum verò ad inferiorẽ ſortem redactus ſit:quandoquidem in lege quidem decimas accipiunt Leuitæ,qui dum moriuntur dignitatem tranſmittunt ad alios,ita vt non ſemper iidem ſint qui decimas accipiant,ibi verò nihil tale didicimus. Semper itaque videtur C
excelſior eſſe ſi ſemper maneat in ſua dignitate.Quòd enim maneat idẽ ſacerdos in æternũ vt dixi,ex ſcriptura teſtimoniũ accepit,nẽpe quum dixit,Tu es ſacerdos inęternũ ſecũdũ ordinẽ Melchiſedec,quæ hoc manifeſtat,putà illũ quoq; talẽ eſſe ac perpetuum ſacerdotem. *Et ut ita loquar*. Ne dicãt,Et quid ad ſacerdotes noſtros ſi Abraham decimas dederit?multũ profectò ait . Siquidẽ in Abrahã erat Leui quãdo decimas dabat,quanquam nondũ genitus eſſet.Si igitur poteſtate erat Leui in Abraham , manifeſtum eſt ꝙ ipſe quoq; Leui progenitor ſacerdotum,decimas dedit quum daret Abraham.Aliud.Ex eo ꝙ Abrahã dedit decimas,etiã Leui qui Pho.
decimas accipit decimatus eſt , hoc eſt , decimas dedit . Ad

D verba ergo illa in Abraham, ponenda est distinctio vt sensus nullam habeat violētam detorsionem. Propter decimatum enim Abraham, quodammodo & Leui qui adhuc in lūbis ipsius erat, decimatus est. *Adhuc enim in lumbis*. Semen quod fuit principium vitæ Leui, intus in lumbis Abrahæ erat. Siquidem Isaac fuit causa & origo Leui.

CAPVT X.

*Quòd cessare debet terrenum Aharon sacerdotium, firmum sit autem cœleste Christi sacerdotium, alterius generis, non iuxta carnem, neque per legem carnalem.*

E PRoinde si consummatio per Leuiticum sacerdotium erat, siquidem per hoc populus legem acceperat, quid præterea fuit opus alium exoriri sacerdotem, qui secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aharon diceretur? quandoquidem translato sacerdotio necesse est vt legis quoque translatio fiat. Nam is de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus altari astitit. Palàm est enim quòd ex Iuda exortus sit dominus noster: ad quam tribum nihil circa sacerdotium retulit Moses.

F Quum ostendisset Melchisedec præstantiorem esse Leui ac sacerdotibus, imò & ipso patriarcha Abraham, ostendit posthac quòd hoc sacerdotium noui testamenti præstantius sit veteri, ac testamentum perfectius sit testamento. Si perfectionem, inquit, habuisset Leuiticum sacerdotium in dogmatis, quæ esset necessitas vt non secundum ordinem Aharon qui & ipse Leuitici sacerdotij erat, Christus exurgeret, sed oporteret secundum ordinem Melchisedec suscitari? an non facilè cuiuis patere potest ꝙ hoc propter imperfectionem Leuitici sacerdotij factum sit? *Siquidem per hoc populus legem accepit*. Nam si perfectum, inquit, erat Leuiticum sacerdotium, oportuit secundum ordinem Aharon exurgere Christum, maximè, inquit, quia populus sub hoc Leuitico sacerdotio legem accepit, id est, hoc vsus est vt per ipsum

erudi-

erudiretur & hoc duce viueret. *Quandoquidẽ trãnslato sacer dotio*. Vide quã aptè nouum testamentum inducat. Quando enim translatio facta est, inquit, sacerdotij, ex eo ꝙ iã nõ secundum ordinẽ Aharon sed Melchisedec exurgat sacerdos & ex eo ꝙ iam nõ ex genere Leui sed ex genere Iuda (hinc enim Christus secundum carnem factus est sacerdos) omnino, inquit, necessariũ est & legem & testamẽtũ trãsferri, hoc est immutari, aliámque recentiorẽ eius loco substitui. *Nam is de quo hæc dicũtur*. De Christo videlicet dictum est illud, Tu es sacerdos in æternum secũdum ordinẽ Melchisedec. *Ad aliã tribũ pertinet*. Et adeò, inquit, fit trãslatio & immutatio legis ac veteris testamẽti, ꝙ ipsius quoque trib⁹ quæ vetus sortita erat sacerdotiũ facta sit immutatio. Christus nãque alterius est tribus, & nõ Leui sed Iuda, quæ tribus Iuda nunquã, veluti sacerdotio fungẽs, altari adstitit. Siquidem προσέσχηκεν significat Adstitit aut accessit: nã quantum ad sacrificandum, inquit, nunquam ad altare accessit tribus Iuda. *Quòd ex Iuda exortus sit dominus*. Dictionem ἀνατέταλκεν i. Exortus est, aptè formatam habemus ad natiuitatem Saluatoris nostri dei. *Ad quam tribum nihil circa sacerdotium retulit Moses*. Siquidem ad tribum Leui retulit vniuersa.

Idq; magis etiam liquet: siquidem ad similitudinem Melchisedec exoritur alius sacerdos, qui non iuxta legẽ præcepti carnalis factus sit, sed iuxta potentiã vitæ indissolubilis. Testificatur enim ad hũc modum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.

Neq; hinc solum liquet immutatum esse cultum & testamẽtum, ꝙ ex alia tribu quam Leui exortus fuerit sacerdos, sed ex illo quoque abundè manifestũ est. Ex quo illo? Quòd secundum ordinem Melchisedec & non secundum ordinem veteris sacerdotis Aharon factus sit Christus sacerdos. *Siquidem ad similitudinem*. Nam εἰ. i. si, pro ὅτι. i. quoniam vel quandoquidem accipiendum est: tanquam diceret: Etiam ex hoc manifesta est & immutatio & translatio veteris testamẽti: Quoniam iuxta similitudinem Melchisedec exurgit sacerdos, & nõ iuxta similitudinẽ Aharon. *Qui nõ iuxta legẽ præ-*

D *cepti carnalis factus sit.* Christus enim pontifex factus est nõ iuxta legem præcepti carnalis, sed iuxta potentiam vitæ indissolubilis. Quid est iuxta legem præcepti carnalis? Quia lex carnalia habebat pręcepta, puta circuncisionẽ, sabbatha, vt hoc ederent, illud verò non ederent, quæ caro erant & nõ animæ purificatio. non ergo factus est sacerdos à lege quæ præcepta carnalia præcipiebat. Nam illa Leuiticos nouerat sacerdotes: sed factus est, inquit, Christus sacerdos, & per propriam & per patris potestatem, & per vitam interminabilem. T*estificatur enim.* Et ꝙ nõ iuxta legem præcepti carnalis factus sit Christ⁹ sacerdos, manifestat patris testimoniũ. Testificatur enim illi pater, dicens secundum ordinem Melchisedec esse sacerdotem. Nam si iuxta legem fuisset, oportuisset ipsum secundum ordinem Aharon factum fuisse.

E Abrogatio enim fit præcedentis præcepti propter imbecillitatẽ & inutilitatẽ. nam nihil ad perfectum adduxit lex, verùm introductio quædã est ad spem potiorem, per quã appropinquamus deo: atq; hoc potiorẽ, ꝙ non absque iureiurãdo res acta sit. Nam illi quidẽ citra iusiurãdũ sacerdotes facti sunt, hic verò cũ iureiurando, per eum qui dixit ad illum, Iurauit dominus & nõ pœnitebit eũ, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, Tãtò melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et illi
F quidem plures facti fuerunt sacerdotes, propterea quòd per mortem nõ sinerentur permanere: at hic quòd idem permaneat in æternum, sempiternũ habet sacerdotium: vnde & saluos facere ad plenum potest eos qui per ipsum adeunt deum semper viuens, ad hoc vt interpellet pro illis.

Dixit præstantius esse nouum testamentum: & hoc manifestat, inquit, excellens diuersitas sacerdotum. Dixit ꝙ etiã immutata sint omnia. Deinceps caussam immutationis dicit & ait: A*brogatio fit*: hoc est repulsio & eiectio. Abrogatio igitur fit præcedentis præcepti: hoc est veteris legis: non te-

finerẽ, sed tunc id fit quãdo imbecillis & inutilis inuenta est. A
Si enĩ nulla fuisset reprehẽsio, quid necesse fuisset immutare? Propterea igitur & lex, inquit, immutata est. Hoc enĩ prę ceptũ reiectum est propter imbecillitatẽ ac inutilitatem suã. Siquidẽ nõ potuit lex perfectum quenquã in virtute reddere. Solùm enim dicebat, Hoc facito, illud verò ne feceris: nõ autem pariter roborabat & adiuuabat ad faciendũ quæ dicta erant. *Verũ introductio quædã est.* A cõmuni enim intellectu suppletur verbũ γίγνεται. i. est vel efficitur. *Ad spem potiorem.* Habuit nãque & lex spem, at non talem qualis est quæ ipsius loco subsequitur. Siquidem qui legem implebant, sperabãt terrã possidere: Bona ĩquit terræ comedetis. Spes verò quę in Christum est, regnum dat cælorum, deóque proximum fieri, & ipsi vnà cum angelis ministrare ac sacrificare. *Atque hoc potiorem, quód non absque iureiurando res acta sit.* Tantò, inquit, meliorem ꝙ non sine iureiurando factus sit Christus sacerdos. Iusiurandum enim immutabilitatem indicat, quòd futurus sit põtifex in æternum. *Nam illi quidẽ citra iusiurãdum.* Deinde à minori comparationes facit sacerdotum qui apud Iudæos erãt & nostri pontificis. *Per eũ qui dixit ad illũ:* hoc est per deum: nam per Dauid loquutus est deus. *Tantò potioris testamenti.* Quatenus, inquit, sacerdotes Iudæorum absque iureiurando, Christus verò cum iureiurando factus est pontifex. Id autem nequaquam factum fuisset, nisi maxima esset dissidentia & præcellẽtia. Itaque noui ad vetus maxima est eminentia. *Sponsor.* hoc est fideiussor, mediator. C
*Et illi quidem plures.* Alio quoque modo potior est noster pontifex, nempe nõ solùm propter iusiurandum, verumetiã eo ꝙ semper idem sit immortalis. *Ideo quód per mortẽ nõ sinerentur.* Ex morte & immutatione, sacerdotis videlicet. *Permanere,* putà in sacerdotio. *Sempiternum.* Successione ac fine carens. *Vnde:* quãdoquidem semper viuit. *Ad plenum.* Non in hoc tantùm seculo, sed etiam in futuro. Nam hoc sibi volunt παντελὲς & παντέλειον. *Qui per ipsum adeunt.* Per fidem quæ in ipsum est. *Semper uiuens.* Propterea, inquit, ad plenum saluat, quia semper viuit. Per hoc autem saluat ꝙ pro his postulat qui ad deum & patrem accedunt. *Vt interpellet pro illis.* De Christo vt est secundum carnem dictum est verbum hoc humile. Quum autem secundum car-

Iesa. 1.

B

D nem dico non diuisionem significo. Absit: sed scio ipsum indiuisè, inconfuse in vna hypostasi adorari vnà cũ carne sua. Quid est autem, Vt interpellet? nempe vt patrem suum precetur pro nobis. Quãdoquidem enim ipsum dixit esse sacerdotẽ, propriũ verò sacerdotis est precari pro populo, propterea dixit, Vt interpellet. Quòd autem idcirco dictum sit, manifestum est. Nã qui propria autoritate mortuos excitat, peccata remittit, nequaquã patre opus habet vt saluet, quasi ipse impotens esset qui sua ipsius potentia saluaret. Quòd ait, Vt interpellet, accipe velut id quod dicitur, Habemus ipsum aduocatum apud patrem. Ex ipsa, ĩquit, incarnatione precatur & interpellat patrem vt misereatur nobis.

Oecum.
1.Iohan.2

E Talis enim decebat vt esset nobis pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis effectus, cui nõ sit quotidie necesse, queadmodum pontificibus, prius pro propriis peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nã id fecit semel quũ semetipsum obtulit. Siquidẽ lex homines constituit pontifices habentes infirmitatem. Porrò sermo iusiurandi quod post legẽ fuit, filium constituit in æternum consummatum.

Vides ꝙ de Christo secundum carnem loquatur? Quomodo enim de diuinitate diceret Innocens, hoc est absq; dolo? Ait enim & alibi de Christo: Neq; dolus inuentus est in ore eius. *Sublimior cælis effectus.* Siquidem ad ipsum ascendit paternum thronum. Quòd autem ait Effectus an nõ clamat quòd de carne ipsius hæc loquatur? deus nãque verbũ semper fuit cælis sublimior. *Cui nõ sit quotidie necesse.* Nõ ideo solùm præcellit Iudæorum sacerdotes ꝙ sine peccato sit, verumetiã à modo sacrificij: quia nõ pro seipso primùm offert deinde pro peccatis populi, & ꝙ vnicam victimã semel obtulerit pro solius populi peccatis. *Quemadmodũ põtificibus.* Iudæorum videlicet. Nã *id fecit semel.* Id, quidnam? Vt pro populi peccatis semetipsum offerret victimã: nã pro seipso ne semel quidem fecit. Neque enim opus illi fuit, quũ peccare nõ posset, vt pro seipso offerret. Ne igitur quum pontificem eum audis, existimes ipsum semper sanctificare. Si-

Iesa.53.
F

quidem vbi ſemel hoc feciſſet, ad paternum aſcendit thronum: miniſtri nanque & ſacerdotis eſt ſtare: ſedere verò ſignificat ꝙ ſemel hoſtiam adduxerit, nempe proprium corpus, ac poſtmodum ſederit, vt ſibi miniſtretur ab incorporeis poteſtatibus. *Siquidem lex homines conſtituit.* Et quare non fuit illi neceſſe pro ſeipſo hoſtias offerre, neque ſæpius pro populo quemadmodum pontifices, ſed ſatis fuit ſemel obtuliſſe? Quare? Quia ſacerdotes quidem à lege deſignati peccato obnoxij ſunt, ideo ſemper illis opus eſt & pro ſuis & pro populis peccatis offerre hoſtias. Deus autem per iuſiurandum poſt legem factum, Chriſtum filium ſuum creatum pontificem, conſtituit ſacerdotem conſummatum, neq; ſimilem iis qui iuxta legem creantur ſacerdotibus nẽpe imbecillitate ac peccato obnoxium, ſed ſemel tanquam filium dei ac deum. *Filium conſtituit in æternum conſummatum.* Nã à communi intellectu Conſtituit, ſupplendum eſt. Conſtituit, inquit, ſacerdotem in æternum conſummatum: hoc eſt non qui nunc tantùm ſit ſine peccato, ſed & talis imperpetuum futurus eſt. Si ergo & filius eſt & in æternum comſummatus, quam ob cauſſam futurum eſſet vt illi opus eſſet multis ſacrificiis? A B

Cæterùm eorũ que dicimus illud eſt caput, quòd talem habemus põtificem, qui conſedit ad dexterã throni maieſtatis in cælis, ſanctorum adminiſtrator ac veri tabernaculi, quod fixit dominus & non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum donaria & victimas conſtituitur: vnde neceſſe eſt, vt hic etiam habeat aliquid quod offerat. Nam ſi eſſet in terra, ne ſacerdos quidem eſſet, vbi ſunt ſacerdotes qui offerant iuxta legem donaria, qui quidẽ exemplari & vmbræ deſeruiunt cæleſtium: quemadmodum oraculo accepit Moſes, quum eſſet abſoluturus tabernaculum: Vide, inquit, vt facias omnia ſecundum exemplar quod oſtenſum eſt tibi in monte, nunc verò hoc excellentius ſortitus eſt miniſte- Cap. 8. C Exo. 35.

D riū quo prestantioris est testamēti mediator quod in præstantioribus promissis sancitum est.

*Illud est caput.* Semper id quod maximum est vocat caput. *Talem habemus pontificem.* Permiscet hoc loco humilia sublimibus, vt per humilia viam præstruat sublimibus. Humilia sunt pōtificem esse & administratorem: sublimia, sedere ad dexteram dei & in cælis. *Sāctorum administrator.* Pontifex, īquit, hominū qui ab ipso sanctificati sunt: Noster enim est pōtifex. Verùm si ad dexteram patris sedit quomodo est administrator? ministri nanq; propriū est stare ac ministrare. Sedere verò dei cui ministerium exhibetur. Sed queādmodum dictū est, humilia sublimibus permiscet, vt per sessionem quidem ostendat diuinitatem, per ministerium verò E prouidentiam erga nos & humanitatē. Aut quòd ait Administrans & sacrificās, est homines à peccatis emundare & sanctos efficere: huiusmodi enim ministerio sanctorū, ac formatione decet vt tanquā deus verus ac filius ad dexterā patris sedeat, *Ac ueri tabernaculi.* Tabernaculū hoc loco dicit cælū. Quoniā enim dicerēt fortassis credētes ex Iudæis: Si est pontifex, vbinā est tabernaculum in quo sacrificat? Ostēdit etiā esse tabernaculum: & ipsius excellentiā supra Iudaicum tabernaculum volens ostendere, ait: Quòd fixit dominus & non homo. *Omnis enim pontifex.* Quoniam proprium est, inquit, sacerdotibus offerre donaria & victimas, ad hoc enim constituuntur: necesse est Christo aliquid habere quod F offerat, hostias dico: ideo habuit propriam carnem, quam etiam obtulit. Hoc autem dixit, ne quis diceret, Si pontifex est in æternum quare etiam mortuus est? Quare? Vt seipsum victimam offerret. nam sine victima ne pontifex quidem fuisset. *Necesse est ut etiam hic habeat aliquid quod offerat.* Hic videlicet Christus. *Nam si esset in terra.* Hoc autē esset si mortuus non fuisset, neq; resuscitatus assumptus fuisset, *Ne sacerdos quidem esset.* Essent enim alij, & iam seditio esset in hac re. Nūc verò mortuus quidem est vt victimā offerret, resurgens autem ex mortuis assumptus est, vt haberet locū ipsum cælum, vbi illum sacrificare oportet. Sacrificare verò intellige, pro nobis interpellare. Porrò hæc omnia verba humilia & propter humanitatem dixit & propter infātiam au-

dientium. *Qui quidem exemplari.* Qui ſacerdotes Iudæorum. Et quomodo exemplari & vmbrę deſeruiunt cæleſtiũ? In progreſſu dicit, Vide, inquit, vt facias omnia ſecundum exemplar quod oſtenſum eſt tibi in monte: quæ verò ipſi oſtenſa erant, fuerunt cæleſtia, nempe & cultus, & vota, & victimę, & extructio tabernaculi. *Quemadmodum oraculo accepit Moſes:* Sicut audiuit vel intellexit. *Secundum exemplar quod oſtenſum eſt tibi.* Facilius docetur aſpectus quàm auditus. *Nunc uerò hoc excellentius.* Nunc autẽ quoniam non eſt in terra, inquit, ſed cælo, præſtantius ſortitus eſt miniſteriũ: hoc eſt, ad excellentius miniſteriũ eſt pontifex. Vide autem quomodo verſatur in humilibus propter imbecillitatẽ auditorum: quòd ſi alicubi dicat aliquid ſublime, protinus ab illo diſcedit, veritus ne non recipiatur. *Quo præſtantioris.* Tantò, inquit, præſtantius eſt miniſterium veteri, quantò etiam pręſtantius eſt nouum teſtamentum cuius mediator eſt Chriſtus: nouum dicens teſtamentum, fidem in ipſum: per quam fidem mediator fuit inter ſeipſum & patrem. *Quod in præſtantioribus promiſsis ſancitum eſt.* Siquidem vetus teſtamẽtum bona terræ promittebat: nouum verò, regnum cęlorum. Et ita præſtantiores ſunt ex iſto promiſsiones, quia nouum quidem inductũ eſt, vetus autem eiectum. Propterea enim nouum vincit, quia preſtantius & de præſtantioribus promiſsis datum eſt: manifeſtum eſt autem vbique pręſtantius eſſe, quòd præſtantiora habeat promiſſa.

A B Pho. C

CAPVT XI.

*Excellentia noui teſtamenti ſupra uetus propter propitiationem & ſanctimoniam.*

ETenim ſi prius illud tale fuiſſet vt nihil in eo poſsit reprehendi, haud quaquam fuiſſet ſecundo quæſitus locus. Nam incuſans eos loquitur illis, Ecce dies veniunt, dicit dominus, & conſummabo Ierem. 13.
ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non iuxta teſtamẽtum quod diſpoſui patribus illorum in die cum apprehenderem manum illorũ, vt educerem eos de terra Aegypti:

D quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & neglectui eos habui, dicit dominus.

Si nihil, inquit, illi defuit, si inculpatos habuit homines, quomodo ita abrogatum est? *Nam incusans eos*. Eos, quos? Iudæos qui in veteri testamēto leges suscipiebant, & gubernabantur. *Ecce dies ueniunt*. Postquam per multa quæ promissa sunt, adstruxit nouū testamentum præstantius esse veteri, nunc apertius quoque veteris eiectionem suggillat: verùm hoc non suis verbis agit, ne molestus sit, sed Ieremiam profert in mediū. *In die quū apprehenderem*. In illo, inquit, die quo apprehēdi manum ipsorū, vt educerem eos de terra Aegypti. Ne suspicarētur testamenti eiectionem esse, quo pa-
E ctus est deus cum Abrahā: Nam hoc ad Christū factum erat,
Galat.3. Et semini tuo, inquit, qui est Christus: subiūgit, cuius testamenti reiectio fuerit. Eius, ait, quod in Exodo per Mosen sancitum est. Dicēdo enim, Non iuxta testamētum illud, ostendit reiectum esse: tanquam diceret, Aliud dabo testamētum, non quale iam dedi: illud enim propter suā imbecillitatem à me reiectum est. *Quoniam ipsi non perstiterunt*. Quod hìc dictum est veluti causa & responsio est, cur à deo neglectui habiti sint. Quoniam, inquit, ipsi non perstiterūt in testamento meo. Ab ipsis nāque cœpta est inobedientia, & ita consequutum est, vt à deo neglectui haberentur.

Nam hoc est testamentū quod disponam domui Israel post dies illos dicit dominus, dans leges meas
F in mentem illorum, & in corde eorum inscribam illas: & ero illis deus, & ipsi erūt mihi populus. Et nō docebunt, quisque proximum suum & vnusquisque fratrem suum: dicens, Cognosce dominum: quia omnes cognoscent me à pusillo inter illos vsque ad maximum inter illos: quoniam placatus ero super iniustitiis ipsorum, & peccatorū eorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Per hoc quod dicit nouum, antiquauit prius. Porrò quod antiquatur ac senescit, in propinquo est vt euanescat.

*Nam hoc est testamentum.* hoc, quodnam? nouum videlicet. *Post dies illos.* Quos dies? Dies egressionis quibus legem acceperunt. *Dans leges meas.* Quod disponam dans leges meas. *Et in corde eorum.* Neque enim literis sancitum nouum testamentum accepimus, sed per spiritum sanctum. Et hoc manifestat Christus, dicens apostolis, Ille, nempe paracletus, quum venerit, suggeret vobis, & docebit vos omnia. Vides nouũ non dari in literis, sed per spiritum sanctum? Consydera igitur quanta sit præstãtia noui testamẽti. *Et ero ipsis deus.* Nam quòd ita sit hinc manifestũ est. Quis vnquam facilè persuasit in veteri testamento, vt discederet quispiam à sua superstitione? quin potius ediuerso à dei cognitione trãsmutatus est Israel ad errorem. *Et non docebũt, quisque proximũ suum.* Doctrinam appellat hoc loco plenam laboris exhortationẽ. Ecce enim videmus, ne multis quidẽ opus esse sermonibus apud illos qui sani sunt mẽte, ad persuadẽdum vt credant in Christũ. Siquidem omnes homines sunt à deo edocti: nam Christus in cordib⁹ nostris scripsit leges suas. *Quia omnes cognoscent me.* Iudaica nanq; cognitio & fides in vnum orbis angulũ conclusa erat, nẽpe Palæstinã: Christianorũ verò, vniuersam apprehẽdit terram. *Quoniam placatus ero super iniustitiis ipsorum*: quæ præcesserunt. Placatus autẽ efficitur, quũ illas nobis ignoscit in baptismate. *Et iniquitatum eorum nõ recordabor amplius.* Siquidẽ earum quę in baptismate remissæ sunt, non reminiscitur amplius. *Per hoc quod dicit nouũ.* Illud nanque omnino in caussa fuit, cur hoc vocaretur nouũ, primũ autẽ vetus. *Porrò quod antiquatur ac senescit.* Accepta nũc loquẽdi libertate à propheta, etiã ipse enuntiat, suámq; fert sentẽtiam. hoc, inquit, nouum est: illud autẽ vetus: porrò quod veterascit, iam emarcuit: itaq; etiam reiectum est, & pro senectute dissolutum: tanq̃ diceret, Non intempestiuè nouum testamentum cessare fecit vetus, sed propter illius senectutẽ ac vetustatem, hoc est, propter imbecillitatem ac inutilitatem. Quod impossibile erat legi, ait alibi, ea parte qua imbecillis erat per carnem.

A — Iohan. 14 — B — C — Rom. 8

Habebat itaque etiam prius illud tabernaculum iustificationes cultus ac sanctum mundanum. Siquidem tabernaculum extructum fuit primum, in Cap. 9.

D quo erat & lucerna & mensa & propositio panum, quæ vocant sancta. Post secundum autem velum erat tabernaculum, quod vocatur sanctum sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti vndique circumtectam auro, in qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aharon quæ germinauerat, & tabulæ testamēti. Supra hanc autem Cherubim gloriæ obūbrantia propitiatorium: de quibus non est nunc dicendum singulatim.

Ostendit in superioribus ex mutatione sacerdotis, sacrificij & testamenti, q finem acceperit vetus, quódque nouum E multis nominibus sit illo melius: nunc ostendere vult ex ipsa dispositione tabernaculi, q illa fuerint figura verorum: porrò figura finē sumit, vbi veritas accedit. Quòd ait, *Habebat*, significat q nunc non habeat. Itaq; quanq non omnino cessauerit, eo quòd nōnulli adhuc ipsi hæreāt, attamen iustificationes non habet. ALIO modo. Quòd ait, Habebat

Pho. quidem prius iustificationes cultus, non de tabernaculo dictum esse arbitror, sed de ipso veteri testamēto. Neq; enim tabernaculū conferebat cum nouo testamēto, sed totum vetus testamētum cum nouo, & supra totum illud ostendebat huius excellētiam. Nam hęc (inquit) dies veniūt, & consum

Suprà 8. mabo super domum Israel, & super domū Iuda testamētum nouum, nō iuxta testamētum quod disposui patribus illorū.

F & rursum, Per hoc quod dicit nouū, antiquauit prius. Et his dictis subiungit, Habebat itaq; etiam prius. Manifestū ergo quòd de testamēto adhuc ipsi sermo est. Quoniam enim depresserat ipsum cōparatione ad nouū, ne quis diceret, q nō semper abiectū fuerit, præuenit, dicēs q habebat etiā illud iustificationes cultus, leges & ordinē, ac ea quæ decētem dei cultū consequūtur. Vbi autem in genere dixit, q habebat iustificationes cultus, recenset etiā particulatim, incipiens à tabernaculo. habebat, inquit, sanctum mūdanum, deinde post sanctum mūdanum, & quod patebat omnibus, habebat rursum aliud tabernaculū, præordinatum ad secretius adhuc, & sanctius tabernaculum. Et in priori quidem erat lucerna, ac propositio panū, quod tabernaculum nō dicitur sanctum

mundanum, ficut illud quod primum erat omnium taberna- A
culorum, sed simpliciter sancta. Post illud autem tabernaculum: Primum dixit, veluti conferendo ad sanctum sanctorum, quoniam non erat primum, sed medium. Primum nanque erat illud vbi situm erat æneũ altare, victimarum & holocautomatum. Secundum hoc, de quo ait, In quo erat lucerna & propositio panũ in mensa. Tertium in quo aureum thuribulum, & arca testamenti. *Iustificationes cultus*: hoc est, symbola, sacrósque cultus rituum & votorum. *Ac sanctum mundanum.* Mundanum dicit ipsum, eo quòd omnibus liceret illud ingredi. Hìc autem templum meritò vocat sanctum, in quo deo sacrificia offerebantur. siue etiam tabernaculum, quoniam hoc habebant primũ in ordine templi, ita illud appellantes: idque discere licet ex primo Re- B
gum, qui apertè dicit, Et Samuel dormiebat in templo domini in quo erat arca dei. Sanctum igitur in veteri testamento erat mundanum: veluti dicendo, quòd extructum erat templum in figuram mundi. Fecit itaque deus cælum & terram, quẽadmodum Moses dicit, in initio, cælũ dicens superius: secũdo die visibile hoc cælum cõditum, constituisse in medio aquarũ, atq; ita habere eleuatas aquas ad Austrum. Tanquam symbolum igitur mũdi iubens deus Mosi, vt extrueret iuxta typum quendam tabernaculum, præcepit ei, dicens, Facies porticum quæ diuidatur ab altera media per vela siue cortinas. Ita sanè tẽplum iuxta eundem sequẽtem typum factum est. Erátq; vniuersum ædificium medio pariete diuisum: vt exterior quidem extructio in qua oportebat sacerdotes cultũ sacrificiorum, cæterorúmq; omniũ exhibere deo: symbolũ sanè esset huius loci qui circa terram est, qui C
nobis nunc cõtigit vt in eo viueremus: interior verò in qua pontificem semel in anno ingredi oportebat, symbolum cælestium, in quibus deum habitare existimabãt Iudæi. *Siquidem tabernaculũ extructum fuit primum.* Tria annotaui in octateuchum fuisse tabernacula: vnum quidẽ de quo ait Sãctum mundanum, vbi erat æneum altare holocautomatũ: & vniuerso populo licitũ erat illud ingredi, ac offerre victimas. Secũdum autem in quo sacerdotibus licebat semper cultus perficere, vbi erat lucerna & mensa, ac propositio panum. Tertium vbi erat thuribulũ & arca in quod ingrediebatur

Oecum. 1. Reg. 3. Gene. 1. Exod. 27. Oecum.

D semel in anno solus pontifex. *Post secundum autem uelum.* Sanè non vnicum erat velum. Vocat autem vbique σκηνὴν, id est, tentorium siue tabernaculum, ἀπὸ τοῦ σκηνοῦν, id est, ab inhabitando in illis. *Arcam testamenti.* Quæ symbola seruabat testamenti, nempe tabulas legis & alia. *In qua erat urna aurea.* Omnia hæc erant in arca, quæ ingratitudinem conuincerent Iudæorum: virga quidem propter seditionem in ordinatione Aharon: tabulæ verò, eo quòd Iudæi occasio fuissent cur priores confringerentur: manna autem eo quòd edentes illud murmurassent. Oportuit igitur vt hæc ad nepotes quoque transmitterentur. *Supra hanc autem:* nempe arcam. *Cherubin gloriæ.* aut gloriosa, aut quæ erant gloriæ, nempe dei. *Obumbrantia propitiatorium.* Erat enim super

E arcam velut quadrangularis quædã mensa aurea, quod pro-
1. Io. 2. & pitiatorium dicebatur, figurans Christum, qui dicitur nobis
1. Tim. 2. propitiatio & redemptio. Vide in Exodo præscriptionem in
Exod. 25. his locis. *De quibus non est nunc dicendum.* Vult ostendere ꝙ ænigmata quædam erant ea quæ videbantur ac figuræ verorum. Non datur igitur nunc, inquit, vt singulatim de ipsis loquamur: pluribus enim opus habent sermonibus quàm præsenti expediat proposito.

His autem ad hunc modum ordinatis, in prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, qui sacrorum ritus peragant: in secundum autem semel quotannis solus pontifex non sine

F sanguine, quem offert pro seipso, & pro populi ignorantiis.

Et ita fiebat vt ne viderent quidem Iudæi quæ fierent, prohibente id velo. Itaque non magis ipsis seruiebant quàm illis quibus præfigurabatur, hoc est, nobis. *Semel quotannis solus pontifex.* Quoniam offendebat ipsos quum infantes adhuc essent, ꝙ vnica Christi victima potuerit soluere mũdi peccata, ostendit quòd in veteri quoq; testamento id fue-
Oecum. rit, quod erat figura noui. In Exodo vbi habentur hæc lo-
Exod. 30. ca, dicitur ꝙ bis singulis diebus ingrediebatur pontifex sancta sanctorum oblaturus incensum. Scriptum est autem hoc modo, Et adolebit super illud (nempe super altare aureum

incensi quod erat in sanctis sanctorum ) Aharon incensum compositionis comminutæ: summo diluculo, quãdo adaptauerit lucernas adolebit super illud, & quando accenderit Aharon lucernas vesperi, adolebit incensum perpetuũ: Quomodo ergo ait, hoc loco diuus Paulus, Semel quotannis solus pontifex? Et dicimus q cum sanguine quidem ingrediebatur semel quotannis: quẽadmodum etiam prædicto Exodi loco dicitur: ad adolendum verò, bis diebus singulis. Etenim etiam hic addit, Non sine sanguine, id est, cum sanguine: vt sit iste sensus, Semel quotannis pontifex cum sanguine, non cum incenso. *Non sine sanguine.* Cum victimis, inquit. Itaque id etiam quod de sanguine dicit, Christi figura erat. *Quem offert pro seipso.* Vbique addit, Pro seipso, ostẽdens Christi excellentiam supra pontificem Iudæorum. B *Et pro populi ignorantiis.* Etiam hinc excellentiam ostendit quòd victimæ quidem secundum legem oblatæ, pro ignorantiis offerebantur: condonabant enim peccata quæ per ignorantiam commissa erant: Christi verò victima, etiã quæ scientes commisimus.

Illud significante spiritu sancto nondum manifestatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo consistente: quæ erat similitudo ad tempus quod instabat, secundum quam dona & sacrificia offerebantur, quæ non poterant iuxta consciẽtiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat & C potionibus, & diuersis ablutionibus ac iustificationibus carnis vsq; ad tempus correctionis imposita.

Propterea, inquit, ita fabricatum fuit tabernaculum, vt primo consistente in quo erat lucerna & propositio panum, & quod arcebat ne cęteri sacerdotes ad sancta sanctorum ascenderent, manifestaretur inaccessum adhuc esse cęlum. Siquidem cæli typus erant sancta sanctorum. Quòd autem solus pontifex illa ingrederetur, figura erat & hoc q Christus solus verus pontifex ascendisset in cælum: sed ex consequẽti vbi ascendisset, induxit vnà genus hominum: erat nanque antea inaccessum, nunc verò per Christum accessibile factũ

D est. *Nōdum manifestatam esse*: Inaccessam adhuc esse & non permissam viam ad cælos, quam primus innouauit Christus. *Consistente.* Stante, inquit, & quodammodo prohibente transitum ad sancta sanctorum. *Quæ erat similitudo.* Qui typus, inquit, eorum quæ erant in tabernaculo fuit typus ad tempus quod instabat: propter quod completum est & finem accepit: idque meritò. Nam si illa Christi typus erant, meritò Christo apparente etiam figuræ cōpletæ sunt ac finem habent. *Secundum quam dona & sacrificia offerebantur.* Secundum quam similitudinem & iuxta quem typum, oblationes donorum & sacrificiorum factæ sunt. *Quæ non poterant iuxta conscientiam perfectum reddere.* Acsi diceret, In quo typo, hoc est, in quo legali sacerdo-
E tio, offerebantur quidem sacrificia & victimæ, atqui non poterant animam & conscientiam purificare: quum enim corporalia essent, corpus purificabant. *Iuxta conscientiam*: siue secūdum animam. *Perfectum reddere cultorem.* Ne eum quidem qui ipsa sacrificia offerebat, purificare poterant. *Duntaxat.* Per hyperbaton adiungenda est dictio imposita. *In cibis & potionibus.* Oblata, inquit, sacrificia & cultus non poterant quoad animam perfectum reddere quęquam, sed circa carnem & carnalia duntaxat vim habebant: & in hoc satisfaciebant offerentibus vt hoc ederent, illud verò non ederent, & aqua abluerentur hi qui communicati essent seu communes & immundi redditi: quæ sunt iustificationes carnis, hoc est, carnem purificantes, & nequaquam
F animam: nequaquam interiorem hominem, sed circa exteriorem exercebantur. *Et iustificationibus carnis.* Ad iustificationes carnis respondet inferiùs dictio Imposita. *Vsque ad tempus correctionis.* Duo dicit: & quòd corporalem duntaxat purgationem faciebant, & quòd hanc ipsam non semper, sed solùm vsque ad tempus correctionis. Quod est autem tempus correctionis? nempe tempus aduentus saluatoris: acsi diceret, Per huiusmodi imponebatur pondus hominibus quousque manifestaretur Christus: quum autem manifestatus esset, cessarunt. *Imposita.* Rectè imposita dicuntur: nam pondus erant quæ in lege tradebantur: quemadmodum dicunt apostoli, Quod neque nos, neque patres
Act. 15. nostri portare potuimus.

*De sanguine Christi in quo condebatur nouum testamentum, qui ueram inducit purificationem, non frequentia sacrificia quæ fiebant per sanguinem animalium.*

AT Christus quum accessisset pontifex futurorum bonorum per maius & perfectius tabernaculum non manufactum, hoc est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta æterna redemptione inuenta.

Quum ob hoc, inquit, accessisset, ob hoc factus esset pontifex vt etiam victimam offerret. At nõ dixit victimam, sed in medium proferre volens salutem, quæ ex victima consequi solet, ait, *Futurorum bonorum*: in nos videlicet. *Per maius & perfectius tabernaculum.* Christi corpus vocat tabernaculũ, eo ꝙ in ipso inhabitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Maius autẽ, eo quòd deus sit: perfectius verò, eo ꝙ ad se accedẽtes perficiat. *Non manufactũ.* Non ad imitationem, inquit, Iudaici tabernaculi. Nam hoc loco tabernaculũ non manufactũ appellauit naturã humanã quam suscepit Christus dominus. Neque enim nuptiarum modo paratus est thalamus nuptialis, sed sanctissimus spiritus tabernaculum extruxit. Quòd autem ait, *Non huius creationis*, hoc est, non iuxta legem naturæ quæ in creatura versatur. *Non huius creationis.* Corpus Christi & huius erat creationis, & nõ huius. Huius quidẽ, eo ꝙ ęquale esset & per omnia simile nostro corpori: non huius verò, eo ꝙ non cõfusẽ nec separabiliter adiũctam habuerit diuinitatẽ. Quòd igitur ab Apostolo dictum est Nõ huius creationis, ad hoc referas ꝙ diuinitatẽ habuerit, quanq̃ ipsum sanè corpus in se eiusdẽ esset substantiæ cũ nostro corpore. Aut ꝙ non esset eius creaturæ siue materiæ cuius erat tabernaculũ Iudæorũ. Quoniã enim tabernaculũ vocauerat Christi corpus, opus fuit huiusmodi verborum præscriptione. *Neque per sanguinem hircorum ac uitulorum.* Quæ Iudaica erant & per quæ ingrediebatur pontifex in sancta sanctorum. *Aeterna redẽptione inuẽta.*

Margin notes: B (at "Quum ob hoc"); Colos. 2. (at "corporaliter"); C (at "hoc est, non iuxta legem").

D Hoc eſt, quum effeciſſet æternam redemptionem, inuenit eam, non ſibiipſi: nam quonam modo id fieri potuiſſet, cùm ipſe peccare nequiuerit? ſed ſuo populo. Aut quoniam humanitatis caput eſſe dignatus eſt, quæ nobis acquiſita ſunt, ipſi acquiri dicit Apoſtolus.

Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum, ciniſq; iuuencæ aſpergens inquinatos ſanctificat ad carnis purificationem, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum deo, purgabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuariis, ad ſeruiendum deo viuenti?

E Deinde quoniam incredibile videbatur, quòd per vnam victimam vnúmque ſanguinem, æternam paraſſet retributionem, confirmat hoc & oſtendit credibile eſſe ac nihil abſurdi habere. *Ciniſque iuuencæ* Sanguis aſpergebatur, cinis iuuencæ mixtus aquæ potabatur ad purificationem in veteri teſtamento. *Sanctificat ad carnis purificationem.* Sanctificat autem non quo ad animam, ſed ad carnis purificationem. Conſydera verò quàm exactè loquatur. *Qui per ſpiritum.* Non per ignem exuſtus vt iuuencæ carnes in veteri teſtamento, ſed qui per ſpiritum ſanctum obtulit. *Immaculatum deo.* Etiam in veteri teſtamento requirebatur vt adducta hoſtia eſſet immaculata: ſed figura erat corporis Chriſti immaculati & vndique puri. Siquidem peccatum non fecit, ait Ieſaias, nec dolus inuentus eſt in ore eius. *Purgabit conſcientiam ueſtram.* De taurorum quidem ſanguine & cinere iuuencæ dixit, Ad carnis purificationem: de Chriſti verò ſanguine ait, Conſcientiam veſtram. Animaduerte purificationis præcellentiam. Quid eſt Conſcientiam? hoc eſt, animam veſtrã purificat, ita vt deinceps nullius delicti ſibi conſcij ſint. *Ab operibus mortuariis*, Id eſt, prauis, animã inquinantibus. Qui enim apud Iudæos mortuum tetigerat inquinabatur, apud nos verò abſurda opera inquinant. *Ad ſeruiendum deo uiuenti.* Manifeſtat alio modo non poſſe quenquam colere deum, niſi purus ſit ab operibus mortuariis: ita vt qui his eum colunt, non colunt, ſed ſeſe condemnant.

Ieſa.53.

F

Et ob id noui teſtamẽti conciliator eſt: vt morte

inter-

intercedente ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerant ſub priori teſtamento, ii qui vocati ſunt promiſsionem accipiant æternæ hæreditatis. Siquidem vbi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Nam teſtamentum in mortuis ratum eſt: quoniam num quandoque valet quum viuit teſtator? Vnde ne prius quidem illud abſque ſanguine dedicatum fuit. A

Volebat pater hæredes nos fieri promiſsionum: at nō poteramus quū inimici eſſemus, factique ipſi inimici. Quid ergo? filius mediator factus eſt, ſuóque patri nos recōciliauit. Sed quoniam oportuit nos qui in terra degebamus pœnas dare ob peccata quibus deliquimus (Siquidem deus nō tantùm benignus eſt & humanus, verumetiam iuſtus) etiam has ipſas pro nobis ſuſtinuit filius, ipſe crucifixus. *Vt morte intercedēte*. Morte enim confirmatur teſtamentū. Propter hoc mortuus eſt Chriſtus, vt ipſius teſtamentum in nos confirmaretur. Hoc autem ponit quoniā imbecilles maximè turbabat mors Chriſti. *Ad redemptionem*. Facta eſt mors Chriſti vt redimerentur ac ſoluerentur tranſgreſsiones quæ fuerant in priori teſtamento, vt hoc modo promiſsionem acciperemus æternæ hæreditatis qui vocati eramus: at ipſi nosipſos peccādo priuaueramus illa. Hoc igitur præſtat Chriſtus nobis manifeſtatus. *Mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris*. Hoc erat quod ipſos turbabat, nempe quod ait de Chriſti morte. Siquidem quomodo poteſt, inquiunt, nobis dare promiſsiones is qui mortuus eſt? Retorquet igitur & oſtendit quòd alio modo nō potuiſſemus hæreditatem & promiſsionem accipere niſi mortuus fuiſſet Chriſtus. *Quoniam num quandoque ualet quando uiuit teſtator?* Per interrogationem legito. *Vnde ne prius quidem illud*. Et adeò morte, inquit, confirmatur teſtamentū quòd prius quoque illud pro morte ſanguinem habuerit mortis ſymbolum, in nouo autem verè mortem habet: eo quòd illa quidem figuræ erant, quæ verò in nouo, veritas. *Abſque ſanguine dedicatum fuit*. Ac ſi diceret: Non ceſſauit aut intermiſſus eſt ſanguis vel ad tempus modicum, ſed protinus vt teſtamentum dedicatum eſt, etiam B C

D sanguinem habuit subsequentem.

Quum enim Moses omne præceptum iuxta legē exposuisset omni populo,sumpto sanguine vitulorum & hircorū cū aqua & lana coccina ac hyssopo simul & ipsum librū & totū populū aspersit dicēs: Hic est sanguis testamēti quod mādauitvobis deus. Insuper autem & tabernaculū & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspergebat . Et omnia ferè secundū legē sanguine purificantur:& absq; sanguinis effusione non fit remissio . Itaq; necesse est vt exemplaria quidem eorum quæ sunt in cælis hisce
E rebus purificentur : cæterùm ipsa cælestia melioribus quàm hæ sint victimis,mundentur.

Siquidem vbi Moses loquutus esset præceptū,tunc sanguine aspersit. I*uxta legem.* Quemadmodum,inquit,statuit deus, iuxta dei legem. S*umpto sanguine uitulorum.* Hic sanguis figura erat sanguinis dei ac saluatoris nostri qui nos purgauit ab omni macula. C*ū aqua.* Aqua figura erat baptismi. E*t lana coccina ac hyssopo.* Lana & hyssopus sumebātur propter earum retentionē. Siquidem hyssopus cū densa sit ac tenera,sanguinē retinebat ac aspergebat,lanáq; similiter. Coccina verò erat lana vt ipso colore typum ferret sanguinis Christi. S*imul & ipsum librum.* Liber typus erat cre-
F dentium,qui in seipsis habent dei legem. I*nsuper autem &*
Leuit. 26. *tabernaculum.* Etiam tabernaculum figura erat credentium,
2.Cor.6. propter id quod scriptum est,Inhabitabo in illis & inambulabo. E*t omnia ferè.* Ob id dixit Ferè,quoniā non purè neq; syncerè tunc purificabantur. Siquidem corporales tunc erāt purificationes,quum typi essent eorum quæ nunc & animas & corpora purificant. E*t absq; sanguinis effusione non fit remißio.* Videbātur enim etiā tunc huiusmodi purificationes præbere remissionē. I*taque necesse est ut exemplaria quidē eorū quæ sunt in cælis.* Cælestia vocat ea quæ sunt in nouo testamento:quoniam sacrorum initiatio quæ in ipso fit, cælestis est,ac cælestes ciues sunt fideles,quanquam interim versentur in terra:quæ enim in veteri erant , exemplaria fuerunt,

vt quæ typi erãt noui. *Hisce rebus purificentur:* Quæ dictæ sunt. *Cæterùm ipsa cælestia.* Quæ in nouo sunt testamento. *Melioribus uictimis.* Quoniam igitur opus fuit iuxta ipsorũ dignitates meliori victima & sacrificio, ipse dei filius sacrificatus est. Mors itaq; domini non ad confirmandum duntaxat testamentum profuit ac vim habuit, verumetiam ad hoc vt veram animæ purificationem efficeret. Et in præcedentibus autem & in sequentibus demonstrat domini mortem humano generi operatam esse salutem, eo ꝙ nonnulli imbecilliores offenderentur propter crucem. A

Nõ enim in manufacta sancta ingressus est Christus exemplaria verorum, sed in ipsum cælũ, vt nũc appareat conspectui dei pro nobis: nõ vt sæpius offerat semetipsum, quẽadmodũ pontifex ingreditur in sancta singulis annis per sanguinẽ alienũ. Alioqui oportuisset illũ sæpius passum fuisse à condito mũdo. Nunc autẽ semel sub cõsummationẽ seculorum ad profligationẽ peccati per victimã suã apparuit. Et quatenus illud manet homines vt semel moriãtur, post hoc autẽ iudiciũ: ita & Christ⁹ semel oblatus vt multorum perferret peccata, rursus absque peccato cõspicietur, iis qui illum expectãt in salutẽ. B

Quoniam Iudęi cristas erigebant propter templum, vide quomodo illud deprimat cõparatione ad cælum. *Exemplaria uerorum.* Nam templum manu factum erat, & in exemplar cæli fabricatum. *Sed in ipsum cælum.* Hæc particula In ipsum ingressus est cælum, intelligenda est per figuram quæ dicitur ἀπὸ κοινοῦ, id est à communi sententia acceptio siue zeugma: nempe hoc modo: Neq; vt frequẽter semetipsum offerat ingressus est in cælum. Siquidẽ frequẽter victimas per sanguinem offerre, eorũ est qui in exẽplaria verorum ingrediuntur, at nõ illius qui in ipsum ingressus est cælum. *Vt nũc appareat.* Cum carne, inquit, appareat. *Cõspectui dei.* Quid ais? Nisi ingressus esset in cælũ nõ appareret conspectui patris, qui vbiq; præsens est omniáq; replet? Vides ꝙ dispensationis sint ista humilia? Cum victima proprij C

D corporis aſcendit vt appareret apud patrem pro nobis, hoc eſt vt nos ipſi reconciliaret. Siquidem facta de carne mentione beatus Paulus omnia humilia intrepidè loquitur. Nō vt ſæpius offerat ſemetipſum hoc fecit, inquit, nempe ꝙ aſcendit in cælum. *Quemadmodum pontifex.* Vides præcellentiam? Hic ſingulis annis, Chriſtus verò ſemel. *Per ſanguinē alienum.* Hic per ſanguinem alienum, taurorum nempe & hircorum, Chriſtus verò per proprium. *Alioqui oportuiſſet illū ſæpius paſſum fuiſſe.* Si enim oportuiſſet illum ſæpius offerre victimam, oportuiſſet eum ex eo tempore quo iacta ſunt mundi fundamenta frequenter mortuum fuiſſe, vt qui proprium offerret ſanguinē. *Nunc autē ſemel ſub conſumma-*
E *tione ſeculorum.* Hoc eſt ſub ipſam completionem ſeculorum & ſub ipſum finem. Et per hyperbaton iungendum eſt Apparuit. Apparuit autem vt profligaret & extingueret peccatum mundi per victimam ſuam, quam pro nobis obtulit. *Per uictimam ſuam apparuit:* hoc eſt cum carnę in mundo. *Et quatenus illud homines.* Semel, inquit, omne genus humanum oportebat mori: hoc vt ſemel fieret, pro nobis mortuus eſt Chriſtus. Nunc itaque etiam ſi moriamur, non retinemur à morte: imò in virtute hoc non eſt mori. *Ita & Chriſtus.* Quoniam homo erat, quanquam ſimul eſſet deus etiam ipſe quod hominibus commune erat ſuſtinuit. Quēadmodum enim homines ſemel moriuntur, ita & Chriſtus ſemel oblatus, ipſe ſeipſum obtulit. Siquidem non tantùm eſt pontifex, ſed & victima. *Perferret peccata.* Pertulit ac re
F tulit hominū peccata patri, vt ille cōdonaret ipſaq́; deleret. Quamobrem verò dixit Multorum & non Omnium? Quia non omnes crediderunt: eorum nanque qui credunt aufert peccata. Mortuus enim eſt vt omnes ſaluos faceret quòd ad ipſum pertinet, verùm peccata ſolis remittit credentibus. Aut Vt multorum perferret peccata in cruce dicit? vt ipſa etiam extingueret, dans pœnas pro ipſis. *Rurſus abſq; peccato.* Aut hoc dicit quòd vbi rurſus venerit, non veniet vt iterum debeat pro peccatis veſtris mori. Aut quòd non amplius liberabit vos tunc à peccatis, ſicut ipſa nunc aufert. Aut quòd non peccabit, reos & peccatis obnoxios puniens,
Oecum. eò ꝙ pro nobis crucifixus ſit. Nunc enim pater miſit ipſum factū peccatū. Etenim Chriſtus vehementer peccator erat,

Fvt qui totius mundi peccata assumpserat, sibíq; propria fecerat: sed datis per crucem pœnis quæ nobis peccatoribus conueniebantur ac debebant, postmodũ cum paterna venturus est gloria, non iam tanquam peccator & cum iniquis reputatus. Quod enim Christus peccator fuerit, audi: Eum qui peccatum non nouerat, inquit, pro nobis peccatum fecit tanquam [illegible] ipsam quæ peccatum est. A

*Insolens quidem est uocari Christum peccatorẽ sed uide quo sensu id dicat: nisi librarij mendũ mavis dici, & ἁμαρτίαν p.i. peccatum potius legẽdũ quemadmodum habet Paulus quem etiam protinus ad sui dicti cõfirmationem citat.*

* Nam lex vmbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerũ, his hostiis quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accedentes perfectos reddere. Alioqui nónne desiissent offerri, propterea quòd iam nullã habuissent conscientiam peccatorũ qui sacrificassent, ac semel purgati essent? Atqui in istis commemoratio fit peccatorum quotannis. Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. B

*Cap. 10. Oecum.

*Vmbrã habens lex.* Typum duntaxat futurorũ bonorum, noui videlicet testamenti. Potes & hoc modo intelligere. A diuo Gregorio in Apologetico & in oratione ad subditos dicta sunt ea quæ nunc aguntur ac tractãtur mysteria, exemplaria esse maiorũ mysteriorũ. Rursumq; in libro de resurrectione: Participes, inquit, sum⁹ pasche, nũc quidẽ figuratiuo modo, postmodũ verò perfectiori. Legale enim pascha audeo & dico, figuræ figura erat. His ita dictis, nouit Apostol⁹ in his & vmbrã & imaginẽ & futura bona quę etiã res appellat, nẽpe veras: veluti enim ad vmbræ ac imaginis cõparationẽ, res significãt veritatem. Siquidẽ sunt veritas. Vmbrã itaq; scit ea esse quę fuerunt in lege: imaginẽ autem, nostra qui Christiani sumus: futura verò & bona & res veras, quę in futuro erunt seculo. Etenim quãtùm differt imago à veritate tãtùm vmbra ab imagine. Siquidem quãquã imago nõ ipsam contineat veritatẽ, est tamen manifesta imitatio veritatis, habitũ seruans per colores ac membrorum proportiones, reiq; propositæ colorẽ. Vmbra verò tenue & obscurum est imaginis simulachrũ, nihil eorum ostẽdẽs quæ imago demõstrat. Atque Gregorium existimo ex his apostolicis C

D verbis adductũ fuiſſe vt diceret quæ propoſita ſunt. His autẽ ſimilia dixerunt & alij plures e patribus. *Nõ ipſam imaginẽ.* Hoc eſt veritatẽ. *Rerũ.* Res appellat futurã vitã: imaginem autem rerũ, euangelicam politiam: vmbrã vero imaginis rerum, vetus teſtamentum. Imago enim manifeſtiora oſtendit exemplaria: adumbratio autẽ imaginis obſcurius hæc manifeſtat. Nã hæc veteris teſtamenti exprimit imbecillitatem. Qui enim multas, inquit, & eaſdem ſingulis annis offerunt hoſtias perficere nequeunt illos, qui ſecundum legẽ conuerſantur. *Singulis annis.* Quid ergo? an ne nos ſemper offerimus hoſtias ſanguine carentes? Sed vnius eiuſdémq; mortis Chriſti memoriã facimus, & vnum Chriſti corpus ſemper e-

E dimus. Nõ enim nunc quidem vnius Chriſti, aliàs verò alterius, ſed ſemper eiuſdem. Iudæorum verò hoſtiæ varias habebãt victimas, nempe oues, boues, capras: ideo multæ ſunt hoſtiæ, noſtrę verò quanquã actione multæ ſint, vnica tamẽ eſt poteſtate. *Eaſdẽ hoſtias.* Eaſdem in modo offerendi, variis tamẽ victimis. *Cõtinẽter.* Singulis enim annis ſine vllo termino offerebãtur. *Nunquã poteſt,* lex videlicet. *Accedentes perfectos reddere.* Quamobrem? Quoniã figura erat: nam veritas, putà Chriſtus hoc fecit, per vnã hoſtiam facta purificatione. *Alioqui nonne deſiiſſent?* Per interrogationem legito. Nam ſi ceſſare peccata feciſſent illæ hoſtiæ, an non omnino ceſſaſſent offerri, propterea quòd amplius nulla inuoluti fuiſſent peccatorum cõſcientia ſemel purificati? *At-*

F *qui in ipſis ſit cõmemoratio peccatorum.* In ipſis, inquit, hoſtiis ſit duntaxat cõmemoratio & redargutio peccatorum, nõ autem etiam remiſſio: porrò quòd non ſit remiſſio ſignum eſt quòd ſemper durent hoſtiæ. Neque enim ob ſequentia tantũ peccata offeruntur, inquit, hoſtiæ, ſed potius propter omnia, tanquã nõdũ remiſſa ſint hoſtiis quę facta ſunt. *Non enim poteſt ſanguis taurorum.* Oſtendit conſequẽter vera eſſe quæ dicta ſunt ex abiectione & vilitate ſanguinis.

CAPVT XIII.

*Teſtimonium de ſola purificatione & acceſſu ad deum.*

*Pſal.39.* QVapropter ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata & pro peccato

non placuerunt tibi: Tunc dixi,Ecce adſum, vt fa- A
ciam deus voluntatem tuam.Superius quum dicit,
Sacrificium & oblationẽ & holocautomata & pro
peccato noluiſti, neque placuerunt tibi quæ iuxta
legem offerũtur:Tunc dixit,Ecce adſum,vt faciam
deus volũtatem tuam:tollit prius, vt poſterius ſta-
tuat: per quem voluntatem ſanctificati ſumus, qui
illam per oblationem corporis Ieſu ſemel peractã
conſequuti ſumus.

Chriſtus,inquit,corpore mundum ingrediens,dicit, per
mediũ Dauid:Si inutiles,inquit,ſunt hoſtiæ,quare omnino
fuerũt inſtitutæ?Quare? propter peruicaciam Iudæorum,& B
quia deo ſemper aduerſati ſunt.Deinde oſtẽdit ꝙ etiam an-
te domini incarnationem odio habitæ fuerint à deo.Neque
enim dixit,Ingreſſus in mundum,ſed Ingrediens: oſtenden
do quòd priuſquã ingreſſus eſſet odio habitæ erant. ALIO Pho.
modo. Ingrediens in mũdum dixit Chriſtus,ſed non ingreſ
ſus:videlicet ingrediebatur quando promittebat ipſi Dauid Pſal. 131.
& aſſeuerabat quòd de fructu ventris ſui ſedere faceret ſu-
per thronum ſuũ vſque in ſeculum. Ingrediens igitur mun
dum per pacta ad Dauid facta,etiã hoc dicit per eũdem Da-
uid,Quia ſacrificium & oblationem noluiſti,neque placue-
runt tibi quæ in lege peragebãtur. Et non dixit,Non placẽt
neque vis,ſed Noluiſti neque placuerũt tibi:tãtùm non di-
cens, Ab ipſa illarũ conſtitutione & principio nõ erant tibi C
gratæ neque placẽtes hoſtiæ:Quòd ſi quid etiam horũ à te
ſuſceptũ eſt,propter accedẽtium imbecillitatem ſuſceptum
eſt:Quandoquidẽ ergo hęc repuliſti & corpus aptaſti mihi,
tunc venio vt faciã deus volũtatem tuam.Nam & hoc de me
dictum eſt,nõ vtcunq; neq; in tranſcurſu,ſed in ſcopo & ar
gumẽto libri qui vaticinationẽ de me facit.Librũ autem di-
xit totũ vetus inſtrumẽtum.Pręcipuũ enim & digniſsimum
veteris inſtrumenti argumentum vaticinia ſunt de Chriſto.
*Sacrificium & oblationem noluiſti* Hic adfertur Chriſti per-
ſona loquens ad patrẽ.Quãdoquidem,inquit,ô pater ſacri-
ficium & oblationem noluiſti,quæ videlicet iuxta legem of
feruntur, neque fuit tibi beneplacitum in holocautomatis

D legalibus, hoc est, neque holocautomata placuerunt tibi aut ea voluisti. *Et pro peccato.* Hoc est, oblatio pro peccato: A communi intellectu sumitur Placuit tibi. Rectè autem ait, Pro peccato. Nam inter sacrificia, quædam pro salute, quædam verò pro peccato offerebantur. Acsi diceret, Quoniam nequaquam oblationes neque sacrificia voluisti, neque holocautomata nec pro salute nec pro peccato, venio aptato corpore quòd debeat effici hostia tibi beneplacens, quod ip
Luc.1. se mihi aptasti. Nam spiritus sanctus & altissimi virtus obũ
Iohan.6. brauit virgini: venio autem vt tuam faciam voluntatem pa-
17.18. ter, putà vt nullum ex his perdam quos dedisti mihi. Caput
Iesa.8. verò libri dicũt Hebræi esse legem. Iesaias verò mysterium de vnigeniti incarnatione edoctus, audiuit, Scribe mihi in
E isto stilo hominis. *Sacrificium & oblationem.* Vides quòd sacrificia etiam ante incarnationem abiecta essent? Quum enim nolles sacrificia & holocautomata, tunc dixi, Ecce venio. Quis dixit, Ecce venio? Christus videlicet. Venio autẽ vt faciam voluntatem tuam. Et quę fuit patris voluntas, nisi vt filius crucifigeretur? Quòd autem & venturus sim & voluntatem tuam facturus, hæc in capite libri de me scripta sunt. Ita sunt ista ordinanda: Nam quũ prophetica sint, obliqua & contorta sunt. *Noluisti neque placuerunt tibi.* Ipse idem apertiùs interpretatur. *Quæ iuxta legem,* Iudaicam videlicet, & quæ à Iudæis offerũtur. Vides ꝙ ante Christi descensum odio haberentur sacrificia? *Vt faciam deus voluntatem tuam.* Quid ergo? Sacrificia iuxta legem non erant ex
F dei voluntate? Erant quidem, sed veluti coactè. Propemodũ enim dixit illis, Mihi in vniuersum sanguinolentæ victimæ suo cruore abominandæ sunt: sed quoniam immolare cupitis, mihi sanè & non idolis immolate: quod non erat purę ac primarię volũtatis. *Tollit prius.* Quodnã est prius? Sacrificia. Quodnam autem est posterius? Crux & mors Christi. Eiiciuntur itaque sacrificia: & crux, hoc est, Christi sacrificium, eorum loco introducitur. *Per quam uoluntatem sanctificati sumus.* Per quam, inquit, voluntatem sanctificati estis. Quænam est hæc? Crux, oblatio, corpus Christi. Neque enim remissionem tantùm consequuti sumus, sed & sanctificati sumus. *Qui illam per oblationem corporis Iesu Christi.* Ecce interpretatus est quænam sit voluntas patris, nempe

oblatio corporis Christi. Quum enim in præcedentibus & sequentibus de voluntate dixerit, consequenter expresſit quæ ſit voluntas. *Semel peractam.* Hoc eſt, non in modum Iudaicorum ſacrificiorum, ſed ſemel id factum eſt. Semel peractam. Qui illã per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractam conſequuti ſumus. A

Et omnis quidem ſacerdos aſsiſtit quotidie ſacra peragens, & eaſdẽ ſæpius offerens hoſtias quæ nũquam poſsint offerre peccata. hic verò vna pro peccatis oblata victima, perpetuò ſedet ad dexterã dei, id quod ſupereſt expectans donec poſiti ſint inimici ipſius ſcabellũ pedum ſuorum. Vnica enim oblatione perfectos effecit imperpetuum eos qui ſanctificantur. Teſtificatur autem nobis & ipſe ſpiritus ſanctus, nimirum quum prædixerit: Hoc eſt teſtamentum quod condam erga illos poſt dies illos, dicit dominus, dans leges meas in corde eorum, & in mẽtibus ipſorum inſcribam eas, & peccatorum eorum atque iniquitatum ipſorum nõ recordabor amplius. Porrò vbi horum eſt remiſsio, non eſt amplius oblatio pro peccato. B

*Et omnis quidẽ ſacerdos aßiſtit.* Sanè aſsiſtere & aſtare miſterij eſt ſignum: ſedere verò queadmodum Chriſtus ſedit ad dexterã patris, ſignum eſt ꝙ ſibi miniſtretur, vt qui deus ſit. *Quotidie ſacra peragens, & eaſdem.* Eaſdem, inquit, quia pro eiſdẽ ſemper offerebatur, quũ non poſſent vel pręteritę vel pręſentes victimę & oblationes, vel vnum peccatũ purè ac integrè auferre. *Hic verò*, Chriſtus videlicet. *Pro peccatis*, noſtris, pro quibus paſſus eſt. *Perpetuò.* Quum vna perpetuò ſufficiat. *Quod ſupereſt expectans.* Et quare non ſtatim poſiti ſunt inimici eius ſub pedibꝰ ipſius? Propter futuros ac naſcituros fideles. Neq; enim ſoli dęmones inimici ſunt, ſed etiam increduli. *Donec poſiti ſint.* Non dixit, Subiiciãtur: ſed maximã deſignãs ſubiectionem, ait, Poſiti ſint ſcabellum pedũ ſuorum. Quòd autẽ ipſi ponãtur ſcabellũ, cui- C Pho.

D dens probatio est, quod ipse sedeat ad dexteram patris. *Vnica enim oblatione*, quam obtulit Christus, perfecit siue perfectos reddidit, perfectè à peccatis liberauit. *Eos qui sanctificantur*: hoc est, fideles: nam hi ex dicta oblatione sanctificantur. *Testificatur autem nobis & ipse spiritus sanctus.* Quid testificatur? Quòd remissa sint nostra peccata. *Et peccatorum eorum.* Addidit, inquit. Et peccatorũ eorum nõ recordabor amplius. Vides ergo quod testificatus sit remissionem fieri peccatorum? Tunc autem remisit quãdo nouum cõdebat testamẽtum: nouum verò testamentum condidit per victimam filij sui Iesu Christi domini nostri. *Porrò ubi horũ est remißio*, peccatorum videlicet. *Non est amplius oblatio pro peccato.* Quæ e-
E nim necessitas est multarũ oblationum, quũ vnica illa quam exhibuit Christus, fuerit sufficiens ad auferenda peccata?

Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ad aditum in sancta per sanguinem Iesu, quem innouauit nobis recentem ac viuentem, per velamentum, hoc est per carnem suam, & sacerdotem magnum præfectum domui dei, accedamus cum vero corde in certitudine fidei, aspersis cordibus, ac depulsa conscientia mala, & abluti corpore aqua pura teneamus confessionem spei non vacillantem: fidelis enim est qui promisit.

F Quoniam demõstrauit multũ interesse inter nouum & vetus testamẽtum, accedit ad sermonẽ de fide & vita. *Libertatem ad auditum.* Quẽadmodum, inquit, antea pudore suffundebamur quod essemus pleni peccatis, ita nũc libertatem habemus ingrediẽdi in cælũ propter donatam nobis remissionẽ. *Aditum in sancta.* Cælum dicit, & progressum ad spiritualia. *Per sanguinem.* Vt ἐν, id est, in, capitur pro διὰ, id est, per. Nã per crucis Christi sanguinẽ habemus remissionem ac libertatem. *Quem innouauit nobis.* Quem aditũ in sancta & viam ad illum ducentem, nunc nuper incidit: hoc enim significat ἐνεκαίνισε, id est, innouauit. *Recẽtem*: qui nostris, inquit, tẽporibus sumpsit initium. Id autem ad nostram cedit gloriationem, quod Abrahæ tẽporibus nõ fuerit hæc via, sed nostris. *Ac uiuentem.* Prima nanque via ad mortem ducebat & incre-

dulitatem: hæc autem & ad veram fert vitam, quia ipsa quoque vita est, & perpetuos efficit. Quum recẽtem dixisset, ne quis subiungeret, Igitur si recens est, etiam cessabit, nam ipsa quoque senescens ac veterascens, quẽadmodum & ea quę veteris erat instrumẽti dissoluetur. Nequaquam, inquit, sed quum recẽs sit, semper iuuenescens ac viua permanebit, nũquam excipiens mortem ac dissolutionem. *Per uelamentum.* Nam hæc vniuersa bona per Christi carnem & carnis immolationem contigerunt nobis. Hęc caro etiam recenter viam pręparauit ad cęlos, quum prima per eam ingressa sit. Rectè autem Christi carnem velamentum appellat: quãdo enim in sublime eleuatus est, nempe in cruce, tunc apparuerunt quæ in cælis erant: siquidem in proprium est veli siue velamenti. *Et sacerdotem magnum.* A cõmuni sensu supplendum est Quũ habeamus. Porrò sacerdotem dicit dominum. *Præfectũ domui dei.* Domũ dei vocat ipsos fideles, propter id quod scriptum est, Inhabitabo in illis & inambulabo. *Accedamus cum uero corde*, ad fidem Christi cum veritate, nihil adulterinum aut subdolum habentes. *In certitudine fidei.* Quoniam enim nihil est posthac visibile: neque tẽplum, id enim est cælum: neq; pontifex, is est Christus: neque victima, hæc corpus est ipsius, necessaria in posterum est fides. Verùm quia contingit credere simul & hæsitare, ait, In certitudine fidei, hoc est, vt certi simus de his. *Aspersis cordibus.* Ostendit quòd non sola fide opus sit, sed & recta vita. *Aspersis cordibus.* Iudæi, inquit, asperguntur corporibus suis, nos verò aspergamus ac purificemus conscientias nostras, vt nullius mali simus nobis conscij. *Aqua pura.* Hoc est, baptismate. Iudæi nanque loti, corpus tantùm purificabant, nos autem animam purificemus baptismate. Pura est enim aqua quæ apud nos est, hoc est, purificans. *Teneamus confessionem.* Seruemus, inquit, confessionem quæ est circa hanc spem firmam & inconcussam. Quam spem? Vt speremus per sanguinem Christi introitum in cælum, quòd per ipsum ignoscantur nobis peccata, quòd per ipsum digni habeamur qui in filios adoptemur. *Fidelis enim est qui promisit.* hoc est, verax. Quid autem promisit? Quòd ingrederemur in regnum ipsius. Volo, inquit, vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum. Dixit enim ipsi, propter fideles.

[Margin: A; Sup.8.; B; Leuit.26.; 2.Cor.6.; C; Ioban.17.]

D CAPVT XIIII.

*Exhortatio ad uirtutem ex timore futuri iudicij.*

ET consyderemus nos inuicem in hoc vt prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri, sicuti mos est nonnullis: sed exhortantes, idque hoc magis quòd videtis appropinquantem diem.

Et *consyderemus nos inuicem*, quod fratres simus: quòd grex vnus vnius pastoris: hoc enim augebit mutuam dilectionē. Aut cōsyderemus si quis probus sit, vt hunc imitemur. Aut circa ea nos inuicem consyderemus, quorū curiositas & scrutamen ac consyderatio, ad dilectionē exacuit & incitat: hoc

E autem faciunt qui nihil prauum de se inuicem ferunt, omnia autem in bonam ac saniorem partem reiiciūt, etiam quæ videntur esse delicta. V*t prouocemus ad charitatem.* Vt exacuamus & augeamus mutuam dilectionem. E*t bona opera.* Et vt exacuamur ad imitandum illos, qui versantur in bonis operibus. *Aggregationem nostri.* Vt semper in eundem locum conueniant, dilectionis est productiuum: idcirco prohibet separationem, opus enim charitatis nō est diuisio, sed fortis & exacta vnio. Aggregationem appellauit mutuum

Pho. consensum. *Sed exhortantes.* Quęnam? Aggregationem nostri, hoc est, mutuam. Nam à communi sensu resumendum est Aggregationem nostri. Exhortatio verò aggregationis est, vt promptè & longo tēpore nobis mutuò coniūgamur.

F ALIO MODO. *Sed exhortantes.* Imbecilliores videlicet. Et tātò, inquit, nobis magis opus est charitatem, ac bona opera desyderare & adipisci, quātò magis appropinquat dies iudicij. Hoc autem etiam ad consolationem ipsis erat, nempe defatigatis propter afflictiones.

Nam vbi voluntariè peccamus post acceptam cognitionem veritatis, non vltrà pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quędam expectatio iudicii, & ignis zelus, qui deuoraturus est aduersarios. Qui aspernatus fuerit Mosi legem, absque misericordia sub duobus aut tribus testibus moritur.

Quantò putatis peiori afficietur supplicio, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti communem habuerit per quem fuerat sanctificatus, & spiritum gratiæ iniuria affecerit? Nouimus enim eum qui dixit, Meum est vlcisci, ego rependam, dicit dominus. Et rursum, Dominus iudicabit populum suum. Horrendum est incidere in manus dei viuentis. A Deut. 31.

*Nam ubi uoluntariè.* Tanquam inuoluntaria leuiùs puniãtur. *Peccamus.* Animaduerte q nõ dixerit Peccauimus, sed imperfecto vsus est participio ἁμαρτανόντων, ostendere volens perseuerantiam in peccato vsq; ad mortem. Hinc enim potissimè manifestum est, q non tollat resipiscẽtiam. *Post acceptam cognitionem:* hoc est, fidem de Christo. *Non ultrà pro peccatis:* ad delenda illa peccata. Erãt enim apud Iudæos hostiæ, quæ pro ipsorum remissione offerebantur, sic vt illę non essent pro inuoluntariis. *Reliqua est hostia.* Non tollit resipiscentiam: Minimè gentium: sed secundò baptizari interdicit. Nam hostiam dicit hoc loco passionem & baptisma, quẽadmodum etiam in superioribus dicit, Vnica enim hostia perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificãtur. *Et ignis zelus.* Siquidem tanquam extimulatus ille ignis cõsumit, ac deuorat eos qui iniecti sunt. Aduersarios autẽ vocat non tantùm incredulos, verumetiam contrario modo operantes, quàm habeant Christi præcepta. *Qui aspernatus fuerit legem Mosi.* A minori fit comparatio. Vult enim ostendere ignis exustionem iustè immitti contra aduersarios. Legem autem dicit Mosi, eo q ille multa præceperit eorũ quæ in lege continentur. *Sub duobus aut tribus testibus.* Nam si duo aut tres testificati essent, nõ erat ampliùs misericordiæ aut veniæ locus, sed moriebatur. Si is ergo qui hominis legem, hoc est, Mosi transgressus est, absque venia post latum testimonium moritur, inquit, quid eos pati oportere iudicatis, qui Christi legem conculcauerint? *Qui filium dei conculcarit.* Quomodo autem conculcat quispiam filium dei? Quando ipsum non audit, quando is qui cum eo participat, peccata operatur: nam id est cõculcare, nempe contemnere.

Oecum. B Leuit. 4. Sup. eod. C

D *Et sanguinem testamenti.* Sanguinem testamenti dicit sanguinem Christi: per ipsum enim accepimus nouum testamentum. *Communem habuerit.* Communem, tanquam cæteris nihil excellentius habentem: sicuti dicunt qui ipsum aiunt nudum esse hominem. Hi nanque nihil esse dicunt illum sanguinem, in quo varietur à nostro, quod ad honorem pertinet. Deinde illorum ostendens ingratitudinem, ait, Per quẽ fuerat sanctificatus. *Et spiritum gratiæ iniuria affecerit.* Nam qui datum non suscipit beneficiũ, eum qui dabat, afficit iniuria. Fecit te dei filium, tu autẽ mauis effici seruus. Venit vt in te habitaret, tu verò diabolũ in teipso introducis. An non iniuria & contumelia sunt hæc aduersus spiritum? *Nouimus enim eum qui dixit.* Et ꝙ hæc vera sint, inquit, attestatur ipse
E deus qui ait, *Meum est ulcisci.* Hoc est, apud me est, vt vlciscar. *Ego rependam, dicit dominus.* Sensim autem hoc dicẽdo consolatur eos ob mala quæ passi erant à propriis contribulibus. Acsi diceret, Quid mœretis? quum habeatis vltorem, & eum qui pœnas rependit iis qui vos affligunt?

2. Thess. 2.

CAPVT XV.

*Quòd bonum initium ad bonum finem deducit.*

REdeant autem vobis in memoriam superiores dies, in quibus illuminati, ingens certamen sustinuistis afflictionum: partim quidem dum & probris & contumeliis affecti spectaculo fuistis, partim verò dum consortes ita conuersantium facti estis.
F Siquidem & afflictionum quæ ex vinculis meis cõtigerunt participes fuistis: & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio accepistis, scientes vos habere in vobis potiorem substantiam in cælo, ac manentem. Ne abieceritis igitur fiduciam vestram quæ magnam habet præmii retributionem. Nam patientia vobis est opus, vt vbi volũtatem dei peregeritis, reportetis promissionem.

Ab exordio, inquit, fidei vestræ statim decertastis: hoc certamen in mente habetote, ne quo modo per segnitiem perdatis priorum certaminum præmia. Consydera ingenij dex-

teritatem. Vbi ipsorum animas facta illius ignis mentione commouit, nunc per encomia ipsos adhortatur. *In quibus illuminati.* Aut circa baptisma, inquit, illuminati, aut circa Christi cognitionem. *Partim quidem dum & probris.* Robusta opus est anima ad ferenda probra & iniurias, etiamsi priuatim & occultè fiant, quoniam autem manifestè & coram omnibus fiebant (nam hoc significat Spectaculo fuistis) robustior est necessaria. *Partim uerò dum consortes.* Non solũ, inquit, proprias iniurias virili animo tulistis, sed & consortes fuistis eorum qui iniuria afficiebantur, apostolos significans, versatos videlicet in contumeliis & afflictionibus. *Siquidem & afflictionum quæ ex uinculis meis contigerunt, participes fuistis.* Non solùm, inquit, non opus fuit vobis consolatione, sed aliis quoq; vinctis manus auxiliatrices porrexistis. *Et direptionem.* Magnum est ferre direptionem facultatum. Quòd autem etiam cum gaudio feratur, apostolicum est. *Cum gaudio accepistis.* Voluntariam ipsorum patiẽtiam collaudat. *Scientes uos habere.* Ecce fidem quoque illos habere testatur. *Ac manentem.* Hoc est, firmam, non quasi pereuntem, & ab aliis ad alios transeũtem. *Ne abieceritis igitur.* Ostendit ipsos adhuc his affici. *Fiduciam uestram.* Habent enim à deo fiduciam, qui talia propter ipsum patiũtur. *Ne abieceritis igitur fiduciam uestram.* Quæ opera vestra cõsequitur, quæ fidem, quæ afflictiones, quæ pœnitentiam: nã hæc magna sunt ad præstandam nobis fiduciam, ꝙ promissa consequuturi simus. *Quæ magnã habet præmij retributionem.* Et vnde hoc manifestũ est? vos, inquit, testes estis qui cognoscitis vos habere potiorem substãtiam in cælo, ac manẽtem. *Nam patientia uobis est opus.* Non augmentum, sed patientiam expeto, vt in eisdem perseueretis. *Vt ubi uolũtatem dei peregeritis.* Voluntas dei est, vt in eisdem vsq; ad finem perseueretis, & dilationem retributionis ac promissionis sustineatis. Voluntas dei est vt in eum syncerè credatis, ac virtutes operemini, & pro ipsis insuper vbi tempus expetierit ad sanguinẽ vsq; decertetis, tales enim referũt promissionem.

A B Pho. C Pho. *Habac.* 2.

Adhuc enim per pusillum temporis & qui venturus est veniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide viuet, & si se subduxerit, non probabitur ani-

D mo meo. At nos non ſumus qui ſubducamus nos in perditionem, ſed ad fidem pertinemus in acquiſitionem animæ.

Et quando poſſumus, inquit, accipere promiſsionem? Ne ſegnes efficiamini, ait, in proximo eſt is qui rependit. *Adhuc enim per puſillum temporis, & qui uenturus eſt ueniet, & non tardabit.* Nam quod ait ὅσον ὅσον, ſignificat valde breue tẽpus. *Iuſtus autem ex fide uiuet.* Oportet igitur credere quod veniet, nam iuſtus ex fide viuet. Si autem ſegnior, inquit, effectus ſe ſubduxerit, aut ex fide, aut ex afflictionibus, non probabitur animo meo: vt à Chriſto accipiatur in ſolidum. Quòd autem ait οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου, hoc eſt, nullum ipſius bonum

E gratum habebit, aut volet anima mea. *At nos non ſumus qui ſubducamus nos in perditionem.* Quoniam terruerat eos dicendo, Si ſe ſubduxerit, non probabitur animo meo, corrigit illud & ait, Non ſumus qui ſubducamus nos, vel ſegnes ſimus, quod in perditionem ducit: ſed ad fidem pertinemus, ad poſsidendum & ſaluandum noſtras animas.

CAPVT XVI.

*De fide quæ ueteres quoque glorificauit.*

Cap. 11. Gen. 4. EST autem fides, earum rerum quæ ſperantur ſubſtantia, argumentum eorum quæ non videntur: per hanc enim teſtimonium acceperunt ſeniores. Per fidem intelligimus perfecta fuiſſe ſecula

F verbo dei, vt ex his quæ non apparebant, ea quæ videntur fierent. Per fidem hoſtiam vberiorem Abel obtulit deo, quàm Cain, per quam teſtimonium meruit quòd eſſet iuſtus, teſtimonium perhibente de donariis illius deo, & per ipſam mortuus adhuc loquitur.

Exprimit conſequenter quid ſit fides, & ait, Fides eſt ſubſtantia ac eſſentia earum rerum quæ ſperantur. Nam quoniã ea quæ ſpei ſubſiſtunt ſentiri nequeunt, vt quæ interim præſentia non ſunt, fides eſſentia quædã ipſorum eſt & ſubſtantia, efficiens vt ſint & quodammodo præſentia fiant, eo quod credat ea eſſe. Eſt autem fides argumentum, ac demon-

ſtratio

stratio eorum quæ nõ videntur. Exhibet nanq; fides visibilia ea quę sunt inuisibilia. Quomodo? mẽte & spe videns ea quæ non apparent. *Per hãc enim testimoniũ acceperunt.* Per fidem testimonium à deo acceperunt, ꝙ placuissent ipsi. *Segniores.* Quinam? hi quos recẽsebit. *Per fidẽ intelligimus perfecta fuisse secula.* Nũ quæ ratio posset id demonstrare? oportet itaq; sibi fide persuadere. *Vt ex his quæ non apparebant.* Quis enim sermo demonstrabit illa fuisse deducta ad esse ex eo quod non erat? *Vberiorẽ hostiam Abel.* Cuius enim alterius exemplo deum honorabat, nisi ꝙ fide credebat horum fieri retributionem? *Per quã testimonium meruit quòd esset iustus.* Quum enim dixerit Deus ad Cain, nũ si rectè obtuleris, nõ rectè autem diuiseris: testificatus est de Abel ꝙ & rectè obtulerit, & rectè diuiserit. Dicitur quoque ignis è cælo delapsus fuisse super ipsius holocaustum. *Et per ipsam mortuus.* Videlicet hostiam. Nam hostia fuit ipsi cędis occasio. Quòd ait, Per ipsam mortuus adhuc loquitur, aut intelligitur, ꝙ ipsa hostia fratri fuit inuidiæ, ac ęmulationis occasio: porrò hęc peperit homicidium. Aut ꝙ per ipsam loquitur, tametsi mortuus: nam hęc causa est, cur Abel in perpetua sit memoria, nec vnquã obliuioni tradatur. Aut si quis exactiꝰ vtrũque cõsyderet, à cõmuni sẽtẽtia accipiatur Per ipsam, vt referatur & ad Mortuꝰ & ad Loquitur: vt sit sensus: Per ipsam vel propter ipsam hostiã mortuus, adhuc loquitur per ipsã. Aut per ipsam fidẽ: loquitur autẽ fama, gloria, memoria. *Adhuc loquitur.* In perpetua memoria est. Non finit ipsum, opus suum quod ex fide processit, in obliuionem venire.

*Gen. 4. iuxta versionẽ Septuaginta quã ubique sequitur.* Pho. Oecum. Pho.

Per fidem Enoch fuit translatus ne videret mortem, nec fuit inuentus, propterea quòd transtulerat ipsum deus: priusquam enim trãsferretur testimonium meruerat quòd placuisset deo: Atqui sine fide fieri non potest vt quis illi placeat. Nam qui accedit ad deum hunc credere oportet esse deum, & esse remuneratorem quærentibus se. Per fidem admonitus oraculo Noe, ea quæ nondum videbantur veritus, apparauit arcã ad salutẽ domus suæ per quã

*Gen. 5.*

D condemnauit mundum: & eius quæ ſecundum fidem eſt iuſtitiæ factus eſt hæres.

*Per fidẽ Enoch.* Ex illo præfigurabatur mortis aboſitio. Siquidẽ per Abel oſtenſa fuit ſentẽtię confirmatio, per Enoch verò illius abolitio. Credidit autẽ Enoch deum eſſe premij remuneratorẽ, ideo etiã placuit: atq; intãtum fidei erant quę videbãtur, vt etiam contrarium appareret. Abel enim quum deo placuiſſet, iugulatus tamen eſt, nec voluit deus cum eo conniuere ne moreretur: ideo per ſolam fidẽ Enoch placebat deo, credẽs eſſe bonorum retributionẽ. Propter fidẽ igitur placebat, & quia placebat tranſlatus eſt. *Ne uideret mortem.* Viuẽs enim tranſlatus eſt & adhuc viuit: porrò vbi &
E quomodo incertum eſt. *Atqui ſine fide fieri non poteſt, ut quis illi placeat.* Siquidem niſi quis crederet bonorum & malorũ fieri remunerationẽ, nequaquam placere poſſet. Quis enim per laborioſam virtutis ſemitã graderetur, niſi ſibi perſuaſum eſſet aliquid fore remunerationis? *Nam qui accedit ad deum, hunc credere oportet.* non quid ſit, neque eſſentiam curioſe ſcrutari, ſed tantùm credere oportet ꝙ ſit, & ꝙ repẽdit mercedem quærẽtibus ſe. *Per fidem admonitus Noe.* Per fidem, adiũge ei quod ſequitur Veritus, vt ſit hic ſenſus: Admonitus oraculo Noe, ea quæ nõdum videbãtur per fidem veritus, apparauit arcam. Fidei namq; erat ꝙ audiẽs futurũ diluuium vereretur, & pauore conſternaretur. *Admonitus*
Luc.2. *oraculo* Hoc eſt, quum à deo audiſſet. Alibi dicitur: Reſpõ-
F ſum acceperat, ſiue admonitꝰ erat à ſpiritu ſancto. Vides honoris æqualitatem? Quemadmodum pater oraculo reſpondet, ita & ſpiritus ſanctus. *Ea quæ nondum uidebantur.* Diluuium dicit. *Per quam condemnauit mundum.* Oſtendit ipſos fuiſſe dignos ſupplicio, quòd neque intuentes parari arcam, crediderunt fore diluuium. *Et eius quæ ſecundum fidem eſt iuſtitiæ* Quæ per fidem conſtituitur. Nam illa fides eum iuſtificauit qua credidit deo.

Gene. 12. Per fidem vocatus Abraham obediuit, vt exiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem: & exiuit neſciens quò eſſet venturus. Per fidẽ cõmigrauit in terram promiſsionis veluti peregrinam, quũ

in tabernaculis habitasset cum Isaac & Iaacob cohæredibus eiusdem promissionis. Expectabat enim habentem fundamenta ciuitatem, cuius opifex & conditor est deus. Per fidem & ipsa Sara vim ad cōcipiendum ac retinendum semē accepit, & præter ætatis rationem peperit, quòd fidelem iudicaret eum qui promiserat. Quapropter & ex vno nati sunt, eóque iam effœto, tanto numero quāto sunt stellæ cæli, & velut arena quæ est iuxta marginem maris innumerabilis. A Gene. 17. 18.

*Per fidē uocatus Abraham* Non enim obedisset, nisi credidisset vera dicere deum quòd illā daturus esset terrā. Et hoc ipsum ꝙ exierit, fidei erat. Deo nāq; vocāte obediuit, credens quòd propter bonū vocaret. *Nesciēs quò esset uenturus.* Et hoc maioris erat fidei, ꝙ obtemperaret quocūque vocaretur. *Per fidem commigrauit in terrā promissionis.* Cōsydera quid dicat: In terrā quam promiserat deus dicēs, Tibi dabo ipsam & semini tuo, cōmoratus est tanquam in aliena, etiam vidēs non cōtingere dei promissionē. Siquidē dixerat deus se daturū ipsam, ipse tamē veluti aduena in terra peregrina habitabat: & ne ita quidē infirmior ī fide factus est: sed licèt etiam cum nepotibus in ea habitaret tanquam aliena, adhuc tamen credebat sibi & semini suo ipsam dandam esse. *Quū in tabernaculis habitasset.* Siquidem tabernacula figere, peregrinorū est & alienigenarū in terra. *Cum Isaac & Iaacob.* Etiam horū fidem ostēdit, ꝙ quum ipsi hæredes essent terrę promissionis, tanquam peregrini habitabant in illa. Et Isaac quidē abiectus ab Ismael, Iaacob autē fugat⁹ ab Esau. Neq; tamē ita desperarūt, quin daretur illis terra illa. *Expectabat enim.* Et quomodo, inquit, non reddebantur hi fide imbecilliores, quum promissam terrā tanquam alienā inhabitarent? Quia nullam terrę curam habebant, sed quanquam terram promissionis suscepissent, maiora quærebāt, & cælestē ciuitatē expectabāt. Nam si cor terrę affixū habuissent, vtique commoti fuissent, ꝙ eam non acciperent. Sic & nos, inquit, superna quęrere oportet, & præsentiū rationē non ha- B C

D & Isaac, & Iaacob, equalis ponderis ac roboris eos cum tota reliqua creatura efficiens. Id autem loco maximè dignitatis est, q velit deus appellari deus ipsorum. Siquidem ac si glorietur deus in Patriarchis, ita vocatur de⁹ Abraham, & Isaac & Iaacob. *Parauit enim illis ciuitatem.* Nō pudefit deus propter ipsos, quòd vocetur eorum deus: & adeò non pudefit, inquit, vt etiam voluntatem eorum impleuerit. Ciuitatem cupiebant in cælo, & parauit eis in ipso ciuitatem.

Gene. 22. Per fidem obtulit Abraham Isaac quum tētaretur, & vnigenitum obtulit in quo promissiones acceperat, ad quē dictū fuerat, In Isaac vocabitur tibi
E semē, quū illud secum perpendisset, deū vel à mor-
48 tuis excitare posse, vnde ipsum etiā per parabolam
49 recepit. Per fidē de futuris Isaac benedixit Iaacob
& Esau. Per fidē Iaacob moriens singulis filiis Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ illius.
50. Per fidem Ioseph moriens de egressione filiorum
Israel meminit, & de ossibus suis mandauit,

*Per fidem obtulit Abraham Isaac.* Quam fidem? Quòd etiā à mortuis deus excitare posset. *Quum tentaretur.* Tentabat autem: non quòd opus esset ipsi discere quę in Abraham Psal. 7. essent: quomodo enim hoc esset, quum singillatim ipse scru F tetur corda nostra? Sed vt illud nobis faceret manifestum. *Et unigenitum.* Ne quis enim dicat, quòd alium adhuc habebat filium, & sperans quòd per illum promissio sortiretur effectum, promptè Isaac obtulit. Nō, inquit: vnigenitus erat: vnigenitus autem quoad promissionis sermonem, quādoquidem habebat etiam Ismael. *Ad quem dictum fuerat.* Itaque quantum ad id quod apparet, inquit, etiam contraria iubere videbatur deus his quæ promiserat: nec tamen propterea Abraham perdidit fidē. Quomodo nāque in Isaac vocandum erat ipsi semen, quum iuberetur immolare Isaac? Sed tamen ne ita quidem hæsitauit. *Quum illud secum perpendisset, deum uel à mortuis excitare posse.* Vides quòd per fidem omnia faceret Abraham? Credebat enim, quòd ipsum quoque ingulatum posset deus suscitare. *Vnde ipsum etiam*

*per parabolam recepit.* Et ipsum Abrahã & ipsum Isaac. Nam hoc in vtroq; locum habet. Et vide quòd ait, Per parabolã. Abraham typus erat dei & patris, Isaac verò filij dei. Siquidem quia magnum quiddam erat nobis deus præstiturus, nempe immolationem filij sui, quum esset vehementer humanus, ne sola gratia nos saluare videretur, fecit esse debitũ vt traderetur Christus: debitum autem hoc modo. Quemadmodum, inquit, Abraham sustinuit, vt vnigenitum suum in mortem traderet propter me, ita & ego debeo vnigenitum tradere in mortem pro hominibus. Possumus tamen quod ait Per parabolam, hoc etiam modo intelligere, aptantes illud ad personam Isaac: Recepit Isaac, & fecit eum esse parabolam, typum & exemplum Christi, vt quemadmodum Isaac iugulatus est, quantum est ex prompta Abrahæ voluntate ita & Christus trucidetur, sed hoc secundum veritatem ipsam. Aut hoc quoque modo intellige, Per parabolam. Recepit, inquit, Isaac per parabolam, hoc est, loco eius quod collatum est, & pro eo ostensum. Ostendit enim arietem, & eo pro filio dato recepit Isaac. Porrò prima interpretatio meo iudicio multò melior est. ALIO modo. Quòd ait Vnde ipsum etiam per parabolã recepit: potest hoc etiam modo intelligi. Vnde etiam Abraham recepit Isaac per parabolam, siue cum parabola. Quoniam enim exuberantem quandam præstitit obedientiam & fidem, quæ ipsius quoque naturæ ius vinceret, recipit rursus filium: nõ sicut obtulit, sed cum magno augmento, ac suæ fidei dignitate. Recepit enim ipsum ferẽtem parabolam, & similitudinem ad dei filiũ ac deum. Nam talia fides præstare potest. Quòd si accipias per parabolam, vt sit cõmune ad Abraham, & ad Isaac: quòd ille quidẽ in typum patris & in parabolã ac similitudinem per accessionẽ filij appellatus est, Isaac verò in typum filij: etiam hoc modo prædicta interpretatio cõmodè suum habet intellectum. Tantũ, inquit, lucrum conciliauit Abrahæ fides sua, q̃ oblatum filium cum magno fœnore recepit. Quodnam fuit illud fœnus? Vt ipsum cum parabola ac similitudine ad patrẽ & filium referret, hoc est, recepit filiũ cum tanto lucro, vt vterq; fieret typus eius prouectus quem bene placuit patri ꝑfici in filio. Aut per parabolã recepit deus Isaac, hoc est propter fidẽ & prõptum Abrahæ animũ, tãetsi

A B Pho. G Eiusdem.

D bere, *Habētem fundamēta ciuitatem.* Aut propter ipsius stabilitatem, ac firmitatem dicit eam habere fundamenta: aut ꝙ illa sola habeat fundamenta, nam terrenæ ciuitates ad illius comparationē ea non habēt. *Cuius opifex & cōditor est deus.* Maximum est hoc cælestis ciuitatis encomium. *Per fidem & ipsa Sara.* Exhortatiuum est quòd ait, Et ipsa Sara, tanquam diceret: Si mulier credidit, pudendum foret si etiam muliere inueniremur magis pusillanimes. Verùm quomodo credidit? Atqui risit: verùm postmodum obiurgata, timore correpta est, quod fidei erat. *Ad concipiendum ac retinendum semen* εἰς ὑποδοχὴν σπέρματος: hoc est, confirmata fuit vt susciperet generatiuum semen. *Et præter ætatis rationem peperit.* Quòd ait, Et tantùm sibi vult hoc loco. Non solùm, inquit, sterilis erat, verumetiam præter ætatis rationē fuit:
E hoc est, in ipsa extrema senectute, ꝙ confirmata sit ad seminis susceptionem. *Quòd fidelem iudicaret.* Fidelem, id est veracem. Vbi autem promisit? Secundum hoc tempus, inquit,
Gene.18. veniā, & erit Saræ filius. *Quapropter & ex uno.* Propterea ab vno semine, eóque propter ætatem elanguido, nati sunt omnes qui sunt de semine Abraham, numero æquātes astra cæli, & arenam maris.

Iuxta fidē mortui sunt hi omnes, nō acceptis repromissionib⁹, sed ipsis procul visis & creditis quū amplexi fuissent & cōfessi se hospites atq; aduenas esse in terra. Nā hæc qui dicūt, declarant se patriam
F inquirere. Et si illius quidē memores fuissent vnde fuerāt profecti, habebāt vtique opportunitatē reuertendi. Nūnc autē meliorē expetunt, hoc est cælestem. Quapropter non erubescit ipse deus vocari deus illorum. Parauit enim illis ciuitatem.

Duo hoc loco quærūtur: quomodo, quum superius dixerit ꝙ transtulit Enoch deus ne videret mortē, dicat nūc, Iuxta fidem mortui sunt hi omnes. Rursumq; dicit, Non acceptis promissionibus: atqui dixit in superiorib⁹, quòd acceperint præmium fidei. Siquidem Noe seruatus est cum domo sua, & Enoch translatus est & nō vidit mortē, & Abel adhuc

loquitur per gloriã, ac celebrem famã, & Abraham suscepit A promissam terrã, & filiũ progenuit ex Sara. Solutio: Quod ait, Mortui sunt hi omnes, accipe excepto Enoch. Porrò ꝙ dicit, Non acceptis promissionibus, de omnibus loquitur, ostendẽs quòd Abrahæ, Isaac & Iaacob nõ sola terra promissa erat, sed ob ipsorũ virtutẽ etiam cælestia. Hoc autẽ & de cæteris intellige. Neq; enim deus magnificus per hoc satisfecit Abel, inquit, quòd gloriosum reddiderit: aut Enoch, quòd trãstulerit: aut, Noe quòd subitã mortẽ effugerit, aut Abrahæ, quòd prolem ei dederit, aut quòd ille terram in peregrinationẽ acceperit. Sed hęc sanẽ in modũ auctarij ipsis data sunt: & erant veluti gustus quidẽ verè promissorum. Significat enim ꝙ de regno cælorũ prius edocti sint, quũ ait Pho. Ipsis procul visis ac salutatis. *Sed ipsis procul visis.* Adeò, B inquit, ipsis per spem eminus visis credebant, vt etiam propter eas gauderent, & propemodum amplexantes, auellebãtur. Quòd ait Procul visis, asserũt quidã dictum esse, ꝙ prævidèrent Abraham, & cæteri reuersionem seminis ipsorum ex Aegypto: verùm id absurdum est. Dicimus autem ꝙ de regno cælorum ipsis annuntiatum erat, & quæcunque postmodum Christus prædicauit. Nam si hæc non audiuissent, quam ob caussam seipsos aduenas & peregrinos vocassent? neque enim patriam terrenam appetentes hæc dicebant: quũ etiam in suam reuerti ipsis liceret, sed cælũ quęrebant. Pręterea quoq; si hæc nõ placent, inueniuntur & Abel & Enoch ac Noe à deo non accepisse promissiones. Nihil enim terrenum ipsis promiserat. Siquidem nunquam dixerat in promissione Noe ꝙ seruaretur. *Quum amplexi fuissent.* Hoc C est, credidissent ac persuasi essent. *Aduenas esse in terra.* Nõ quæ promissa erat, nam hoc nihil magnum fuisset, sed in toto mundo. *Declarant.* Manifestant. *Se patriam inquirere.* Quæ in cælis est videlicet. *Et si illius quidem.* Nã quòd cælestem quærerent, hinc manifestum est. Si enim propriam quęsiuissent, ex qua eiecerat eos deus, poterant reuerti: habebant nãque ad hoc opportunitatem, vt ad suam reuerterentur. Nunc autem quum patriam inquirãt, nec ad eam reuersi sint ex qua exierant, manifestum est quòd meliorem ac cælestem concupiscant. *Quapropter non erubescit.* Quemadmodum enim vocatur deus mundi, ita & deus Abraham,

D & Isaac,& Iaacob,equalis ponderis ac roboris eos cum tota reliqua creatura efficiens. Id autem loco maximè dignitatis est, quod velit deus appellari deus ipsorum. Siquidem ac si glorietur deus in Patriarchis, ita vocatur de⁹ Abraham,& Isaac & Iaacob. *Parauit enim illis ciuitatem.* Nō pudefit deus propter ipsos, quòd vocetur eorum deus: & adeò non pudefit, inquit, vt etiam voluntatem eorum impleuerit. Ciuitatem cupiebant in cælo,& parauit eis in ipso ciuitatem.

Gene. 22. Per fidem obtulit Abraham Isaac quum tētaretur,& vnigenitum obtulit in quo promißiones acceperat, ad quē dictū fuerat, In Isaac vocabitur tibi
E semē, quū illud secum perpendisset, deū vel à mor-
48 tuis excitare posse, vnde ipsum etiā per parabolam
49 recepit. Per fidē de futuris Isaac benedixit Iaacob
& Esau. Per fidē Iaacob moriens singulis filiis Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ illius.
50. Per fidem Ioseph moriens de egreßione filiorum
Israel meminit, & de oßibus suis mandauit,

*Per fidem obtulit Abraham Isaac.* Quam fidem? Quòd etiā à mortuis deus excitare posset. *Quum tentaretur.* Tentabat autem: non quòd opus esset ipsi discere quę in Abraham Psal.7. essent: quomodo enim hoc esset, quum singillatim ipse scrutetur corda nostra? Sed vt illud nobis faceret manifestum. F *Et unigenitum.* Ne quis enim dicat, quòd alium adhuc habebat filium,& sperans quòd per illum promißio sortiretur effectum, promptè Isaac obtulit. Nō, inquit: vnigenitus erat: vnigenitus autem quoad promißionis sermonem, quādoquidem habebat etiam Ismael. *Ad quem dictum fuerat.* Itaque quantum ad id quod apparet, inquit, etiam contraria iubere videbatur deus his quæ promiserat: nec tamen propterea Abraham perdidit fidē. Quomodo nāque in Isaac vocandum erat ipsi semen, quum iuberetur immolare Isaac? Sed tamen ne ita quidem hæsitauit. *Quum illud secum perpendisset, deum uel à mortuis excitare posse.* Vides quòd per fidem omnia faceret Abraham? Credebat enim, quòd ipsum quoque iugulatum posset deus suscitare. *Vnde ipsum etiam*

*per parabolam recepit.* Et ipſum Abrahã & ipſum Iſaac. Nam hoc in vtroq; locum habet. Et vide quòd ait, Per parabolã. Abraham typus erat dei & patris, Iſaac verò filij dei. Siquidem quia magnum quiddam erat nobis deus præſtiturus, nempe immolationem filij ſui, quum eſſet vehementer humanus, ne ſola gratia nos ſaluare videretur, fecit eſſe debitũ vt traderetur Chriſtus: debitum autem hoc modo. Quemadmodum, inquit, Abraham ſuſtinuit, vt vnigenitum ſuum in mortem traderet propter me, ita & ego debeo vnigenitum tradere in mortem pro hominibus. Poſſumus tamen quod ait Per parabolam, hoc etiam modo intelligere, aptantes illud ad perſonam Iſaac: Recepit Iſaac, & fecit eum eſſe parabolam, typum & exemplum Chriſti, vt quemadmodum Iſaac iugulatus eſt, quantum eſt ex prompta Abrahæ voluntate ita & Chriſtus trucidetur, ſed hoc ſecundum veritatem ipſam. Aut hoc quoque modo intellige, Per parabolam. Recepit, inquit, Iſaac per parabolam, hoc eſt, loco eius quod collatum eſt, & pro eo oſtenſum. Oſtendit enim arietem, & eo pro filio dato recepit Iſaac. Porrò prima interpretatio meo iudicio multò melior eſt. ALIO modo. Quòd ait Vnde ipſum etiam per parabolã recepit: poteſt hoc etiam modo intelligi. Vnde etiam Abraham recepit Iſaac per parabolam, ſiue cum parabola. Quoniam enim exuberantem quandam præſtitit obedientiam & fidem, quæ ipſius quoque naturæ ius vinceret, recipit rurſus filium: nõ ſicut obtulit, ſed cum magno augmento, ac ſuæ fidei dignitate. Recepit enim ipſum ferẽtem parabolam, & ſimilitudinem ad dei filiũ ac deum. Nam talia fides præſtare poteſt. Quòd ſi accipias per parabolam, vt ſit cõmune ad Abraham, & ad Iſaac: quòd ille quidẽ in typum patris & in parabolã ac ſimilitudinem per acceſsionẽ filij appellatus eſt, Iſaac verò in typum filij: etiam hoc modo prædicta interpretatio cõmodè ſuum habet intellectum. Tantũ, inquit, lucrum conciliauit Abrahæ fides ſua, ꝙ oblatum filium cum magno fœnore recepit. Quodnam fuit illud fœnus? Vt ipſum cum parabola ac ſimilitudine ad patrẽ & filium referret, hoc eſt, recepit filiũ cum tanto lucro, vt vterq; fieret typus eius prouectus quem bene placuit patri ꝑfici in filio. Aut per parabolã recepit deus Iſaac, hoc eſt propter fidẽ & prõptum Abrahæ animũ, tãetſi

A B Pho. C Eiuſdem.

D aries oblatus fuisset: qui etiam tūc non ab Abrahā, sed ab ipso deo receptus erat, qui illū quoq; eò deduxerat: ita tamen suscepit deus sacrificiū, tanq̃ recipiēdo ipsum Isaac per parabolā & auctariū arietis. Ideo dicit, Vnde ipsum, nēpe Isaac, recepit per parabolā & accessum arietis, hoc est tanq̃ perfectum esset propositū, ac prōptus fidei animus, ita suscepit sacrificium Abrahæ deus. *Per fidem de futuris* Quomodo filiis suis tanta bona promisisset, nisi credidisset ꝙ deus promissa præstaret? Quid est autē de futuris? Aut de his quę erāt ipsis euentura, aut de his quæ semini eorum dāda erant: siquidem neq; ipsi promisso fruebātur. Primū autem nominat Iaacob propter virtutē ac proprietatem. *Per fidem Iaacob moriens.* Non solum, inquit, hoc loco dixit, verūetiam de futuris adeò confidebat, vt etiā opere illud demonstraret. Quoniam enim futurum erat vt ab Ephraim exurgeret alius rex, propterea dixit, Et adorabit fastigium virgę eius: hoc est, quum iam senex esset, adorabat Ioseph: designās totius populi adorationem, siue obsequium quod ipsi tribuendū erat. Atqui nouerat hoc ipsum sortitum esse effectum, dum fratres eum adorarent, tamen postmodū futurum erat, vt etiam accideret per decem tribus. *Et adorauit fastigium virgæ.* Regnum nanque Ephraim significauit, & decem tribuum subiectionem propterea enim ipse præfigurat illorum adorationem. Nam adeò, inquit, credidit futuris, vt etiā adoraret virgam siue sceptrum, indicans se futura prospicere. Quum duo essent filij Ioseph, nempe Ephraim & Manasse, ex semine E-

Pho.

E

F phraim reges erant orituri. Præsignans igitur regnum semini suo, adorauit fastigiū virgæ siue regni † Manasse. Siquidem hoc modo scriptum est in libro Geneseos: Superuixit autem Iaacob in terra Aegypti decem & septē annis. fuerūt autem dies annorū vitæ Iaacob cētum quadraginta septem, & appropinquauerūt dies Israel vt moreretur: vocauítq; filium suum Ioseph: ac dixit illi, Si inueni gratiam coram te, pone manū tuam ad fœmur meum, & facies mecum misericordiam ac veritatē, vt nō sepelias me in Aegypto, sed deferas cum patribus meis, tollásq; me ex Aegypto, ac sepelias me in sepulchro ipsorū. At ille dixit Ego faciā iuxta verbū tuum. Ait autē, Iura mihi. Et iurauit ei: adorauítq; Israel fastigium virgæ illius. *Per fidem Ioseph moriens.* Intātum, in-

† *aliàs, Ephraim.*

Gene. 47.

quit, credidit quod Israel egressurus esset Aegyptum, vt etiam de transferendis ossibus suis fratres adiuuaret. Quãobrem? Vt semper memores adiurationis Ioseph, scirent etiam quæ de egressu erant. Quis enim adiurasset de transferendis suis ossibus, nisi vehementer confideret quòd essent egressuri? A

Per fidem, quum natus esset Moses, occultatus est menses tres à parẽtibus suis, propterea quòd viderent elegãtem puellum, nec veriti sunt edictum regis. Per fidem Moses iam grandis, renuit vocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul ærumnas pati cum populo dei, quàm tẽporariis peccati cõmodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorũ thesauros. Respectum enim habebat remunerationis. Exod. 2. B

Vbi viros probos ac virtuti deditos recensuisset, qui omnia per fidem effecerant, dicit etiam de Mosi parẽtibus obscuris quibusdã hominibus, exhortãs eos, ac propemodum dicens, Illi adeò obscuri fidem habuerũt, vos autem fluctuatis? Quare autem occultarunt eum mẽses tres, idque quum regium esset edictũ vt masculi protinus interimerẽtur? Manifestum est quòd crediderunt ipsum seruandum esse. Vnde autem hæc ipsorum fides? Ex eo quòd elegans puellus esset. Nequaquam enim absque diuina gratia, inquit, statim à cunis ita factum fuisset. *Per fidem Moses iam grandis.* Hæc enim faciebat confidens potiora se percepturum bona quàm essent præsentia. Quòd autem ait Renuit, manifestat quòd studio seipsum alienauerit. *Quàm temporariis peccati cõmodis frui.* Peccatum vocauit non collaborare aut simul ærũnas pati cum populo dei: non est ergo fruitus huius peccati commodis: Cuius? Vt non vnà cum populo dei ærumnis afficeretur. *Maiores arbitratus diuitias.* Non dixit, Maiores duxit diuitias quàm thesauros Aegyptiorũ bona quæ in cęlis reposita sunt: sed magis demõstrans ipsius virtutem, ait, Probrum Christi, hoc est, probro affici sicut Christus. Quis autem te constituit principem, inquiunt, super nos? Nam & hoc Christus audiuit, Per quam potestatem hæc facis? Aut probro affici propter Christum. Nam petra erat Christus: C Exod. 2. Matt. 21. 1. Cor. 10.

D hic autem pro petra illa, & quòd dederit ex ea aquam, multa passus est à Iudæis conuitia. *Probrum Christi.* Quidnam est probrum Christi? hoc est talia sustinere obprobria, ostendens obprobrium quod passus est Christus, aut quod propter Christum sustinuit. Nam petra erat Christus. Consentaneum est etiam illũ probro fuisse affectum, quum audiuit, Num occidere me tu vis quemadmodum heri occidisti Aegyptium? Hoc est Christi obprobrium, malis ac iniuriis affici vsque ad finem extremúmque spiritum: quemadmodum ille conuitia sustinuit, & audiuit, Si filius dei es descẽde de cruce: vterque enim probris & conuitiis petebatur à suis contribulibus loco beneficiorum quibus eòs affecerat. Respectum enim habebat. Vides fidem?

Exod. 17. Pho.

E

Exod. 2. Per fidẽ reliquit Aegyptũ haud veritus ferocitatem regis. Perinde enim quasi vidisset eum qui est inuisibilis ita tolerauit. Per fidẽ fecit pascha & effusionẽ sanguinis, ne is qui perimebat primogenita, tangeret ipsos. Per fidẽ trãsierunt mare rubrũ veluti per siccã terram, ꝙ quum tẽtassent Aegyptii absorpti sunt. Per fidẽ mœnia Iericho conciderũt circũdata ad dies septem. Per fidem Rahab meretrix non periit vnà cum his qui non obedierant, quum excepisset hospitio exploratores pacificè.

Exod. 12. Exod. 14. Iosue 5.6.

F

*Per fidem reliquit Aegyptum.* Per fidem egressus est, ne deum tentaret num ipsum seruaturus esset: idipsum autem non tentare, fidei erat. Aut quum credidisset se venturum & educturum populum. *Haud ueritus ferociam regis.* Atqui in Exodo habetur quòd timuerit: sed nihil ex hoc habetur contrarium. Neque enim adeò timuit quin rursum rediret: timentis enim fuisset nõ amplius reuerti in Aegyptum. Quòd ergo ait, Non veritus ferociam regis, intellige ad secundò redeundum. Primò autem timuit non regem, sed nolens se in manifestum coniicere periculum: Nam hoc fuisset tentantis deum. Aut quòd non timuerit ne adeò increresceret eius ferocia, vt eum inquireret fugientem. Vnde non longè sed ad vicina loca aufugit: hoc autem fidei erat.

Oecum.

*Perinde enim quasi uidisset eum qui est inuisibilis, ita tolerauit.* A
Perinde quasi oculis carneis deum vidisset qui est inuisibilis. Vidit autem eum oculis mentis, & omnia viriliter tolerauit, nempe ærumnas vnà cum populo dei, fugam, cæteráque omnia. Magnæ etenim patientiæ causa est habere in mente deũ. *Per fidem fecit pascha.* Dixit enim Moses, Linite postes vt seruemini, & crediderũt ꝙ seruãdi essent. Illi quidem crediderunt se per sanguinem agni seruandos, inquit, idque consequuti sunt, Vos ergo quo modo non magis credetis per sanguinem Christi vos esse seruandos, & seruabimini ab omnibus qui vobis insidiantur? *Et effusionem sanguinis.* Effusionem sanguinis vocauit vnctionem liminum ostiorum, ne tãgeret ipsos exterminator angelus. Id autem typus erat sanguinis agni dei: Nam per ipsius sanguinẽ abigimus exterminatorem Satanam. *per fidem trãsierunt mare rubrum.* Siquidem crediderunt se transituros ac transierunt. Tantùm valet fides, vt quæ etiam impossibilia sunt, faciat possibilia, *Quòd quum tentassent Aegyptij.* Fortassis enim suspicabãtur mare esse terram, & tentauerũt ipsi quoque pertransire, sed interitus ipsorum ostendit ꝙ verè esset mare, & non phantasia quædam. Diffusum nanque præter suam naturam pro Israel, id prẽstabat vt pedibus incederẽt: Aegyptios verò conclusit iuxta suam naturam. Scopus autẽ ipsi erat, vt ipsos induceret ad credendum, sperandúmque futura. Atque ob id omnem hunc nouit sermonem. *Per fidem mœnia Iericho.* Crediderunt enim futurum vt conciderent, & certè fides effecit etiam ea quæ supra naturam erãt. *Per fidem Rahab meretrix.* Siquidem quum audisset referentes viros, credidit ac suscepit eos, tametsi reliqui manerent increduli. C

Et quid præterea loquor? Deficiet enim me tempus cõmemorãtem de Gedeone, de Barac & Samsone & Iephte, necnõ Dauid & Samuele ac ꝓphetis, qui per fidem expugnauerũt regna, operati sunt iustitiam, assequuti sunt promissiones: occluserunt ora leonum, extinxerunt vim ignis, effugerũt acies gladii, validi facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt *Toto libr. Iudi. & 1. ac 2. Reg.*

D robusti in bello, incursiones auerterũt exterorum. Mulieres acceperũt ex resurrectione mortuos suos. Alii verò cæsi sunt, aspernati redemptionem, vt potiorem sortirentur resurrectionem. Alii rursus ludibriis & flagris explorati sunt, insuper & vinculis & carcere: lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladii occubuerunt: oberrauerunt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes & montibus ac speluncis & cauernis terræ. Atque omnes hi testimonium promeriti per fidem, non accepe-
E runt promissionem, ꝙ deus de nobis melius quiddam prouidit, ne sine nobis consummarentur.

Quum sermonem in meretrice terminasset, ipsosq; exhortatus esset à personæ qualitate, posthac compẽdij gratia, non omnium quidem nomina enumerat: nec tamen remittit sermonem. *Deficiet enim me tempus.* Tempus dicit epistolæ cõueniẽs & veluti proportionatum. *De Gedeone.* Qualis fuerit Gedeon. *Nec non Dauid.* Qualis fuerit Dauid, eo ꝙ cõstituerit in throno suo, iuxta literalem quidem sensum Solomonem carnalem, iuxta spiritualem verò intellectum Solomonem spiritualem dominum Iesum. *Qui per fidem.* Omnes hi per fidem fecerũt ea quæ fecerunt Abraham, Mo-
F ses, Iesus. *Expugnauerunt.* Deuicerunt, perdiderũt. Quosnam? Abraham deuicit reges qui Lot nepotem suum capti-
Ge.14.20 uum abduxerant, & regem Geraræ. Moses regem Aegypti,
Gene.15. aliósque multos Iesus plures. *Operati sunt iustitiam.* Abra-
Num.25. ham, Phinees ✝ Hoc loco de Dauid, opinor, dicit. Iustitiam
✝ *Vereor ne mendosum sit exẽplar.* autem appellauit humanitatem. *Assequuti sunt promissiones:* Patriarchæ videlicet, Elias, Dauid, Iesus, Caleb, aliique plures. *Occluserunt ora leonum:* Daniel, Samson. *Extinxerunt vim ignis.* Tres pueri, Ananias, Azarias, Misael. *Effugerunt*
Danie.14 *acies gladij.* Quemadmodum Elias. *Validi facti sunt ex imbe-*
Iudic.14. *cillitate.* Et de iis loquitur qui redierant ex captiuitate Ba-
Daniel.3. bylonica, & de Ezechia. *Effecti sunt robusti.* Abraham, Mo-
3. Reg.19 ses, Iesus, Samson & Dauid. Aut ꝙ non solùm ex captiuita-

te per fidem reuersi sunt, sed & vicinas nationes deuicerũt. A
*Mulieres acceperunt.* Sunamitis per Elizeum, & antea Sare- 4.Reg.4
phthana per Eliam. *Alij verò cæsi sunt.* Aut capite cæsi sunt, & 3.Re.
vt Iacobus & Iohannes & quotquot decollati sunt: aut fusti 17.
bus interierunt: Alij verò τυμπανίζεσθαι dicunt excoriare.
Dictum est autem de Machabæis. *Aspernati redemptionem.* 2.Mac.7.
hoc est, contemnentes redimi ab inducto ipsis supplicio. Li
berum, inquit, fuisset ei viuere, verùm ipsi noluerunt: hoc
autem fidei erat. Vnde ait, *Vt potiorem sortirentur resurre-
ctionem,* quàm cæteri homines. Siquidem resurrectio om-
nibus communis est, sed hi resurgent ad vitam æternam, illi
verò ad supplicium æternum. *Alij rursus ludibriis.* Quem- 4. Reg.2
admodum Elisæus, & postmodum Petrus ac Iohannes cum Ier.32.38
cæteris. *Insuper & vinculis & carcere.* Ieremias & Michæas. B
*Lapidati sunt.* De Stephano dicit & Naboth. *Dissecti sunt.* 3.Reg.22
De Iesaia dicit, quem (vt aiunt) lignea serra secuerũt, vt lõ- Act.7. &
go tempore duraret supplicium. *Tentati sunt.* vt Iob. *Oc-* 3.Reg.21.
*cisione gladii occubuerunt.* Michæas, Iohannes, Iacobus & Za Iob.1.2.
charias. *Circuierunt in ouillis.* Sicut Elias & Elisæus. Hoc
autem ob inopiam illis contigit. *Destituti.* Veluti prophe- 2.Par.24
tæ quos pauit Abdias. *Afflicti:* Malis affecti. *Quibus indi-*
*gnus erat mũdus.* Hoc autem etiam animat illos. Nam si hic, 3. Reg.18
inquit, mundus, imò tota creatura indigna erat his qui pro-
pter deum malis afficiebãtur, quare vos in hoc mundo mer
cedem vultis referre eorum quæ propter Christum tolera-
tis? Quum enim meliores mundo sitis, ne quæratis quicquã
in hoc mundo. *In desertis errantes.* Vt Elias & prophetæ C
quos allebat Abdias. Vide autem ꝙ non ait, Occupato de- 3. Reg.18
serto quietem assequuti sunt, sed ibi quoque errabãt timo- & 19.
re persequutorum. *Atque hi omnes.* Quid, inquit, mœre-
tis & indignamini, qui adhuc in certamine estis, si præmia
non recipiatis? Atqui omnes prędicti sancti testimoniũ pro-
meriti ꝙ per fidem accedentem deo placuerint, nondum cõ
sequuti sunt bona iustis promissa. *Quòd deus de nobis quid-
dam melius prouidit.* Quomodo melius quiddam? Siquidem
ne illi aliquid amplius quàm nos haberent in eo ꝙ priores
coronati essent, vnum definiuit tempus, vt & nos cum ipsis
coronemur: hoc autem pro nobis est: illi nanque sedent ir-
remunerati, nostram expectantes administrationem. *Ne si-*

D *ne nobis consummarẽtur*. Non dixit, Coronarẽtur., sed ꝙ maiorem habet emphasim Consummarentur siue perficerẽtur, hoc est, acciperent terminum bonorum pro quo laborat omnis conatus & fatigatio eius qui virtute præditus est.

CAPVT XVII.

*De patientia & imitatione Christi.*

Cap.12. PRoinde nos quoque quũ tanta septi simus nube testium, deposito omni onere, & tenaciter adherente peccato, per tolerantiã curramus in proposito nobis certamine respiciẽtes ad fidei ducem & cõsummatorem Iesum, qui pro gaudio sibi pro-
E posito pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni dei consedit.

Non dixit imminere nobis aut supra nos attolli, sed, quod maius est, sepire nos. *Nube testium.* Siquidem memoria testium siue martyrum excitat ipsos ad similem zelum ad certamina. Nubem autẽ ipsos appellauit, aut à metaphora eorum qui exuruntur ab æstu, & in roridam nubem ingressi consolationem accipiunt. Memoria nanque Martyrum consolatur eos qui ab æstu tentationum dissoluti sunt: aut quia spiritualem nobis rorem distribuunt, deum pro nobis obsecrantes. *Deposito omni onere.* Deposita grauitate rerum secularium, omníque simul negligentia & segnitie. *Et tenaci-*
F *ter adhærẽte peccato.* Aut quia facilè adhæret nobis, aut quia facilè potest casum & deiectionem suscipere. Ideo dicitur εὐπερίστατος ἁμαρτία. *Per tolerantiam curramus.* Neque enim alio modo abiicit quispiam pondus rerũ secularium, quàm per tolerantiam. Porrò tolerantiæ meminit tanquam rei ipsius aptissimę. Considera verò ꝙ non dixerit, Pugnis decertemus aut Bellemus, sed quod leuius erat, Curramus in certamine. Præsens nanque vita certamen est: certamen, inquã, aduersus peccata & concupiscentias, aut eos qui spiritualiter nobis aduersantur. In hoc igitur certamine curramus ac viriliter agamus. *Respicientes ad fidei ducẽ.* Deinde ad caput ipsum venit exhortationis & consolationis, nẽpe Christum, & ait, Si volumus & tolerantiam habere & rectè currere, ad Christum respiciamus, discamúsq; & rectè currere & susti-

nere, vocátque ipsum ducem ac consummatorem, hoc osten dens q & credendi nobis caussa fuerit, & terminum impositurus sit fidei, vt ipsam firmam habeamus & inconcussam. *Qui pro gaudio sibi proposito.* Ipsi, inquit, licuisset cum gaudio & gloria degere in hoc mundo: ait enim, Potestatem ha beo ponendi animam meam, & recipiendi ipsam: sed non voluit, imò voluntariè crucem sustinuit. *Ignominia contempta.* Erat nanque probrosa ac execranda mors per crucem illata. Si igitur in hūc inspexerimus, & nos quoq; tolerabimus, quēadmodum & ipse tolerauit. Aut quòd dicitur, Pro gaudio sibi proposito, ita accipe, sicut & Gregorius ait. Cui quū liberū, inquit, fuisset manere in propria gloria & diuinitate, non solùm exinaniuit semetipsum vsque ad formam serui, sed & crucem sustinuit ignominia contempta. *Et ad dexteram throni.* Idoneus igitur est qui vos etiam remuneret pro afflictionibus quas propter eum patimini. Neque enim solùm crucifixus est, verumetiam in dextera dei sedet. Dextera autem & cathedra demonstrat honoris æqualitatem.

A — Iohan. 10 — Oecum. — B

Recogitate enim eū qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cōtradictionē, ne defatigemini animis vestris dissoluti. Nondū vsq; ad sanguinē restitistis, aduersus peccatū repugnātes, & obliti estis exhortationis quæ vobis tanquam filiis loquitur. Fili mi, ne neglexeris correptionē domini, neq; deficias quum ab eo argueris. Quem enim diligit deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Si castigationem sustinetis, veluti filiis offert se vobis deus. Quis enim est filius quem non castigat pater? Quòd si alieni estis à castigatione cuius particeps sunt omnes, igitur spurii estis non filii. Itaque quum carnis nostræ patres habuerim' castigatores, & reueriti simus illos, an nō multò magis subiiciemur patri spirituum, & viuemus?

C — Prouer. 3.

*Recogitate enim.* Nam si is qui cōsyderat cōseruorum afflictiones, consolationem habet in suis afflictionibus, quantò



D magis qui domini afflictiones animo perpendit. *A peccatoribus.* Maius enim est, quòd etiam à peccatoribus hæc sustinuerit. Contradictiones autem vocat irrisionem, verbera, subsannationes, & quæcunque contradicebant dogmatis ac doctrinis ipsius, similiter & clamores quibus sub Pilato vociferabantur. *Ne defatigemini animis uestris.* Nam si hæc, inquit, animo perpenderitis, obdurabimini ad afflictiones, scientes vos factos esse dei imitatores. *Nondum usque ad sanguinem.* In superioribus testificatus est eis ꝙ plurimùm certauerint, vbi ait: Ingens certamen sustinuistis afflictionum: ne igitur ex hoc extollerentur, dicit nunc, Nondum perfectè decertastis, opus est vobis & alio quodam : quod & hoc est genus exhortationis. Ait enim, Vsq; ad persequutiones, vsque ad facultatum direptionem peruenistis, non vsque ad mortem: at Iesus Christus ad mortem vsque deuenit. *Aduersus peccatum repugnantes.* Ostendit & peccatum vehemēter spirare, & ipsos ediuerso certare. Ait enim, *Restitistis*, tanquam in acie, tanquam in bello, veluti etiam resistente peccato. *Et obliti estis exhortationis.* Adeò, inquit, contristati estis, animóque deiecto, vt etiam obliti sitis sermonum qui ad fortitudinem faciunt. Hoc autem significat eos vehementer segnes effectos: nam qui tales sunt, obliuiscūtur etiam eorum quæ sunt in manibus. *Quæ uobis tāquam filiis loquitur.* Non enim propriis filiis loquebatur Solomon, sed communem doctrinam in medium promebat: propterea ait, Tanquam. *Quum ab eo argueris.* Maxima est

F exhortatio & consolatio, scire ꝙ ex dei permisione ad nostram vtilitatem superueniant afflictiones. Siquidem ad philosophandum inducunt nos afflictiones: ꝙ si ex dei permisione superueniant, ab ipso videntur superuenire & immitti. *Quem enim diligit deus corripit.* Siquidem nullus potest quenquam ostendere iustum absque afflictione: quoniā angusta & arcta est via quę ducit ad vitam. Itaq; & vos quoque ad correctionem vocat deus, non ad supplicium. Eo ipso igitur quo se existimabant à deo derelictos esse, nempe propter afflictiones, per id suadet eis ꝙ deo curæ sint, imò opposito modo: derelicti essetis, inquit, si absque afflictionibus ageretis. *Quem recipit.* Quem ad se suscipit, quē accipit vt suus filius sit. *Veluti filiis offert se uobis deus.* Quoniam

Sup.10.

E

Mat.7.

niam igitur indicium filiorum est corripi, tolerate, inquit, afflictionem. Filij autem dei sunt iusti. *Quòd si alieni estis à castigatione*. Vbi à rebus ipsis suasisset, nempe tot sanctis in medium adductis qui per afflictiones decertauerant, nunc ab humanis rationibus nititur ipsis persuadere. *Igitur spurij estis & non filij*. Si ergo signum spuriorum est non castigari, legitimorum autem filiorum castigari, oportet, inquit, de castigatione gaudere. *Et reueriti sumus illos*. Audiebamus, inquit, ac reuerebamur illos. *Patri spirituum*. Siue spiritualium donorum, siue animarum aut incorporearum virtutum. *Et uiuemus*. Nam hæc est vita, subiici deo. A

Atque illi quidē ad paucos dies pro arbitratu suo nos erudiebāt, hic autē ad cōmodū nostrum, in hoc vt impartiat nobis sanctimoniā suā. Omnis autē castigatio in præsens quidē non videtur esse gaudii, sed mœroris. At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit his qui per illam fuerint exercitati. B

*Atque illi quidem ad paucos dies*. Neque enim possunt nos semper instruere vt perfectos reddant: deus autem qui semper erudit & castigat, perfectos reddit. Patris nanque mors aut filij crementum, sistit castigationem. *Pro arbitratu suo*. Quod autem patri videtur, nō semper filio prodest: siquidē frequenter docent turpes etiam artes. *Hic autem ad commodum nostrum*. Porrò deus semper nostrā venatur vtilitatem. Nō enim vt aliquid à nobis accipiat, quemadmodū patres secundum carnem, nostra dispensat: sed vt det potius, & det non mediocre quippiam, sed sanctimoniam, hoc est puritatē vt quantū possibile est, digni eo efficiamur. *Omnis autē eruditio*. Rursum à communi intelligētia sumit occasiones exhortationis, & ait: Omnis eruditio, nō spiritualis solùm sed & carnalis, non videtur esse gaudij. Rectè autem dicit Videtur: neque enim verè mœror est: quomodo enim propriè mœror esse posset, quū sit mater lętitiæ? sed tāquā ad nos loquens, dixit Videtur, qui eruditionem ac castigationem grauiter ferimus. *At postea*. Post præsentem enim eruditionē, pax erit in futuro, lætitia ac iustitia & quæcūq; sunt huiusmodi. *His qui per illā fuerint exercitati*. Exercet sanè & inū- C

D git castigatio ad virtutẽ. Exercitatos autẽ dicit eos qui per longanimitatem & tolerantiam tulerunt castigationem.

CAPVT XVIII.

*De temperãtia, dum occasio datur correctionis: ne careamus ea in modum Esau, qui postmodum non inuenit pœnitentiæ locum.*

QVapropter manus remissas & genua soluta surrigite, & facite vt recti sint gressus pedibus vestris, ne claudicatio aberret à via, imò sanetur potius. Pacem sectemini cum omnibus & sanctimoniam sine qua nemo videbit deum: curam agentes ne quis sit qui deficiat à gratia dei, ne qua
E radix amarulentiæ suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi: ne quis scortator aut impurus, velut Esau qui vnico edulio permutauit ius primogenituræ. Scitis enim quòd & postea quum vellet hæreditario iuræ benedictionem assequi, reprobatus sit. Non enim inuenit pœnitentiæ locum tametsi cum lachrymis quæsiuisset eam.

*Quapropter manus remissas.* Remissas, dissolutas. A parte dixit totum. Neq; enim solæ manus & genua afflictionibus dissoluebantur, sed vnà cum toto corpore & mens & anima.
Pho. Siquidem id facit tristitia mœrórque vehemens. Non di-
F xit autem de genibus & manib⁹, sed de cogitationibus quæ claudicant & dissoluuntur ad multitudinem afflictionum ac tentationum. *Vt recti sint gressus.* Siue vestigia, cursus: tanquam cum cursoribus ac pugilibus loquitur ipsis. Innuit autem plurimùm necesse esse vt cogitationes cõfirmẽt, (ꝙ nõ ex odio, sed dei gubernatione correptiones & afflictiones proueniant) ac opiniones de fide & dogmatis. Quum enim adhuc infantes essent, quibusdã hærebant rebus Iudaicis in vita & cõuersatione. Ne incœptũ, inquit, malum (nã hoc vocat claudicationẽ) fiat incurabile, sed potius corrigatur. Ecce ꝙ manifestè admiserit pœnitentiã, idq; animaduerte propter Nouatianos. *Pacẽ sectemini cũ omnibus.* Et inter vos mutuò & inter calumniatores. Magna est enim latitudo quũ di-
Psal.119. citur Cũ omnibus. Etenim Cum his, inquit, qui oderant pa-

cem, eram pacificus. Nam si ille quidem afficit iniuria tu verò nõ vlcisceris, citò erit pax. *Et sanctimoniã.* Sanctimoniã dicit puritatem, hoc est virginitatem siue temperãtiam. Nã qui etiam in cõiugio temperans est, sanctimoniam complet, quanquam non propriè. Neq; enim sanctum sed honorabile dictum est esse cõiugium. *Sine qua nemo uidebit deum.* Nam si neque scortatores, neq; adulteri, aut his similes regnũ dei hæreditate posidebunt, quomodo dominũ viderent qui nõ sunt temperantes, vt videre oportet, sine sanctimonia? *Curam agẽtes ne quis sit qui deficiat.* Quemadmodum longa via gradientes in comitatu: consyderãtes, inquit, hoc est diligẽter prospicientes & perscrutantes, ne quis desertus sit à gratia dei. Oportet nanque & pro vobisipsis & pro fratrib' curam habere, ne quis ea careat. Gratiam autem dei vocat futura bona, siue fidem aut commodam cõuersationẽ. Nam hęc omnia sunt gratia dei. *Ne qua radix amarulentiæ.* Radicem amarulentiæ dicit peccatũ: ait ergo, Si etiam fuerit quispiã inter vos nõ rectè affectus, amputetur talis, ne peccatum in opus educat, ( nam hoc est quod ait Suppullulans) ne reliquis quoque fiat occasio peccati. Ait enim: *Et per hãc inquinentur multi.* Siquidem videns quisque proximum peccãtem, ad æmulationem veniet, vt & ipse peccet. Rectè autem vocauit radicem amarulentiæ, peccatum. Amara nanque radix potest fructus proferre dulces, at radix amarulentiæ & sibiipsi amara est & his quibus est radix: amarulentiæ enim radix est substantia ac veluti essentia. *Ne quis scortator.* Nõ dixit Scortator referẽdo ad Esau, sed ponitur ad oppositum eius quod præcesit Sãctimoniam sectemini. Impurus verò ponitur vt ad Esau referatur. Impurũ autẽ dixit gastrimargũ, eo ꝙ vnico edulio distraxerit dei donũ, nẽpe ius primogeniturę. Scriptũ est enim in libro Geneseos. Creuerunt autẽ pueri: & erat Esau homo venãdi peritus in agro degẽs: Iaacob verò homo syncerus domi habitãs. Dilexitq; Isaac Esau eo ꝙ venatione ipsius vesceretur: Rebecca autem diligebat Iaacob. Et coxit Iaacob quoddam eduliũ. Venit autem Esau ex agro viribus destitutus, & ait Esau ad Iaacob: Da mihi vt gustẽ de hoc fuluo edulio, quia viribus destituor. Propterea vocatũ est nomẽ eius Edom. Dixit autẽ Iaacob ad Esau, Vende mihi hodie ius primogenituræ. Dixitq; Esau: Ecce

A | Infrã.13. | Ephe.5. | B | C | Gene.25.

D ego ad mortẽ accedo, & quorſum mihi ius hoc primogenituræ? Et ait illi Iaacob: Iura mihi hodie. Iurauitq; illi. Vendidit itaq; Eſau ius primogenituræ ſuæ Iaacob. Ex eo itaq; tẽpore noſtrũ eſt ius primogenituræ, & nõ Iudæorũ. Nã ex Iſaac & Iaacob deducimur. *Reprobatus ſit.* A deo reprobatus ſit. Nã de⁹ cauſſa fuit, ꝙ falſus Iſaac benedixerit Iaacob. *Tametſi cũ lachrymis.* Quidã ita interpretantur: Quãquã cũ lachrymis quæſiuiſſet ipſam, nẽpe benedictionẽ: & quòd dicitur, Pœnitentiæ locũ nõ inuenit, per interpoſitionẽ poni. *Quæſiuiſſet eam.* Nũ igitur pœnitentiã reiicit? Minimè. Quo modo ergo ſi cum lachrymis pœnitentiam quęſiuit, nõ aſſequutus eſt eam? Quæſiuit quidem, attamẽ non inuenit, neq; enim rectè quæſiuit. Quomodo? Quia nõ illũ debito modo

Gene.27.

E pœnituit. Qualis enim pœnitentiæ verba erant quæ loquutus eſt, Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidã Iaacob fratrem meum? Itaque propterea non inuenit pœnitẽtiã, quia nõ eam quæſiuit vt oportuit. Aut ergo hoc eſt, aut ꝙ eos qui nondũ ceciderant, rurſum terret ne cadant, ꝙ maximis peccatis nõ ſit digna pœnitẽtia: & ad eos qui nondum peccauerãt ita loquitur, terrore cõſeruãs eos ne cadãt. Vbi verò iam aliqui omnino ceciderunt, cõſydera quomodo cõmutat ſermonẽ. Ait enim: Filioli mei quos iterũ parturio donec formetur Chriſtus in vobis. Nam ꝙ hæc ad eos ſcribat qui iã ceciderãt, manifeſtũ eſt. Ait enim: Qui per legẽ iuſtificamini à gratia excidiſtis. Videsꝙ quũ ipſis teſtetur ꝙ ceciderãt, ne in deſperationẽ veniãt, dicat: Quos iterum parturio donec formetur Chriſt⁹ in vobis? Agnoſcis ne ſanctũ hunc nõ abiicere pœnitẽtiã, ſed hęc diſpẽſatoriẹ loqui?

Gala.4.

Gala.5.

F

## CAPVT XIX.

*Quòd formidabiliores ſint futuræ pœnæ illis quæ ſub Moſe inſligebãtur, dignúmq; ſit ut circa præſentia maius adhibeatur ſtudiũ.*

NOn enim acceſsiſtis ad contactum montem & incenſum ignem ac caliginem & tenebras ac turbinem, tubæq; ſonitum & vocẽ verborum quã qui audierant deprecati ſunt ne ipſis fieret ſermo. Non enim ferebant quod edicebatur, Etiam ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur aut iaculo con-

figetur, & adeo terribile erat visum quod apparebat, vt Moses diceret: Expauefactus sum ac tremebundus. A

Propterea ignis, vt maiori terrori esset deus qui legē ferebat. *Ac caliginē & tenebras.* Caligo & tenebræ significant veteris testamēti obūbrationē. Nā si illa figuræ erant, manifestū est ꝙ donec veniret veritas, obscuræ erant figuræ, dum nō cognosceretur quid significarēt. Significat autem caligo etiā dei inuisibilitatē. Et caligo, inquit, sub pedibꝰ eius. *Ac turbinē.* Per dictionē Turbo, excitat eos quū segnes essent. Est autē turbo venti cōtorsio. Tubæ verò tanquam præsente rege: nā & hoc in secūdo erit aduentu. *Et uocem uerborum.* Moses enim loquebatur, & deus respōdebat. Oportuit nāq; dei vocē formari, vt fide digna fieret legislatio, & nō existimaretur esse Mosi, per quē erat deus legē laturus. *Nō enim ferebāt.* Caussam dixit excusationis, quia nō ferebāt id quod definiebatur, hoc est quod præcipiebatur siue dicebatur. Siquidē dixerūt Mosi: Loquere tu nobis, & nō loquatur nobis deus. *Etiā si bestia tetigerit.* Tantus erat terror, ꝙ & bestia si tāgebat mōtem, lapidabatur. *Et adeò terribile erat uisum quod apparebat.* Vult ostendere in hoc quoque excellere nouū testamentū in ordine ad vetus. Siquidē vetus etiā si huiusmodi nihil haberet quale nouum, timendum quodāmodo erat: nouū verò quū perfectionem habeat, clemens est & absque terrore. *Vt Moses diceret: Expauefactus sum & tremefactus.* Hic etiam qui in caliginem ingressurus erat, hoc dicebat.

Psal. 17.

Exo. 19.

B

Exo. 20.

Sed accessistis ad montem Sion & ad ciuitatē dei viuentis Ierusalē cælestē, & ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad cōcionē primogenitorū qui conscripti sunt in cælis, & ad iudicē vniuersorū deū & ad spiritus iustorū perfectorum, & ad noui testamenti conciliatorem Iesum, & ad sanguinem aspersionis melius loquentem quàm sanguis Abel. C

*Sed accessistis.* Pro mōte, inquit, Siō est hic cælū. Nā hoc dicit hìc montē Sion & Ierusalem: vnde subiungit Cælestē. *Et innumerabiliū angelorū cœtū.* Pro Iudaico populo adsunt

D angeli. Et solennē, inquit, cœtū, qui ex innumerabilibus cō
Luc.10. stat angelis. Primogenitos autē dicit fideles, quorū nomina sunt in libro vitæ. Nā hoc etiā dicit domin' discipulis: Gaudete ꝙ nomina vestra scripta sint in cælis. ALIVD. Primogenitos dicit sanctos, qui habent aliquid excellens præter alios fideles qui adoptionem acceperunt à primogenitis qui apud nos sūt, qui ex iure primogenituræ habēt aliqua præcipua legata. *Et ad iudicē vniuersorū deū.* Tanquam diceret: illi ne verba quidē ausi sunt audire, vos autē ad ipsum iudicem accessistis, hoc est ad Christū. Nam pater, inquit, nō iu-
Iohan.5. dicat quenquā: sed iudiciū dedit filio. *Et ad spiritus iustorū.* Cū ipsis enim futuri estis, qui ad nouū testamētū accessistis. Vocat autem ipsos perfectos, vt qui suā tunc perfectionem
Supra.11. sint habituri, quemadmodum etiā superius ait: Ne sine nobis cōsummarentur. *Et ad noui testamenti cōciliatorem.* Pro
E Mose hic est Christus. Sanguinē verò aspersionis siue purificationis dicit pretiosum Christi sanguinē. *Melius loquentem quàm sanguis Abel.* Quid enim sanguis Abel, an loquutus est? Vtiq;. Nā per ipsam, inquit, mortuus adhuc loquitur, in gloria videlicet & fama. De Christi verò sanguine perspicuum est ꝙ magis per gloriam loquatur, quū idoneus sit ad purificādum vniuersum mūdum. Semper autem à minimis
Cyril. trahit comparationem, propter ruditatē auditorum. Siquidem sanguis Abel clamabat aduersus homicidā, Christi verò sanguis pro nobis loquitur ad patrē: propterea dicit Melius loquentem quàm sanguis Abel.

Videte ne aspernemini eū qui loquitur. Nā si illi non effugerūt, aspernati eū qui supra terrā ius dice-
F bat, multò magis nos si eū qui de cælis est auersemur: cuius vox tū concussit terrā, at nūc denūtiauit dicens: Adhuc semel ego cōcutio nō modò terrā, ve-
Aggæi.2. rumetiā cælū. Porrò illud quod dicit, Adhuc semel, significat eorū quæ cōcutiuntur trāslationē, vt potę quæ facta sunt vt maneant ea quæ nō concutiūtur.

*Ne aspernemini eū qui loquitur.* Aut per incredulitatem, aut per desperationē. Quis est autem is qui loquitur, & ad suum vocat regnū? Christus videlicet. nā si sanguis eius loquitur,

multò magis ipse viuit *Nam si illi non effugerunt*, videlicet A
periculū, hoc est, perditionem. *Eum qui supra terram ius dicebat aspernati* Aut eum qui supra terram ius dicebat, hoc est, terrena ac trāsitoria promittebat, nēpe terram fluentem lac & mel, victoriam aduersus inimicos, fertilitatem in procreandis liberis, vitámq; lōgæuam. De cælis autē loquitur qui ipsum cælū in hæreditatē promittit, qui ineffabilis perpetuæq; illius gloriæ fruitionem largitur. Aut potest dictū esse, Supra terrā ius dicere, quoniā omnia ꝑpemodum quæ ad Mosi legislationem pertinebāt, corporales erant purificationes: at noua & per Christum nobis data legislatio, animę purificatio est & illuminatio. Supra terrā igitur sunt illa sancita, quoniam humilia & circa materiale tabernaculū versantia: hæc autē à cęlo sunt, quia diuina & sublimia, diuinóque modo animam emūdantia, & in cælos reducētia. Supra B
terram enim ius dicētem, ait Mosen. Quod igitur ait, huiusmodi est, Si Iudęi recusantes obtēperare Mosi nō effugerūt exitium, quomodo nos effugiemus recusantes obtemperare ei qui de cælo loquit, hoc est Christo? Nō ꝙ olim alius dederit legem, nūc verò alius loquatur, & ad suū vocet regnum ac fidē: sed ꝙ magis tremēdus sit nūc qui de cælo & per seipsum loquitur, q̄ qui olim de terra & per mediū Mosen: vnde iustū est magis vt audiatur. Quòd autē non alius fuerit qui olim legē tulerit, q̄ is qui nūc loquatur, ipse significat, dicēs, *Cuius uox tum cōcußit terrā.* Quando? quādo legē ferebat in monte Sina. *At nunc denūtiauit, dicens.* Vides eūdem esse qui tunc loquebatur & qui nūc? Sed differētia est in modo pro- C
mulgationis: tunc enim à terra & per Mosen promulgabat: nunc verò à cælo per seipsum. *Si eum qui de cælis est auersemur.* A cōmuni intelligentia subauditur Ius dicentem, siue Loquentem, aut Promulgātem. *Adhuc semel & ego concutio.* Quòd ait, Adhuc semel, significat quòd præter secūdum, sit additum aliud Semel Prius nāque concussus est mundus in legislatione facta in monte Sina. Terra enim cōmota est, ait Dauid. Rursum in aduentu in carne commotus est mundus. *Psal. 96.*
Nam cōmota est omnis Ierusalem. Et concutientur omnia *Mat. 2. 21*
manufacta simulachra Aegypti. Cōcussionem autē siue commotionē dicit veluti sonoritate ꝑdicationis, per quā cōmoti & trāslati sunt, putà à veteri statu qui in errore agebatur. *Iesaiæ 19.*

D Ita habet diuus Cyrill⁹: Quòd ait, Adhuc semel, dicit in secundo suo aduentu qui fiet cum gloria, quando trāsmutabit & variabit creaturam: tūc enim maximè cōmouebitur creatura. Aut verum terremotum & concussionem: aut trāsmutationem à malo ad bonum hominū, qui ad tēpus illud pertingent. Animaduerte quoque annotationem beati Cyrilli

Aggæi 2. in Aggæum. *Eorum quæ concutiuntur translationem*: nempe cæli & terræ, quæ tunc concutiētur ex pręsenti statu in quo facta sunt, per variationem & cōmutationem. *Vtpote quæ facta sunt.* Tanquam diceret, Quod naturale est sustinebunt. Quandoquidem enim id quod initium habuit, etiam terminū accipiet: ait, Vtpote quę facta sunt. Nā quia facta sunt, & cœperūt ex mutatione à nō esse ad esse (vt ita loqui liceat)

E meritò rursum concutiētur, & cōmouebuntur per mutationem. *Vt maneant ea quæ non concutiuntur.* Tunc autem concutiet, & immutabit creaturā, vt maneant ea quæ non concutiuntur, hoc est, quæ iam non amplius concutienda sunt, aut immutāda. Tanquam diceret, Propterea cōutit & immutat creaturam, vt deinceps suo persistant loco, quæ non amplius concutiēda aut immutanda sunt. Quæ verò non immutantur, meritò non amplius sunt agitāda: nam vbi semel primam immutationem susceperint, incorruptibilia erunt.

Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, habeamus gratiā per quam ita deo seruimus, vt illi placeamus cum pudore & reuerentia.

F Etenim deus noster ignis consumens est.

Si creatura incōcussa manebit, multomagis regnum cęlorum quod recepturi estis im præmium afflictionū, quas hìc pro Christo toleratis. Quoniā igitur afflictiones regnū conciliāt, gratiam habeamus pro illis deo. *Per quē seruimus deo.* Nam per hoc ꝙ pro aduersitatibus & afflictionibus deo gratię agūtur, contingit ipsi seruire, ita vt quis illi placeat. Nec satis est, inquit, solū illi gratias agere, nisi & pudor erga omnes, & reuerētia erga deū simul adsint. *Etenim deus noster ignis cōsumens est.* Aut ipsos terrere vult, ne ingrati sint, aut ob afflictiones murmurent: ne quo modo, inquit, deum assequamini iratum, aut supplicia inferētem. Aut vult cōsolari, tanquā diceret, Nos in afflictionibus gratias agimus: siqui-

dem dominum habemus, qui posſit cõſumere aduerſarios. A

CAPVT XX.

*De fraterno amore ac hoſpitalitate.*

FRaterna charitas maneat: hoſpitalitatis ne ſitis immemores. Per hanc enim quidam inſcientes exceperunt angelos hoſpitio. Memores eſtote vinctorum tanquam vnà vincti eorum qui affligũtur, veluti ipſi quoq; verſantes in corpore. Honorabile eſt coniugium in omnibus & cubile impollutum. Scortatores autẽ & adulteros iudicabit deus. Sint mores alieni ab auaritia, contenti his quæ adſunt. Siquidem ipſe dixit. Non te deſero neque derelinquo vt confidentes dicamus, Dominus mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo.

Cap. 13.

B

*Ioſue* 1.
*Pſal.* 127.

F*raterna charitas maneat.* Oſtendit ꝙ his antea adhærebãt, ſed nunc ob afflictiones ſegniores facti erãt. Rurſum igitur ipſos ad eadem exhortatur. P*er hanc enim quidam inſcientes.* Adeò, inquit, magna eſt hoſpitalitas, vt Abrahæ & Lot fuerit occaſio, ꝙ angelos exciperẽt. Latebat enim eos, attamen ignorantes ꝙ angeli eſſent, ita benignè exceperũt hoſpitio. Ideo quoq; ipſis magna fuit hæc merces: ꝙ ſi nouiſſent, iam nihil magni feciſſent. T*anquã unà uincti.* Nam qui vnà vinctus eſt, quonã modo poterit obliuiſci. E*orum qui affliguntur.* Siue in carceribus, ſiue per famem, aut aliam afflictionem. Si quis enim ſecum reputet, quòd & ipſe circũdatus ſit corpore affecto malis ſimilibus, magis miſerebitur: partim ex naturali condolentia, partim ob timorem, ne ſimilia ob ſuam inhumanitatem patiatur. H*onorabile eſt coniugium in omnibus.* Non in hoc quidem honorabile, in alio verò non: ſed integrè, perfectè, & omnibus modis honorabile & impollutum. *Scortatores autẽ & adulteros iudicabit deus.* Et meritò. Nam ſi coniugium permiſſum eſt, & ſine peccato licet ad explendam concupiſcẽtiam, quis erit excuſationis prætextus ſcortatoribus & adulteris. S*int mores alieni ab auaritia.* Non dixit nihil acquirendum eſſe, idque manifeſtum eſt ex

*Geneſ.* 18. 19.

C

D eo quòd subiungit, Contenti his quæ adsunt, quæcũque illa fuerint: sed vt animum habeamus philosophicum, & à pecuniarum amore alienum. *Non te desero, neque derelinquo.* Quoniam direptionem passi erãt. Nam ait, direptionem facultatum vestrarum cum gaudio accepistis, adhortatur eos, vt his quæ adsunt, contenti sint. Ne autem dicere possint, Quænam adsunt nobis, quum direptionem passi simus: ait, Sed & si passi estis paucissimis his quæ remanserunt, potestis esse contẽti, propter deum qui dixit, Non te desero, hoc est, non te deseram, neque te derelinquam. Vt confidẽtes dicamus, Si non deserit nos deus, neque derelinquit, confidentes dicere oportet illud quod ait Dauid: Nam si deus auxilio est, non oportet raptores aut calumniatores metuere.

E Memores estote eorũ qui pͥsunt vobis, qui loquuti sunt vobis sermonem dei, quorũ imitemini fidẽ, considerãtes quis fuerit exitus cõuersationis illorũ. Iesus Christus heri & hodie, idem etiam in secula.

*Memores estote eorum qui præsunt vobis.* Præceptorum. *Quorum exitũ conuersationis consyderãtes:* Id est, expendentes, examinãtes. Potest hoc & de mortuis dictũ esse, & de viuis. De mortuis quidem: Consyderãtes quomodo transegerint vitam, quà conuersatione vsi sint in mundo, imitemini fidem. Nisi enim illi futuris credidissent, optimam conuersationem non exhibuissent. De viuis autem: Consyderantes quomodo conuersationem in vita rectè trãsigant, imitatores estote fidei illorum. *Quis fuerit exitus conuersationis.* Quæ viuendi norma vsque ad finem. *Iesus Christus heri & hodie.* Erant nõnulli apud eos qui dicerẽt, Is qui crucifixus est, non est is qui annũtiatus est, & qui expectatur Christus: alius veniet. Ideo ait, Iesus Christus heri & hodie, idẽ etiam in secula: per id quod ait Heri, significans præterita secula: per Hodie, præsentia: per id quod sequitur, Idẽ etiam in secula, futura. Tanq̃ diceret, Non veniet alius Christus. Nam qui venit, idem hic est qui prius erat, & est, & erit in secula.

## CAPVT XXI.

*De non uiuendo carnaliter iuxta legem, sed spiritualiter secundum Christum in uirtute.*

DOctrinis variis ac peregrinis ne circunferamini. Bonum est enim gratia cōstabiliri cor, non escis q̄ nō profuerunt iis qui versati sunt in illis. Habemus altare, de quo non est fas edere iis qui tabernaculo seruiunt. Animalium enim quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. A

Num. 19.

Doctrinis uariis, Doctrinis, inquit, quæ sunt de dogmatis diuersis aut peregrinis ne attrahamini. Vnū enim est, idémq; præclarum & insigne dogma. Circumferri autem dictum est à metaphora eorum qui insaniunt, qui & huc & illuc circū-feruntur. *Bonum est enim gratia.* Siquidem cor dei: gratia confirmatum est ad fidem, neque varia neque peregrina circunferri potest doctrina, sed quod rectum est semper tenebit. B *Nō escis.* Fide igitur quæ per dei gratiam operatur, opus est constabiliri cor, non constabiliri ad obseruationem ciborum. Nā qui in his obseruationibus versantur, hoc est, qui eas custodiunt, nihil ab ipsis iuuantur. Innuit autē quosdam apud ipsos esse, qui more Iudaico ciborū delectum obseruarent. *Habemus altare.* Quoniam dixerat ꝙ non oporteat obseruare cibos, ne existimarent contemptibilia esse nostra, eo quòd nihil obseruationis haberēt, ait, An non & nos obseruationes habemus? Vtique: at non ciborum, sed altaris nostri. Nam eorum quæ super illud ponuntur, neque ipsis Iudæorum pontificibus liceret esse participes. Hi enim tabernaculo, hoc est, figuræ ac vmbræ & non veritati seruiūt. C *De quo non est fas edere.* Non qualia, inquit, sunt Iudaica, talia sunt & nostra: adeò vt ne ipsi quidē summo sacerdoti fas sit horum esse participem. *Animalium enim quorum sanguis infertur.* Deinde ostendit veneranda quæ apud Iudæos erant, nostrorum fuisse figuras, & ait, Quemadmodum in victimis quæ pro peccato offerebantur, sanguis quidem in sancta inferebatur per pontificem, corpus verò extra castra cremabatur: ita & Christi sanguis pro mundi peccatis effusus omnem mūdum purgauit: corpus verò ipsius extra ciuitatē Ierusalē in cruce suspensum est: eo ꝙ etiā corpora victimarum pro peccato extra castra cremabātur. Hic itaq; sanguis per pōtificē nostrū infertur super altare quod apud nos est;

D idcirco non est fas Iudæorũ põtificibus ex ipso altari edere.

Quapropter & Iesus vt sanctificaret per propriũ sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, obprobriũ eius portantes. Non enim habemus hìc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum igitur offerimus hostiam laudis semper deo: hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

*Quapropter & Iesus.* Hoc ad eos dicit qui hæsitantes dicere possent. Quomodo ais vos habere altare? quid super ipsum oblatum est? Etenim ipse quoque Christus de quo to
E ties asseris ꝙ immolatus sit, ꝙ hostia fuerit pro mũdo & oblatio, ne ipse quidem super altare immolatus est: manifestum enim est ꝙ extra ciuitatem Ierusalem passus sit. Ad hos igitur loquens, Profectò, inquit, extra ciuitatem passus est: sed ex hoc magis confirmatur ꝙ habeamus altare. Siquidem etiam apud Iudæos non super ipsa altaria cremantur oblatorum corpora, sed extra castra: & prçterea ob id extra portam passus est, vt omnes & non solos sacerdotes sanctificaret: ꝙ si victima functus est pro omnibus, quomodo non etiam altare est? Quòd autẽ ait, Vt sanctificaret populũ, aliam quoq; tribuit intelligẽtiam. Dixi, inquit, ꝙ iis qui tabernaculo seruiunt non sit fas edere ex altari nostro: non ꝙ hoc eis contingere nequeat vllo modo, sed ꝙ ex mente sua indignos sese
F exhibeât: quoniam quod ad Christi benignitatem pertinet, non solùm non est prohibitum, verumetiam propter hoc ipsum passus est. Vt enim sanctificaret, inquit, non hunc aut illum, sed vniuersum populum, & faceret vt eis fas esset ex ipso altari viuere, extra portã passus est. *Exeamus igitur.* Quoniam igitur Christus passus est extra castra, exeamus ad eum extra castra, hoc est, extra mundum. Nihil, inquit, mundanũ aut terrenum, nihil quod sub sole sit prosequamur. Aut extra mundum hoc modo, Si etiam opus sit mortem pro ipso obire, hoc est, similia cũ ipso patiamur, si op⁹ fuerit. Nã hoc significat, Obprobrium eius portantes, id est quod ipse pas-
Oecum. sus est, tum per scommata tum per crucem. ALIVD. Videtur diuus Paulus dicere extra castra, extra mundum. Nam

à mundana vita nos alienat. N*on enim habemus hic manentem ciuitatem.* Oportet igitur ad mortem pro Christo tolerandã prõpto ferri animo, maximè, inquit, ꝙ non sint nostræ ciuitates quæ hìc sunt ciuitates, sed aliam oportet quærere manentem, hæ enim pereunt. P*er ipsum igitur:* Tanquam per pontificem, secũdum carnem ipsius. S*emper deo.* Aut patri: aut ipsi per seipsum. F*ructum labiorum.* Quid est autem fructus labiorum? vota, hymni, obsecrationes ad deũ. Quoniã enim dixit Hostias, ne existimarent eum dicere de animalibus, seipsum interpretatus est: hostias, inquit, dico sanguine carentes, quæ labiis offeruntur cõsistentes in votis, hymnis ac precibus. C*onfitentium nomini eius.* Labiorum confitentium nomini eius: hoc est, gratiam agnoscẽtium ꝙ pro nostris peccatis mortuus sit: aut Confitẽtium nomini eius, nẽpè labiorum nostrorum confitentium nomini eius. A B

Cæterùm beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini. Talibus enim victimis placetur deo. Parete his qui præsunt vobis & subiacete: siquidem illi peruigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri: vt cum gaudio hoc faciãt, & non gementes: nam id est vobis inutile. Orate pro nobis: confidimus enim quòd bonam habeamus conscientiam inter omnes, cupientes honestè conuersari. Magis autem obsecro vt hoc faciatis, quò celeriùs restituar vobis. C

C*æterùm beneficentiæ.* Pro eadem accipit virtute beneficentiam & communicationem. P*lacetur deo.* Nam εὐαρεστοῦμαι (quod propriè significat hilariter affectus sum, aut placidè me habeo) etiam placere significare potest. Itaque non oportet solùm fructum labiorum offerre, verumetiam huiusmodi hostias. P*arete his qui præsunt.* Quũ prius eos dixerit fideles ac imitatione dignos, dicens, Quorum imitemini fidem, consyderantes quis fuerit exitus conuersatiõnis illorum, nunc subiungit, Parete eis. Etenim prauè credenti non oportet parêre: Cęterùm malè quidem viuenti, rectè tamen credenti parêre oportet. Nam omnia, inquit, quæcũque di- *Supr. eod.* *Mat. 23.*

D xerint vobis seruate & facite, iuxta verò opera eorum ne feceritis. Porrò de his qui corrupti sunt in fide ait, Doctrinis variis ac peregrinis ne circũferamini. Quamobrem?
Sup.eod. Quia is qui malè viuit, nequaquam suadebit aliis vt malè viuant. Etenim ipse quoq; dum hæc agit rubore suffunditur, idq; apertè significat, quum ea occultare enitatur: at qui prauus est in fide, prauè etiam populo concionabitur. *His qui præsunt uobis*. De episcopis loquitur. *Et subiacete*. Exactã significat obedientiã in verbo Subiacete. *Siquidem ipsi peruigilant*. Audiant hi qui præsunt ꝙ quemadmodum populum oportet esse obedientem, ita sacerdotem pro peccatis
Iez.c.3. populi excubantem & solicitum. Nam qui pręsunt, subiacẽt supplicio pro peccatis populi. *Vt cum gaudio hoc faciant*.
E Siquidem ipsi excubias seruabunt pro animabus vestris: cæterùm vestra obedientia aut inobedientia efficiet, vt id cum gaudio aut gemitibus faciant, quod inutile vobis erit, hoc est, damno, incommodo. Deus enim rependet, & eos ob iniuriam vlciscetur. *Orate pro nobis*. Quoniam nonnulli calumniabantur Apostolum ꝙ discessionẽ à lege doceret, inimico animo affecti erant erga ipsum: idcirco neque nomen suum in initio posuit epistolę, ne Pauli nomine reperto, epistolam ne legere quidem dignarentur. Vnde nunc ipsis respondet. Orate, inquit, pro nobis: nam cõfidimus ꝙ bonam habeamus conscientiam inter omnes & inter Gentes & erga vos, nihil errantes in his quæ de nobis obloquuntur. *Quòd bonam habeamus conscientiam*. Non discessionem à lege prę-
F dicantes, sicut nonnulli calumniantur: sed à litera & vmbra ad spiritum & veritatem transferentes: quod non est apostasia siue discessio, sed complementum & patrocinium legis. *Magis autem obsecro ut hoc faciatis*. Quidnam hoc, nempe orare pro nobis. *Quò celeriùs restituar uobis*. Hoc confidentis erat quòd bonam haberet conscientiam, quum vellet in propria quoque persona ipsos exhortari.

CAPVT XXII.

*Precatio ad deum ut ad uirtutem instituantur & debitè gubernentur.*

DEus autem pacis qui reduxit à mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti

æterni dominum noſtrũ Ieſum, abſolutos vos red- A
dat in omni opere bono, ad faciẽdum voluntatem
ipſius, efficiens vt quod agimus acceptum ſit in cõ
ſpectu ſuo per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſecula
ſeculorum, Amen. Obſecro vos fratres ſufferte ſer-
monem conſolationis. Etenim paucis ſcripſi vobis.
Scitis fratrem Timotheũ dimiſſum eſſe, cum quo,
ſi celeriùs venerit, viſam vos. Salutate omnes qui
præſunt vobis, & omnes ſanctos. Salutant vos Ita-
li. Gratia cum omnibus vobis, Amen.

Quòd ſi deus eſt de⁹ pacis, nõ oportet vos ab vno ſolo au- B
ditu mendacij ſeditionem agere, ac inimicum gerere animũ erga me. *Paſtorem magnum ouium.* Quemnam? Dominum noſtrum Ieſum, inquit. *In ſanguine teſtamenti.* Excitauit eum à mortuis, ait, vt ſanguis eius eſſet nobis ad teſtamentum æternum. Aut hoc modo. Excitauit ipſum à mortuis cũ ſanguine teſtamenti ęterni: hoc eſt, per excitationem ipſius, ſanguis quoque eius donatus eſt nobis ad teſtamentum æternum: niſi enim excitatus fuiſſet, nequaquã fuiſſet nobis ſanguis ipſius ad teſtamentum. *Abſolutos uos reddat.* Hoc eſt, perficiat & cõſummet. Nos igitur oportet inchoare, & eum qui perficit obſecrare. *Ad faciendum uoluntatem ipſius.* Nam is qui ad omne opus bonum abſolutus eſt & completus, po-
teſt facere dei voluntatem. Omne autem opus, vocat opus C
& fidem. *Efficiens ut quod agimus acceptum ſit.* Vbi autẽ nos abſolutos reddiderit ad omne opus bonum ad faciẽdam ſuã voluntatem, tunc inducet in nobis quod ſibi acceptum eſt. Quid autem ipſi acceptum eſt? Vt faciamus ipſius voluntatem. *Per Ieſum Chriſtum.* Ipſe, inquit, efficit quod ſibi acceptum eſt per nos medios. Vides ꝙ totum ſit dei opus? Hoc autem faciet & conſummabit in nos quod ſibi acceptum eſt per Chriſtum. Nam ſi cõciliator inter deum & nos fieri voluit, meritò per ipſum pater quod ſibi acceptum eſt, in nos perficiet. *Sufferte ſermonem conſolationis.* Nõ dicit Conſilij aut Exhortationis, ſed propter afflictiones in quibus erant, Conſolationis, inquit. *Etenim paucis ſcripſi.* Paucis conſe-

D rendo ad ea quę dicturus fuisset, quæ plurima erant, si singu la dicta fuissent. *Scitis fratrem Timotheum dimissum.* Magis erga Timotheum amico animo affecti erant, ideo de ipso scribit. Quid est autem dimissum? Aut in carcere fuerat, aut ex Athenis dimissus erat, ibi nanque fuerat. *Cum quo, si celerius uenerit, uisam uos.* Dimissus quidem est: quòd si celerius venerit ad me, vnà cum ipso profectus videbo vos. Verisimile nanque erat ipsum quidem fuisse dimissum, at nondum ad Paulum peruenisse. *Gratia cum omnibus uobis.* Hoc est, remissio peccatorum, & purificatio sit vobiscum. Quomodo autem esse poterit cum omnibus nobis? Si non fuerimus in dei beneficium contumeliosi, peccantes ac effecti segniores.

SCRIPTA EST AB ITALIA
per Timotheum.

FINIS.

EXCVDEBAT IOHANNES
Dauid, in via noua diuæ Genouefes, sita
in suburbiis beati Marcelli, Anno ab incarnato domino, M. D. XLVII.